ARBOR SCIENTIÆ VENERABILIS ET CÆLITVS ILLVMINATI PATRIS RAYMVNDI LVLLII MAIORICENSIS,

OPVS NVPERRIME RECOGNITVM, reuisum & correctum.


LVGDVNI,


Ex Officina IOANNIS PILLEHOTTE;

Sumpt. IOANNIS CAFFIN, & FRANCISCI PLAIGNARD, sub signo nominis IESV.

M. DC. XXXV.

PERMISSV SVPERIORVM.


Imper.
Apo.
Cœlest.
Angeli.
Mor.
Huma.
Imag.
Sensus.
Mate.
Raymundus.
Monachus.
bonitas
magn.
durat.
minor
æqual.
major.
finis
volũt.
virtus
gloria.
differ.
cõcor
princ.
med.


elem.
ele.cō.
ele.com.
accidentia.
instrumenta.
instrumen.
aer.
aqua.
ignis.
terra.
Chaos
Hyle
Raymund.
Monac.
bonit.
magn.
duratio
potesta
sapien.
volun.
virtus.
veritas.
gloria.
differ.
concor.
contr.
princ.
med.
finis.
maio.
æqual.
minori.

De Arbore

ARBOR SCIENTIÆ VENERABILIS ET CÆLITVS illuminati Patris RAYMVNDI LVLLII Maioricensis, cuius farrago & fructus admirabilis à tergo huius indicabitur. Et in cuius commendationem est hoc extemporaneum Iodoci Badij Ascensij ad pium lectorem Epigramma.

SVscipe Ræmundi cælesti lumine clari
Aurea in arboribus mala scientificis.
Quæ si lector edes & in imo pectore condes:
Moly, aut diuinam dixeris Ambrosiam.
Quatuor ecce quater septenis prædita membris
Robora in hac sylua conspicis arboreâ.
Omnia viuificis lignis pomisque referta:
Quæ bene si gustes nil magis esuries.
Mentis enim quiuis hac crescit in arbore fructus
Omnia quę scitu digna patere facit.
Ergo Atlantiacum quamuis præstantius auro
Citrinas mensas eleuat ista decus.
Quin Paradisiacę non sunt huic robora syluę
Æquiparanda, licet nosse vel illa darent.
Illa etenim vetitis nocuerunt fructibus Adam:
Hęc potis illius viuificare genus.
Proinde tibi multum maior Balearica debent:
Ad quos hęc Lulli sunt bona missa tui.

OPVS PRÆCLARVM ET VALDE mirabile. Arbor ſcientiæ vocatum à multum Reuerendo Magiſtro Raymundo Lullio editum. In quo omnium ſcientiarum traditur notitia. Quæ arbor generalis in XVI. arbores ſpeciales diuiditur, quæ ſunt.

Arbor elementalis, prima.
Arbor vegetalis, ſecunda.
Arbor ſenſualis, tertia.
Arbor imaginalis, quarta.
Arbor humanalis, quinta.
Arbor Moralis, ſexta.
Arbor Imperialis, ſeptima.
Arbor Apoſtolicalis, octaua.
Arbor Cæleſtialis, nona.
Arbor Angelicalis, decima.
Arbor Aeuiternalis, vndecima.
Arbor Maternalis, duodecima.
Arbor diuinalis, & Humanalis, decimatertia.
Arbor Diuinalis, decimaquarta.
Arbor Exemplificalis, decimaquinta.
Arbor Quæſtionalis, decimaſexta.

Et qualibet iſtarum arborum diuiditur in ſeptem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus, vt latiùs apparebit ſubtiliter intuenti.

Arboris elementalis radices ſunt, principia generalia, ſcilicet bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, ſapientia, voluntas, &c.

Truncus eſt hyle ſiue cahos.

Branchæ ſunt quatuor elementa ſimplicia.

Rami ſunt, quatuor elementa compoſita.

Folia ſunt accidentia.

Flores ſunt inſtrumenta.

Fructus ſunt corpora elementata & indiuiduata.

DEVS IN VIRTVTE tua incipit Arbor scientiæ.

IN desolatione & fletibus stans Raymundus sub quadam arbore pulchra suam desolationem cantabat : vt modicum suum alleuiaret dolorem quem habebat , quia negocium sanctum Iesu Christi, & totius Christianitatis , & publicam vtilitatem in curia Romana non potuit obtinere. Dum ita staret desolatus in quadam pulchra valle pluribus fontibus , & arboribus pulchris abundosa : quidam monachus per illam vallem veniebat : qui Raymundum cantare audiebat. Et quia cantus ille erat dolorosus , & pius sequendo vocem vsque ad locum : vbi stabat Raymundus:venit. Et per habitum quem ei vidit , & per magnam barbam quam Raymundus habebat: existimauit quod esset aliquis homo religiosus extraneæ nationis,& dixit ei hæc verba. Amice quid habetis? & quare plangitis? Nomen vestrum (si placet) mihi dicatis, & in qua terra natus estis. Quoniam si vos in aliquo iuuare possem : libenter meum posse facerem. Quia videtur mihi multum vos esse desolatum,& vellem vos esse in consolatione , & quod consolationem in nostro creatore haberetis,contemnendo & obliuiscendo vitam breuem huius mundi. Respondit ei Raymundus , dixitque ei suum nomen,& magnam partem sui status & vitæ ei retulit. Multum placuit monacho: quia Raymundum inuenit. Cui dixit : quòd ipsum diu quæsiuerat : vt ipsum rogaret:quòd ipse vnum librum componeret ad omnes scientias generalem , qui leuiter intelligi posset , & per quem ars sua generalis (quam composuerat) faciliùs intelligi posset, quia nimis subtilis videtur ad intelligendum. Et etiam quia cæteræ scientiæ,quas antiqui sapientes inuenerunt: ita difficiliter intelliguntur, & ita longum tempus requirunt ad discendum:quod vix aliquis potest ad finem debitum deuenire. Et etiam plura dubia sunt : quæ quidam sapientum contra alios sapientes habent. Quare rogauit ipsum:quod vnum librum faceret generalem qui ad omnes scientias intelligendum iuuaret. Quoniam intellectus confusus periculum magnum & magnæ deuotionis priuationem ad honorandum Deum, cognoscendum, amandum & seruiendum , & proximo suo salutem procurandum apportat. Respondit Raymundus. Domine monache,diu laboraui ad veritatem inuestigandam per vnum modum & per alium:& per gratiam Dei ad finem & cognitionem veritatis deueni quam scire tantùm desideraui , & quam in libris meis posui. Et etiam sum desolatus:quoniam illud quod tantum desideraui : & pro quo annis 30. laboraui:ad finem deducere non potui. Item quia libri mei modicum appreciantur, imò dico vobis : quòd plures me tenent pro fatuo, quia de huius negocio me intromitto:propter quod voluntatem non habeo neque illum librum (pro quo me rogatis) neque alium facere siue componere , imò in mea tristitia desolatus volo remanere. Et quia Dominus noster Iesus Christus tam paucos amatores habet Christianos in hoc mundo : ad Saracenos redire propono , ad protestandum & ostenden-

dum illis nostræ sanctæ fidei veritatem: & ad faciendum ei honorem: secundùm quod potero, & secundùm gratiam & adiutorium quam expecto habere à Deo, quæ me creauit ad tractandum suum honorem, & ad reprehendendum illos per quos in hoc mundo est inhonoratus. Raymunde (dixit monachus) hunc faciatis librum de quo vos rogaui, & talem faciatis: per quem homo vestram intentionem cognoscat, & quod de stultitia quam vobis quidam imponunt (quia nec vos nec libros vestros cognoscunt) sitis excusatus, & vt per hunc librum cæteri libri vestri apprecientur. Et certè à culpa non essetis excusatus: nisi bonum quod poteritis inter Christianos feceritis. Et erit ad reformandum bonum: quod fecistis. Insuper vobis promitto: quòd si hunc librum facitis illum pluribus portabo, & omne bonum quod potero, faciam, quamdiu viuam. Multũ considerauit Raym. in hoc: de quo monachus ipsum rogauit, & in bono quod sequi posset: si librum illum faceret. Et dum ita consideraret, quãdam pulchram arborem respexit, quæ coram stabat, in qua folia plura, flores & fructus consistebant, & in his quæ ipsa significabat, cogitauit. Raymunde, dixit monachus, in quo cogitatis, & quare meis sermonibus non respondetis. Domine monache, dixit Raym. cogito in hoc quod per hanc arborem significatur, quoniam omne quod est, significatur in ipsa, propter quod habeo voluntatem illum librum faciendi, de quo me rogatis, recipiendo significata quæ hæc arbor mihi in septẽ rebus significat, videlicet per radices, per truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus arboris. Et per ista septẽ huius libri processum tenere propono.

De diuisione huius libri.

LIBER iste in sexdecim partes diuiditur, ex quibus componitur hæc arbor scientiæ. Prima pars est de arbore elementali. Secunda de arbore vegetali. Tertia de arbore sensuali. Quarta de arbore imaginali. Quinta de arbore humanali. Sexta de arbore morali. Septima de arbore imperiali. Octaua de arbore apostolicali. Nona de arbore celestiali. Decima de arbore angelicali. Vndecima de arbore euiternali. Duodecima de arbore maternali. Terdecima de arbore christianali & diuinali. Quartadecima de arbore diuinali. Quindecima de arbore exemplificali. Sedecima de arbore quæstionali. Per has sexdecim arbores de omnibus scientiis tractari potest. Posita est in hac scientia arbor elementalis: vt cum ipsa naturæ proprietatésque elementorum cognoscantur, & illud quod sunt, & operationes quas faciunt, & illud quod sequitur ex illis. Per arborem vegetalem cognitio datur de plantis secundùm earum vegetationem & operationem quas habent in seipsis secundùm naturas: quas habent per instinctus & appetitus naturales. Per arborem sensualem datur ars & cognitio de sensibilibus & sensitis & de eorum sentire. Per arborem imaginalem habetur ars & modus cognoscendi impressiones: quæ remanent in imaginatione de rebus sensitis, vegetatis & elementatis. Per arborem humanalem datur cognitio de principiis & coniunctionibus spiritualium & corporalium rerum & de eorum naturis: & de finibus causarum,

quæ

quæ sunt propter homines. Iterum de dispositionibus: & habitibus, quæ in hominibus consistunt: & de pluribus aliis, de quibus in quinta parte libri huius loquemur. Per arborem moralem datur cognitio de virtutibus & vitiis, quæ sunt in hominibus, & de causis, per quas virtutes & vitia adsunt & absunt. Per arborem imperialem datur cognitio de regimine principum & de fine quare sunt publicæ siue communes personæ. Per arborem apostolicalem habetur cognitio de vicaria, quam Iesus-Christus tradidit beato Petro, & de Sanctitate, quæ requiritur in prælatis & eorum subditis, & de fine, propter quem eliguntur ad essendum personas communes. Per arborem celestialem datur cognitio de impressione: quam corpora supracelestia influunt in corporibus inferioribus, & de naturis: quas corpora inferiora recipiunt à corporibus superioribus. Per arborem angelicalem habetur cognitio de angelorum quiditate, & de eorum operationibus quas habent in se, & de gloria, quam dant Deo, & de subsidiis, quæ hominibus faciunt. Per arborem æuiternalem datur cognitio de paradiso & de inferno & de continua duratione: quæ est in alio seculo sine fine. Per arborem maternalem intelligimus dominam nostram sanctam Mariam: quæ mater est iustorum & peccatorum: & datur cognitio de spe & auxilio, quæ in illa & ab illa habemus & habere possumus: & de respectu, gloria & amore: qui sunt inter ipsam & filium suum Iesum Christum. Per arborem diuinalem & humanalem Iesum Christum & participationem diuinæ naturæ & humanæ intelligimus, & habetur cognitio quomodo Iesus Christus est finis & perfectio omnium entium creatorum. Per arborem diuinalem Deum intelligimus & operationes quas in se habet & in creaturis: & finem siue perfectionem, quos habet in se & quos habemus in ipso. Per arborem exemplificalem exempla intelligimus: quæ dari possunt de arboribus supradictis: & datur cognitio ad inuestigandum & ostendendum naturas earum & proprietates. Et hæc arbor multum est bona ad prædicandum. Per arborem quæstionalem artem intelligimus & modum quæstiones faciendi & ipsas soluendi. Et datur cognitio ad inuestigandum rerum veritates: & ad destruendum & confundendum errores: qui in multis libris ponuntur: per quos multi homines tanquam cæci in tenebris existunt.

De Arbore elementali.

ARBOR ista diuiditur in septem partes. Prima pars est de suis radicibus. Secunda de suo trunco. Tertia est de branchis suis. Quarta de ramis. Quinta de foliis. Sexta de suis floribus. Septima de suo fructu. Per suas radices intelligimus principia artis generalis: quæ sunt bonitas, magnitudo, duratio, potestas, sapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria, differentia, concordantia, contrarietas, principium, medium, finis, maioritas, æqualitas, & minoritas. Per truncum omnium istorum principiorum corporalium congregationem intelligimus. Vnde sequitur siue resultat vnum corpus confusum: quod dicitur chaos quod complet totum spacium, quod est sub luna diffusum, in quo species rerum sunt seminatæ, siue diffusæ, & dispositiones & habitus

earum, in tantum: quò ipsum corpus est substantia confusa rerum elementatarum accidentibus subiacens. Per branchas quatuor elementa intelligimus, videlicet ignem, aërem, aquam, & terram, quæ sunt substantiæ rerum elementatarum: in ipsis sustentatarum. Et ipsa insensibilia sunt & incorruptibilia, inquantum sunt simplicia. Per ramos quatuor massas scilicet quatuor elementa composita & sensibilia intelligimus, videlicet ignem quem in flamma sentimus, & aërem motum, qui est inter nos & lunam, & aquam maris, fontium, & fluminum, & terram, in qua habitamus & sustentamur. Et ista sunt membra arboris elementalis. Per folia intelligimus rerum corporalium corruptibilium accidentia, sicut sunt quantitas, qualitas, &c. Per flores rerum instrumenta intelligimus, sicut est manus, quæ est instrumentum ad operandum: & pes ad eundum. Per fructum elementata intelligimus, sicut sunt lapis, pomum, homo, leo, piscis, auis, aurum, & argentum.

De prima parte arboris elementalis scilicet de radicibus. Et primò de Bonitate.

IN parte ista intendimus dare diffinitiones bonitatis & aliorum principiorum: vt cùm ipsis diffinitionibus principia cognoscantur. Bonitas est ens ratione cuius bonum agit bonum, & sic bonum est esse: & malum est non esse. Est bonitas radix arboris elementalis: in quantum arbor per bonitatem est bona, & ratione bonitatis agit bonum: inquantum res primarias & naturales producit, videlicet branchas, ramos & cæteras partes suas, & eius priuatio eiúsque operationum esset mala. Et operationes suæ sunt primariæ: in quantum omnia naturalia elementata ab ipsis sunt deriuata, & de sua essentia sunt essentiata. Est bonitas vniuersale principium omnibus partibus, quæ sunt bonæ in arbore, sicut magnitudo arboris, quæ est bona per bonitatem, & idem est de duratione, potestate & cæteris partibus. Et ideo est bonitas radix omnibus partibus arboris: quæ ex illa suam capiunt similitudinem, videlicet quod sunt bonæ per ipsam. Hæc bonitas generalis in semetipsa est plena sui ipsius & cæterarum partium. Est plena suipsius in semetipsa, in quantum in semetipsa partes habet essentiales & concretas, quæ de sua sunt essentia, specie & natura: videlicet bonificatiuum bonificabile & bonificare. Bonitas est cæteris partibus plena: in quantum est magna per magnitudinem: & durabilis per durationem: & potens per potestatem. Idcircò bonitas est radix arboris cum complemento: quod supra diximus, per quod est completa ratio: per quam arbor sit bona & agat bonum. Vnde cùm bonitas sit per se plena & per aliud: oportet quòd sit radix substantialis, quia si non esset: non esset magnitudine plena: cùm substantia maior sit accidente, nec substantialiter esset arbor bona. Et talis priuatio substantialitatis esset mala: & arboris suarúmque partium vacuitas, est ergo bonitas pars substantialis: vt natura passionem non habeat vacuitatis. Bonitas in quantum per magnitudinem est magna, & per durationem durabilis, & per potestatem potens: & sic de cæteris: est accidentibus subiectata, quæ sunt similitudines: quas ab aliis

parti

partibus assumit,& in quantùm cæteræ partes ab ipsa capiunt similitudines sunt illæ similitudines quas recipiunt accidentia:sicut magnitudo quæ bona est per bonitatem & duratio similiter & potestas, &c. Et in hoc est fons generalis cæteris accidentibus: quæ de partibus substantialibus procedunt.

De Magnitudine.

MAgnitudo est illud ens per quod bonitas,duratio, &c. sunt magnæ: ambiens omnes extremitates essendi. Magnitudo est substantialiter radix arboris: vt ipsa substantialiter sit magna, & quod magnitudo sit id quod est, quoniam si magnitudo non esset principium substantiale: paruitas esset in bonitate, duratione, potestate, & virtute, &c. & non esset hoc quod est: neque per ipsam esset arbor magna, quod est impossibile. Est ergo magnitudo secúdùm semetipsam substantialis.& similitudines quas dat sunt accidentales, sicut de bonitate prædiximus. Sed quoniam magnitudo est vna pars arboris: est arbor per illam substantialiter magna:quemadmodum totum per suas partes essentialiter est totum. Et ad probandum,quod duratio, potestas & aliæ arboris radices contrarietate excepta sunt substantiales partes:sufficit probatio, quam dedimus de bonitate,magnitudine, &c. quæ sunt partes substantiales. Contrarietatem tamen non dicimus partem esse substantialem:vt probauimus in tabula generali. Per hanc magnitudinem habetur cognitio de magnitudine arboris,quam habet secundùm suas radices, & secundùm suum truncum,branchas, ramos, folia,flores, & fructus.

De Duratione.

DVratio est proprietas: per quam durant bonitas,magnitudo, &c. Bonitas durat per durationem in suo existere & agere, sicut duratio, quæ est bona in suo existere & agere per bonitatem. Vnde sicut radix à terra cum qua participat: influentiam assumit:sic duratio est radix vnde bonitas influentiam ad durandum assumit in seipsa & etiam ad durificandum similitudines,quas bonitas dat cæteris partibus substantiæ. Et hoc quod dicimus de bonitate: sequitur de potestate, &c. Idcirco est duratio ratio per quam arbor,& omnes eius partes durant.

De Potestate.

POtestas est id, per quod bonitas, magnitudo, duratio, &c. possunt existere & agere. Bonitas est: & in quantum est: potest esse, quoniam si esse non posset,non esset. Quia bonitas est ita sub ratione potestatis, in quantum esse potest,sicut potestas est sub ratione bonitatis:in quantum bona est per bonitatem. Et quoniam bonitas in seipsa operationem habere potest per potestatem videlicet bonificare: quod sine potestate habere non posset: oportet quod potestas ipse habeat possificare:per quod bonitas possit habere in se bonificare, quod habere non posset: si potestas non haberet possificare. Et ideo potestas est radix arboris cum bonificare:in quantum bonificare est per possificare. Et idem est de magnificare,durare & cæteris. Quare in arbore sequitur possificare de rebus possibilibus, secundùm suiipsius & suarum partium rationem. Et ea quæ sunt in illa impossibilia: sunt impossibilia, quia sub ra-

tione suorum principiorum non existunt: sicut enim impossibile, quod ignis in aquam essentialiter posset conuerti, & aqua in ignem, vel vna species in aliam.

De Sapientia.

SApientia est id ratione cuius sapiens intelligit. In arbore elementali sunt instinctus naturales, sicut ignis, qui habet instinctum naturalem ad calefaciendum aërem: vt habeat cum illo concordantiam, & ad calefaciendum aquam: vt cum illa habeat contrarietatem, vt de concordantia sequatur generatio, & de contrarietate corruptio. Cùm sit ita, quod generatio cum esse habeat concordantiam, & corruptio cum non esse. Vnde ratione huius ignis instinctum habet naturalem ad has operationes naturales faciendum: quamuis discretionem non habeat. Quare in elementatis quæ discretionem non habent, & inclinationes habent naturales ad illos fines, quare sunt: stant instinctus naturales habituati in figura sapientiæ vel scientiæ, quæ est in hominibus. Et propter hoc est instinctus naturalis radix arbori elementali: ratione cuius instinctus naturales sunt in illa habituati & diffusi.

De Voluntate.

VOluntas est id, per quod bonitas, magnitudo, &c. sunt amabiles. In arbore elementali secundùm suam naturam non est voluntas spiritualis, sed in ipsa sunt habituatæ, & seminatæ voluntates animalium irrationabilium & appetitus plantarum & elementorum, qui sunt naturales appetitus causis naturalibus desideratis sub ratione bonitatis, & sic de cæteris. Sicut ignis, qui habet appetitum ad calefaciendum aërem: vt det ei suam similitudinem. Et sicut planta quæ habet appetitum ad pluuiam: vt ex illa viuat & crescat. Et sicut leo, qui habet appetitum ad leonissam pro specie sua conseruanda: & ad bibendum, vt det humiditatem suis partibus desiccatis & calefactis: & idem est de cæteris elementalis. Iste appetitus naturalis est radix arboris elementalis: vt habeat naturales appetitus particulares habituatos & diffusos sub vniuersali appetitu, quem diximus.

De Virtute.

VIrtus est origo vnionis, bonitas magnitudinis, &c. Oritur virtus de vnitate bonitatis in bonificare: in quantum bonificare erit virtuosæ de bonificatiuo & bonificabili: in quibus erit virtus siue oritur: vt bonificare sit virtuosum, & bonificans & bonificabile similiter virtuosa. Et idem est de exitu: quem facit virtus de aliis causis primatiis & secundariis. Et hæc virtus est radix arboris elementalis, per quam virtutem habet in seipsa & in suis partibus: vt sint virtuosæ, & quod faciant operationes virtuosas.

De Veritate.

VEritas est id, quod est verum de bonitate, magnitudine, &c. Et verificare est id, quod verum est de bonificare, magnificare, &c. Ignis est: & postquam est, verum est illum esse, quoniam si suum esse non esset verum: ipse non esset. Ergo ignis est ita per veritatem in vero: sicut per calorem in calefacere, & per lucem in lucere. Hæc veritas quæ res primarias ponit in vero: est radix vniuersalis, cæteris veritatibus: quæ in arbore elementali consistunt. Et ipsa est genus: & illæ sunt species in arbore diffusæ & habi

habituatæ vnde deriuantur cæteræ in diuiduitate veritates, ficut veritates ignis & aliorum elementorum: quæ funt fpecies exiftentes fub radice: quæ eft genus, de qua radice dictum eft. Et veritates indiuiduatæ funt: ficut eft calor piperis & allei, & humiditas & frigiditas cucurbitæ.

De Gloria.

GLoria eft ipfa delectatio, in qua bonitas, magnitudo, &c. quiefcunt: Gloria quæ eft cum difcretione: non eft fimpliciter in arbore elementali, quia non pertinet nifi rationali, fed eius fimilitudo & figura eft in arbore elementali: vt eius partes quietem habeant. Et illa eft delectatio naturalis & corporalis, ficut ignis, qui delectatur in dando fuam fimilitudinem aëri: in quantum ipfum calefacit, & in recipiendo ficcitatem à terra: vt fit ficcus, cum qua ficcitate delectatur deftruere humiditatem aëris: vt illum calorem fuum recipere compellat, & vt non det aquæ humiditatem. Contra quam aquam delectatur: vt ipfam poffit calefacere, & in ipfa frigiditatem mortificare. Et fic de cæteris rebus naturalibus: quæ delectantur in fuis operationibns, quemadmodum planta, quæ flores & fructus facere delectatur, & leo cum leoniffa. Et propter hoc hæc delectatio naturalis & generalis quam diximus, eft radix arboris elementalis: ratione cuius delectationes inferiores in illa funt feminatæ: quas quædam res habent in aliis fecundùm quod fupra diximus.

De Differentia.

DIfferentia eft id, ratione cuius bonitas, magnitudo, &c. funt rationes inconfufę. & per quam bonificans & bonificabile funt inconfufa. Differentia eft radix generalis per quam differunt res primariæ & naturales, & idem eft de fecundariis, ficut bonitas, magnitudo, &c. quæ in creaturis non funt idem, imò per differentiam funt differentes in tantum, quòd vna non eft alia. Et idem eft de bonificante & bonificabili & bonificare: quæ differunt in bonitate. Et de magnificante, magnificabili & magnificare, quæ differunt in bonitate. Et de magnificante, magnificabili & magnificare, quæ differunt in magnitudine. Idcirco differentia eft ratio & occafio, quod de plutibus fit pluralitas, & quod differant fubftantialiter, quemadmodum ignis, aër, homo, & equus, quæ differunt fubftantialiter, fed fine differentia hòc effe non poteft, nifi differentia principium fubftantiale effet in partibus fubftantialibus, videlicet differans, differabile, & differare, quæ funt partes de fua effentia & fubftantia. Veruntamen differentia eft alio modo principium accidentale, quemadmodum arbor & lapis, quæ per accidens differunt, in quantum non funt differentes per fe, fed per differentiam. Sicut arbor quæ non eft per fe colorata, in quantum eft fubiacens fpeciei arboris, fed eft colorata, in quantum eft fubiacens fpeciei coloris. Differentia habet tres fpecies. Eft enim differentia inter fenfuale & fenfuale: ficut inter hominem & afinum: qui differunt per fpeciem. Et inter fenfuale & intellectuale: ficut inter corpus & animam, quæ differunt per differentiam. Et inter intellectuale & intellectuale, ficut inter intellectum & voluntatem, & inter Deum & angelum: qui differunt per differentiam. Et per has tres fpecies quas diximus de differentia, funt omnia entia differentia. Sed in arbore elementali non

non est differentia rerum spiritualium: sed sensualium. Et per illam habet species in se seminatas siue diffusas differentes adinuicem: sicut species bouis & asini, pomi & equi, folij & floris, & sic de aliis sensualibus rebus subsistentibus elementatis. Et propter hoc, hæc differentia est radix arboris elementalis. Ex qua differentia omnes specificæ differentiæ deriuantur: existentes in arbore in potentia per materiam: & in habitu per formam.

De Concordantia.

CONcordantia est id, per quod bonitas, magnitudo, &c in vno & in pluribus concordant. Plura concordant in vno & in pluribus per concordantiam, sicut bonitas, magnitudo, &c. quæ concordant: vt sint partes vnius substantiæ, sicut substantia pomerij: quæ bona est & potens & magna. Concordant adhuc, vt quælibet remaneat hoc quod est in substantia: vt in illa substantia differentia non perdatur, nec illæ suum esse perdant, nec earum naturas nec proprietates, quia si perderetur in vnitate substantiæ, rerum pluralitas perderetur: in qua perditione concordantia perderetur, quoniam subiectum non haberet in quo foret sustentata & esset contra seipsam, quod est impossibile, quoniam nullum ens naturaliter est contra seipsum. Est ergo concordantia ratio vni & pluribus, & sub tali ratione est radix arboris elementalis, per quam radicem seminatæ sunt in arbore elementali subiectæ arbori humanali plures concordantiæ naturalium rerum speciales existentes secundùm tres species: quas de differentia prædiximus, sicut inter ignem & aërem, in quibus est concordantia sensualis: in quantum in calore concordant. Et quemadmodum inter sensuale & intellectuale: vt corpus & anima quæ adinuicem concordant, vt ex ipsis fit vnus homo, & vt hoc quod sunt, remaneant. Et inter intellectuale & intellectuale, sicut intellectus & voluntas, quæ concordant in simul ad accipiendum vnum obiectum, quemadmodum intellectus: qui illud accipit intelligendo: & voluntas amando.

De Contrarietate.

COntrarietas est quorundam mutua resistentia propter diuersos fines. Hæc contrarietas tres habet species, secundùm quod dictum est de differentia. Contrarietas est inter sensuale & sensuale, sicut inter ignem & aquam: inter quos est contrarietas per calorem & frigiditatem: Item est contrarietas inter sensuale & intellectuale, sicut inter corpus & animam hominis, quoniam anima naturaliter se habet ad aliam vitam: & corpus ad vitam istam. Contrarietas est inter intellectuale & intellectuale, sicut inter bonum angelum & malum, & sic de aliis rebus similibus istis. Illa contrarietas, quæ est inter sensuale & sensuale, est radix arboris elementalis: vt in illa sint contrarietates specificæ seminatæ existentes sub generatione & corruptione, & finibus contrariis, quemadmodum ignis, qui se habet ad calefacere, & aqua ad frigefacere.

De Principio.

PRincipium est id, quod se habet ad omnia in ratione alicuius prioritatis. Hoc principium est radix arboris elementalis: vt per ipsum suæ partes sint primæ & generales. Quoniam sicut principium est bonum per bonitatem, est magnum per magnitudinem, durans per durationem, & potens per

per potestatem, sicut bonitas, magnitudo, duratio, potestas, &c. sunt principia per principium, quod eis dat suam similitudinem: sicut ex illis similitudinem accipit. Principium generale duobus modis intelligimus: substantiale scilicet & accidentale. Substantiale sicut efficiens, forma & materia & causa finalis. Accidentale: sicut quantitas, qualitas, relatio & alia accidentia generalia. Principium quod est efficiens, est sicut ignis qui principiat calefacere, & agens naturale, quod principiat generare, quemadmodum homo: qui generat alium hominem. Principium formale est, sicut forma, quæ materiam informat, quemadmodum forma vegetatiua, quæ informat materiam arboris: in quantum ipsam materiã facit stare vegetabilem. Principium materiale est sicut materia ferri, quæ est principium ad plura, sicut ad clauum, ad gladium, & ad cultellum. Principium finale est sicut homo: qui est principium finale omnium suarum partium, quoniam omnes partes hominis sunt, vt homo sit. Et sicut habitare: quod est principium finale cameræ. Principium accidentale est sicut quantitas: quæ est principium mensuratum, & qualitas, quæ est principium figurarum: & sic de aliis. Per hoc principium generale in arbore elementali sunt plura principia diffusa, sicut dispositio: quæ est principium ad habitus specierum in ipsis diffusos & seminatos.

De Medio.

Medium est subiectum: per quod finis influit principio suam similitudinem, & per quod principium refluit fini naturam sapiens vtriusque. Et finis influit principio suam similitudinem, sicut calefactiuum ad calefactibile: & medium est calefacere, & sicut habitatio ad cameram: & medium est habitare. Et sic de aliis rebus similibus istis. Hoc medium tres habet species. Vna est secundum medium coniunctionis, sicut clauus, qui coniungit duos postes, & amare, quod coniungit amantem & amatum, & calefacere, calefaciens & calefactum. Alius est modus medij: quod est mensurarum, sicut centrum: quod est in medio loco circuli, & calefacere: quod est in medio loco calefacientis & calefactibilis, & intelligere intelligentis & intelligibilis, & numerus binarius in medio vnius & trium, & actus in medio potentiæ & obiecti. Tertia species medij est medium extremitatum, sicut linea quæ est inter duo puncta, & amplum inter longum & profundum, & virtus temperantiæ: quæ est inter nimis & parum. Et sic de aliis rebus similibus istis. Secundùm tres species antedictas est medium radix arboris elementalis, quæ habet in se diffusa seu seminata plura media disposita ad ducendum per agentia naturalia in actum, sicut in pipere, vbi sunt media antedicta, existente intra piper vno puncto medio qui est centrum ad circumferentias. Adhuc in illo est calefacere, quod calefaciens, & calefactum coniungit, & lineæ, quæ sunt media terminata existentia intra extremitates superficierum. Idcircò plantæ & generata crescunt vsque ad medium locum: qui est centrum augmenti & generationis, & descendunt vsque ad finem priuationis per corruptionem.

De Fine.

Finis est, in quo principium quiescit. Finis habet tres species. Est enim finis, qui est complementum, sicut ca-

lefactum, quod est finis calefacere, quoniam calefacere est, vt sit calefactum,& res visa, quæ est finis videre, & amatum amare, & clauus, quæ est finis martelli, & sic de aliis rebus naturalibus & artificialibus. Est alius finis, qui est secundùm priuationem, sicut priuatio virtutis, aut visus, aut hominis mortui. Est etiam alius modus finis, sicut termini terrarum & regnorum, & extremitates substantiarum. Secundùm has tres species finis est finis radix arboris elementalis in qua fines rerum naturalium sunt in potentia. Et propter hoc sunt appetitus & substinctus naturales in arbore elementali diffusi secundùm naturam suę radicis, quæ est finis, & dispositionis quam habet cum aliis radicibus.

De Maioritate.

MAioritas est imago magnitudinis, immensitatis, bonitatis, ęternitatis, &c. Maioritas est in tribus modis. Est enim maioritas, quæ est de substantialibus, sicut substantia hominis, quæ maior est in bonitate & virtute quàm substantia asini, & adhuc cùm ipsa sit de pluribus rebus, quoniam in asino rationalitas non est, sed in homine. Est alia maioritas, quæ est inter substantiam & accidens, sicut bonitas substantialis, quæ maior est quàm bonitas accidentalis. Est alia maioritas, quæ est inter accidens & accidens, sicut videre quod maius est in bonitate quàm calefacere, & intelligere quàm videre. Per has maioritates in arbore possunt esse plures maioritates, & quędam maiores aliis, quemadmodum ignis, qui est maior in pipere in calefacere quàm aqua, & clauus quàm martellus in fine, & aurum quàm ferrum ad emendum & vendendum, & sic de aliis rebus.

De Æqualitate.

ÆQualitas est subiectum in quo finis concordãtiæ, bonitatis, magnitudinis, &c. quiescit. Hæc æqualitas in arbore elementali est radix tribus modis. Videlicet æqualitas, quæ est inter substantiam & substantiam, sicut Raymundi & Martini, quę æquales sunt in specie hominis. Et æqualitas, quæ est inter substantiam & accidens, sicut quantitas, quæ est ita magna in extensitate, sicut substantia corporalis sub illa existens. Est & alia æqualitas inter accidens & accidens, sicut decoctio de duabus plantis facta vna existente in quarto gradu caloris, & alia in quarto gradu frig.ditatis, quæ æquales sunt in calefacere, & frigefacere patientem. Est vna alia æqualitas proportionalis, quæ est sicut membra in substantia hominis, quæ secundùm proportionem conueniunt, quamuis vnum membrum sit alio maius. Secundùm hos modos æqualitatis est æqualitas radix arboris elementalis, in qua dispositæ sunt & habituatæ plures naturales, & particulares æqualitates de vniuersali æqualitate (quam prædiximus) deriuatæ.

De Minoritate.

MInoritas est ens circa nihilum. Hæc minoritas intelligi potest secundùm quod intelligitur de maioritate, cùm maioritas & minoritas se habeant relatiuè. Minoritas est propè non esse secundùm comparationem maioritatis, quæ plus habet de esse quàm minoritas. Adhuc quando res de non esse in esse deueniunt, ante sunt in minoritate quàm in maioritate. Et quando corruunt de esse in non esse prius sunt in maioritate quàm in minoritate. Vnde cùm hoc ita sit;

minoritas

minoritas ergo est generale principium & radix in arbore, per quam sunt plures minoritates: vt in illa sit dispositio & potentia, per quam quædam suarum partium sunt minores quàm aliæ. Dictum est de radicibus arboris elementalis, & data est doctrina seu cognitio: quomodo arbor elementalis est assituata secundùm suam naturã radicum, quam diximus. Propter hoc haberi potest cognitio de rebus primariis naturalibus in arbore sustentatis seminatis, & dispositis, quomodo ducantur ad habitus & actus per agentia naturalia descendentia & deriuata de primis: quemadmodum secundus homo qui descendit de primo, & secunda gallina de prima, quos primò Deus creauit: vt per operationem naturalem deducerent in actum indiuiduata specierum in arbore existentium, secundùm quod supradiximus.

De Trunco arboris elementalis.

TRuncus iste est hyle, qui dicitur siue vocatur vniuersale chaos. Et est corpus primum existens principium omnium generalium & corruptibilium elementatorum, & est corpus de prima forma, & de prima materia compositum. Forma prima est aggregata de formis primariis, quas suprà diximus, quemadmodum de bonificatiuitate, magnificatiuitate, durificatiuitate, possificatiuitate, &c. quæ componunt vnam formam vniuersalem sub qua existunt, sicut partes consistentes subtus substantiam ex ipsis aggregatam siue compositam, & hæc est forma trunci generalis. Prima materia est aggregata de multis materiis, videlicet de bonificabilitate, magnificabilitate, durificabilitate, possificabilitate, & cæteris, quoniam omnes insimul sunt dispositæ, quod ex ipsis sit vna vniuersalis materia sicut plures partes simul dispositæ sunt ad vnum totum. Et hæc est materia prima trunci generalis, & per bonificare, magnificare, durificare, possificare, & cæteros actus, forma vniuersalis & materia vniuersalis coniunguntur, & insimul vnum corpus (quod vocatur chaos) constituunt, in quo omnia particularia corpora seminata sunt, & disposita essendi indiuiduata ad essendum de esse corporis vniuersalis, sicut piper, allium & pomum quæ sunt de quatuor elementis & clauus de ferro. Quòd truncus iste sit corpus, quælibet suarum radicum secundùm suam dispositionem significat. Et probatur hoc modo considerando bonitatem esse vnum punctum & magnitudinem alium, & sic de cæteris radicibus. Vnde aggregata bonitate magnitudini, & magnitudine durationi, & duratione potestati, sequitur linea, quæ est longitudo. Et aggregata duratione bonitati, & potestate magnitudini, sequitur superficies, quæ est latitudo. Et quia quilibet punctus est rotundus, quia est plenus suis concretis essentialibus, sicut bonitas quæ plena est suo bonificatiuo bonificabili, & bonificare, sequitur profundum. Cùm ita sit quòd omnes puncti sunt adinuicem mixti, vt in mixtione sit eorum quantitas continua, sicut bonitas, quæ non potest esse magna sine magnitudine, nec durans sine duratione, nec potens sine potestate, nec magnitudo, duratio, potestas, &c. possunt esse bonæ sine bonitate. Sunt ergo puncti mixti adinuicem in continua participatione. Probauimus ergo longum, amplum & profundum, vnde resultat corpus de necessitate. Et hoc corpus est rotundum & sphæricũ, quoniam est de partibus rotundis (secundùm quod prædixi

diximus)& suus locus est in concauitate sphęrę lunę, qui est ex ipso plenus, vt natura vacuum non sustineat; quia si sustineret res naturales essent impossibiles. Truncus iste & chaos est inuisibilis ratione confusionis, in qua est, & quoniam suæ partes continuæ sunt & quælibet est in alia, & quoniam visibilitas non est nisi de partibus discretis. sicut aër, qui participat cum oculis per contactum, & imò oculi non possunt videre illum. Et etiam quia in trunco potestates eius sunt informes, sicut quantitas, qualitas, & cætera accidentia sustentata supra confusionem, quia oportet ipsas esse confusas. Et in confusione substantiali & accidentali seminatæ sunt partes dispositæ ad essendum formatæ in indiuiduatis existentibus actualiter sub suis speciebus, sicut homo, qui habet corpus indiuiduatum, & leo similiter, & in quolibet illorum est quantitas discreta, & qualitas determinata &c. Et ideò corpora indiuiduata elementata poros habent, qui sunt foramina, vbi sunt pili in animalibus & folia in plantis, & per ipsos intrat & exit chaos, quemadmodum claritas quæ transit per vitrum & aqua per foramina, & ex hoc chaos viuunt & durant elementata. Truncus generalis est de suis radicibus, quæ sunt causæ primariæ. Vnde quemadmodum ipse est ex ipsis, ita habet aptitudinem & naturam, quòd ex illo sint causæ secundariæ, sicut ignis & cætera elementa, quæ sunt ex illo, & sicut planta, homo, auis, piscis. Vnde sicut ipse est de bonitate, magnitudine & cæteris eius partibus, ita oportet quòd causæ secundariæ, quæ sunt ex illo sint ex illo sub ratione bonitatis magnitudinis, &c. sicut planta, quæ bona est & magna est de bonitate & magnitudine trunci, & ideò vna bonitas est ex alia, & vna magnitudo ex alia, & sic de cæteris partibus naturalibus. Truncus iste generalis consistit in tertio numero, sicut panis, qui est de aqua & farina, in quibus transit in tertio numero in hoc, quod non est aqua nec farina, quamuis sit de aqua & de farina. Et hoc idem est de planta, quæ non est elementa, quamuis sit ex ipsis. Vnde sicut truncus in numerum tertium transit in tantum, quod non est bonitas, nec magnitudo, nec cæteræ partes primariæ, ex quibus constitutus est: ita trunci siue stipites specifici in trunco generali existentes in potentia transeunt in aliam speciem & in alium numerum quando agens naturale trũcum tangit generalem per viam generationis, quemadmodum potentia vegetatiua, quæ panem vegetat in carnem transmutando materiam panis sub specie altera. Truncus iste est substantia ratione suarum partium substantialium, ex quibus est aggregatus siue compositus, videlicet de bonitate substantiali & de magnitudine, & aliis, & est subiacens accidentibus suarum partium. Vnde quemadmodum est facta siue constituta substantia ex partibus substantialibus, ita in ipso est constitutum accidens ex pluribus accidentibus, videlicet de quantitate bonitatis & magnitudinis, & cæterorum, ex quibus facta est vna quantitas generalis, & composita de simplicibus quantitatibus & in numero tertio transfacta, ex qua transeunt, in alio numero specificæ quantitates existentes sub speciebus, sicut quantitas equi, pomi, vel bouis. & hic transitus fit per agentia naturalia per viam generationis. Est ergo truncus vniuersalis de partibus substantialibus & accidentalibus aggregatus.

De

De Branchis arboris elementalis.

BRanchæ arboris elementalis sunt quatuor elementa simplicia. Et sunt quatuor vt in illis sint differentia, concordantia & contrarietas. Quoniam si tres essent aut minus, non reciperentur in illis. Et si quinque essent, vnum esset superfluum, quoniam sufficit differentiæ, quòd sit in concordantia & contrarietate, sicut differentia, quæ est inter ignem & aërem, & est in concordantia caloris in hoc, quòd ignis & aër sunt de complexione calida. Et sufficit, quòd sit in contrarietate aquæ & ignis: in quãtum ignis est calidus & aqua frigida. Idem est de terra, quam oportet stare in concordantia siccitatis, quæ est inter ignem & terram, & quod sit in contrarietate terræ & aëris per siccum & humidum, quæ sunt contraria. Sed hoc esse nõ posset, si elemẽta nõ essent quatuor. Idem est de concordantia ignis & aëris, quos concordare oportet in calore. Et similiter aëris & aquæ, quos concordare oportet in humiditate. Et aquæ & terræ quas concordare oportet in frigiditate. Et hoc idem est suo modo de contrarietate, quam oportet esse subiectam complexioni calidæ & frigidæ, & similiter complexioni humidæ & siccæ. Sicut in pipere, in quo sunt omnes istæ complexiones & ei sufficit, quòd sit subiectum differentiarum & concordantiarum & contrarietatum quas prædiximus. Et adhuc quia elementa sunt quatuor & non minus neque plus, sunt disposita, quod sint figurata in elementatis in figura quadrangulari, circulari, & triangulari, quæ quidem tres figuræ necessariæ sunt, quod assiruentur in elementatis. Quadrangularis figura est in quantum est ex quatuor elementis, & sit linea recta de igne ad aërem per concordantiam caloris, & de aëre ad aquam per concordantiam humiditatis, & de aqua ad terram per concordantiam frigiditatis, & de terra ad ignem per concordantiam siccitatis. Et ex illis quatuor lineis & concordantiis resultat in elementatis quadrangulus naturalis: per quem extensa sunt & ampla. Circularis figura est, in quantum quædam elementa intrant in aliis, sicut ignis, qui intrat in aërem dando ei suum calorem, qui suum proprium subiectum, quod est ignis, non dimittit. Et idem est de aëre, qui intrat in aquam dando ei suam humiditatem. Et aqua, quæ intrat in terram ei dando suam frigiditatem. Consimili modo est de terra, quæ intrat in ignem ei dando suam siccitatem. Et ideò in elementatis consistit rotunditas, sicut in pomo & in capite hominis. Triangularis figura causatur ex linea quæ exit de igne ad aërem & de igne ad terram, & de terra ad aërem. Et hic triangulus ex duabus lineis concordantibus & vna contraria est compositus. Et idem est de triangulo qui est de aëre, igne & aqua, & de triangulo qui est de aqua, aëre & terra, & de triangulo, qui est de terra, aqua & igne, & sic sunt quatuor trianguli, qui complent quadrangulum, & quadrangulus complet circulum. Et ideo est necessarium quòd sint quatuor elementa & non plura nec pauciora, vt in elementatis sit plenum & non vacuum, vt inter vnum elementum & reliquum possit esse differentia, & idem de concordantia & contrarietate oportet quòd sint certæ & propriæ qualitates & appropriatæ, quibus quatuor elementa distincta sunt concordantia, contraria & differentiata, sicut calor, quæ est propria

qualitas ignis, & humiditas aëris, & frigiditas aquæ, & ficcitas terræ. Et quoniam ignis cæteráque elementa de vno & eodem trunco generali supradicto consistunt, & de vna & eadem bonitate & magnitudine, est vna brãcha ignis ratione differentiæ, quæ est earum principium, & alia brancha aër ratione distinctionis, quæ est inter calorem & humiditatem. Et eadem bonitas vna est in igne per calorem, & alia in aëre per humiditatem. Et idem est de aqua & terra. Et in hoc passu patet differentia, quæ est inter vnum elementum & aliud per proprias qualitates, & diffinitio quæ fieri potest ex ipsis apparet, quemadmodum ignis, qui est illa substantia, quæ propriè est calida, & aër, qui est illa substantia, quæ per se est humida, & sic de aqua & terra, quæ diffiniri possunt per suas proprias qualitates. Et est significatum, quomodo de vno sunt plura, sicut ex vna generali bonitate sunt plures speciales bonitates, & de vno trunco multæ branchæ. Et ex hac significatione significãtur multitudines specierum in branchis seminatarum siue diffusarum & per qualitates proprias distinctarum. Vnumquodque elementorum habet suum locum proprium secundùm quod sibi melius est dispositũ, quemadmodum ignis, cuius locus est sua sphæra cõtigua cũ sphæra lunæ, & locus aëris est sphęra contigua cũ sphæra ignis, & locus aquæ est sphæra contigua cũ sphæra aëris, & locus terræ est sphæra cõtigua cũ sphæra aquæ in superficie, in qua sumus. Et ratione horum locorum differentium per altum & infimum, continentem & contentum, sunt elementa differentia & diuersas habent operationes. Illud per quod sphæra ignis est, superior aliis sphæris est, quoniam ignis habet plus de virtute in se, inquantum habet in se plus de forma & minus de materia quàm cætera elementa. Et quia est plus leuis & plus habet de motu pertinet ei, quòd sit in altiori sphæra, vt motus melius & citius se cõplere possit. Et hoc idem sequitur de sphæra aëris, quam oportet esse sphæra aquę altiorem, quia tantum de materia non continet sicut aqua, & quia leuis est & aqua ponderosa. Et ratio quare sphęram aquę oportet esse supra sphæram terræ est, quia minus habet de materia quàm terra, nec est ita grauis sicut terra, & etiam quia elementata sicut sunt plantæ & bestiæ in aqua sustentari non possent, nec aqua in se sine terra sustentari possęt. Per has quatuor branchas quas prædiximus, omnes brãchæ naturalium arborũ consistunt, sicut branchæ pomerij, & tibiæ leonis, & tibiæ & branchia hominis, tibiæ & allegruis, & spinæ tergi piscis. Et per quatuor elementa simplicia significantur productiones & extensitates elementatorum, sicut branchæ pomerij, quæ in longitudine sunt extensæ, & sicut tibiæ & brachia hominis. Et etiam influentia & augmentatio sunt significatę per ipsam, & cæteræ conditiones pertinentes ad ipsam, sicut mutatio numeri, quoniam sicut ignis in tertium numerum transit in quantum est vna brancha simplex trunci generalis, & hoc per proprietatem specialem, sic branchæ elementatę transeunt de potentia in actum in numerum tertium per agentia naturalia.

De

De Ramis Arboris elementalis.

RAMI arboris sunt quatuor, videlicet quatuor massæ, quę sunt membra generalia, quæ sensibilia sunt, & de elementis simplicibus composita. Sicut ignis quem videmus in flamma & carbone, & qui est in lapide & ferro. Secunda massa est aër, in quo respiramus & in quo stamus, & quem in odore & vento (qui est aër motus) sentimus. Tertia massa est aqua maris, fluminum & fontium, pluuiæ & roris, quam cum frigiditate, colore, sapore, visu & odore sentimus. Quarta massa est terra, in qua stamus, & quæ est in lapidibus & metallis, quæ sunt terræ congelatæ & desiccatæ. Vnaquæque harum massarum ex quatuor elementis simplicibus est composita, & ex ipsis deriuantur substantiæ indiuiduatæ sub speciebus existentes, sicut corpus hominis, arboris, &c. Has quatuor massas vocamus quatuor ramos arboris elemétalis generalis. Et ipsas ramos vocamus, quia habent conditiones, quæ ramis conueniunt, quæ secundùm radicum supradictarum dispositiones existunt, quemadmodum bonificatiuum, bonificabile, & bonificare in bonitate sunt rami quolibet aliud respiciente: vt sit bonificatum & vnoquoque in alio existente. Ergo modo consimili quatuor massæ sunt rami in hoc, quod inter se vnumquodque elementum super aliud habet actionem vt sit elementatum, quod est bonum & de causis siue rebus simplicibus productum. Sicut est ignis qui est ignificatiuus, in quantum est simplex, & cætera elementa sunt ignificabilia in massis & in elementatis, quæ sunt ex speciebus. Et hoc conuertitur sicut aër, qui est aërificatiuus, & cętera elementa sunt aërificabilia in elementatis, vnde sicut ex ramis plantę deriuantur folia, flores & fructus, sic ex quatuor massis omnia indiuiduata elementata deriuantur. In his quatuor ramis & massis mortificata sunt elementa & remissa quolibet aliud mortificante, sicut ignis qui aërem cum calore mortificat, vt aqua quæ sibi est contraria, suam non influat humiditatem, & etiam ipsum mortificat cum siccitate, quam ex terra recipit, quæ sibi alij contrariatur, & hoc in tantum, quòd aër ab igne se defendere non potest. Et econuerso aër ignem mortificat, in quantum se iuuat cum aqua contra calorem, & cum humiditate contra siccitatem. Et sic suo modo de aqua & de terra. Vnde sicut in pomerio est materia magis digesta in ramis, quàm in branchis, & in branchis quàm in trunco, sic in quatuor massis est materia magis digesta & plus disposita quàm in simplicibus elementis. Et ideò ad ramos, siue ramis quatuor massas comparamus sine quibus nullum elementatum indiuiduatum ex ipsis simplicibus elementis sequi posset, quia simplicitatem elementorum simplicium elementatum non posset sustinere. In his ramis generalibus habituati sunt & dispositi omnes rami arborum naturalium specialium & in illis transit vnus numerus in alium, sicut vna materia, quæ de vna specie transit in alteram per generationem & corruptionem. Elementa tamen simplicia remanent semper in suo esse in quantum simplicia, quoniam si in suis ramis suum esse perderent, nec ad generationem nec ad cópositionem elementatorum inclinationem haberent, cùm ita sit, quòd omne ens naturale euitat non esse, & suum esse completum affectat, & etiam quia nec bonitas, magnitudo & cęteræ

radices

radices arboris elementalis generalis cum elementatis participare possent, si simplicia entia in compositis perderentur, & sicut simplicia elemēta suum proprium numerum perderent in cōpositis, sic radices in arbore generali perderentur, quod est impossibile. Sunt ergo essentialiter & accidentaliter elementa simplicia in compositis, sicut in denario remaneat argentum & cuprum, & in cipho vini limphati, vinum & aqua, & in homine anima & corpus, & in substantia, forma & materia, & sic de aliis rebus similibus istis. Elementa simplicia de sphæris suis ad alias sphæras ascendunt & descēdunt, vt elementata sint, quæ sunt fines eorum & centra, quare sunt, sicut plures lineæ, quæ ad vnum punctum se habent. Et propter hoc oportet quòd vnumquodque elementum sit in alio, quoniam si ignis simplex staret in sua sphęra & hic inferius non descéderet, ociosus esset in hoc, quod elementatum ex ipso non veniret, & hoc nec finis, neque bonitas, neque cætera prima principia secundùm cursum naturalem pati possent, nec ignis qui est hîc inferiùs, esset de sua essentia & haberet præsentes compositas & non simplices, & sic in sua essentia se sustinere non posset, & in illo bonitas duratio potestas, &c. deficerent & etiam instinctus & appetitus naturales ad ascendendum supra, quoniam ascendere non posset, nec ille supra hîc inferius descendere ratione sphæræ aquæ, quæ esset in medio quæ esset corpus simplex & solidum, quod suum contrarium transire per se non dimitteret. Et adhuc ignis qui est supra, cum terra hîc inferius participare non posset: nec siccitatem ex illa recipere, & esset siccus per se & calidus, vnde inordinatio sequeretur, & ex illis mixtio quam habent non esset, quia quædam elementa dant aliis qualitates suas vt intrare possint in compositionem, vt etiam in illis quantitas continua esse possit per truncum, per radices, & per branchas arboris elementalis. Sunt ergo elementa ita mixta quædam in aliis, sicut sunt radices arboris, quarum quælibet est mixta in alia & omnes insimul, sicut bonitas & magnitudo, quæ ad inuicem sunt mixta, in quantum quælibet alteri suā dat similitudinem, & similitudines sua propria subiecta non dimittūt, & sphęrę remanent assituatæ: vt dictum est, & quælibet est centrum sui proprium elementi, sicut sphæra ignis, quæ est centrum ignis, sed ignis vt finem sequatur, quare est, hîc inferius descendit, vt elementata complexionis calidæ possit generale, & terra ad ignem ascendit: vt suam siccitatem ei dare possit, & quod possit accipere in sphæra ignis influentiam & beneficium à luna & cæteris planetis, & quando est supra, appetitum habet descendendi hîc inferius, quemadmodum mercator, qui de domo sua recedit, & ad terras longinquas ad lucrandum vadit, quando est in illis tunc desiderium habet, quòd in domum suam esset reuersus cum multiplicatione suorum denariorum. Et sic conseruatur motus elementorum per quadrangulum, circulum & triangulum supradictos. Quæ quidem conseruatio esse non posset, si elementa per omnes extremitates trunci elementalis generalis non transirent.

De

De Foliis arboris elementalis.

PEr folia accidentia naturalia intelligimus. Quoniam sicut folia ad ventum se vertunt, ex quacunque parte veniat, sic accidentia se vertunt, & se habent ad conditiones substantiarum naturalium. Et sicut folia sunt ad conseruandum flores, & fructus contra magnum calorem & magnam frigiditatem, & adhuc contra magnum ventum, sic accidentia sunt ad conseruandum substantias, in quibus sustentantur, sicut calor qui calefacere cum quantitate calefactibilis conseruat, & per calefacere ignis conseruatur in fine, quare est in sua bonitate & magnitudine duratione & potestate instinctu & naturali appetitu. Et etiam sicut folia sunt ad ornandum arbores, sic accidentia se habent ad substantiam, vt ex illis ornata & pulchrificata sit, quare omnibus istis rationibus & pluribus aliis comparamus folia ad accidentia substantiarum, quæ sunt accidentia generalia in arbore elementali, quæ generalis est, ad alias arbores naturales ex illa deriuatas, sic quantitas ignis simplicis, quæ generalis est ad omnes elementatas quantitates, quæ sunt de sua specie. Generalia accidentia sunt hæc quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, habitus, situs, tẽpus, & locus. Sunt alia accidentia, sicut color, sapor, calefacere, & calor, &c. quæ esse possunt in suis generibus antedictis. Vnde prius de quantitate dicemus & inuestigabimus, vnde est eius principium & origo, & quomodo extensa est per arborem elementalem. Et postmodum loquimur de cæteris accidentibus.

De Quantitate.

BOnitas est, vt sit bonum, & magnitudo est, vt sit magnum, & quoniam istæ rationes & causæ primariæ per differentiam sunt differentes in tantum, quod vna non est alia, sed sunt essentiæ diuersæ, imo oportet vt sint quantitet quod habeant quantitatem, quoniam si quantitatem non haberent, oporteret, quod infinite essent, & quod vnum idem numero essent, sicut in Deo bonitas, magnitudo, quæ sunt rationes infinitæ, & sunt vnum idem numero in tantum quod vna est alia, sed in creaturis hoc esse non posset. Et quoniam bonitas & magnitudo quæ sunt rationes creatæ, sine quantitate esse non possunt, est quantitas, vt ipsæ sint, & propterea quantitas est accidens, quoniam creata non est, vt ipsa sit, sed vt aliud sit. Et hæc quantitas est sustentata in illa creatura, quæ creata est, vt ipsa sit, & sicut bonitas, quæ est creata, vt ipsa sit & magnitudo similiter. Et hæc quantitas erit de parte substantiali continuæ & discretæ: continuæ, sicut quantitas bonitatis, quæ continua est in sua essentia & in concretis suis, quæ sunt bonificatiuum bonificabile, & bonificare; & est continua, quoniam vnumquodque illorum est in alio, & sunt ex vna & eadem essentia, quæ est bonitas. Et discreta quantitas nascitur, in quantum differentia est inter vnam essentiam & aliam, sicut inter bonitatem & magnitudinem Quoniam bonitas suam similitudinem dat magnitudini, in quantum ipsam bonam facit, & magnitudo bonitati, in quantum ipsam facit magnam. Quantitas discreta nascitur ex ambobus principiis in quantum vnum non est aliud. Et est subiacens continuæ quan-

titati in quantum ambo principia miſcentur, vnde ſequitur compoſitum quod in numerum tertium tranſit, ſicut vinum in cipho limphatum. Secundùm hanc quantitatem continuam & diſcretam, quæ ſunt in cauſis primariis, videlicet in radicibus arboris elementalis, ſe extenditur quantitas in trunco, in branchis & in omnibus ſuis partibus, ſub vna ſpecie in trunco, & ſub alia in ramis, & ſub alia in branchis, & ſic de cæteris partibus arboris: ſicut ferrum quod eſt ſub vna figura in clauo, & ſub alia in martello, & ſub alia in cultello. Quare quantitas continua ſecundùm ſpeciem ſuam eſt indiuiſibilis & ſpecie eſt continua, ſicut ferrum, quod indiuiſibile eſt ſecundùm ſpeciem ſuam. Quoniam licèt ſit ſub figura cultelli vel claui, ſemper remanet ferrum. Secundùm in quantum figuræ ſunt diuerſæ, diuiſibile eſt in quantitatibus diſcretis. Simili modo eſt de quantitate in arbore elementali, & in aliis arboribus naturalibus ab ipſa deriuatis.

De Qualitate.

QVælibet radicum qualis eſt per qualitatem, ſicut bonitas per bonificationem, & magnitudo per magnificationem, & duratio per durificationem, & ſic de cæteris. Et ideo qualitas eſt ratio, quæ proprium numerum rerum conſeruat, ſicut ignis, qui qualis eſt per ſuam propriam qualitatem, videlicet per ſuum proprium calorem, quæ nulli alij niſi ſibi propriè competit elemento. Et propter hoc ſimplex cum ſua propria remanet qualitate. Et in quantum per ſiccitatem eſt ſiccus, quæ quidem ſiccitas eſt propria qualitas terræ: compoſitus eſt cum aliis elementis, cum quibus eſt in numero confuſus. Vnde vt ignis poſſit eſſe ſimplex & compoſitus, ſibi competunt duæ qualitates, vna propria & alia appropriata, propria ei competit per ſuum proprium calorem: appropriata per ſiccitatem, quam à terra recipit. Et quoniam qualitas ſe extendit in proprium & appropriatum, ſignificatur ens eſſe quale duobus modis. Vnus modus eſt, quando ipſum ens ſignificatur ſimpliciter & ſecundùm ſuã propriam qualitatem, ſicut ſi quæratur quid eſt illud quod eſt per ſeipſum calidum, & reſpondendũ eſt, quod ignis, quoniam nullum ens eſt per ſe calidum niſi ignis. Et adhuc ſi quæratur, quid eſt illud quod per ſeipſum eſt bonum, reſpondendũ eſt, quod eſt illud ens, quod per ſe habet propriam bonitatem. Alius modus eſt, quando ens determinatum eſt per qualitatem appropriatam, & hoc eſt determinatum in alio & per aliud, ſicut cùm quæritur, quid eſt illud quod per ignem eſt calidum, & reſpondendum eſt quod aër. Eſt tamen alius modus determinationis ſed eſt confuſus, in quo intrant plures qualitates, ſicut terra & aqua, quæ poſſunt eſſe per ignem calefacere, & iſtæ veniunt & deriuantur in trunco confuſo ex ſuis radicibus, ſicut bonitas, quæ magnitudinem bonificat & poteſtate, &c. Officium qualitatis eſt in arbore elementali, vt ibi ſint plures qualitates in potentia. Et ſuum officium adiuuant radices arboris, quoniam bonum eſt, quod vnum ens non ſit aliud, vt inter vnum ens & aliud differentia eſſe poſſit, & etiam concordantia finis & cæteræ radices. Et ideo poteſt ignis ſimplex actualiter eſſe in elementatis, & eſt ſimplex in ſeipſo per ſuam propriam qualitatem, & eſt compoſitus in aliis elementis ratione appropriatarum qualitatum. Et propter hoc in elementatis numeri

cauſarum

causarum simplicium & primarum non perduntur, vt possint esse ex ipsis causæ secundariæ & compositæ, quæ compositæ esse non possent; si numerus rerum simplicium perderetur. Et in illis qualitatibus quæ sunt in potentia in arbore elementali, & in ipsa seminatæ sunt species subiacentes vt vnaquæque species sit in potentia in suo proprio numero, & propter hoc oportet quod formæ quæ sunt in potentia, in actu deducantur per suas proprias qualitates & per agentia naturalia, sicut forma leonis per leonem & leonissam, & sic de consimilibus.

De Relatione.

Relatio duobus modis consistit, vnus modus est dualis, & alius ternalis. Et isti modi de radicibus arboris deriuantur, in quibus sunt primæ relationes, sicut in bonitate in qua est bonificatiuum, & bonificabile quæ relatiuè se habent, quoniam si vnum est, oportet quod aliud sit. Et hæc relatio est dualis, in quantum est de duobus terminis. Relatio ternalis est, sicut in bonitate, in qua sunt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, quorum quodlibet se habet relatiue ad aliud per agens naturale, quod formas quæ sunt in potentia deducit in actum. Et propter hoc relatio dualis stat primo in potentia in speciebus, & relatio ternalis exit in actum in indiuiduis specierum in medio speciei & indiuiduati tunc, quando fit opus generationis & productionis, & cum est factum, relatio remanet in indiuiduato & producto, & in agente naturali, quemadmodum si est pater, oportet quod sit filius, & tunc remanet relatio similiter per patientem, vt si est filius oportet quod sit pater, & sic de aliis rebus similibus istis. Secundùm relationem quam prædiximus & quæ de causis primariis deriuatur, fiunt operationes agentium naturalium, & dispositio illarum transit de radicibus in truncum, & de trunco in branchas & de branchis in ramos, & est ita successiuè vsque ad fructum. & imò est relatio extensa per totam arborem, & est dispositio in speciebus, vt indiuiduata disposita sint, vt in actum ducantur, secundùm quod relatio est sub instinctibus & naturalibus appetitibus, sicut appetitus principij qui se habet ad finem relatiuè, quia si principium est oportet finem esse, & si finis est, oportet principium esse. Et ex his respectibus duobus exit medium amborum absque quo relatio esse non posset, quoniam si medium non esset principium & finis essent vnum idem numero & esset destructa in arbore successio & generatio in rebus naturalibus. Est ergo relatio in arbore elementali actualiter sustentata in principio, medio & fine. Et hoc est relatio prima per totam arborem extensa ex qua exeunt & deriuantur secundariæ relationes sustentatæ in indiuiduis specierum elementatis, principiatis, & successiuè generatis, vt leo & pomum. Et in leone producto & generato consistit particularis relatio seminata, & est in principio, medio & fine, vt leo alterum leonem generare possit.

De Actione & Passione.

Actio & Passio sunt accidentia primaria, & exeunt de causis primariis, sicut actio, quæ de bonitate exit, in quantum magnitudo est bonificata per bonitatem, & passio nascitur in magnitudine in quantum est bonificabilis: & actio quæ est accidens est similitudo bonificatiuitatis, quæ essentialis est & substantialis pars bonitatis.

nitatis. Et passio quæ est accidens est similitudo bonificabilitatis, quæ est pars substantialis & essentialis bonitatis. Et propter hoc exit actio accidentalis de actione substantiali, & nascitur passio accidentalis in passione substantiali. Et secundùm quod actio & passio quæ sunt accidentia, deriuantur de rebus primariis, sunt in trunco & branchis, & in aliis partibus arboris in potentia, & sunt in actu deductæ per agentia naturalia, ita quod actio substantialis producit actionem accidentalem de passione substantiali in passiua qualitate. Et propter hoc substantiæ mouent accidentia ad perfectiones substantiarum.

De Habitu.

HAbitus primi sunt de rebus primariis, sicut habitus bonitatis, qui est de similitudine magnitudinis, in quantum magnitudo habet in habitu ad magnificandum bonitatem & bonitas habet in habitu ad bonificandum magnitudinẽ. Et isti habitus per totam arborem extensi, sunt habitus primi naturales, in quibus sunt in potentia habitus secundarij, ex quibus sunt induta indiuiduata elementata. Et propter hoc species in arbore seminatæ sunt habitus primi, ex quibus indutæ sunt radices arboris, & omnes eius partes, & agentia naturalia ex primis habitibus per modũ generationis induunt indiuiduata elementata, sicut leo, qui generat alium leonem, ex hoc quod accipit ex arbore elementali, conuertendo in suam speciem hoc, quod accipit, & hoc quod accipit habituatũ secundùm suam speciem ponit in potentia vt ex illo habitu quem dat leoni quem generat, alter leo indui possit. Et ita successiuè vno habitu existente sub alio & vno ex alio leonis species conseruatur, ita sicut plura particularia, quæ in totum vtilitate consequantur, & quælibet pars in alia, & totũ in partibus suis. Ex his habitibus naturalibus exeunt habitus artificiales, quæ similitudines sunt naturalium, sicut habitus virtutis acquisitæ, qui est similitudo habitus virtutis naturalis, sicut similitudo virtutis naturalis, quæ extensa est in iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia & cæteris habitibus virtuosis, qui ex istis descendunt, sicut castitas, patientia, humilitas, &c Sunt & alij habitus artificiales, sicut habitus grammaticæ, logicæ, & plures alij, & habitus chlamydis & tunicæ, &c.

De Situ.

IN causis primariis Situs est generale principium ad situs secundariarum causarum, sicut in bonitate, in qua assituata sunt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, quæ sunt de sua essentia, & bonitas assituata est in illis. Alius modus situs est, quæ confusus est sicut bonitas: quæ assituata est in magnitudine inquantum est magna per magnitudinem, & magnitudo, quę est assituata in bonitate, inquantum est bona per bonitatem. Isti sunt situs secundarij, quæ accidentales sunt & similitudines primorum situum. Et imò assituata sunt simplicia in seipsis & in aliis, sicut bonitas, quæ assituata est in seipsa & in magnitudine, secundùm quod dictum est. Et propter hoc situs duobus modis consistit per totam arborem elementalem, quare sequitur, quod omnes partes assituatæ sunt in suo toto, sicut omnes radices in trunco arboris, & totum in partibus suis, sicut truncus in suis radicibus. Et idem de vna parte in alia, sicut bonitas quæ assituata est in magnitudine, & magni

& magnitudo in bonitate. Et propter hoc sunt aliqua contenta & aliqua continentia. Est & alius situs de rebus assituatis in discreta quantitate, sicut ossa in carne & vinum in ampulla, & homo iacens vel stans in camera, & sic de aliis secundùm rectitudinem, vel obliquitatem, vel circularitatem entium indiuiduatorum.

De Tempore.

TEmpus est ens indiuisibile secundùm se, sed diuisibile est in alio ratione motus rerum, quæ sunt motæ in illo per motum de potentia in actum, aut de vno loco in alium, aut incremento per generationem vel in diminutionem, vel decrementio per corruptionem, seu alteratione de vno in aliud. Vnde quemadmodum ferrum semper est vnum in quantum sua species licet in plures figuras sit diuisum videlicet in figura cultelli, gladij, & martelli, sic tempus semper est vnum in seipso, licèt ipsum diuisum sit in tempus præteritum & futurum ratione suorum subiectorum substantialium & accidentalium sub motibus existentium, idcirco sunt momenta, horæ, dies, anni. Figuræ temporis & similitudines & in motionibus siue motibus rerum apparent. Principium primum in quo tempus est diuisibile, in radicibus arboris cōsistit, in quantum similitudo vnius radicis mouetur in aliam in hoc quod quælibet radix alteri suam dat similitudinem. Et de hoc primo motu & principio exeunt principia & motus secundarij de potentia in actum in entibus elementatis indiuiduatis, quæ in figuris temporis, vt dicendum est, apparent. Sed sua forma est simplex, nec videri potest nec sentiri, cum ita sit, quod nulla forma indiuisibilis videri potest nec sentiri. In hoc tempore radices arboris & omnes partes eius consistunt, sicut cōsistunt in loco, virtute & potestate, sine quibus esse non valerent. Et oportet, quod tempus sit in principio, medio & fine, sine quibus sustentari non posset in motu. Quomodo autem tempus est sine fine & successione, in arbore euiternali probare intendimus.

De Loco.

LOcus duobus modis consideratur: primus modus est secundùm quod locus secūdùm sui essentiam in se est; secundus secundùm quod locus est in alio. Primus est sicut locus, qui est id ratione cuius plura in ipso & in alio possunt collocari, quia sicut plura colorari possunt per colorem & calefieri per calorem, & bonificari per bonitatem, eodem modo collocari possunt per locum. Et locus iste vniuersalis ad collocata primò in radicibus arboris consistit, & ipsæ sunt in ipso, sicut ipse qui est in bonitate, in quantum bonus est, & econuerso, quoniam absque loco bonitas non posset esse. Secundus modus est, sicut locus qui diuiditur in alio, siue se extendit, sicut in bonitate, in qua bonificatiuum, bonificabile, & bonificare sunt collocata & bonitas in illis, & bonificatiuum in bonificabile, & econtra, & adhuc sicut bonitas, quæ collocata est in magnitudine, in quantum sua similitudine est inducta & econtrario. Et ex hoc secundo modo qui est de loco eius exeunt similitudines in elementatis indiuiduatis, cuius similitudines sunt continens & contentum, quæ similitudines sunt visibiles, sicut vinum in ampulla, in qua apparent continens & contentum & quæ de potentia in actum deducta sunt ex locis confusis

& primis, quæ sunt in arbore sicut trũcus qui in suis partibus est collocatus, & branchæ in trunco & in branchis rami. Idcircò colloca æ sunt actualiter species in arbore, in quibus collocata sunt potentialiter elementabilia indiuidua per materiam vniuersalem, & habitualiter per formam generalem, & sunt in actum deducta in similitudinibus loci sub quantitatibus discretis existentia, sicut lumen, quod est in camera collocatum, & camera in aëre, & sic de aliis similibus istis Et hæ similitudines loci sunt visibiles, sed essentia loci inuisibilis est nec sentiri potest, quoniam locus indiuisibilis existit.

De Floribus arboris elementalis.

FLores arboris comparamus ad naturalia instrumenta Et hoc facimus, quoniam sicut flos est fructui proximior, quàm folia branchæ vel rami, aut radices, sic instrumentum est proximius operato, quod quidem instrumentum vocamus operari, quod est ex operante & operabili, sicut in scriptura siue in scribere, in quo pœna proximior est literæ quàm manus, & manus quàm brachium, & quoniam de videre sequitur visum, sunt oculi instrumenta ad videndum, & videre est opus adductum in instrumentis, quæ sunt oculi, & fructus est visum. Hoc instrumentum naturale & generale est centrum, ad quod radices se habent in operari, & idem est de trunco, branchis, ramis & foliis. Et est generale ad alia instrumenta ex ipso deriuata & particulata sub specierum indiuiduis existentia, sicut flores in arbore vegetali, & oculi & lingua in sensuali, & sic de aliis similibus istis floribus. Et instrumentum generale & inuisibile sentiri non potest, & eius similitudines & partes apparent in instrumentis indiuiduatis, & de potentia in actum deductis, in quibus fit operatio, de qua fructus resultat in arbore vegetali. Et est fructus de essentia florum, sicut fructus est de essentia instrumenti in arbore sensuali. Et instrumentum arboris vegetalis sunt oculi, qui sunt vegetati, & fructus qui est sensatum, est ex instrumento, quod est sensare, quod est flos ei proximior existens quàm flos arboris vegetalis. Dicimus tamen, quod sensitiuum & sensibile sunt instrumenta ad sensatum, vnum per modum actionis, & aliud per modum passionis, sicut homo & fœmina, qui instrumenta sunt ad filium procreandum, & ista sunt instrumenta in ramis, sed generare est instrumentum in flore, quia generato est proximius, vt dictum est, quod quidem generatum est de essentia ipsius generare, & generare est productum de essentia & de specie patris & matris. Idcirco generatum & sensatum est indiuiduatum, & in alium numerum & alia essentia transit, & cum patre & matre in vna specie remanet.

De Fructu arboris elementalis.

FRuctus arboris elementalis est elementatum, sicut lapis, aurum, pomum, piscis, auis, bestia, & corpus hominis. Hæc omnia sunt elementata & indiuiduata, & ipsa fructum vocamus, quia bonitas, magnitudo, potestas & virtus maiorem quietem & finem habent in illis quàm in trunco, branchis, ramis, foliis, & floribus & hoc est, quia in pomo (quod est fructus) conseruatur species in quantum in pomo ipsius aliud pomum continetur, & idem est de aliis rebus quas prædiximus. Est etiam elementatum fructus, quoniam in illo

in illo primæ intentiones primarum causarum consistunt: quoniam in hoc quòd bonitas suam magnitudini dat similitudinem & è conuerso: in fructu magnitudo bono aggregatũ est quàm in cæteris partibus arboris bonitate & magnitudine ponentibus se per primam intentionem in fructu & per secundam intentionem remanentibus in floribus, foliis, ramis, brã. trun. & radi. & idem faciunt duratio, potestas, instinctus & naturales appetitus. Et propter hoc fructus sunt in summitatibus arboris: & in illis plus habetur de sapore & vtilitate quàm in aliis partibus arboris. Fructus arboris elementalis generalis inuisibilis est: & nullo modo sentiri potest, sed eius indiuiduata & particulata sentiri possunt & videri. sicut est pomum, aurum, Martini & eius falco, coruus, equus, & piscis. Dictum est de arbore elementali & de partibus eius: & quia primas causas & formas in illa seminatas proponimus inuestigare: aliquas ipsarum eligimus, scilicet centum, quas volumus inuestigare: vt de ipsis cognitionem habeamus, & vt per illas alias (quæ plures sunt) cognoscere valeamus & etiam vt per illas alias arbores melius cognoscere valeamus. Et primò de vnitate, postmodum de pluralitate, & sic de aliis successiuè nostros sermones dirigere proponimus.

De Vnitate. 1.

VNitas est extensa in arbore elementali: in quantum est vna & de pluribus vnitatibus vnita, sicut de vna bonitate generali: & ex vna generali magnitudine, & sic de aliis. Vnde ratione suæ vnitatis & vnitatum: ex quibus est vnita: plures vnitates rerum in ipsa sũt seminatæ & diffusæ, quemadmodum vnitas plantæ, vnitas equi, & sic de aliis.

De Pluralitate. 2.

PLuralitas rerum in arbore elementali seminata est & diffusa, & hoc ideo est: quia de pluribus rebus est, & etiam quia quælibet illarum ad ipsam venit cum pluralitate: sicut bonitas, quæ ad illam venit cum bonificatiuo, bonificabili & bonificare: & magnitudo quæ venit cum magnificatiuo, magnificabili & magnificare, & sic de cæteris. Vnde quemadmodum ex arbore elementali vnus lapis, vnum pomum, vna auis & cæteræ vnitates sequi possunt & deriuari ratione suæ vnitatis: ita ex ipsa plures lapides, plura poma & plures aues sequi possunt & deriuari ratione suæ pluralitatis. Et propter hoc est in ipsa pluralitas causa ad plures pluralitates, sicut vnitas, quæ causa est ad plures alias vnitates.

De Simplicitate. 3.

SImplicitas in arbore elementali est ex causis primariis, velut ex simplicitate bonitatis, magnitudinis & cæterarum: & de simplicitate ignis & aëris, & cæterorum elementorum. Et hoc idem de suis simplicibus accidentibus, sicut de simplici quantitate bonitatis & magnitudinis ignis & sui caloris & cæterorum, in quibus per totam arborem simplicitas sustentatur: in quantum arbor est de simplicibus causis primariis & generalibus. Vnde sicut bonitas est ratio bono quod agat bonum: & magnitudo magno quod faciat magnum: sic simplicitas quæ est species generalis & ratio pluribus simplicitatibus ab ipsa deriuatis & indiuiduatis per agentia naturalia.

De Compositione. 4.

COmpositio in arbore elementali est apta species, ex qua plures cōpositiones deriuati possunt, & produci. Et hoc est: quia arbor est ex pluribus causis composita. Vnde sicut membrum naturale naturaliter suas sapit extremitates, vnde suum principium & finem: sic omne quod arbor elementalis suam sapiat compositionē. quod esse non posset, si vlla cōpositio non esset causa prima pluribus compositionibus indiuiduatis elementatis.

De Forma. 5.

ARbor elementalis per formam generalem est informata, vt in trunco suo dictū est, & ideo omnium quod forma sapiat naturam formæ ipsa forma generali principio existente ad plures formas in illa seminatas & diffusas, vt per illam sua elementata indiuiduata sint informata, & quòd sint de sua essentia vt eorum informatio sit cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis principij, & finis. Omnium ergo quod formæ, capræ, aquilæ, pomerij, &c. sint in illa seminatę & per agētia naturalia productæ.

De Materia. 6.

ARbor elementalis est de materia generali secūdùm quod in trūco suo dicendum est, ex qua materia sunt plures materiæ particulares in illa seminatæ & diffusæ: & in speciebus cum auxilio qualitatis sustentatæ: & per agentia naturalia in actum deductæ, vt in capra, aquila & in cæteris indiuiduis. Et hoc esse omni ratione bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis: & ratione maiorum appetituum naturalium.

De Genere. 7.

SVbstantia est genus, ex qua sunt plures species arboris elementalis. Substantia est: quoniam ex pluribus partibus substantialibus est aggregata. Hanc substantiam omnium genus esse realiter, & quia est de reali & generali bonitate: & de reali & generali magnitudine, & cæteris, est composita, & ideo omniū quòd sit prima substantia ad alias plures substantias speciales, veluti truncus qui est pars substantialis & generalis, quæ se habet ad plures partes substantiales & generales: vnde branchas & ramos. Est ergo genus ens reale in arbore elementali, & si non esset ens reale & substantiale, sed tantummodò intentionale: secundum quod logicus ipsum considerat: generalia principia perdita essent in ar. elementali, ita quod non essent entia realia primariæ causæ. Et in earum perditione perderetur arbor elementalis quæ non posset esse ens reale, & in eius perditione nulla causa secundaria esset de primaria: vt vnumquodque indiuiduum esset de seipso, & non de alio, quod est impossibile: Est ergo genus ens reale, in quo species naturales sustentantur.

De Specie. 8.

IN arbore elementali species sunt seminatæ, sub quibus sunt indiuiduata elemētata, & quoniā in illa sunt seminatæ realiter, non tantummodo entia sunt considerata in ratione, imò sunt entia realia, quoniam si entia realia non essent, bonitas non esset causa primaria bono, quòd ageret bonum, & sequeretur, quod bonitas illud faceret de alia causa etiam, & non de se, & magnitudo magno similiter, non esset ergo bonum de bonitate: nec

nec magnum de magnitudine, nec indiuiduum de specie, & hoc est impossibile quòd bonum non sit de bonitate, nec magnum de magnitudine, & sicut hoc est impossibile in specie bonitatis & magnitudinis: ita est impossibile, quòd indiuiduum non sit de specie. Oportet ergo quòd species sit ens reale, ex qua sit indiuiduum, quod est ens reale.

De Intensitate. 9.

IN arbore elementali est intensitas seminata, quæ est generale principium ad plures intensitates sub specierum indiuiduis existentes, sicut intensus color rosæ aut niuis: vel intensus sapor vini. Et hæ intensitates accidentales sunt de vna intensitate generali de causis primis deriuata, sicut de intensa bonitate & intensa magnitudine, & cæteris. Hæ intensitates sunt substantiales, vt habeant plus de entitate, & quod ex ipsis deriuari possint intensitates accidentales, quæ sunt earum similitudines.

De Extensitate. 10.

EXtensitas est generale principium ex qua descendunt plures extensitates. Et hæc generalis extensitas est realiter in arbore, & sunt sua principia de extensione: quam bonitas facit in magnitudine, duratione, potestate, &c. & quam ipsæ faciunt in bonitate. Et hæc extensitas extensa est per totam arborem, & de illa est extensitas confusa, quæ apparet in colore confuso, & in sapore similiter, & cæteris obiectis sensuum arboris sensualis.

De Abstracto. 12.

IN arbore elementali sunt abstractæ causæ reales & generales, sicut bonitas, magnitudo, &c. & ex istis sunt abstractiones secundariæ; sicut bonitas trunci, brancharum, ramorum, foliorum, florum & fructuum, etiam bonitas leonis, pometij & aliarum. Et hæ sunt abstractiones reales & naturales, ex quibus logicus accipit earum similitudines, in quantum considerat in abstracto primas causas, & illas ponit in sua consideratione, vt cum illis similitudinibus cognitionem habeat ex causis veris & realibus.

De Concreto. 12.

IN arbore elementali sunt concreta prima, quæ sunt causæ generales ad concreta secundaria, sicut in bonitate bonificatiuum, bonificabile & bonificare, quæ sunt suæ partes essentiales, & in magnitudine similiter: in qua sunt essentialia concreta, secundum magnificatiuum, magnificabile & magnificare, & ex istis resultat concretum quod est bonum & magnum, sicut truncus arboris, qui est bonus & magnus, & eius branchæ similiter rami, folia, flores, & fructus, quæ sunt concreta bona & magna. Et in his habituata sunt concreta indiuiduata, sicut lapis qui est bonus & magnus, & pomum similiter.

De Generatione. 13.

GEneratio est principium generale in arbore elementali, & suum principium est in multiplicatione, quæ fit de bonitate & magnitudine & cæteris causis primis in quantum se aggregant ad essendum vnum compositum, quod sit in 3. numero quod est truncus secundum quod est dictum. Et in hoc trunco sunt in potentia generationes truncorum particularium, & in branchis sunt generationes particularium brancharum. Et idem est suo modo de ramis, foliis, floribus &

fructibus. Et cum vniuersalis generatio cum agentibus naturalibus tangitur: generatio transit in generationes particulares de potentia in actum deductas.

De Corruptione. 14.

CОrruptio generalis naturaliter sustentatur in arbore elementali, ex qua speciales descendunt corruptiones. Et hæc corruptio generalis stat per cõtrarietatem generalem, quæ est vnum principiorum primorum, sicut dictum est in radicibus arboris, non tamen arbor per illam est corruptibilis secundum cursum naturalem nec etiam generabilis, quoniam nulla causa in quantum est generalis est corruptibilis secundum cursum naturalem, nec etiam generabilis, quia si causæ generales essent generabiles & corruptibiles non essent causæ primariæ, & essent, antequam essent, & hoc est impossibile. Sed quia causæ secundariæ sunt de primis & contrarietas est generalis ratione illarum causarum secundariarum: sunt entia corruptibilia, cum ita sit, quod suum officium & natura sit inclinare entia quæ sunt, ad non esse, sicut faber, qui vult de ense cultellum facere, ducit in priuationem figurã ensis vt de ferro figuram cultelli facere possit, quia in eodem tempore illud ferrũ non posset sufficere figuræ ensis & figuræ cultelli. Consimilimodo contrarietas vnam formam corrumpit, vt concordantia primatum causarum aliam formam possit generare, sicut vegetatiua: quæ corrumpit formam panis, vt formam carnis generare possit.

De Priuatione. 15.

PRiuatio est in arbore elementali principium generale. Et hæc priuatio generalis est ad plures particulares priuationes, quoniam si in arbore elementali non esset priuatio realis & generalis, esset in ipsa contrarietas ligata, & vna materia multis figuris sufficere posset, sicut idem ferrum sub forma ensis existens posset eodem tempore sub forma cultelli existere: in quo est sub forma ensis. Et adhuc in entibus naturalibus non esset corruptio, nec mors, nec alteratio, nec motus de potentia in actum, & hæc omnia sunt impossibilia. Est ergo priuatio ens reale & primum, sed quia se habet ad non esse, imaginatio nullam in ipsa entitatem realem imaginari potest, sed intellectus ipsam considerat in intentione simpliciter.

De Plenitudine. 16.

PLenitudo est principium generale & reale in arbore seminata, & est deriuata de plenitudinibus, quæ sunt primariæ, sicut de plenitudine bonitatis, quæ est de bonificatiuo, bonificabili & bonificare, ex quibus bonitas essentialiter est impleta, & etiam de plenitudine: quam habet de magnitudine, quæ ipsam implet, in quantum ipsam facit esse magnam, & sic de duratione: quæ ipsam implet, in quantum ipsam durare facit. Et sic de his plenitudinibus est arbor plena: & non sustinet vacuitatem realiter. Plenitudo est per circulum, quadrangulum & triangulum, qui sunt figuræ generales & plenæ punctis & lineis, vt dictum est. Et de hac plenitudine generali descendunt particulares plenitudines elementatæ, vt lapis qui est plenus: & pomum similiter, & camera, quæ est plena aëre: & sic de aliis similibus istis.

De

De Vacuitate. 17.

VAcuitas considerata est duobus modis, secundum vnum est ens reale,& secundum alium intentionale & non reale. Est ens reale sicut principium & mediũ, qui se habent ad finem ad quem sunt, & ipsum habere non possunt: sicut aqua in pipere qui appetitum habet naturalem: quod in pipere possit damnari, & idem est de igne suo modo, qui appetitum habet naturalem in pipere,quod spoliare possit & priuare totam essentiam aquæ,vt cum aëre & terra maiorem concordantiam habere possit, & quòd eius contrarium quod est aqua, ei nullum laborem possit inferre. Vacuitas intentionalis est illa, quam intellectus considerat,in quantum cõsiderat vegetam esse vacuam aqua vel vino aut alia re corporali visibili,& etiam cum considerat quod homo est vacuus ætate perfecta tunc,quando est in ætate imperfecta,& castitate,cum stat in luxuria, & sic de aliis rebus similibus istis.

De Grossitudine. 18.

GRossitudo est ex causis primariis, & est causa primaria pluribus grossitudinibus. Et incipit in partibus, vbi materia maiorem habet entitatem sicut in aqua & in terra in quibus materia maiorem habet quantitatẽ quàm in igne & aëre. Et propter hoc materia aquæ & terræ est magis spissa & magis plena:& plus durat quam materia ignis & aëris, quoniam ratione aquæ restringitur & ratione terræ desiccatur. Ratione tamen aëris & aquæ est alia grossitudo: quæ in extensitate maior est quam grossitudo aquæ & terræ,& hoc est,quia aër magis extensibilis est quam terra, & propter hoc homines flegmatici grossiores sunt quam melancolici, & comparatis partibus melancolici cum partibus flegmatici: grauiores sunt partes melancolici quàm partes flegmatici,& etiam magis durabiles. Vnde cum hoc ita sit:probatum est & significatum quod in arbori elementali est grossitudo generalis, ex qua plures grossitudines particulares deriuantur.

De Gracilitate. 19.

GRacilitas est principium generale, & in arbore elementali sustentatur & seminatur. Et est de minoritate, sicut grossitudo est de maioritate. Est etiam ratione calidi & sicci, per calidum consumitur frigiditas & per siccum humiditas. Et quia frigidas partes quæ in ipsa intrant restringere non potest, quoniam ignis suos poros aperit,vt ipsam calore euacuet:& in illa humiditatẽ consumat, quam accipit ab aëre,contra quam est siccitas terræ. Et ideo sunt entia, quæ sunt complexionis calidæ & siccæ graciliora quam illa quæ sunt complexionis frigidæ & humidæ.

De Leuitate. 20.

LEuitas est principium generale ad plures particulares leuitates,& est generale ratione sphærarum ignis & aëris,qui appetitũ habent in suis sphæris ad descendendum inferius in sphæras aquæ & terræ,& cum leuitate descendunt, & quia sunt leues ascendunt cum leuitate ad eorum sphæras. Et ex hoc generali ascensu & descensu sunt particulares leuitates, quæ in specierum indiuiduis persistunt.

De Ponderositate. 21.

POnderositas est generalis ad plures particulares ponderositates. Et est ratione appetituum naturalium, quos

habet aqua contraria ad sua centra, quemadmodum aqua & terra, quæ sunt in sphæra ignis, quæ appetitum habent essendi hic inferius, & veniunt hic inferius cum grauitate, quam habent, quia cum illa huc inferius se mouent. Et cum supra ascendunt, cum grauitate non ascendunt, quoniam ascendere & grauitas contrariantur, sed per violentiam ascendunt & per coactionem corporum cælestium, quæ cum igne & aëre, qui sunt cum aqua, & terra coniuncti, ipsas attrahunt ad sphæram ignis, vt in ipsa aqua & terra beneficium planetarum accipiant, & quod cum illo hic inferius descendant. Et ratione huius grauitatis generalis siue pōderositatis, quam diximus, inclinationem habent fructus: qui sunt in arbore, sicut pomum, quod est in pomerio, quod descendant hic inferius in superficie terræ. Et idem est de pluuia, niue & rore, ex quo beneficiū ex causis superioribus recepetint.

De Totalitate. 22.

IN arbore elementali est totalitas quę generalis est ad plures speciales totalitates, quemadmodum bonitas, quæ generalis est ad omnes bonitates indiuiduatas elementatas, sicut bonitas ferri, quæ generalis est ad bonitatem ensis, cultelli, claui. Et idem est de magnitudine & cæteris. Idcirco totalitas arboris suam similitudinem ponit in fructu pomerij, quoniam in pomo sunt in potentia omnes similitudines arboris elementalis, videlicet similitudines radicum, trunci, brancharum, ramorum, foliorum, florum & fructuum. Et in hac totalitate arboris elementalis seminatæ sunt ita omnes species, quæ se habent ad sua indiuidua, sicut seminatæ sunt omnes similitudines arboris elementalis in pomo, & ideo ex vno pomo sunt producta plura poma. Hoc idem sequitur in pisce, aue, homine & in leone.

De Partibus. 23.

IN arbore elementali sunt partes generales ad alias partes particulares, quemadmodum sua pars quæ est bonitas, est generalis ad aliam partem totius, vtpote ad partem pomi quæ est bona, & ad partem piscis, quæ est bona, & ad partem equi, quæ est bona, & sic de aliis. Et propter hoc omnes partes arboris elementalis generales sunt ad partes substantiarum indiuiduatarum naturalium. Et per talem naturam sunt plures partes in vna parte seminatæ, & in indiuiduis sunt quædam partes in aliis, sicut in pipere, in quo est ignis in calore, & calor in igne, & ignis in aëre, in quantum intrat in illo cum suo calore, & aër in igne, in quantum suo calore indutus est & siccitate. Vnde secundum quod dictum est de totalitate & partialitate est significatum, quomodo in indiuiduis naturæ sunt & proprietates, & quomodo quædam partes sunt in aliis, & totum in partibus suis, & partes in suo toto: & hoc per naturas & proprietates, quæ sunt in arbore elementali.

De Interioritate. 24.

INterioritas generalis & naturalis est in arbore elementali: ex qua interioritates naturales descendunt & speciales & in arboribus sunt, quæ ex illa deriuantur. Et hæc interioritas generalis significatur in suis radicibus, sicut bonificare, quod est intra bonificātem & bonificabilem. Et ex hoc bonificare quod est intra in arbore elementali, bonificare quod est in pomo naturam habet, quod sit intra bonificatiuum & bonifica

bonificabile, quæ sunt in pomo. Et in hoc passu significatæ sunt proprietates per quas contenta stant intra continentia, sicut semen, quod est intra pomum, & homo intra cameram, & indiuidua intra species suas, & omnia elementata intra arborem elementalem.

De Exterioritate. 25.

EXterioritas generalis est in arbore elementali, ex qua particulares & speciales exterioritates descendunt. Et est exterioritas generalis per differentiam, quæ suas partes differre facit, sicut bonitas, quæ est differens à magnitudine & truncus à suis branchis, & vna brancha ab alia, & sic de aliis partibus arboris. Et propter hoc plura sunt, quæ differunt in specie, sicut magnitudo, quæ est extra speciem bonitatis. Et propter hoc in elementatis sunt quædam res extra alias, sicut pomum quod est extra folia, & extra speciem rosæ, & equi: & sicut continens, quod est extra contentum, sicut ampulla, quæ est extra vinum. Vnde in naturalibus omnes illæ exterioritates particulares sunt possibiles, ratione exterioritatis generalis, quam diximus.

De Statione. 26.

STatio generalis in arbore elementali consistit, ex qua stationes particulares naturales descendunt, sicut arbor quæ stat hoc quod est in suo numero, & idem est de suis partibus, sicut eius bonitas, magnitudo, &c. quæ non dimittunt suum numerum, quoniam duratio earum esse proprium conseruat. Et ex hac statione veluti descendunt indiuiduorum elementatorum stationes, sicut pomum, quod stat in suomet numero, & equus Martini & Martinus similiter, & etiam statio lapidis, qui stat in vno loco qui se non mouet, & clauus in poste fixo, & oculi in facie, & sic de aliis rebus similibus istis.

De Motu. 27.

MOtus generalis est in arbore elementali, quæ est vna de suis partibus, & est generalis ad omnes motus indiuiduorum elementatorum, & eius principium est in radice arboris, vt supra dictum est, & hoc etiam dicendum est, videlicet quod in bonitate arboris est bonificare motum de bonificatiuo, & bonificabili in bonificãdo magnitudinem, durationem, &c. & quod ex omnibus radicibus fit trũcus bonificatus, magnificatus, &c. & idem de motu trunci in branchis, & sic de ramis, foliis, floribus, & fructu. Tamen motus iste generalis non se mouet in arbore elementali de vno loco in alium: nec se mouet per modum alterationis nec crementi, quod si faceret, non esset in tota arbore: sed est pars generalis disposita ad motus indiuiduatorum elementatorum de potentia in actum motorum, vt esse possint per generationem: aut de esse in priuationem per corruptionem: aut de vna qualitate in aliam, sicut frigiditas in calorem, & vnus homo qui de vno loco in alium se mouet, & qui in suis iuncturis ita habet naturalem potẽtiam motus per motum generalem, sicut habet corpus per corpus generale, & quantitatem per quantitatem generalem, hoc idem sequitur de motu, qui est in specie alterationis, sicut vinum quod alteratum est in acetum. Et idem de cremento, sicut homo qui motus est de modica quantitate ad magnam.

De Duritie. 28.

DVrities est vna pars generalis, quę est in arbore elementali, ex qua omnes durities indiuiduorum elemẽtatorum descendunt. Et hæc duritics generalis est de igne & terra, & aqua & terra Est de igne & terra, quia ignis calefacit terram, & terra desiccat igné, & ideo humiditas non habet virtutem suam in illo loco, & hoc apparet in tegula quæ est dura, quoniam ignis ipsam desiccat, & etiam in lapide qui est puluis desiccatus & per aquam congelatus, qui ipsum restringit, qui quidem lapis est durus per aquam & terram, quæ in illo calorem & humiditatem mortificant, & hoc idem est de duritie ossium & de testitudine persici, & sic de aliis elementatis, quæ sunt dura per duritiem generalem antedictam: quæ est fons de qua exeunt durities particulares.

De Mollitie. 29.

MOllities est in arbore elementali, ex qua descendunt mollities, quæ sunt in elementatis indiuiduatis. Et est in arbore elementali de igne & aëre, & de aëre & aqua, quam ignis calefacit aërem dissoluẽdo vnam partem ab alia, & calefacit aquam mortificando congelationem, quæ est in indiuiduis per aquæ restrictionem, & humiditas se extendit per aquam & terram mortificante aëre siccitatem terræ cum adiutorio ignis, qui terram calefacit, & qui concordantiam terræ & aquæ destruit, & propter hoc metalla fusa sunt mollia per humidum & calidum, & etiam homines sanguinei & flegmatici, & sic de aliis similibus istis, quæ mollia sunt per mollitiem generalem, quæ est in arbore elementali.

De Longitudine. 30.

LOngitudo est in arbore elemẽtali causa vniuersalis ad longitudines arborum productarum ab illa. Quæ quidem longitudo stat in arbore elementali per extensitatem naturalem suarum brancharum, & etiam per extensionem suæ bonificatiuitatis & bonificabilitatis, magnificatiuitatis & magnificabilitatis, & sic de aliis. Et ex hac longitudine generali & reali exeunt & descendunt longitudines indiuiduatorum, sicut longitudo dactili, & brachiorum, & tibiarum bestiarum, & sic de aliis. Et hæc longitudo stat per calidum & siccum magis quam per calidum & humidum, vel quam per humidum & frigidum, vel quam per frigidum & siccum. Et hoc est, quia ignis naturam habet diffusiuam, & quia siccitatem recipit à terra, quæ naturam habet euacuatiuam & restrictiuam per aquam: est longitudo magis per siccum quam per alias complexiones. Et propter hoc plantæ quæ sunt complexionis calidæ & siccæ sunt lõgæ & graciles maximè, & habent spinas pungentes.

De Amplitudine. 31.

AMplitudo est generalis in arbore elementali. Et sunt eius principia participationes rad cum sicut participatio bonificatiui & magnificatiui, ex quibus sequitur amplum. Et idem de participatione bonificabili & magnificabili, & etiam brancharum. Et ex hac amplitudine generali sunt amplitudines speciales deriuatæ, & ex ipsa habent beneficium, sicut amplitudo folij ficus & faciei hominis & suæ manus, & sic de aliis. Hæc amplitudo est per calidum & per humidum, & hoc est, quia ignis est diffusiuus & aër

aër impletiuus. Et propter hoc plantæ extendunt in amplum branchas suas.

De Profunditate. 32.

PRofunditas in arbore elementali causatur ex suis ramis,& adhuc de suis radicibus. Et hoc significatum est in bonificate & magnificare, quæ significant, quod profunditas sit in medio, in quantum stat in medio brancharum. Et ex hac profunditate generali descendunt speciales profunditates sicut profunditas pomi, & ossium, in qua sunt grana pomi, & medulla ossium. Et hæc profunditas plus est per frigidum & siccũ quam per aliam complexionem, quia terra est de forma sphærica, & aqua habet naturam restrictiuam.

De Potentia. 33.

POtentia est in arbore elementali duobus modis. Vnus modus est: in quantum sua aptitudo disponit, quod ex illa produci possint indiuiduata de potentia in actum, sicut pomum, quod est in illa in potentia primo, in hoc quod illa est primó ad pomerium: & stat in potentia in pomerio, priusquam in actum deducatur. Et hæc secunda potentia est ex prima, quæ quidem prima est seminata in arbore elementali,& ita est pars realis illius, sicut cæteræ partes eius: secundus modus potentiæ est ille, qui est actiuus, sicut potentia calefaciendi aut videndi. Et iste modus est in potentia in prima, vnde in bonificatiuitate bonitatis: & impossificatiuitate potestatis, &c. Et deducitur in actum in potentia elementorum, quam diximus, sicut potentia visiua, quæ prius fuit in potentia quam in actu.

De Obiecto. 34.

OBiectum est duobus modis in naturalibus, vnum est intra, & aliud est extra. Illud quod est intra est sicut bonificabilitas, quæ est de essentia bonitatis, & est obiectum bonificatiuitatis, quæ est de essentia bonitatis. Obiectũ quod est extra est sicut magnitudo, quæ est bonificabilis, & color qui est visibilis. Obiectum quod est intra, est generale ad obiecta extra mota in obiectis intra, sicut panis qui est vegetabilis,& est mota sua materia in vegetabilitate, quæ est de essentia vegetantis, quæ transmutat panem in carnem. Hæc obiectatio quæ est intra, est in arbore elementali, sicut bonificabilitas arboris elementalis, quæ est obiectum bonificatiuitatis, quæ bonificabilitas est generale obiectum, ex quo descendunt obiecta indiuiduorum elementatorum, sicut in planta plantificabilitas, & in sensato sensificabilitas. Et propter hoc est vna obiectabilitas ex alia.

De Actu. 35.

ACtus est duplex, vnus est ille, qui deducitur de potentia in actũ. sicut racemus, quem homo comedit, qui in est actu, qui fuit in potentia. Est alius actus, qui est opus potentiæ actiuæ & passiuæ, sicut calefacere & videre,&c. Actus primus est in arbore elementali vna pars realis non deductus de potentia in actum, sed tantummodo stat in ipsa per creationem, & per ipsum ita est arbor actualiter. sicut bonus, qui est bonus per bonitatem,& magnus per magnitudinem, & hic actus est generalis ad actus indiuiduorum elementatorum, qui substantialiter & accidentaliter veniunt de potentia in actum: sicut actus pomerij, in quo

quo est pomum in actu, & idem est de suo colore. Qui quidem actus pomerij ante fuit in potentia quam pomum in potentia vel actu in ipso pomerio.

De Prioritate. 36.

ARbor elementalis prima est per prioritatem ad arborem vegetalem & sensualem. Et hoc est quia prioritas est vna de partibus suis, per quam ipsa est arbor prima, vt per illam bonitas & magnitudo & cæteræ primæ naturæ se habent ad prioritates secundarias, quæ in arbore vegetali sunt & sensuali, & subiectum huius prioritatis est, in quantum bonitas est prima ad bonitatem magnitudinis, & magnitudo est prima ad magnitudinem bonitatis, & in quantum radices sunt primæ ad truncum, & truncus ad branchas, & branchæ ad ramos, & sic successiuè vsque ad fructum pomerij, in quo ponunt suas similitudines sustentatas in potentiis in quibus stat pomum potentialiter, & exeunt similitudines in actum tunc, quando pomum est generatum. Prioritates tamen arboris elementalis non stant successiuè secundum tempus, ita quod prius sint radices quam truncus, nec truncus quam branchæ, sed sunt primæ, in quantum truncus est ex ipsis, & truncus est primus ad branchas, in quãtum branchæ sunt ex illo, sed hoc non est in arboribus particularibus, quia prius est potentia quam productum ex illa in actu, sicut pomum, quod prius fuit in potentia quam in actu.

De Secundarioritate. 37.

SEcundarioritas est in arbore elementali vna pars naturalis: ratione cuius radices se habent prius ad truncum quam ad branchas, & truncus se habet prius ad branchas quam ad ramos. Tamen secundum modum finis & complementi prius se habent radices ad fructum quam ad truncum, & truncus ad fructum quàm ab brãchas. Et hoc est, quia finis nobilior est in fructu quam in trunco vel in brãchis. Et hic ordo secundarioritatis, quæ est in arbore elementali est causa ad secundarioritates indiuiduatas in indiuiduis elementatis sicut in pomerio in quo radices se habent prius ad truncum quàm ad fructum per vnum modum & ad fructum quam ad truncum per alium, & in hoc sunt significatæ secundariæ intentiones & primæ, quæ stant in rebus elementatis.

De Tertioritate. 38.

TErtioritas est in arbore elementali vna pars generalis ad tertioritates arborum indiuiduatarum in quibus transeunt arbores in numerum tertium, per quam indiuidua stant sub speciebus, sicut ex forma & materia pomi numerus tertius resultat, qui est pomum de forma & materia compositum. Et idem est de elementis compositis, quæ transeunt in numerum tertium per compositionem, licet de elementis simplicibus existat, & idem est de suis accedentibus. Et tota virtus rerũ particularium, & operatio quam habent, in tertio numero descendit ex tertioritate supra, quæ est pars arboris elementalis: per quam eius radices transeunt in numerum trunci, in quãtum truncus est ex ipsis & in numerum corporis, illæ remanent in eorum prioritate & simplicitate.

De Augmentatione. 39.

IN arbore elementali augmentatio est naturaliter principium generale ad augmenta quæ stant in arboribus particularibus, ita quod augmentatio genera

generalis est species, sub qua multæ augmentationes existunt indiuiduatę, sicut augmentatio, per quam crescit pomerium, auis & homo, & horum augmentationes descendunt à natura augmentationis supra, quæ incipit in radicibus arboris, elemētalis quemadmodum bonitas quæ crescit in quantum similitudinem recipit à magnitudine, duratione & potestate, &c. quoniam maior est bonitas per hoc quod habet per seipsam, & per hoc quod habet per magnitudinem, durationē, potestatē, &c. quam per hoc quod habet per seipsam simpliciter. Crescit adhuc bonitas, in quātum dat similitudinem magnitudini, durationi, potestati, &c. Et hoc incrementum est incorruptibile, quod est simplex pars arboris elementalis, sicut bonitas, magnitudo, &c. & est principium simplex arboris elementalis, in quantum est ratio incrementi ad alias partes suas.

De Consumptione. 40.

IN arbore elementali consumptio est proprietas & natura, per quam consumptiones inferius stant in indiuiduis elementatis, sicut consumptio pomi & claui. Non tamen quod consumptio supra sit ratio arbori elementali quod sit consumptibilis, quoniam nulla pars generalis & simplex secundum cursum naturalem est consumptibilis, sed quod cōsumptio generalis est ratio ad partes compositas & speciales, & consumptio est eis ratio per contrarietatem finium minoritatis & imperfectionis.

De Dispositione. 41.

DIspositio est generalis & simplex pars arboris elementalis, in qua diffusæ sunt & seminatæ dispositiones naturalium inferius consistentiū, sicut species capræ & leonis, quæ dispositæ sunt ad essendum entia realia ratione dispositionis generalis in radicibus arboris sustentatæ & in trunco & cæteris suis partibus simplicibus, quoniam bonū est quod species sit ens reale & magnū est, & maior virtus & principiū stat in suis indiuiduis. Ex hac dispositione generali descendūt dispositiones, quæ sunt inferius, sicut materia ferri, quæ disposita est quod ex illa fiat clauus, qui in potentia in illa stat cum adiutorio agentis artificialis. Et in hoc passu significatum est quod est differentia inter dispositionem & potentiā, quoniam materia ferri per seipsam est disposita, quod ex illa clauus fiat, & clauus in potentia esse non potest in materia sine fabro, qui ex illa ipsum trahat in actu.

De Proprietate. 42.

PRoprietas stat in arbore elemētali vna de partibus suis simplicibus, quæ est ratio agentibus naturalibus quod ipsa suis proprietatibus vtantur, sicut piperi, cui proprium est calefacere, & reubarbaro attrahere coleram, & magneti attrahere ferrum, & leoni cui proprium est leonem generare. Et omnes hæ proprietates descendunt à proprietate generali, sicut bonitates hic inferius consistentes quæ descendunt à bonitate supra, quæ est simplex pars arboris elementalis. Et per hanc proprietatem generalem proprium est bonitati bonificare, & magnitudini magnificare, & igni calefacere, & sic de cæteris partibus arboris elementalis. Est tamen alius modus proprietatis quæ est appropriata, sicut calor, qui est aëri appropiatus per ignem, & sicut bonitas quæ est appropriata magnitudini per simplicem bonitatem generalem & substantialem. Et per hanc naturam proprietatis appropriatæ sunt

species appropriatæ, quod sint seminatæ & sustentatæ in arbore elementali ratione finis, ad quem se habet, & quod bonitas possit in illo esse magna & completa, & magnitudo bona in illa & completa, & sic de aliis, & in hoc passu significatum est realitatem esse specierum, vnde speciei equi, asini, & sic de similibus. Ex hac proprietate appropriata ex generali descendunt istæ proprietates appropriatæ, quæ sunt hic inferius in indiuiduis elementatis, sicut in asina, cui proprium est asinum concipere, sed ratione equi de quo concipit, est ei appropriatum mulum concipere: & equo similiter est appropriatum in asina mulum generare. Et idem sequitur in plantis sicut in pomerio & persico in illo inserto, ex quibus nascitur pomum persicum.

De Proportione. 43.

PRoportio est vna pars simplex arboris elementalis, in qua naturæ proportionum hic inferius existentium sunt seminatæ, & illa est ex partibus magnis & paruis secundum dispositionem foliorum arboris elementalis, sicut in assituatione partium hominis in concordantia magnitudinis & paruitatis, maioritatis, & minoritatis, proportionatis quantitatibus subiacentium. Ex hac proportione descendunt pulchritudines hic inferius & alia placentia ad videndum. Et contrarium proportionis apparet in illo, qui habet grossum caput, & modicam staturam, & idem est in bestiis, quæ non habent membra bene disposita & proportionata.

De Conditione. 44.

COnditio est vna pars simplex arboris elementalis, per quam eius partes sunt cōditionatæ, sicut bonitas, quæ sub ratione conditionis dat magnitudini suam similitudinem vt magnitudo det ei suam: quoniam si magnitudo non daret ei suam similitudinem, bonitas ei suam non daret, & sic de aliis causis primariis, quæ omnes sunt ita conditionatæ per conditionem, sicut sunt bonæ per bonitatem. Et propter hoc sunt conditionatæ sub tali conditione: quod sint causæ primariæ ad causas causatas, & quod cōtineant in se reales species. Et ex conditionibus supra descendunt conditiones inferius naturales, quæ sunt inter nos, quemadmodum si vnus homo alium diligit, ille qui diligitur, est conditionatus, quod diligat illum, per quem est dilectus: & si homo temperatè comedit & sanas comestiones, est in ipso sanitas conditionata. Et ex his conditionibus naturalibus exeūt conditiones artificiales, quæ sunt similitudines naturalium: quibus mercatores in emendo & vendendo vtuntur, & milites in præliis, & communes personæ in suis officiis, & sic de aliis rebus similibus istis.

De Intentione. 45.

INtentio est pars simplex arboris elementalis, quæ quidem intentio est illa naturalis, sicut radices arboris quæ intentionem habent in dando sibi inuicem suas similitudines vt ex illis sit truncus, & truncus qui habet intentionem ad producendum branchas ratione fructus, & ignis, qui intentionem habet calefaciendi aërem, quia appetitum habet ad magnitudinem & ad bonum agendum, & appetitum habet aquam destruendi intentione, scilicet quod concordantiam maiorem habeat cum terra suam similitudinem recipiendo, & calida, & sicca producendo. Ex his intentionibus supra existentibus descendunt inferius intentiones

tiones in indiuiduis elementatis sustentatæ, sicut intentio naturalis, per quam ferrum & aurum sunt in dispositione materiæ, & in potentia per agens artificiale, quod ipsum ducat de potentia ad actum. Ex his intentionibus naturalibus homines similitudines accipiunt, & exemplum in habendo intentiones accidentales & artificiales: sicut homo, qui de petra trahit ferrum intentione, scilicet quod possit facere securim, vomerem & ligonem, acum & cultellum, & qui domos facit propter habitare, & nauem propter lucrari, & sic de aliis rebus similibus istis. Est tamen quædam intētio prima & alia secunda. Prima intentio est per finem & complementum. Et alia est in medio, per quod principium transit ad finem. Intentio quæ est propter finem, est sicut habitare, & intentio quæ est in medio, & sicut camera, & sicut arbor, quæ est propter fructum, & fructus, qui est propter hominem, vt ex illo viuat, & homo, qui est vt Deum cognoscat, amet, recolat, laudet, honoret & seruiat, & sic de aliis rebus similibus istis.

De Ordinatione. 46.

ORdinatio est forma, quæ est in arbore elementali ita fixa, sicut sunt stellæ non errantes in firmamento. Et est ita ratio arbori elementali, quod eius partes sunt ordinatæ, sicut bonitas illis est ratio quod sint bonæ, & magnitudo, quod sint magnæ. Et in hac ordinatione ita naturali & generali habituatæ sunt ordinationes inferius: sicut in pipere, in quo elementa gradata sunt ordinaliter, & sicut in pometio, in quo ordinaliter fiunt transmutationes de vna specie in aliam: in quo prius sunt branchæ quam rami, & flores quam fructus. Ex his ordinationibus naturalibus accipiunt homines similitudines in habendo mores ordinatos in viuendo.

De Operatione. 47.

IN arbore elementali est operatio forma naturalis & generalis operationibus inferius existētibus in indiuiduis elementatis sustentatis & per ipsa motis, vnde arbor elementalis sic se habet ad agere per operationem suam, quæ est vna de suis partibus simplicibus, sicut ignis se habet ad calefacere, & potentia ad suum obiectum. Et propter hoc indiuidua inferius se habent ad agere secundum naturam operationis supra existētis, quæ est ratio suis operationibus; sicut in pometio: in quo est operatio de radicibus in trunco, & de trunco in branchis, & sic de aliis. Ex hac operatione naturali homines accipiunt exemplum in habendo operationes artificiales secundum artes mechanicas.

De Influentia. 48.

IN arbore elementali est influentia forma generalis ad influentias corporum elementatorum. Et hæc influentia est generalis ratio influentiis radicum, in quibus est sustentata sicut bonitas, quæ suam similitudinem influit magnitudini, durationi, potestati, & aliis, & magnitudo, duratio, potestas, quæ influunt suas similitudines bonitati, & sic de trunco, qui influit suam similitudinem branchis, & vna brancha ad aliam, & sic de ramis, foliis, floribus & fructu. Quare hæc influentia generalis est causa influentiæ hic inferius, sicut in pometio: in quo est influentia naturaliter facta ex vno in aliud: & gustare, cui est influxus sapor. & idem est de visu, cui influxus est color, & odoratui odor, & sic de aliis rebus naturalibus.

De Refluentia. 49.

IN arbore elementali bonificatiuum influit bonificabili femetipfum, bonificabile refluit bonificatiuo femetipfum, in quantum eft difpofitum, quod ex ipfo bonificatiuo producatur bonificare, quod erit de influentia amborum. Et ex hac refluentia, quæ generalis eft in arbore elementali, funt refluentiæ inferius, ficut in pipere, in quo ignis influit fuum calorem aëri cum ficcitate, & aër refluit illum calorem igni cum ficcitate, quam recipere non appetit. Ex hac refluentia & aliis influentiis, & refluentiis naturalibus accipiunt homines fimilitudines, ficut illi, qui recipere nolunt aliqua, quæ dantur eis, aut illi qui reddunt malum pro malo, aut bonum pro bono, & fic de aliis rebus fimilibus iftis. Et in hoc paffu apparet refolutio quæ rediit ad caufas primas & naturas in arbore elementali, non tamen in numero, in quo erant, fed in numero de quo funt, cum ita fit, quod ille numerus perdatur in corruptione.

De Productione. 50.

PRoductio in arbore elementali eft principium generale, ficut productio, quæ eft in bonitate & cæteris radicibus arboris, de qua productione tertius numerus refultat, quemadmodum in bonitate, bonificare productum eft ex bonificatiuo, & bonificabili, & magnificare ex magnificatiuo, & magnificabili, & fic de cæteris: quare ex his productionibus producitur truncus in numero tertio, & trūcus producit branchas, quę producunt ramos, & rami producunt folia & flores cum fructibus. Et ex his productionibus generalibus productæ funt productiones pomerij indiuiduati & fpecificati, & fic de arboribus vegetatis & fenfatis. Et in hoc paffu apparet, quod arbor vegetalis, fenfualis & imaginalis productæ funt ex elementali fecundùm naturam productionis fupra.

De Origine. 51.

ORigo proprietas eft & natura in arbore elemētali, ex qua oriuntur & deriuantur origines rerum inferius indiuiduatarum: quoniam ficut in bonitate nafcitur bonificare ex bonificatiuo, & bonificabili, ita indiuidua inferius nafcuntur ex caufis primariis, ficut puer qui nafcitur ex patre & matre, per modum generationis in fpecie hominis: & ficut bonificare, quod nafcitur in fpecie bonitatis, & idem eft de videre, quod nafcitur ex vifitiuo & vifibili in fpecie vifus, & fic de aliis rebus fimilibus iftis. Et in hoc paffu fignificatur, quomodo particularia nafcuntur in fuis vniuerfalibus, quæ entia realia effe oportet, quoniam fi non effent, non haberent, in quo nafcerentur.

De Exitu. 52.

IN arbore elementali bonificare exit de bonificatiuo, & bonificabili, & nafcitur in bonitate, & quia magnificatio bonitatem magnificat, exit in magnificare & in magnificabile, & in magnificatiuo, & magnificabili, quæ funt de effentia magnitudinis & econuerfo. Quare in hoc paffu fignificatum eft, quod quædam partes exeunt in aliis & de aliis, & ecōuerfo, & quod truncus exit de radicibus & earum operationes in trunco, & hoc idem in branchis, quæ exeunt de trunco, & rami, qui exeunt de branchis, & folia, flores & fructus, qui exeunt de ramis. Vnde ex hoc exitu fupra defcendunt

ſcendunt exitus inferius· ſicut pomum quod exit de pomerio, & exit in ſpecie pomerij, & proprer hoc in illo remanet in potentia aliud pomum,& ſic de ſimilibus.

De Separabilitate. 53.

IN arbore elementali diuiſa eſt proprietas & natura,per quam in arboribus inferius quædam ſunt diuiſa ab aliis, in quantum quædam ſint de aliis, non tamen quod in arbore elementali quædam partes ſint diuiſæ ab aliis, cum ita ſit, quod ipſa ſit confuſa & in illa quælibet pars ſit in alia, ſed ratione diuiſionis, quæ eſt vna de ſuis partibus ſimplicibus ſunt inferius partes quædam de aliis diuiſæ, ſicut pomum, quod eſt diuiſum à pomerio, quando homo illud colligit,aut quando cadit in terram, & ſicut puer, qui eſt de matre ſua diuiſus, & ſicut ſanitas ab infirmo, & ſic de aliis rebus naturalibus ſimilibus.

De Inſeparabilitate. 54.

IN arbore elementali eſt inſeparabilitas & forma generalis, ratione cuius partes arboris ab illa non ſeparantur, nec aliqua ſuum numerum dimittit, ſicut branchæ, quæ ſe non dimittunt de trunco ratione inſeparabilitatis naturalis, & branchæ in ramis ſuum numerum non dimittunt. Quare ſimili modo eſt in rebus inferius inſeparabilitas,ſicut in pipere,in quo calor ſuum proprium ſubiectum non dimittit, quod eſt ignis ſimplex, à quo diuidi non poteſt ratione naturæ inſeparabilitatis ſuperioris, quæ eſt ſua cauſa prima & ſibi generalis, videlicet inſepabilitati caloris gnis ſimplicis in pipere.& ſic de aliis rebus naturalibus ſimilibus iſtis, ſicut in homine, qui in vno tempore eſt pinguis, & in alio tempore mater in quo ſuum humidum radicale non diuiditur ab eo, quamuis ita ſit, quod ſuum humidum nutrimentale vadat & veniat. Et in hoc paſſu eſt ſignificatum, quomodo indiuidua ſupra in ſuo numero remanent, quæ non perdunt per accidentia, quæ vadunt & veniunt, & quæ conſeruantur per inſeparabilitatem ſupra exiſtentem.

De Poſſibilitate. 55.

POſſibilitas eſt vna forma ſimplex arboris elementalis, & eſt vna brancha poteſtatis. Vnde ſicut omnes partes arboris ſunt bonæ per bonitatem, ſic ſunt poſſibiles ratione poſſibilitatis. Et ex hac poſſibilitate generali ſunt iſtæ poſſibilitates inferius, ſicut piper, quod poteſt eſſe,& equus & falco, & ſicut vnum piper, quod poteſt eſſe ex alio,& vnus equus ex alio, & ſic de aliis rebus naturalibus. Et in hoc paſſu eſt ſignificatum, quod arbor vegetalis,ſenſualis & imaginalis poſſunt eſſe de elementali, & quod ſpecies poſſunt eſſe entia realia, & totum hoc ratione poſſibilitatis ſupra veſtitę poſſitiuitate.Et ex hac poſſibilitate generali ſunt poſſibilitates inferius, ſicut piper cum magnitudine bonitatis, durationis, &c.inſtinctuum & appetituum naturalium,nec contrarietas contradicere poteſt, cum ita ſit quod poſſibilitas ſit maior per plures cauſas quam per vnam.

De impoſſibilitate. 56.

IMpoſſibilitas eſt in arbore elementali pars ſimpliciter, per quam eſt impoſſibilis, quod bonitas non ſit,hoc quod eſt,& ita de magnitudine & cæteris.Et ex hac impoſſibilitate quæ eſt ſupra, ſunt impoſſibilitates, quæ ſunt inferius ſicut piper,in quo impoſſibile

 eſt

est quod frigiditas sit cum virtute maiori quam calor, cum calor in illo sit in quarto gradu,& frigiditas in primo. Et etiam contradictiones,quæ sunt inferius sunt per impossibilitates, quæ sunt supra, sicut esse hominem & non esse hominem,& esse bonum, & non esse bonum, quæ sunt contradictoria & impossibilia,& sic de aliis similibus istis.

De Similitudine. 57.

SImilitudo est natura & proprietas, quæ est ratio in arbore elementali, per quam quædam radices dant aliis suas similitudines, sicut bonitas, quæ induit magnitudinē ex seipsa, & magnitudo similiter. Et ideo magnitudo quæ est in bonitate sustētata accidētaliter similitudo est magnitudinis substantialis,& idem est de bonitate quæ est in magnitudine sustētata Et in hoc passu similitudines inferius consistentes cognosci possunt,sicut species quæ similitudinem habent in suis generibus, sicut homo & equus qui similitudinem habent in animali.Et hæc similitudo descendit de supra, sicut bonitas magnitudinis & magnitudo bonitatis, quæ similitudinem habent in duratione, & quælibet stat in ipsa Est & alius modus similitudinis, sicut bonificatiuum, bonificabile & bonificare,quæ similitudinem habent in bonitate, quolibet existente bono sub bonitate,quæ est eorum species & essentiæ. Et ex his similitudinibus sunt indiuiduorum similitudines,quæ similitudinem habent in specie,sicut Petrus & Raymundus qui similitudinem habent in specie hominis.

De Dissimilitudine. 58.

IN arbore elementali est dissimilitudo vna ex suis partibus simplicibus, ex qua descendunt dissimilitudines inferius, sicut bonitas ignis, quæ est dissim lis bonitati aquæ,& bonitas rami bonitati folij.Quare inferius bonitas hominis est dissimilis bonitati asini,& hoc idem est de figura pomi,quæ dissimilis est figuræ rosæ,& figura claui,figuræ martelli.

De Natura. 59.

NAtura est primum principium in arbore elementali ad naturas inferius,& per illam ita sunt radices arboris naturatæ, & omnes suæ partes, sicut sunt bonæ per bonitatem & magnæ per magnitudinem. Quare hæ partes inferius sunt naturatæ per naturam supra eis generalem, & ipsa est ens reale, quia si non esset ens reale, naturæ inferius non haberent mediū naturale nec commune,in quo possent concordare, quæ concordant sicut masculus & femella, qui concordant in procreando filium, & gustatiuitas & gustabilitas in gustare,& sic de aliis rebus naturalibus.

De Corporalitate. 60.

COrporalitas est forma simplex, per quam bonitas,magnitudo, & aliæ radices arboris sunt causæ corporalis, per quam naturam habent,quod de illis sequitur corpus in trunco & in branchis, ramis, floribus & fructu. Et ex hac corporalitate supra sunt corpora inferius, sicut corpus pomi & hominis Et quia in bonitate supra est bonificatiuum,bonificabile & bonificare: & in magnitudine, magnificatiuum, magnificabile & magnificare,& sic de aliis radicibus, quodlibet corpus inferius est de partibus corporalibus vnde de longitudine, amplitudine & profunditate,quæ sunt de sua essentia, & illa ex illo.Et istæ tres dimensiones retinent

tinent

tinent ita corpus in corporalitate sicut faciunt bonificatiuum, bonificabile & bonificare bonum tenent in bonitate.

De Transmutatione. 61.

TRansmutatio est vna de partibus arboris elemẽtalis, per quam sunt transmutationes inferius, sicut materia panis quæ per vegetationem est transmutata in materiam carnis, & calor ignis in calorem piperis. Et in hoc passu potest haberi cognitio, quomodo fit transmutatio inferius de vna re in pluribus, sicut materia ferri in figura ensis, & materia ensis in figura cultelli, & hæc trãsmutatio est de eodem ferro, & ita de aliis rebus. Hæ autem transmutationes inferius non essent sine transmutatione supra, quæ est de bonitate trunci, de bonitate brancharum, & de bonitate ramorum.

De Luce. 62.

IN arbore elementali est lux vna de suis partibus, & hoc est per differentiam, quæ declarat partes, & nascitur in branchis, sicut ignis & aër, qui habent lucem, quæ est color diuisus in lucem ignis & in diaphanitatem aëris; quæ est claritas, & ex hac luce descendunt luces inferius sustentatæ in suis indiuiduis coloratis & indutis luce & claritate. Et de hac materia locuti sumus magis largè in tabula generali.

De Vmbra. 63.

VMbra est vna de partibus arboris elementalis, & est de confusione: quæ in vmbris aquæ & terræ apparent, & est in aqua de albo colore & in terra de nigro, tamen vmbra maximè est propter spissitudinem materiæ aquæ & terræ, quæ impedit lucem & claritatem cum restrictione aquæ & cum nigredine terræ, & non tantum cum albedine aquæ clarificatę per participationem aëris cum nigredine terræ, quæ ei dat suam similitudinem. Per istam vmbram supra sunt inferius istæ vmbræ, sicut vmbra pomerij, parietis & hominis, & sic de aliis corporibus elementatis.

De Linea. 64.

LInea est pars in arbore elementali, per quam sunt partes simplices arboris in lineis, sicut bonificatiuum, quod est vna linea & bonificabilis alia, & magnificatiuum vna linea; & magnificabile alia: & idem est de branchis, quoniam ignis simplex stat sub vna linea extensa in simplicitate, & linea aëris in alia, & idem est de aqua & terra: quare hæ lineæ supra generales sunt istis lineis inferius sustentatis in arbore vegetali & in sensuali, sicut corpus pomerij quod est ex multis lineis, & sic de corpore hominis.

De Punctualitate. 65.

PVnctualitas est vna pars, simplex in arbore elementali, quæ exit de pluribus lineis, sicut bonificare, quod est vnus punctus qui est in medio bonificabili & bonificabilis, sicut centrum, quod est in medio circuli, & hoc idem de magnificare & cæteris. Et ex ista punctualitate supra descendunt puncta inferius in indiuiduis elementatis, quæ sunt actus pomorum, sicut gustare, quod est centrum gustatiui & gustabilis, & quoniam exit de ambobus, quæ sunt lineæ, cum vegetare componit lineam. Et in hoc passu cognitio haberi potest, quomodo puncta exeunt à lineis, & quomodo lineæ sunt compositæ ex punctis, & quomodo corpus est actus coniunctorum punctorum & linearum.

De

De Superficie. 66.

SVperficies est in arbore elementali vna pars simplex, cum qua differentia diuersificat partes arboris in dispositione, quomodo quælibet sit disposita inferius in indiuiduis elementatis ad habendum superficiem. Et superficies incipit in concretis bonitatis quæ est in arbore elementali, & sic de concretis magnitudinis & aliarum, in quibus est confusè ratione confusionis arboris elementalis. Et quia quædam partes sunt in aliis superficies tamen stat in sua realitate, numero & natura, sicut argentum in denario, qui est de ipso & de cupro. Et ex hac superficie supra descendunt omnes superficies, quæ sunt inferius, in quibus sunt corpora elementata terminata, quæ induta sunt ex illa, sicut pomum, clauus & cætera his similia, quæ sunt corpora contenta intra superficiem.

De Figura. 67.

FIgura est vna pars arboris elementalis, quæ est generalis ad figuras inferius, & est ex circulo, triangulo & quadrangulo: ex circulo, sicut similitudines, quæ sunt in partibus arboris circulariter: ex triangulo, sicut ex bonificatiuo, bonificabili & bonificare: ex quadrangulo, sicut ex 4. brãchis arboris. Et ex istis figuris supra descendunt figuræ, quæ sunt inferius, sicut in pipere, in quo est figura circularis, & in naso triangularis, & in palma hominis quadrangularis. Et ex hac figura, quæ est inferius figurata sunt opera artificialia ad similitudinem figurarum naturalium, sicut figura claui, cultelli & martelli.

De Rectitudine. 68.

REctitudo est vna pars simplex in arbore elementali, quæ generalis est cæteris rectitudinibus inferius: quæ sunt sex, vnde altitudo, infimitas, ante, retro, dextrum & sinistrum. Et hæ sex rectitudines sunt in dispositione rectitudinis supra existentis confusæ & generalis. Sed agens naturale trahit suas species de potentia in actu in elementatis, sicut in corpore hominis, quod habet sex rectitudines, quas diximus secundum semetipsum, & non secundum corpus, in quo est contentum, sicut corpus hominis cum existit ipse in aëre, qui aër confusus est, propter quod in se non habet sex rectitudines, sed homo ipsas habet in illo idcirco cum homo se vertit, vel de locis infimis ascendit ad loca alta, se mutant rectitudines. Adhuc per rectitudinem quæ est supra, quædam corpora inferius existentia sunt in recta linea, & aliqua in obliqua siue tortuosa: in recta, sicut dactilus, in linea tortuosa, sicut in ficulnea. Et hæc rectitudo, tortuositas, siue obliquitas sunt in ratione specierum, quæ sunt sub figura quam diximus, vnde sub figura circulari, triãgulari & quadrangulari.

De Masculinitate. 69.

MAsculinitas est in arbore elementali pars generalis ad alias masculinitates inferius, sicut ad masculinitatem dactili & hominis. Et hæ masculinitates descendunt de masculinitate, quæ est supra, quæ est per bonificatiuitatem, magnificatiuitatẽ &c. Et in hoc passu potest cognosci: per quam naturam masculi sunt magis fortes & magis nobiles quam femellæ, & quare homo dicitur esse persona communis, & femina non dicitur esse persona communis in iudicio.

De

De Fœmineitate. 70.

FOemineitas est pars simplex in arbore elementali, & est de bonificabili, magnificabili & cæteris partibus passiuis. Et ex hac fœmineitate descendunt fœmineitates inferius, sicut fœmineitas dactili, & fœminæ, & gallinæ, & sic de aliis fœmellis indiuiduatis. Et quia sunt ex passione, plus digestibiles sunt & consummabiles quam masculi indiuiduati, sicut gallina, quæ magis digestibilis est quam gallus, & in specie porri, in quam porrum fœmineum magis digestibilis est quam porrum masculinum, & idem est in specie coctani, & sic de aliis.

De Membrositate. 71.

MEmbrositas in arbore elementali est vna ex suis formis simplicibus naturalibus, quam suis ramis comparauimus sicut sunt suæ quatuor massę, quas diximus, quę sunt 4. mēbra maiora naturalia, ex quorum membrositate membra naturalia elementata inferius descendunt, sicut in pomerio rami, & in homine viscera, caput, brachia, & tibiæ, & sic de aliis rebus similibus istis.

De Instrumentalitate. 72.

INstrumentalitas est illa forma in arbore elementali, ex qua hæc instrumenta inferius descendunt: quæ sunt in rebus naturalibus. Et ista instrumentalitas in arbore elementali consistit maximè in floribus, quia cum flore fit fructus, & ideò in pomerio sunt flores, quæ sunt instrumenta ad poma, & in homine sunt oculi, qui sunt ad videndum, & lingua, quæ est instrumentum ad loquendum, & manus, quæ instrumenta sunt ad operandum, & pedes, qui sunt instrumenta ad eundum. Et ex his instrumentis naturalibus accipiunt homines similitudines in instrumentis artificialibus, sicut symphonia, quæ instrumentum est ad cantandum, & cultellus ad scindendum, & equus ad currendum, & nauis ad lucrandum, & sic de aliis rebus his similibus.

De Nutrimento. 73.

IN arbore elementali est vna poma, quæ est nutritiua sicut in radicibus, ex quibus nutritur fructus. Et ex hac poma nutritiua descendunt potentiæ istæ nutritiuæ, quæ inferius consistunt, sicut in pomerio, quod nutritur de terra, pluuia, aëre & de calore solis, & sicut fœmina, quæ puerum nutrit cum suo lacte. Et ex his nutrimentis naturalibus accipiunt homines similitudines in suis moribus, sicut sapientes, qui nutriunt pueros ad sanitatem & bonos mores, & ad habitus scientiarū.

De Impressione. 74.

IN arbore elementali est vna forma impressiua, natura cuius corpora cælestia suas similitudines imprimunt in arbore elementali. Et ex his primis impressionibus descendunt impressiones, quæ sunt inferius, sicut impressio arborum vegetalis, sensualis & imaginalis, quæ sunt impressæ, in quibus apparent figuræ arboris elementalis, quæ videri non potest neque tangi. Et ex his impressionibus naturalibus homines accipiūt similitudines per quas cognoscuntur, sicut illi qui faciunt signa in scutis & in suis sigillis, & Rex in suo vexillo, & sic de aliis rebus his similibus, & sic impressio conceptionis interioris manifestatæ in voce impressa in illa per loquutionem, quæ est impressio interioris conceptionis, & idem est de videre: quod est impressio videntis & visibilis.

De Insertione. 75.

INsertio est forma simpliciter in arbore elementali, natura cuius sunt inferius quædam substantiæ insertæ in aliis,& insertio quæ est supra,est sicut aër,qui insertus est in igne,vt calorem ignis attrahat ad suam humiditatem, & aqua, quæ inserta est in aëre, vt suam humiditatem trahat ad suam frigiditatem, & idem est de terra inserta in aqua, vt frigiditatem suam trahat ad siccitatem suam,& idem est de igne in terra inserto, vt suam siccitatem ad suum calorem trahat. Et in hoc passu cognosci potest,quomodo formæ quæ sunt supra attrahuntur inferius, sicut formæ quæ sunt inferius, attrahuntur supra,vt naturaliter fiat mixtio ex elementis. Alius modus insertionis est supra, sicut potentia vegetatiua, quæ est inserta in elementatiua,vt ad se attrahat elementare: & sicut potentia sensitiua, quæ est inserta in potentia elementatiua & vegetatiua, vt ad suum sentire trahat elementare & vegetare, & sic de imaginatiua. Et hæc insertio est necessaria supra ratione finis bonitatis,magnitudinis,durationis,potestatis instinctuum & appetituum naturalium, & sic de aliis partibus arboris, qui finis esse non posset, si insertio diuersarum potentiarum non esset vna de formis simplicibus arboris elementalis. Est ergo insertio supra prima causa & generalis ad insertiones quæ sunt inferius, sicut in pipere in quo inserta est vna qualitas in alia, & in oleastro olea, & in mulo species equi & asini, & in homine sua vegetatiua in sua elematiua,& sua sensitiua in sua vegetatiua, & sua imaginatiua in sua sensitiua,& sua rationatiua in sua imaginatiua. Vnde sicut olea materiam oleastri ad suam trahit naturam, sic in animalibus formæ superiores ad suas species trahunt formas inferiores.

De Perseitate. 76.

PErseitas est vna forma simplex quæ in arbore elementali consistit. Perseitas est id ratione cuius entia substantialia per se stant hoc quod sunt, sicut in arbore elementali bonitas stat per seipsam hoc quod est. Et hoc idē est de suis concretis essentialibus, & idem est de trunco & cæteris partibus arboris substantialibus. Et ex hac perseitate supra descendunt perseitates, quæ sunt inferius, sicut substantia pomerij, quæ stat per seipsam hoc quod est,& substantia leonis similiter,& sic de aliis perseitatibus naturalibus. Deus tamen ad eorum existere tanquam causa primaria iuuat, qui suum effectum stare facit hoc quod est. Et adhuc iuuant ad perseitātes, quæ sunt inferius, influentiæ corporum cœlestium.

De Indiuiduitate. 77.

INdiuiduitas in arbore elementali est forma simplex & prima ad indiuidua inferius, per quam indiuidua elementata sunt indiuiduata. Et sunt ita indiuiduata sub ratione indiuiduitatis supra, sicut sunt bona sub ratione bonitatis supra, & magna per magnitudinem supra.& sic de cæteris. Indiuiduitas supra est ratio trunco, quod sit indiuiduum vnum, in quantum species est, & quælibet de branchis similiter. Et quodlibet indiuiduorum supra est suamet species, sicut sol,qui est suamet species supra, in quantum non stat alius sol. Secundum,ratione huius sunt indiuidua arboris elementalis generalia ad indiuidua inferiora per agentia naturalia indiuiduata, sicut pomum est indiuiduatum per generatio-

nerationem formæ & materiæ pomerij, & filius qui est indiuiduatus per generationem viri & mulieris. Et sic de aliis rebus naturalibus his similibus.

De Attractione. 78.

ATtractio est vna forma simplex in arbore elementali, & est prima ad attractiones, quæ sunt inferius. Et est supra in quantum bonitas ad se attrahit magnitudinem, vt sit magna, & ignis terram, vt sit siccus. Conciliario fit hîc inferius, sicut radices pomerij qui trahunt ad se membra arboris elementalis, & truncus qui trahit ad se hoc quod radices inde accipiunt, & branchæ, quæ attrahunt ad se hoc quod truncus accipit ex radicibus, & sic successiuè de vna attractione ad aliam vsque ad fructum qui est pomum. Est & alia attractio, sicut homo, qui trahit à pomo odorem & saporem. Est alia attractio sicut est attractio grani pomi in terra seminati, de quo instinctus naturales, & appetitus arboris superioris & arboris inferioris attrahũt in actum arborem, quæ est in potentia in grano per viam generationis. Est alia attractio, sicut olea quæ ad suam speciem trahit vegetationem oleastri in quo est inserta, & sicut vegetatio leonis quæ attrahit vegetationem bouis aut asini, quem comedit. Et idem est de attractione sensitiuæ, quæ ad suum sentire trahit virtutem vegetatiuæ, & potentia visiua quæ ad suum videre visibilitatem trahit sui obiecti & instrumentum opus. Et sic de aliis rebus his similibus.

De Necessitate. 79.

IN arbore elementali necessitas est vna de suis partibus simplicibus, ratione cuius sunt bonitati sua concreta necessaria, vt in ipsis sit substantialiter sustentata. Et quodlibet concretum alij est necessarium. Et idem est de trunco, cui suæ radices sunt necessariæ, & sic de igne, cui est necessarium siccitatem de terra recipere, vt cum illa aërem possit mortificare, vt calorem suum recipiat, & vt per illum transire possit ad calefaciendum aquã. Et est adhuc alia necessitas in arbore elementali, quæ est secundùm antecedens & consequens rerum naturalium, sicut si est corpus, oportet quod sit amplum, longum & profundum, & econuerso. Et ex his necessitatibus suprà sunt necessitates inferius, quemadmodum in pomerio cui necessariæ sunt radices, vt cum illis possit vitam à terra recipere, & sic de cæteris elementis. Et hoc idem est de necessitate solis & cæterorum corporum cœlestium. Et sic est de homine, cui est necessarium gustare & sentire, & adhuc si est homo, oportet quod sit animal. Et ex his necessitatibus naturalibus accipiunt homines similitudines, sicut homo qui facit cameram propter necessitatem in ea habitandi, & tunicam, vt frigus non habeat, & sic de aliis rebus artificialibus, quæ sunt necessariæ ad conseruandum necessitates naturales.

De Contingentia. 80.

COntingentia est in arbore elementali secundùm impressiones corporum cœlestium, quas contrarietas (quæ est vna pars arboris elementalis) deuiat à fine contra concordantiam corporum cœlestium & arboris elementalis. Et ex hac contingentia descendunt contingentiæ, quæ sunt inferius, quæ veniunt cum contrarietate quæ deuiat fines in indiuiduatis contra eorum concordantiam, & concordantiam quæ est suprà, sicut à ca-

su, in quo venit gelu quod comburit amigdala, quando sunt in flore, & à calu nascuntur homines contracti, & sic de aliis contingentiis naturalibus, & ex his naturalibus contingentiis accipiunt homines similitudines quas fortunas vocant, sicut qu dam, qui fortunati sunt ad diuitias & honores & alij ad contrarium, & sicut vnus equus, qui habet bonum dominum & alius malum, & vnus homo qui perdit vnum denarium, & alter illum inuenit. Et sic de rebus his consimilibus, quare fortuna realiter non est aliquid in formis artificialibus, sed tantum in opinione hominum & intentione, sicut forma fantastica, quam humanus intellectus attingit & de obiectis realibus multiplicat.

De Perfectione. 81.

PErfectio est in arbore elementali, ratione cuius completa est ad recipiendum impressiones corporum supra cœlestium, & etiam est id ratione cuius completa est in suis partibus, sicut in sua bonitate, quæ completa est in partibus suis; hoc est in suis concretis essentialibus, & ita de aliis suis partibus. Est etiam arbor elementalis completa, in quantum disposita est, quod ex illa perfectiones quæ sunt inferius recipiant cõplementum. Quę quidem perfectiones sunt ex illa, quæ est suprà, velut pomerium & pomum, quæ sunt completa, & sic de animalibus. Et ex his perfectionibus naturalibus homines accipiunt similitudines in hoc quod volunt completi esse per diuitias, mores, & habitus scientiarum.

De Imperfectione. 82.

IN arbore elementali est imperfectio vna de suis partibus, per quam quædam partes nequeunt esse completæ in aliis, velut ignis qui completus esse nequit in calefaciendo aërem, nisi siccitatem à terra recipiat, quoniam si siccitatem à terra non reciperet, semetipsum vacuaret sua simplici entitate; numerus cuius perderetur in compositione, in qua cum aëre intrat. Et sic de flore, qui in se completus non est, in quantum est propter fructum, & non propter se. Et ex hac imperfectione quæ est suprà, descendunt imperfectiones inferius, veluti pomerium, in quo est impeffectio, in quantum non potest sustentationem habere absque beneficiis, quæ recipit ab extra, & idem de homine qui est imperfectus per vitia accidentaliter & naturaliter, in quantum se sustinere nequit absque comestione, & etiam completus non est in embrione secundùm ætatem, & sic de aliis rebus his similibus.

De Vita. 83.

IN arbore elementali est vita vna de suis simplicibus partibus, ex qua vitam accipiunt istæ vitæ quæ inferius sunt corporales, sicut vegetatiua, quæ viuit per vegetare, & sensitiua per sentire, & vita (quæ est suprà) est confusa & seminata in arbore elementali, quæ disposita est, quod ex illa exeat ista vita, quæ est inferius in indiuiduis elementatis, sicut ferrum quod dispositũ est quod ex illo clauus fiat, qui in ipso non stat in potentia sine fabri iuuamine. Et propter hoc Deus benedictus sit, ipse attrahit de dispositione elementali vitam vegetalem & sensualem, sicut inde attraxit primum pomerium, & primum leonem, & primam sardinam, & primum lumen, & primum hominem, & primum falconem.

De

De Colore. 84.

IN arbore elementali est color vnà de suis partibus simplicibus in ipsa seminatus & confusus, idcirco per videre non sentitur. Et est generalis aliis coloribus, qui inferius consistunt, sicut color pomi & hominis, etiam ad colores quatuor massarum quæ rami sunt & membra arboris elementalis, & per illum & ex illo stat visibilitas in potentia cum iuuamine visitiuitatis, vt videre esse valeat in animalibus, quibus est necessarium secundùm necessitatem vitæ.

De Sono. 85.

SOnus seminatus est in arbore elementali, in quo generalis est ad sonos, qui sunt inferius, & clamores siue tumultus. Et eius subiecta sunt in obuiationibus brancharum, quæ sunt suprà, & qui est confusus. Et ex illo descendit inferius sonus sentitus per auditum, qui est generale instrumentum ad voces & sonos, & qui dispositus est in sono suprà, & deductus de potentia in actum per motus corporum inferius consistentium, sicut per tonitruum in aëre motum per obuiationes ventorum contrariorum, & per sonum venti in foliis, & per vocem motam per linguam.

De Odore. 86.

ODor in arbore elementali dispositus est, & est deductus in potentia inferius per odorantes vapores qui exeunt ab elementatis, sicut odor qui de pomo & rosa exit, qui sentitur in participatione cerebri & nasi animalis, vt placitum habeat in odorando odores, quæ suæ conueniunt complexioni, & ad euitandum illos qui sibi contrariantur.

De Sapore. 87.

SApor est in arbore elementali seminatus & diffusus, cuius subiecta sunt appetitus naturales qui spectant ad gustum qui seminatus est in arbore elementali ita confusus sicut sapor. Et sapor & gustus in illo dispositi sunt in potentia per agentia naturalia, quæ ipsos in actum deducunt tunc cum animal comedit & bibit, aut in habitu quando est generatus, sicut homo qui in habitu habet gustare sapores, quamuis non comedat vel bibat.

De Sensu. 88.

SEnsus seminatus est in arbore elementali qui dispositus est ratione sensitiuæ insertæ in elementatiua & vegetatiua, quod ex illo agens naturale animatum in actu deducat per sentire calorem aut frigiditatem, famem & sitim & tactum, & sic de aliis rebus his similibus, quæ adueniunt secundùm opera agentium naturalium animatorum. Et per sentire quod est tactus, sunt appetitus naturales in placitis & delectationibus animalium masculorum & fœminarum vt inclinationem habeant ad conseruandum species suas.

De Conceptione. 89.

COnceptio in arbore elementali est vna de suis partibus simplicibus, ex qua descendunt istæ conceptiones, quæ sunt inferius sicut conceptio quam fœmina ab homine accipit, vt filium habeat, & sicut homo qui in mente sua concepit hoc quod imaginatur, & illud extra manifestat cum lingua, & de hac conceptione loqui intendimus magis longè in arbore sensuali, sunt ergo istæ conceptiones (quæ sunt inferius) ex conceptione

quæ eſt ſupra, ſicut arbor elementalis quæ influentias concipit corporum cęleſtium, ſicut ignis qui concipit iuuamen quod ſol ſibi influit in calefaciendo & ſuum calorem multiplicando, & aër qui calorem concipit igne, & flores arboris, qui concipiunt ſuum fructum, & etiam natura elementalis, quæ concipit finem naturæ arboris vegetalis & ſenſualis.

De Dormitione. 90.

IN arbore elementali truncus eſt de radicibus, & branchę ſunt ex trunco, & rami ex branchis, & folia, & flores de ramis, & fructus eſt de floribus, & quia quædam ſunt ex aliis, eſt in illa natura, & proprietas dormitionis quæ eſt ex præparatione & diſpoſitione, quam forma facit ex materia in iſtis inferioribus: inquantum ipſam præparat & diſponit ad operationem: vnde interim dum ipſam diſponit & præparat, eſt in indiuiduis ſenſatis impreſſio dormitionis, ſicut in planta, in qua in hyeme non ſunt folia, flores, neque fructus, & hoc eſt ratione terræ reſtrictę in ſuis poris per aquam: vt calor naturalis diſponat & digerat materiam ad radices, ſicut in primo tempore veris, in quo fit renouatio foliorum, florum & fructuum, & talis natura dicta eſt dormitio plantæ in hyeme. Et quia ſenſitiua inſerta eſt in vegetatiua, & vegetatiua in elemētatiua: dormitio eſt in ſenſitiua vt præparatio fiat & digeſtio, & vt poſſit eſſe renouatio ex tranſmutatione cibariorum in carnem & ſanguinem. Et hæc præparatio maximè efficitur in nocte ratione dormitionis animalis quod dormit propter vapores clauſos qui aſcendere non poſſunt ad fantaſiam, quæ eſt ſubiectum vigilationis, quæ eſt in die maximè.

De Vigilatione. 91.

VIgilatio cauſatur à caliditate & ſiccitate. Et eſt impreſſio ſupra in arbore elementali, in qua eſt præparatio naturalis, & prima quod forma quæ eſt inferius agat de materia, ex qua facta eſt diſpoſitio & præparatio, aliter per dormitionem. Et imò ſucceſſiuè vigilant in vere plantæ, quæ ſunt inferius vſque ad æſtatem, in qua fructus colligitur. Et ex hac tali vigilatione vegetali tranſit vigilatio ad ſenſuale in animali quod in ſe continet naturam vegetalem, & quod vigilat ratione pororum qui aperti ſunt, & fantaſia ſpecies colligit imaginatas, per quas ſenſus inclinationem habent ad obiecta realia, ſicut homo qui aliquod placitum viſibilitatis imaginatur, & ſe mouet ad obiectum, vt ipſum videre poſſit.

De Somnio. 91.

SOmnium eſt medium quod eſt inter vigilationem & dormitionem confuſum, ſicut tempus autumnale quod eſt confuſum inter materiam vigilationis & dormitionis. Et propter hoc homines melancholici ſomniant plusquam alij naturaliter. Et natura ſomnij primò accipitur in primis principiis ſuperioribus: quæ eſt inter diſpoſitionem & præparationem, vt quædam cauſæ ſint de aliis. Et ſecundum illam, naturā ſupra eſt impreſſio, quæ eſt inferius ſomniandi, & maximè in hominibus qui vtuntur plus ſpeciebus fantaſticis quā irrationalia, & hoc eſt ratione animę rationalis: quę requirit maiores operationes quàm irrationalia, & propter hoc ſomniant homines tribus modis. Vnus modus eſt ſecundùm impreſſiones ſupra, de qua dictum eſt, & hoc eſt ſecundum

conditiones

conditiones & complexiones : quæ veniunt ex vegetatiua & sensitiua. Alius modus est secundum dispositionem rationatiuę:quæ requirit illas species in dormitione:quas habuit in vigilatione:vt possit vti,recolere,intelligere & amare in illis rebus:quæ desiderat aut odit. Alius modus est per reuelationem Dei, & per bonos angelos in his quæ ventura sunt, aut per dæmonem: qui dum homo dormit, præparat animæ aliquas species dispositas ad peccandum : vt homo post dormitionem peccare possit.

De Gaudio 93.

IN arbore elementali sunt appetitus naturales, sicut bonitas quæ habet appetitum, vt sit magna,& vt magnitudo sit bona per ipsam,& sicut ignis: qui appetitum habet ad calefaciendum aërem : & ad recipiendum siccitatem à terra, & sic de aliis. Et in tali natura descendit inferius in animalibus impressio gaudij, tunc cum attingunt hoc quod desiderant, velut homo qui habet famem, & gaudet cum possit comedere, aut cum videt hoc quod desiderat, & sicut equus, qui placitum habet in comedendo, aut in quiescendo,& sic de aliis his similibus. Et adhuc secundum instinctus naturales & appetitus sunt naturæ placitorum in plantis, secundum quod veniunt ad complementum suorum appetituum naturalium,sicut pomerium quod delectationem habet(si tamen delectatio dici possit: quoniam ita loqui nos oportet: quia defectum vocabuli habemus) inquantum conseruat cum suis foliis fructum contra magnum calorem solis, aut contra magnam frigiditatem venti.

De Ira. 94.

IN arbore elemẽtali est principium, medium & finis:principium est sicut bonificatiuum,finis est sicut bonificabile, vel bonificatum: medium etiam est sicut bonificare, & sic de aliis. Et quia in arbore elementali est contrarietas:ipsa impedit principia cõtra cõcordantiam:ne transeant per medium ad finem quem desiderant, sicut in igne, in quo siccitas impedit ignem quod non det calorem aëri. Et ex hac natura quæ est supra per contrarietatẽ, inclinationem habent inferius vegetata ad similitudinem iræ. Et hoc apparet in minori planta quæ stat prope aliam plantam maiorem: quæ non est de sua specie quæ se elongat ab vmbra ipsius; quantum potest vt calorem solis recipere possit, & propter hoc nutritur eius truncus tortuosus:& idem est in animalibus,in quibus est impressio iræ naturaliter ratione impressionis,quæ est supra,sic gallina,quæ habet iram, quando miluus pullum suum comedit, & idem est de homine infirmo, qui est iratus, quia non est sanus, aut quia ad finem ducere non potest, hoc quod desiderat: & propter hoc, homines qui sunt melancholici, magis sunt irosi quam alij : & hoc est propter siccitatem & frigiditatem, in quibus contrarietas plus impedit concordantiam appetituum naturalium, quam propter humiditatem & siccitatem.

De Sanitate. 95.

IN arbore elementali sanitas quæ est inferius disposita est per ordinationem supra, quæ est de concordantia per totam arborem extensa,sicut in planta, quæ sanitatem habet dispositam

tam ad animal, quod ipsam comedit, & adhuc sicut in animali in quo est sanitas ratione concordantiæ, quæ est ex impressione & coniunctione elementatione vegetatiuæ & sensitiuæ. Et hæc concordantia est secundum quod species quædam sunt magis concordantes cum aliis quam aliæ, sicut hordeũ quod plus concordat cum equo quam frumentum, & frumenmentum melius cum homine, quam cum equo, & sic de cæteris rebus naturalibus his similibus.

De Infirmitate. 96.

SEcundum quod de sanitate dicendum est: de infirmitate per contrarium dici potest, quoniam suprà in arbore elementali fit dispositio & ordinatio, quod quędam indiuidua, specierum sint contra alia indiuidua, quæ sunt ex aliis speciebus, & hoc per multum remotam concordantiam specierum sicut serpens, qui per venenum naturæ hominis contrariatur, & idem est de realgare & aliis herbis medicinalibus, quæ per violentiam humores consumunt. Est etiam infirmitas, quæ est de extremitatibus medij contra temperantiam quæ est in medio. Est etiam infirmitas per corruptionem & contrarietatem, quæ sunt contra generationem & concordantiam. Et idem est de infirmitate quæ est per tristitiam & timorem vel iram, quæ sunt impressiones motæ ex primis principiis, sicut melancholicus, qui tristis est per melancholiam, per quam infirmus est, quoniam tristitia beneficia impedit, quæ vegetatiua & sensitiua à rationatiua recipiunt.

De Industria. 97.

IN arbore elementali significatur industria generalis secundum instinctus & appetitus naturales & secundum folia arboris, quæ sunt ad conseruandum substantiam & fructum: Quæ quidem industriæ est causa ad industrias inferiores, sicut in foliis pomerij, quæ per instinctus naturales sunt ad conseruandum substantiam, flores & fructus contra magnum calorem, & industria quam habet leo in venando, & auis in faciendo suum nidum, & aranea in faciendo suam telam, & sic de cæteris industriis, quæ pertinent ad irrationalia, quæ ex industria suprà descendunt secundum cursum naturalem, & ex hac industria quam irrationalia habent in viuendo, accipiunt homines similitudinem in quantum in se continent naturam elemẽtalẽ, vegetalẽm, sensualem & imaginalẽ accipiẽdo industriã in viuendo.

De Substantia. 98.

SVbstantia est in arbore elementali generalis ad substantias inferius, & est ex partibus substantialibus arboris, & ex subiacentibus earum existentibus quibusdam sub aliis, sicut bonitas quæ est sub magnitudine, in quantum ab ea habitum suscipit & in quantum est sub foliis quæ in illa sustẽtãtur. Consimili modo est in arbore vegetali, quæ est vna substantia ex pluribus partibus substantialibus existentibus sub pluribus partibus accidentalibus sicut rami qui sunt sub foliis: Et hoc idem de arbore sensuali.

De Essentia. 99.

IN arbore elementali consideramus essentiam ens generale ad alias essentias inferius, quę quidẽ essentia est supra substantiã, sicut essentia arboris quæ est elementatio quæ est supra elementatũ quod est substãtia, & bonitas

arboris

arboris quæ est essentia boni est in arbore. Et idem est de magnitudine & cæteris formis abstractis, & primariis ad omnes indiuiduorum inferius, sicut bonitas ignis quæ est supra bonitatem piperis, & bonitas pomerij quæ est supra bonitatem pomerij & pomi in quantum est bonum, & sic de arbore sensuali. Et in his omnibus est substantia sub essentia, in quantum essentia est sustentata in suo bonificatiuo, bonificabili & bonificare, quæ sunt eius partes substantiales, & in quantum sunt partes essentiales bonitatis, quæ est essentia, conuertuntur essentia & substantia, sed in quantum est differentia inter partes substantiales & accidentales, est differentia inter substantiam & essentiam, sicut humanitas, quæ est essentia hominis & substantia quæ est homo ex partibus substantialibus & accidẽtalibus cõpositus.

De ente. 100.

IN arbore elementali ens est genus multum generale in tantum quod supra ipsum non est aliquod genus secundùm corporales entitates, quæ sunt sub luna. Et ex hoc ente quod est supra descendunt omnia entia, quæ sunt inferius elementata substantialia & accidentalia, sicut entitas pomerij, quæ ex entitate supra descendit. Et ex isto ente generali (quod est supra) & ex isto ente (quod est inferius) cognitio haberi potest secundùm istas centum formas (de quibus supradictum est) quę sunt causæ & formæ primariæ ad formas & causas, quæ sunt inferius. Et adhuc de illo haberi potest cognitio secundùm ea quæ de arbore elementali prædiximus, & secundùm ea quæ in arbore vegetali, sensuali & imaginali dicere proponimus, in quo imaginali imaginatio imaginatur vnum aliud ens intentionale, quod est similitudo huius entis realis de quo dictum est, sicut capra quæ lupum imaginatur, & eius cõditiones ei contrarias per instinctus naturales. Dictum est de centum formis primariis ad has formas inferiores naturales, quarum secreta per ea, quæ prædiximus de illis formis primariis cognoscuntur, sicut speciale, quæ cognoscitur per cognitionem quæ de generali habetur. Voluit Raymundus transire ad tractandum de arbore vegetali: sed dixit monachus, quod in aliquibus quæ dicta sunt in arbore elementali dubitauit, & propter homo voluit ei facere quæstiones. Veruntamen dixit Raymundus quod in arbore quæstionali ipsas faceret, & adhuc si in aliis arboribus in aliquo dubitaret, quoniam in illo loco quæstionem & responsionem esse oportet secundum ordinationem istius libri.

DE ARBORE VEGETALI.

ARbor vegetalis in 7. partes diuiditur sicut aliæ arbores, scilicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores & fructus.

Radices sunt principia generalia: quæ sunt duplicia: inquantum sunt de natura elementali, & de natura vegetali.

Truncus est duplex, scilicet de natura elementali: & de natura vegetali.

Branchæ sunt quatuor potentiæ naturales, videlicet appetitiua, retentiua, digestiua, & expulsiua, & sunt duplices similiter, de duabus naturis.

Rami simili modo sũt duplices, & sũt generatio, corruptio, priuatio, & renouatio, &c.

Folia etiã sunt duplicia: secũdũ elationẽ, & vegetationẽ, & sũt visibilia & inuisibilia

Flores etiã sunt duplices, visibiles & inuisibiles: de natura elemẽtali, & de natura vegetali.

Fructus similiter sunt duplices, visibiles secundum naturam elementalem: inuisibiles secundum naturam vegetalem.



De Arbore vegetali.

HÆc arbor in ſeptem partes diuiditur, ſcilicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. Et eſt arbor duplex, in quantum eſt differentia inter ipſam & arborem elementalem in qua eſt inſerta per creationem, hoc eſt dictu, quòd Deus creauit potentiam vegetatiuam, in illa & ex illa, ſicut Deus creauit hominem de terra & de limo terræ, propter hoc ſunt indiuidua inferiora elementata, & vegetata. Vnde cum hæc arbor ſit duplex, oportet quod dupliciter ipſam ducamus in noſtro intellectu, vt melius de ipſa cognitionem habeamus.

De

De Radicibus arboris vegetalis.

RADICES arboris vegetalis sunt bonitas, magnitudo, duratio, &c. quas diximus in arbore elementali. Et quælibet istarum radicum est duplex, in quantum in se continet naturam elementalem & vegetalem, generalem, & specialem. Generalis est elementalis: specialis est vegetalis, & insimul sunt vna radix composita ex ambabus naturis, quæ bona est sub ratione bonitatis. Et natura vegetalis in suam speciem transubstantiat naturam elementalem, sicut olea in oleastro inserta, quæ in suam speciem trahit & transmutat influentiam, quæ venit ex oleastro. Et omnes inuicem radices sunt lineæ, quæ se habent ad truncum vegetalem arboris, cui suas dant conditiones & naturas.

De Trunco arboris vegetalis.

TRVNCVS iste duplex est, quia est de natura & essentia elementali & vegetali. Et est truncus generalis ad truncos, qui sub illo sunt vegetati, sicut truncus pomerij, leonis, hominis gruis, & piscis. Et est visibilis in suis particularibus, sicut truncus pomerij, qui visibilis est & palpabilis, & sua visibilitas & palpabilitas per essentiam elementalem consistit, quæ in se continet grossam materiam. Sed essentia quam habet pomerium per vegetationem, videri non potest, nec tangi, quia sua materia est subtilis in tantum quod videri non potest nec tangi, sua tamen figura in liquore apparet, qui est in trunco, quemadmodum apparet truncus vegetalis in trunco ficus in similitudine lactis, & in trunco leonis in figura sanguinis. Est tamen truncus vegetalis de natura corporali, quia est de partibus substantialibus corporalibus, secundùm quod est significatum in radicibus.

De Branchis arboris vegetalis.

BRanchæ arboris vegetalis sunt duplices, quoniam quædam sunt ex natura elementali, & aliæ ex natura vegetali. Et branchæ huius arboris sunt quatuor, scilicet potentia appetitiua & retentiua, digestiua, & expulsiua. Et sunt quatuor, quia sufficiunt transmutationibus, quæ fiunt per generationem & corruptionem in vegetatione; & per differentiam & concordantiam, & contrarietatem. Et minus quatuor esse non possunt; secundùm quod est significatum in branchis arboris elementalis. Et istæ quatuor branchæ generales sunt ad omnes branchas vegetatas, sicut ad branchas pomerij, equi & hominis.

De Appetitiua.

POtentia appetitiua est ratio per quam quædam partes vegetatæ habent appetitum ad alias partes. Et in hoc appetitu consistit appetitus brancharum elementalium, & etiam appetitus vegetalium. Et propter hoc est appetitus duplex, & compositus, sicut pomerium, quod appetitum habet ad pluuiam, vt cum frigiditate aquæ suam frigiditatem possit multiplicare, & appetitum habet ad diem, vt calore solis suum calorem possit multiplicare, & idem est de appetitu, quem habet ad terram & ad aërem. Et istæ res, quæ sunt extra & intus intrant, pertinent ad potentiam augmentatiuam, quæ est per vegetationem, quæ fit ex rebus sine causis, quæ veniunt de extra in species quæ intra consistunt: sicut species pluuiæ, quæ conuertitur in speciem

ciem pomerij, cuius conuerſionem appetit appetitiua: vt ſuum crementum ſit magnum. Et idem eſt de cremento trunci, ramorum, foliorum, florum & fructuum. Habet adhuc appetitiua conditionem habendi appetitum ex vno clemento in alio, & ex vna complexione in alia per modum concordantiæ bonitatis, magnitudinis, durationis, poteſtatis, virtutis & inſtinctuum naturalium: vt ſequantur fines vegetationis, ſicut in equo, in quo appetitiua appetit ſpeciei equinæ conſeruationem, & propter hoc equus inclinationem habet ad equam, vt in ea filium poſſit generare, habet etiam equus appetitum ad comedendum: vt per viuere eius partes valeant ſuſtentari in ſpeciem carnis, ſpeciem herbæ transmutando: & etiam aquam (quam potat) in ſpeciem ſanguinis: & adhuc habet appetitum ad aquam: cum habet ſitim: vt cum aquæ frigiditate nimium calorem ignis poſſit mortificare, & cum humiditate aquæ poſſit mortificare nimiam ſiccitatem terræ, & cum equus habet magnum frigus: appetitum habet quod in calore ſolis ſtare poſſit. Et ſic de cæteris appetitibus naturalibus, quos narrare nimis longum eſſet. Eſt ergo appetitus duplex, videlicet appetitus quam habet pomerium vel equus ad conſeruandum ſuam ſpeciem, & quem habent elementa in illis.

De Retentiua.

POtentia retentiua eſt ratio ad retinendum partes intus: quæ veniunt ab extra: quamuis appetit appetitiua, & influit relatiua ſupra in hac quæ eſt inferius: quæ retentio fit ſecundum ſtationem formæ eſſentialis, quam diximus in arbore elementali: quæ generalis eſt ad ſtationes inferius. Et propter hoc potentia nutritiua ex digeſtiua habet materiam quod digerere poſſit: quæ eſt ex rebus quamuis retinet retentiua, ſicut homo quæ denarios congregat: quos expendit cum indiget. Et hæc retentio fit plus per aquā, quam per aliud elementum, quia aqua naturā habet reſtringendi eſſentia. Et propter hoc potentia digeſtiua eſt maximè de conditionibus ignis, vt diffundat partes, quamuis retentiua retinet per aquā. Eſt adhuc retentiua de natura fœminina ratione impreſſionis quam habet per conceptionem rerum, quæ veniunt per appetitiuam. Et digeſtiua eſt ex natura maſculina: quæ in naturalibus rebus ſuam ſimilitudinem imprimit. Et hoc ſignificatum eſt in tractatu ſupradicto de maſculo & fœmina, & de impreſſione in arbore elementali.

De Digeſtiua.

DIgeſtiua eſt illa potentia quæ digerit hoc quod arbor accipit à terra, & ab aliis elementis & influentiis, quæ veniunt ex corporibus cæleſtibus, ſicut in pomerio, in quo radices accipiunt à terra partes crudas, & ipſas ponunt in retentiua, & digeſtio digerit illas cum calore naturali, & ipſas ad membra pomerij diuidit, & ad cæteras partes pomerij, vt humidum radicale ex humido nutrimentali viuat. Et idem ſequitur in animalibus ſicut in homine in quo cibaria quæ comedendo & bibendo accipit, & vapores quouis cum naſo reſpitat: digeſtiua digerit, & ex vna ſpecie in aliam tranſmutat, ſicut panem in carnem & vinū in ſanguinem. Conſimilli modo fit de vaporibus groſſis: quæ veniunt ab extra, quæ conuertuntur in vapores ſubtiles: quæ ſunt intra, & homo per

per modum generationis, corruptionis, priuationis, & indiuiduationis, & secundùm alias formas generales, de quibus in arbore elementali, in fine dictum est.

De Expulsiua.

EXpulsiua est illa potentia: quæ materias grossas expellit, quamuis appetitiua abhorret ponere in nutrimento, & à quibus digestiua magis subtiles attraxit: quamuis appetitiua in nutrimento plantarum potentur appetit, sicut in pomerio: in quo expulsiua extra proijcit corticem, quæ non est vegetatus: & folia quæ cadunt ab illa. Et hoc plus apparet in quercu, quæ magis grossum habet corticem. Et idē sequitur in animalibus, sicut in homine, à quo expulsiua magis grossas & indigestas spuendo, sudando, & in vrinando expellit, & sic de aliis fæcibus. Hæc quatuor branchæ, de quibus suprà dictum est, videri non possunt, nec tangi: quoniam generales sunt ad omnes branchas arborum vegetalium & sensualium, & sustentantur in arbore elementali, & eorum branchæ indiuiduatæ diffusæ sunt, in substantiis vegetatis & sensatis. Cum appetitiua desiderat plusquam retentiua retinere possit, nec quam digestiua digerere, tunc concordantia est maior cum corruptione, quam cum generatione, & cum consumptione, quam cum cremento. Et cum retentiua magis grossas retinet, & indigestas contra expulsiuam, tunc habet inclinationem ad consumptionem & corruptionem. Et cum digestiua non tantum digerit, quantum est conueniens nutrimento plantæ, aut animali. tunc est contra generationem & crementum. Et cum expulsiua est nimis fortis, aut debilis, tunc est substantia in corruptione. Et imò medici ad sanitatem ministrant naturis brancharum: vt concordantiam habeant in nutrimento substantiarum, & docent ad habendum sanitatem cum temperantia, quæ est subiectum concordantiæ brancharum.

De ramis arboris vegetalis.

RAmi arboris vegetalis sunt duplices, quoniam quædam sunt ex arbore elementali, & alij ex arbore vegetali. Illi quæ sunt ex arbore elemētali, sunt visibiles in pomerio: vbi fit renouatio in vere, in quo nascuntur flores, folia & fructus. Et rami quæ sūt ex natura vegetali, videri non possunt, nec tangi. Et significantur fortius per geneartionem, corruptionem, priuationem, & renouationem, quam per cæteras formas. Quoniam per generationem fit transmutatio & renouationes entium, secundum quod in tractatu de generatione significatum est. Et idem est de corruptione & priuatione in priuando, quasdam formas veteres per corruptionem, & in generando nouas formas per generationem. In his ramis generalibus compositis de generali arbore elementali, & de generali arbore vegetali, sunt in dispositione omnes rami plantarum & animalium: quæ sunt in illis in potentia cum iuuamine agentium naturalium, quæ ipsos ducunt in actum secundum conditiones radicum & naturarum, centum formarum primarum, de quibus in arbore elementali dictum est. In ramis pomerij sunt in potentia rami, alterius pomerij: qui potentia sustentatur in dispositione radicum & centum formarum. Et cum agens naturale hos ramos tangit:

quæ sunt in potentia in ramis, quæ sunt in actu secundum dispositionem radicum, illos ramos ducit de potentia in actu: & agens naturale pometij, est in pomo, in quo semen consistit: quod est agens secundum appetitum & instinctum naturalem diffusos per omnes formas, & hoc successiuè, de quibusdam agentibus in aliis: de qua successione species pometij conseruatur. Et idem est de specie equi.

De Foliis arboris vegetalis.

FOlia arboris vegetalis sūt duplicia, quoniā quædā sunt secundūm vegetationē, alia secundum elementationē. Folia quæ sunt secundum vegetationem, videri non possunt, nec tangi, quoniam intra folia elementationis consistunt, quæ sunt visibilia & palpabilia in pometio, quæ quidem folia sunt substantiæ: in quibus sustentantur accidentia, quæ sunt folia arboris elementalis: in quibus sunt folia accidentalia, quæ sunt arboris vegetalis, in quantum vegetatio: sicut color, sapor & odor, dulcedo & amaritudo, & cætera accidentia his similia, quæ sunt quantificata, qualificata, relata, existentia in actione, passione, tempore, loco, habitu, & situ, secundum quod significatum est in foliis arboris elementalis. Hæc folia quæ ad vegetationem pertinent ipsam ornant & conseruant, sicut substantia vegetatiua, cum facit folia elementalia & visibilia, quæ sunt tunicæ vegetatiuorum ex substantia pometij existentium. Et cum illa cadunt à pometio est significatum, quod folia vegetatiua suum cursum fecerunt, & complementum, in ornatione & conseruatione substantiæ vegetatiuæ, quæ ex tunc dormit vsque ad tempus, in quo fit renouatio foliorum in vere. Virtus tamen foliorum vegetalium in pomo potentialiter positorum excitatur & mouetur, tunc cum pomum comestum est per animal in nutrimento vegetato & sensato, in quo color, sapor & odor attinguntur.

De Floribus arboris vegetalis.

FLores arboris vegetalis sunt duplices, quia compositi sūt ex elementatione & vegetatione, sicut flos pomerij, qui visibilis est, inquantum continet naturam elementalem: sicut tangi non potest, nec videri: inquantū continet naturā vegetatiuam, cuius vegetatiuæ flores intra continentur, & sunt ex tam subtili materia quod videri non possunt, & stant maximè per instrumentum compositum de potentia, obiecto & actu: ex quibus fructus est deriuatus, qui proximior est potentiæ obiecto & actui quam cæteris formis: sicut operatum, quod proximius est manui, quā brachio, & martello, quam manui: & sic de aliis causis his similibus. In floribus qui sunt generales, sunt flores speciales in potentia: & flores plus habent de odore & sapore, quam folia, & etiam plus de virtute: & habent magis intensum colorem, & hoc est: quia proximiores sunt fructui quam folia, qui est nobilior pars, quæ est in tota arbore. Et stat flos per corruptionem & fructus per generationem: & ideò in cōsummatione floris colligitur fructus: & oritur fructus in medio loco floris, vt sua virtus maior sit. Et flos leuior est, quam fructus: quia fructus est magis plenus, & quia potentialiter in se continet omnes partes arboris futuræ. Flores in arbore non tantum durant sicut folia, quæ sunt ad conseruan-

secundum flores & fructus: & flores qui cadunt, sunt materia, quam expulsiua proijcit & scindit à planta, quia digestio facta est inquantum fructus ex subtili materia floris consistit generatus: & illa quam appetitiua appetiit, & quam retentiua retinuit, & digestiua digessit in partibus fructus. Et quando flores cadunt priusquam fructus sit generatus, tunc est ratione infirmitatis arboris, & suarum brancharum. Quædam arbores sunt, quæ flores non habent, sicut ficulnea: & ratio est, quia fluctus efficitur in ramis. Et hóc est propter magnam abundantiam humiditatis & caloris: in qua citius fit digestio, quam in cæteris complexionibus in qua magna abundantia humiditatis & caloris ficus consistunt, & ideo sunt magis placidæ ad comedendum, quam alij fructus, quia humana natura, plus delectatur in complexione sanguinis, quam in complexione colerę, flegmatis & meláncholiæ.

De Fructu arboris vegetalis.

FRuctus arboris vegetalis est duplex, secundum partium duplicitatem de qua dictum est. Et fructus inquantum videri potest & tangi, est ratione naturæ elementalis. Et forma fruct⁹ vegetalis apparet in sapore, odore & colore, quæ sunt suæ figurę quas animal per sentire attingit. Et fructus vegetalis stat secretus & abscõsus sensibus corporalibus, qui figuras attingunt. Sed imaginatio ipsum attingit, in quo colligũtur omnes partes in quibus stat alius fructus in potẽtia & ideò est maior in bonitate, magnitudine virtute, potestate, &c. q̃ flores & folia: quę sunt per secundam intentionem. In pomerio pomum est fructus, & quia pomum in se plus continet de vegetatione quã flores, vel quam folia, vel cæterræ partes arboris. est pomum fructus arboris: q. est finis, videlicet vegetatũ, ad quod vegetatiuũ, vegetabile & vegetare se habent, & est centrum in quo quiescunt, sicut plures lineæ in vno puncto, in quo se congregant & miscentur qualibet dante, alij suam similitudinẽ, vt sequatur finis: quam appetunt. Fructus plenior est & ponderosior quam flos, quia ad plura se habet quam flos, & quia plus cõtinet de circulo, triangulo & quadrangulo, & de centum formis, quæ sunt naturę primariæ. Quædam arbores sunt, quæ fructus non faciunt, sicut salix & fraxinus, & hoc est: quia in flore species earum conseruantur. Et quidam fructus sunt in quibus non est testa extra: sicut in cerasis, quæ habent ossa interius, & hoc est propter magnam humiditatem, quæ stat in extremis, & siccitas sustentatur in medio, videlicet in ossibus: est alius fructus, qui habet testam extra, quæ non habet intus testudinem, siue os: sicut castanea & nux: & hoc est, quia siccitas abundat extra & humiditas intus: & sic de aliis. Quodlibet elementum quatuor species habet plantarum: in quibus, siue per quas super cætera elementa dominatur: sicut ignis, qui in pipere & alleo dominatur: quæ sunt in quarto gradu caloris: & in tertio gradu siccitatis: & in secundo humiditatis: & in primo frigiditatis. Secunda planta est sicut cinamomum, in quo ignis est in tertio gradu caloris, & terra in secundo, & aër in primo: & aqua est degradata. Tertia planta est sicut fœniculus: in quo ignis est in secundo gradu caloris: terra in primo, aër in tribus partibus vnius gradus: & aqua in duabus. Est alia planta, in qua ignis est in primo gradu caliditatis: sicut anisum, in

quo

quo ignis eſt in primo gradu caliditatis, & terra in tribus punctis ſiccitatis, & aër in ſecundo humiditatis, & aqua in vno frigiditatis. Et idem eſt de cæteris elementis, quia quodlibet quatuor ſpecies plantarum habet quibuſdam gradatis ſuper alias, ſecundùm quod in quatuor ſpeciebus antedictis eſt ſignificatum: & ideo medici habẽt materiam ad præparandum ſanitatem in patiente in gradando plantas ſecundùm artem medicinæ. Et de homo vnum tractatum fecimus, quæ vocatur principia medicinæ, in quo damus doctrinam, quomodo medici ſciant medicinas gradare ſecundùm gradus infirmitatum & plantarum. Dictum eſt de arbore vegetali, & de ſuis ſecretis & naturis haberi poteſt cognitio, ſecundum proceſſum, quem tenuimus in illa applicando ſibi centum formas, quæ in arbore elementali continentur, ſecundùm exempla, quæ de illis dedimus & dare præponimus.

DE ARBORE ſenſuali.

ARbor ſenſualis in ſeptem partes, ſicut & aliæ arbores diuiditur. ſ. in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices ſunt principia generalia: quæ ſunt triplicia inquantum ſunt de natura elementali, vegetali, & ſenſuali.

Truncus eſt corpus ſenſualis, & ſimiliter eſt triplex: inquantum de dictis tribus naturis eſt conſtitutus.


Branchæ ſunt ſex ſenſus corporales: videlicet viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus & olfactus. Et ſimiliter ſunt triplices: de dictis tribus naturis conſtituti.

Rami ſunt membra corporalia, tam interiora, quam exteriora, quæ ſimiliter ſunt de dictis tribus naturis compoſita.

Folia ſunt accidentia, quæ ſimiliter ſunt triplicia, &c.

Flores ſunt actus corporis ſenſualis, &c.

Fructus ſunt indiuidua ſenſata, ſcilicet homo, equus, & cætera animalia.



De Arbore ſenſuali.

HÆc arbor eſt de animalibus, & diuiditur in ſeptem partes ſecundùm quod in ipſa apparet, & eſt triplex, quia conſiſtit ex potentia elementatiua, vegetatiua & ſenſitiua, vnde ſicut ſi vna arbor fuiſſet ex tribus ſpeciebus facta, ſicut ſi pomerium eſſet in piro inſertum, & perſicus in pomerio, eſſet vna arbor omnes tres ſpecies, ita inſerta vegetatiua in elementatiua, & ſenſitiua in vegetatiua reddunt vnam arborem omnes tres potentiæ: differentia tamen eſt inter arborem ex pomerio, piro & perſico conſtitutam, quia eſt de quantitatibus diſcretis, & arborem de elementatiua, vegetatiua, & ſenſitiua conſtitutam, quia eſt de quantitatibus continuis, quibuſdam arboribus in aliis exiſtentibus. Senſitiua eſt in arbore elementali generali, & vegetali

secundùm quod complementum naturale requirit, vt in natura non sit vacuum, & secundùm quod coniunctio rerum, quæ sunt intra & extra requirit, & etiam dispositio, & proprietas primarum causarum. Et sic de centum formis generalibus de quibus dictum est in arbore elementali, in quarum tractatu est significatum, quod de necessitate secundùm cursum naturalem oportet, quod arbor sensualis extensa sit in arbore elementali & vegetali, quia si non essent sensibilitates de particularibus & non de vniuersalibus, sicut lapis & pomum qui non essent naturaliter visibiles, nec frigiditas lapidis sensibilis, nec sapor pomi similiter, & idem de suo odore, & sequeretur quod sensitiua non participaret cum formis generalibus & primariis arboris elementalis & vegetalis: vnde in sensitiua crementum esse non posset, nec etiam generatio, & cum Petrus moreretur & suus equus & falco annihilaretur sensitiua omnium triū, quia non haberet subiectum generale, in quo formar sustentata, sicut si annulus Petri, qui est de auro, fusus esset, & sua materia annihilaretur ita, quod nihil foret, videlicet aurum, de quo prius erat. Et adhuc pirum & pomum essent vacua visibilitate & dispositione ad habendum proprietatem & naturam sensibilitatis. Et hoc natura sustinere non posset, quoniam sustineret vacuum contra magnitudinem bonitatis & totalitatis, & partium, & multa alia inconuenientia sequerētur & impossibilia. Est ergo arbor sensualis generalis extensa in arbore elementali & vegetali, vt inconuenientia non sint, & quod formæ primariæ remanere possint hoc, quod sunt.

De Radicibus arboris sensualis.

RADICES arboris sensualis sunt triplices, hoc est dictu, quod eius bonitas tres habet naturas, vna est elementalis, alia vegetalis, & alia sensualis, & hoc idem de magnitudine & cæteris radicibus arboris. Et omnes istæ tres naturæ sunt bonæ, & constituunt vnam radicem bonam, in qua quælibet suum habet officium, sicut elementalis ex arbore elementali beneficium suscipit & crementum, & vegetalis ex vegetali, & sensualis ex sensuali, quemadmodum particulare, quod beneficium suscipit à suo vniuersali, & ex huius beneficio efficitur generatio & crementum in animali, sicut in homine & equo, & sic de cæteris animalibus compositis & constitutis de natura elementali, vegetali & sensuali. Sicut pomerium, quod suas habet radices, in quibus beneficium à terra accipit & cæteris elementis sicut homo, & cętera animalia, radices suas habent in aëre in quo sunt contenti, & in cæteris elementis, & hoc est, quia sunt mobiles de vno loco in alium, in quo aëre & cæteris elementis vegetatio generalis & sensitiua generalis extenduntur, sicut vitrum quod extenditur per totum circulum vini in illo contenti, & in illo loco continentis sunt radices hominis, & fit influentia & refluentia, vt homo viuat. Et totum subiectum est subiectum influentiæ & refluentiæ, quod est humidum nutrimētale, quod venit & vadit, de quo viuit humidum radicale, sicut lumen, quod viuit de oleo in lampade. Istæ radices sunt generales, in quibus stant in potentia & in dispositione radices speciales indiuiduatorum animatorum, quæ du-

ctæ

ctæ sunt in actu per agentia naturalia, ita quod vna radix (quæ est bonitas) generalis est ad plures radices particulares. Et intendimus tamen dicere de bonitate naturali, & non morali, in qua bonitate animalia participant, & quæ dicta est genus, in qua species particularium bonitatum seminantur, sicut bonitas equi, quæ est vna species & bonitas gruis similiter, ex qua bonitate equi est bonitas equi, qui est Petri, & bonitas equi, qui est Martini. Ita sunt in bonitate generali speciales bonitates seminatæ, sicut plura semina diuersarum specierum in vna eadem terra, quæ quidem terra se cuilibet seminum reddit generalem. Et de hoc habemus experientiam in horto plantato ex pluribus plantis in speciebus & numero diuersis. Item ex terra, videlicet ex lapide, efficitur ferrum, vitrum & tegula, & terra est eadem & generalis ad tria opera. Eodem modo radix, quæ est bonitas generalis est ad elementatum, vegetatum, sensatum, & imaginatum, & hoc est, quia est de quatuor naturis. Vnde quando ferrum venit in corruptione, & sic de tegula & vitro, tunc redeunt ad terram eorum materiam & naturam, sicut qui faceret ex vna massa auri ciphum, scutellam, & annulum, & postmodum totum insimul funderet, prima massa rediret in primo statu & numero, figuris denudata per quas quidem figuras in partes diuersas erat diuisa. Consimili modo bonitas, quæ est radix generalis, suas partes recuperat, cum in priuatione veniunt figuræ & numeri, sub quibus steterunt, ita quod bonitas elementalis generalis suam partem recuperat elementalem, specialem, & vegetalem, generalis suam speciale, & sensualem, generalis suam partem sensualem & specialem, & sic formæ primariæ & naturæ conseruantur.

De Trunco arboris sensualis.

TRVNCVS arboris sensualis est triplex, in quantum est de tribus naturis, videlicet de natura elementali, vegetali, & sensuali, sicut corpus hominis aut equi quod est vnus truncus ex tribus ante dictis naturis constitutus. Per naturam elementalem habet corpus hominis ossa, carnem, & neruos, & est visibile & palpabile. Et per naturam vegetalem habet proprietates & naturas trunci vegetalis, secundùm quod dicendum est in suo tractatu, & apparet in liquore corporis sua figura, & color, quam accipit de sanguine, figura est trunci sensualis per totum corpus hominis extensa. Qui quidem truncus sensualis est sensus communis, natura cuius eius sensus particulares faciunt iudicium & est de natura corporali, vt sit substantialis pars corporis, & quod magnitudo bonitatis non sit maior in trunco elementali & vegetali quam in sensuali, in quibus esset maior, si truncus sensualis foret accidentalis, cum ita sit, quod elementalis & vegetalis sint substantiales, & quod bonitas naturaliter maior sit in partibus substantialibus quam in accidentalibus. Et idem est de magnitudine, potestate & virtute instinctibus & appetitibus naturalibus, & de fine & concordantia. Est ergo truncus sensualis pars substantialis & in fine nobiliori, & natura quam truncus elementalis & vegetalis, quoniam per ipsum maior veritas attingitur, & in pluribus se extendit obiectis quam per truncum elementalem & vegetalem, sicut visibilitas, sapor & odor, qui per

animalia attinguntur, quos substantiæ inanimatæ attingere non possunt, & etiam quod truncus sensualis in suam speciem transubstantiat cæteros truncos, videlicet elementalem & vegetalem, & non econtrario, sicut olea in oleastro inserta, quæ ad suam speciem in sua materia trahit naturam oleastri. Sensus communis videri non potest nec tangi ratione magnæ subtilitatis quam habet sua materia, & est communis ad suos particulares sensus: sicut calor ignis, qui communis est ad calorem piperis & allei, quæ sunt sua particularia, & per illum quodlibet particulare commune est ad diuersa iudicia, sicut visus, qui iudicium facit de albo colore & de nigro, viridi & rubeo, & de rebus pulchris & turpibus. Et idem de gustu qui commune iudicium facit de sapore dulci & amaro, de vino, aqua, & de aqua calida & frigida, & de sapore pomi, & de sapore persici, & sic de aliis rebus similibus istis. Iste truncus hominis ita vnus est per vnitatem (quæ est forma generalis & primaria) sicut est bonus per bonitatem & magnus per magnitudinem. Et ita est ex diuersis naturis per differentiam, sicut vnus est per concordantiam plurium bonitatum in vna, & per concordantiam bonitatis & magnitudinis, & sic de aliis rebus similibus istis. Et secundùm quod sensus communis beneficium accipit à trunco elementali & vegetali, subiecta sensata viuificat, in quibus sua particularia sustentantur, quæ sunt de natura elementali & vegetali, quoniam sensus communis est, qui in sua specie & in suis particularibus quæ sunt de suo esse trunco vtitur elementali & vegetali, sicut vegetatiua pomerij, quæ vtitur terra & cæteris elementis in vegetando ipsa ex specie sua, & in elementando seipsam ex elementis, sicut forma, quæ stat supra magnitudinem bonitatis, potestatis, virtutis, &c. Et propter hoc secundùm quod sensus communis est fortis in sua virtute, sua particularia fortia sunt & virtuosa, & eorum subiecta fortificat, videlicet cæteros truncos.

De Branchis arboris sensualis.

BRANCHÆ arboris sensualis sunt sex, videlicet visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, & affatus. Quem quidem affatum probauimus sextum fore sensum, & hoc in tractatu quem de illo fecimus. Branchas oportet esse sex & non plures neque minus, quia si plures essent, hoc quod plus esset, superfluum esset, quam superfluitatem natura sustinere non potest, & si minus esset, natura vacuitatem sustineret, quam sustinere non potest, sicut si visus nõ esset, esset visibilitas rerum vacua, & ad aliquem finem se non haberet. Et si affatus non esset locutio, quæ nõ caderet sub specie aliquorum sensuum, esset in vanum in hoc, quod se ad aliquem finem non haberet: idem est de auditu, & cæteris sensibus. Sunt igitur sex sensus secundùm naturæ corporalis necessitatem, & secundùm sex rectitudines corporis, & cum ipsis attingi possunt, omnia particularia, corporalia, & omnia imaginabilia in ipsis sunt impressa oppportet sex sẽsus esse partes substãtiales corporales, vt communis sensus partes habeat, quæ sunt de sua essentia, in quibus sit sustentatus, qui est de natura corporali, secundùm quod probatum est. Et hæ sex branchæ sunt in arbore generali (quam arborem sensualem vocamus) quæ generales sunt

ad

ad omnes branchas speciales indiuiduorum animatorum, sicut visus, qui est potentia generalis ad visum hominis, equi, aquilæ, & piscis, quemadmodum bonitas generalis, quæ sub se plures bonitates habet speciales. Qualibet brãcharum habet sua propria subiecta, in quibus sustentatur, sicut visus, qui est brancha triplex, in se continẽs tres naturas, videlicet elementalem, vegetalẽ, & naturam sui sensus communis, & visum particulatum & indiuiduatum, sicut oculi Petri, qui sunt elementati, vegetati & sensati, & idem de auditu, & cæteris sensibus. Et de his sensibus loqui proponimus breuiori modo, quo poterimus, veruntamen taliter nos loqui oportet, quod haberi possit cognitio de entitatibus eorum, & de naturis, & de operationibus & modis.

De Visu.

Visus est brancha triplex, secundùm quod supradictum est, & suus locus stat in oculis, & illud quod ab oculis videri potest & tangi, de essentia est branchæ elementalis, & maximè de natura ignis & aëris, cum lux ignis, & aëris diaphanitas instrumenta sint ad videndum, & ad remouendum vmbras, quæ sunt per aquam & terram. Et illud quod in oculis est vegetatum, est de natura vegetatiuæ, in qua sunt eius quatuor branchæ de quibus dictum est, & hæ videri non possunt in oculis, neque tangi, cum ita sit, quod vegetatiua sit inuisibilis, & intangibilis. Et quælibet suarum brancharum, suum habet officium in oculis, sicut per appetitiuam potentia visiua se habet ad obiectum suum proprium, videlicet ad visibilitatem, & retinet lucem ignis & diaphanitatem aëris in linea, quæ est inter visitiuitatem & visibilitatem, & digestiua digerit species vmbrosas, quod sint claræ & lucidæ, & expulsiua vmbras remouet, sicut ignis, qui ex aqua calida frigiditatem remouet. Et essentia visus videri non potest, neque tangi, & super alias, est forma, & est supra ipsas in magnitudine bonitatis, potestatis, &c. Et partes eius essentiales sũt quatuor, videlicet visitiuum, visibile, videre, & visibile commune, ex quo visibile particulatum est indiuiduatum, sicut visitiuum oculorum Petri, quod est vna pars sui visus & visibilitas, quæ est de essentia visus, & videre, quod est actus amborum, quod est intrà, ita quod ex istis tribus partibus consistit visus Petri, & hic visus est brancha sensus communis. Et visibilitas quæ est extra, est sicut visibilitas pomi & piri, quod est obiectum remotum inquantum non est de essentia visus Petri, sed participat in specie cum visibilitate quæ est pars visus Petri, & quæ sensata est, & sustentata in oculis. Et digestiua digerit visibilitatem extra in visibilitate intrà, sicut digerit panem in carnem, & vinum in sanguinem. Et ex hoc sequitur alius actus, qui est videre, & opus accidentale, vt sit visum, quod est desideratũ, vt videatur, & in quo visitiuum quietem habet. Oculi Petri sunt elementati, vegetati & sensati, & equus suus visibilis est, quem Petrus videt. Et inter oculos Petri, & equum est vna linea per aërem & spacium, quod est inter oculos & equum extensa; & hęc linea composita est ex tribus naturis, de elementali, scilicet vegetali & sensuali, linea existente inter duo puncta terminata. Vnum punctum, est illud, quod est contiguum cum equo, & aliud, quod est contiguum cũ oculis Petri. Hæc contiguitas & terminatio

ineæ stant per quantitatem discretam, inquantum oculi Petri, & equus sunt corpora in vno loco non existentia, & ab inuicem differentia. Sed inquantum secundùm arborem sensualem, generalem est triplicata, de natura elementali, vegetali & sensuali, est linea continua: sed in oculis Petri est sensata sub vno corpore, inquantum pars lineæ generalis intrat in oculos, & in quantum intrat in equum, quod est aliud corpus, quod quidem corpus est visibile per suam visibilitatem, quæ est vna de suis partibus essentialibus, per quam visibile est in suo colore, in quo linea quæ est extra, participat per contiguitatem. Et quia visitiuum quod est in oculis Petri, ad suum proprium visibile se inclinat ratione appetiuitatis naturalis & appetibilitatis, digestio digerit visibilitatem extra, quæ non est de essentia oculorum, in visibilitate intra, quæ est essentialis pars visus Petri. Et ideò oculi Petri attingunt equũ, nec visitiuum ad equum per lineam transit, nec color equi venit ad oculos Petri, quæ quidem color non potest venire, quoniam si veniret, suum proprium subiectum (quod est equus) dimitteret. Nec visiua potentia Petri ire potest ad obiectum quod si faceret: suum proprium subiectum (qui sunt oculi) dimitteret, est ergo modus videndi ille quem prædiximus, & iste modus sequitur in aliis sensibus secundùm eorum conditiones & naturas. Hæc brancha quæ est visus, animalibus est necessaria ratione habituum, quos per visum accipiunt, qui necessarij sunt ad videndum, & ad habitus scientiarum. Et visibilitas est impressio imaginationis, quæ in se imprimit similitudines visibilitatum, vt imaginatio retineat, quomodo homo ad domum suam redire sciat, & leo ad fontem, & sic de cæteris rebus similibus.

De Auditu.

AVditus est alia brancha arboris sensualis, & est ita triplicata ex tribus naturis, sicut brancha, quæ est visus. Et stat plus per calidum & siccum, quàm per aliam complexionem. Et ideo corpora quæ desiccata sunt per magnum calorem, magis sonabilia sunt, & plus de sono retinent, quam alia, quando sunt tacta. Idcirco aures sunt de complexione calida & sicca, & per ipsas colera expellit suam superfluitatem, cum ita sit, quod fæces quæ exeunt de auribus, sint de complexione calida & sicca. In auditu est auditiuum, quod est vna de suis partibus essentialibus, & est audibile, quod est de essentia auditus, & est audire, quod exit ex ambobus, & exit in essentia auditus, & in illa nascitur & remanet vna de suis partibus essentialibus. Et in istis tribus partibus essentialibus, auditus est sustentatus, sicut voluntas, quæ sustentata est in suo proprio volitiuo, volibili & velle. Et est vna audibilitas communis, quæ est pars, & de essentia arboris sensualis, extensa in aëre, in lapide, & in ligno, & in natura elementali, vegetali per continuam quantitatem sustentata. Et ideò cùm lapis tangitur cum ferro, aut aër cum virga, exit illa audibilitas in actu per motum factum, in percussione & tactu. Et illam audibilitatem attingit auditiuus in suo proprio audibili, quod est de sua essentia, quod cum audibilitate extranea participat in specie. Et cuius similitudinem digestiua digerit in audibilitate intrã, secundùm quod de visu dictum est. Et ex hac attinctione sequitur vnum audire, accidentale ex quo habituatũ est & vestitũ

subſtan

substãtiale audire, q est intra. Auditus necessarius est ad viuendũ, vt habitus scientiarum sint, & memoria entium transactorum, & quod possit esse industria, & modus ad recipiendum entia futura, quoniam sine auditu animalia modum viuendi non haberent, nec homines cognitionem de Deo, nec de suis operibus habere possent. Est etiam auditus pars substantialis arboris sensualis, & sua concreta essentialia similiter, scilicet habitus, quos recipiunt sunt accidentales, & ire, & venire possunt, absque corruptione ipsius.

De Odoratu.

ODoratus est tertia brancha, & est triplex: secundum quod dictum est de visu, & operatio sua, & modus est significatus in hoc quod de visu & auditu dictum est. Et sua linea quæ est inter illum & objectum est de complexione calida & humida, quoniam per calorem est potentia odoratiua, attractiua, & per aërem respirantia vapores, quæ sunt extra respirando in quibus odores sustentantur, qui de poris substantiarũ odorabilium exeũt. Et in hoc passu est significatum, quod omnia entia elementata in trunco arboris elementalis consistunt, & eius essentia per omnia vadit & venit: sicut odores per lineam, & per suos terminos. Nasus est instrumentum per arborem elementalem ad odorandum, sicut aures ad audiendum. Et odorabile est subiectum arboris elementalis, inquantum simplex odor qui sentitur: & potentia odoratiua est forma sensus & pars sensus communis: & instrumentum quod est ex parte vegetatiuæ. In odoratu sunt branchæ vegetatiuæ, quarum quælibet suum habet officium in odoratu, secundum hoc quod de vegetatiua, dictum est in capitulo de visu. Odoratus necessarius est ad viuendum, ratione motus cordis & pulmonis, qui vapores, qui sunt intra expellunt exterius, cum digestiua & expulsiua. Quæ quidem digestiua illos vapores in fæces digestit, quamuis expulsiua extra, expellit: & appetitiua appetit alios nouos vapores, quos odoratiuum respirando intus ponit ad refrigerandum cor, cõtra magnũ calorem, & ad delectandum naturam in bonis & sanis odoribus, & placentibus ad odorandum, quos retentiua retinet, quousque sint digesti, & expulsiua magnam grossam illorum expellit extra.

De Gustu.

GVstus est, quarta brãcha, & est triplex: secundum quod de aliis dictum est. Et suum objectum est sapor. Et potentia quæ se habet ad objectum est gustatiua. Et instrumentum quod est ex parte elemẽtatiuæ, est illud quod in pomo tangi & videri potest. Et illud quod est ex parte vegetatiuæ: est sapor, qui est gustabilis in essentia, sensus in quem nascitur & exit, sicut infans quæ nascitur, & exit in essentia hominis, & ferrum in figura claui, & calefactum in speciem caloris. Et illud quod recipit hoc, quod nascitur in illo & intrat est gustabile, quod est de essentia gustatiui. Et ex arboribus exit gustare, quod est de sua essentia. Et omnes tres sunt de essentia sensus cõmunis. Et gustare quod venit extra, est habitus, quem in gutture accipiũt: ad quod lingua trahit saporem cibariorum, quæ comedendo & bibendo intrant. Et quoniam cibaria veniunt in speciebus diuersis & complexionibus, possunt esse plures lineæ diuersæ de gustatiuo ad gustabile, sicut piper, quod

quod præparat lineam calidam & siccam; & cucurbita frigidam & humidam. Et istæ lineæ sunt ex parte arboris elementalis. Et sapores quos habēt, sunt ex parte potentiæ vegetatiuę, quę illas vegetat ex arbore generali in speciali cum suis branchis, & lineæ quæ sunt ex sensitiua sunt sapores sensitiui & sensati in partibus essentialibus sensus. Iste sensus qui est gustus necessarius est ad viuendū: quoniam sine ipso animalia viuere non possent: quoniā partes intrà substantiam consistentes viuere non possent nec cōplexionum contrarietatem sustinere, ex qua sequitur in substantia corruptio & diminutio, sed ratione cibariorū quæ ab extra veniunt & intrant comedendo, & bibendo: partes substātiarum sustētātur. Et ideò positum est placitum in comedendo & bibendo per saporē: vt appetitiua desiderat illa mouendo animalia ad comedendum & bibendum cum natura placiti.

De Tactu.

Tactus est triplex. Et hoc quod cōtinet ex arbore elementali: est calido vbi fit tactus illius, quæ sentit, & sentit & sentitur, & stat maximè per calidum & humidum. Et hoc quod in tactu est magis placitū, est per vegetationem, quæ habet appetitū ad conseruādū speciem. Et illud placitum retinet, vt fiat digestio in transmutatione de veteribus formis ad formas nouas, quas quidem veteres expulsiua projicit extra. Illud quod est ex parte sensus: videri non potest nec tangi, sed est illud, pro quod sensus consistit: quæ est ratio ad sentiendum, sicut bonitas est ratio ad bonificandum. Et est ratio ad sentiēdum tactiuum, tangibile & tangere: quæ sunt de esse tactus sensati, & qui est vna brancha sensus cōmunis. Tactus iste sequitur modum aliorum sensuum in sentiendo: de quibus dictū est, videlicet quod est vna linea inter tactiuū & tangibile: & ex tribus naturis arborum composita, sicut ignis: qui dat dispositionem sentiendi calorem, & vegetatiua placitum, & sensitiua sētire, & agens naturale illud: quod in dispositione cōsistit in extremitatibus tactiui & tangibilis in habitum & in actū deducit, & ideò homo sētit calorē, asperū, & leue, & cætera his similia. Tactus multū est necessarius ad viuēdum, & est hoc quod est subiectum ad maius placitum, aut pœnam, quam aliquis aliorum sensuum: & cōmunior est, quam cęteri sensus, & extensus est per totum corpus, exceptis aliquibus partibus corporis, sicut in capillis & vngulis, & dentibus, in quibus modicum de sensu consistit, & hoc est ratione siccitatis, quæ est per terram in capillis, & propter restrictionem quæ est in vngulis, & in dentibus ratione aquæ.

De Affatu.

Affatus est ille sensus, per quem manifestatio fit in sermone, qui est intrà conceptus, sicut homo, qui loquitur hoc quod cogitat, & auis similiter, sicut gallina, quæ clamat filios suos. Est iste affatus est ita triplex, sicut cæteri sensus, quoniam aër ibi ponit vocē, & vegetatiua ponit placitum desideratum, & in speciebus tactis digestum, ex quibus vox exit, & sensus ponit sentire, auditui in manifestando rem conceptam per lineam motam à conceptione, vsque ad manifestationem, quæ fit in sermone. Et linea est à sensitiuo, vsque ad sensibile. Lingua est organum, quod mouet lineam, & manifestatio est obiectum,

jectum, & affatiuum est potentia, & motus est instrumentum. Et de isto sensu locuti sumus diutius in suo tractatu. Et est sensus, multum necessarius ad viuendum, & ad moralitates acquirendum, & ad seruiendum Deo, & ipsum amandum, & laudandum, & honorandum, plusquam aliquis aliorum sensuum, quoniam cum nullo cæterorum sensuum potest tractari de Deo: ita bene, sicut cum affatu, qui ipsum nominat & docet, laudat & deprecatur, & auditus non facit tantum hoc, quoniam passiuè suum nomen accipit, & affatus actiuè ipsum nominat. Et propter hoc affatus est magis nobilis sensus, quàm alij, quoniam est magis prope finem, propter quem omnia entia sunt creata, videlicet ad cognoscendum Deum & amandum, & laudandum. Et propter hoc affatus, plus de merito portat, quam cæteri: sicut Apostoli, qui ascenderunt ad maius meritum, per loqui de Deo, quam per audire, vel quam per aliquē alium sensum. Est adhuc affatus sensus, qui se habet ad vtilitatem publicam & regimen, & omnes alij sensus se habent ad vtilitatem specialem. Vnde magnum inconueniens foret, si affatus non esset vna brancha sensus communis, ex quo plus portat de vtilitate quam cæteri sensus.

De Ramis arboris sensualis.

RAmi arboris sensualis sunt, sicut membra, in quibus fit renouatio per vegetationem, & compositio per elementatiuam, & communicatio, siue communitas, cuiuslibet sensus per sensitiuam, quoniam sicut quælibet brancharum habet suum ramum, secundùm quod in pomerio apparet, sic sensitiua in qualibet suarum brancharum, suum habet ramum. Et istos ramos membra appellamus, quoniam in illis, & ex illis fit renouatio indiuidualiter foliorum, florum & fructuum. In homine sunt membra cor, epar, splen, pulmo & cerebrum. Et ista sunt intrà, ex quibus membra, quæ sunt extra vitam assumunt, videlicet caput, brachia & tibiæ. Et illud quod ex istis membris videri potest, & tangi est ex parte arboris elementalis. Et illud quod in quolibet membrorum, sequitur per generationem, corruptionem, priuationem & renouationem, est per arborem vegetalem. Et illud per quod illa membra sensata sunt, est per arborem sensualem. Quæ quidem membra sensata sunt ex essentia sensus communis, qui in membris sensatis, vegetatis & elementatis suos ramos extendit, quæ sunt de sensitiuo, sensibili & sentire. Et quia de membris sequitur videre, audire, odorare, gustare, palpare, & fari, stat communitas cuiuslibet sensuum per ramos, qui communem habent virtutem intrà, ex qua viuunt rami extra, in quibus sustentata sunt instrumenta, sicut oculi in capite, & manus in brachiis, & pedes in tibiis. Et brachia & tibiæ sunt membra, in quantum in illis sustentata sunt illa instrumenta quæ diximus, & sunt branchæ secundùm respectum trunci, qui est in tertio numero.

De Foliis arboris sensualis.

FOLIA arboris sensualis sunt triplicia, sicut quantitas ignis, quæ pertinet ad arborem elementalem, & quantitas saporis, quæ pertinet ad arborem vegetalem, & quantitas sensibilitatis, in qua calor & sapor sentiuntur, est de sensualitate.

Et idem est de qualitate & cæteris accidentibus. Et propter hoc mixta sunt quædam accidentia in aliis secundùm mixtionem naturarum arborum, quæ se miscent, vt sit vna arbor sensualis ex tribus naturis constituta, videlicet ex natura elementali, vegetali & sensuali. Sicut accidentia arboris elementalis & vegetalis per totam subiectam se extendunt, sic accidentia naturæ sensualis se extendunt per totam arborem in extensione sensus communis. Et propter hoc quando ignis est in corpore vegetato & sẽsato calorem suum extendit, sensus suum sentire extendit in sentiendo illum calorem. Et idem facit in sentiendo saporem quem digestiua extendit in gustare, & placitum in videre, & ex illo sapore per vegetatiuam extenso est placitum, quod habet sensitiua. Et idem de placito quod datur per appetitiuam in videre, tangere, odorare, & in audire, in tantum quod formæ quæ sunt supra in sensitiua in suis accidentibus, conuertunt accidentia, quæ in formis inferioribus existunt, sicut olea, quæ in suam speciem conuertit illud quod assumit ex oleastro, in quo est inserta, veruntamen sicut argentum remanet in denario, qui est de ipso & de cupro, sic accidentia quæ sunt ex formis inferioribus in suis propriis subiectis remanent, quamuis induta sint ex accidentibus formarum superiorum. Et propter hoc stant accidentia in continua & discretã quantitate. In continua ratione mixtionis formarum, quę adinuicem mixtæ sunt. In discreta, quia nullum accidens suum proprium subiectum dimittit, quamuis intret cum aliis mixtionibus.

De Floribus arboris sensualis.

FLores arboris sensualis sunt triplices, sicut in oculis quorum flos est videre, & oculi instrumenta sunt ad videndum, & videre est instrumentum vt videatur obiectum coloratum: in quo quidem videre ignis lucem suam ponit, & aër suam diaphanitatem. Et digestiua digerit species, ex quibus videre constitutum est, quod quidem videre est accidens sensus qui est visus. Ex quo videre accidentali videre substantiale indutum est, de quo in brancha quæ est de visu dictum est, vt ille habitus instrumẽtũ sit ad videndũ ens desideratum: quod visum est in sua similitudine, vt facies hominis, quę in speculo videtur, in quo similitudo faciei est impressa ratione arboris elementalis & vegetalis, quæ cum speculo participant, & etiam cum oculis & cum facie, & cum linea quæ est in medio secundum participationem generalem, et idem sequitur de flore auditus, & de floribus aliorum sensuum, & de florum instrumentis, sicut audire quod est flos in auribus sustentatus, quæ sunt sua instrumenta. Et audire instrumentum est: vt ens quod est sonus, vel vox sit auditum, & illud quod mouet instrumentum est auditiuum: quod audire mouet in audibili.

De Fructu arboris sensualis.

FRuctus arboris sensualis est triplex, hoc est dictu: quod habet naturam elementalem, vegetalem & sensualem. Natura elementalis in illo ponit elementatum, sicut equus qui videtur qui est elementatus. Et vegetatiua ponit in illo vegetatum, in hoc quod

quod equus est vegetatus. Et sensitiua ponit sensatum, in hoc quod equus est sensatus, & obiectum visum est equus: qui est fructus visus. Et est eius fructus inquantum finis: hoc est dictu quod visus est, vt sit obiectum visum, sicut ferrum quod est, vt sit clauus, & manus, vt sit operatio, & operatio, vt sit operatum, & sic de aliis rebus similibus istis. Hoc idem sequitur de fructu audiēd., cuius fructus est auditum: & odorandi, cuius fructus est odoratum, & gustandi gustatum, & palpandi palpatum, & affandi affatum seu manifestatum. Et ex omnibus his fructibus sequitur sensatum, quod est fructus omnium partium arboris: inquantum est cētrum & finis omnium suarum partium, & omnes partes se habent ad illud: quoniam omnes sunt propter ipsum.

De Applicatione & practica, capit. formarum.

IN hoc passu datur doctrina quomodo homo sciat applicare formas naturales ad substātias indiuiduatas. Et secundum quod in hac arbore sensuali damus doctrinam, dari potest in aliis. Et quoniam applicatio multum est vtilis & necessaria ad habitus scientiarum, & est sustentatio intellectus: inquantum se sustinet in formis & ad earum exempla recurrit: vt suum obiectum requirat: idcirco ponimus hunc tractatum (quæ est de applicatione) in hac arbore scientiæ. Vnitas est ratio quod arbor sensualis sit vna. Et ratio per quam vnitas est ratio, quod arbor sit vna, est ratione vnitatum, quas arbor in se continet: sicut vna vnitas bonitatis ex tribus naturis composita, & vna arbor ex tribus naturis composita, & sic de aliis vnitatibus. Et ratio per quam est pluralitas in arbore, est, quia est de pluribus rebus differentibus per essentiam, de quibus pluribus rebus in ipsa arbore dictum est, quæ sunt plures radices, plures trunci, plures branchæ, & sic de cæteris. Sunt ergo vnitas & pluralitas causæ primariæ, per quas arbor est vna, & in se plures causas continet. Simplicitas & compositio sunt causæ & formæ primariæ, per quas arbor in numero vno sit simplex & ex pluribus rebus composita. Est simplex in vno numero, quia est ex pluribus causis simplicibus: sicut de igne simplici & cæteris elementis, & de appetitiua, quæ est forma simplex, & de potentia visiua similiter, & sic de aliis. Et omnes istæ formæ simplices se habent ad vnum simplex, sicut plures lineæ ad vnum punctum: quod si quidem simplex est arbor sensualis, inquantum habet vnum numerū. Et est composita de pluribus causis per compositionem suarum partium, sicut trūcus qui compositus est ex natura elementali, vegetali & sensuali. Forma & materia sunt rationes per quas arbor ex ipsis est constituta, sicut forma vegetatiua quæ in animali informat formam elementalem, & forma sensitiua informat vegetatiuam, & hoc est propter magnitudinem bonitatis, quæ maior est in fine formarum superiorū quam in fine formarum inferiorum, quæ sunt materiæ ad formas, quæ sunt suprà, sicut secundæ intentiones ad primas. Formæ tamen inferiores semper remanent secundùm earum specialem bonitatem in suo numero simplici: sicut ferrum quod est sub forma cultelli & claui, quod tamen semper remanet hoc quod est. Genera & species sunt rationes, quod in arbore sint plura genera & plures species, sicut

bonitas generalis quæ eſt ratio in arbore ad plures bonitates ſpeciales, & magnitudo generalis ad plures magnitudines ſpeciales: ſicut ignis qui habet vnam ſpecialem bonitatem, & aër aliam, quæ ſunt ex bonitate generali in trunco confuſa, & idem de ſpecie generali, per quam in arbore ſunt indiuiduata, elementata, vegetata & ſenſata, ſicut Martinus & ſuus equus, qui ſunt ſub animali, quod eſt ſub corpore. Interioritas & exterioritas ſunt rationes, quod in arbore aliquæ rationes ſunt intra arborem, & aliquæ extra: ſicut ignis, qui eſt in aëre, & eſt vegetatus in vegetatiua, & ſenſatus in ſenſitiua. Et eſt extra aërem & extra vegetatiuam & ſenſitiuam, in quantum ſuus numerus eſt differens à numero aëris, & à numero ſenſitiuæ & vegetatiuæ, ſicut in equo Martini, in quo quædam formæ ſunt intra alias per quantitatem continuam, & ſunt extra per quantitatem diſcretam. Abſtractum & concretum ſunt rationes, quod in arbore ſũt cauſæ abſtractæ & concretæ, ſicut elementatio, vegetatio & ſenſualitas, quæ ſunt formæ abſtractæ, quarum ratione in arbore ſunt abſtractiones, ſicut calor, ſapor & viſibilitas. Et idem de concretis, ſicut elementatiuum, quod eſt concretum elementationis inferioris, quod eſt in equo qui eſt elementatiuus, in quantum producit alium equum elementatum. Et idem de vegetatiuo & ſenſitiuo, cum ita ſit, quod equus productus vegetatus ſit & ſenſatus. Generatio, corruptio & priuatio ſunt formæ generales in arbore ad plures generationes, corruptiones & priuationes, quia ſicut ignis bonus eſt ſub ratione bonitatis, ſic eſt generatiuus ſub ratione generationis, generando in equo calorem, & vegetatiua ſaporem & ſenſitiua videre. Et idem de corruptione, quæ eſt ratio ad omnes corruptiones, ſicut forma herbæ quam equus comedit, quæ corrumpitur per corruptionem generalem: vt per generalem generationem generetur caro ſpecialis equi. Et idem de priuatione, quæ conſequens eſt corruptionis, quæ eſſe non poſſet abſque priuatione formarum veterum in generatione formarum nouarum. Groſſities & ſubtilitas ſunt formæ, quæ ſunt rationes in arbore ſenſuali ad groſſities materiarum & ad ſubtilitates formarum, ſicut materia elementatorum, quæ eſt groſſa & ſpiſſa in formis illorum, quæ ſunt ſubtiles, & materia vegetatiuæ, quæ ſubtilis eſt ſecundùm comparationem materiæ elementatiuę, & idem de materia ſenſitiua, quæ ſubtilior eſt quam materia vegetatiuæ, & idem de formis, quarum quædam ſubtiliores ſunt quam aliæ, vt de materiis dictum eſt. Leuitas & ponderoſitas ſunt formæ generales, ratione quarum in arbore ſenſuali ſunt plures leuitates & ponderoſitates, ſicut in equo, in quo oſſa ſunt grauia ſiue ponderoſa, & cor & pulmo leues, & medulla ſimiliter, quorum leuitas & ponderoſitas ſtat per arborem elementalem, & non per vegetalem neque per ſenſualem, & hoc eſt: quia vegetatiua & ſenſitiua plus habent de ſubtilitate & ſimplicitate quam arbor elementalis. Quia plenitudo eſt per totam arborem ſenſualem extenſa, non poteſt eſſe vacuitas in arbore, quæ contraria eſt plenitudini, quia ſicut bonitas plena eſt bonificatiuo, bonificabili, & bonificare, ſic arbor ſenſualis plena eſt eſſentia elementatiua, vegetatiua, & ſenſitiua. Veruntamen ſecundùm modum imperfectionis & corruptionis ſunt in arbore ſenſuali cauſæ vacuę, ſicut ſubſtã-

tia em

tia embrionis, quæ non est in ætate perfecta, nec formæ, quæ sunt in potentia, quę vacuæ sunt sine quare sunt, & sic de aliis causis similibus istis: quæ quidem formæ sunt planę cum in actu ducuntur. Totalitas & pars sunt causæ primariæ, quarum ratione arbor sensualis est totum ex suis partibus, & suæ partes sunt ex toto, sicut equus, qui est totum suæ elementatiuæ, vegetatiuæ, & sensitiuæ, quæ sunt suæ partes. Hoc esse non posset, si totalitas & pars non essent causæ primariæ ad totalitatem, vt partes equi & corporis hominis, & sic de aliis indiuiduis naturalibus. Intensitas & extensitas sunt formæ primariæ ad intensitates & extensitates arboris sensualis: sicut in equo, qui multum est albus in quo color est intensus, & in equo bruno est color confusus & extensus. Et hæc intensitas & extensitas sunt per elementalem naturam, & quando equus magnum habet appetitum comedendi per vegetatiuam, intensum habet saporem, & extensum quando non comedit saporosa, sicut cum comedit herbam amaram. Et per sensitiuam visum habet intensum, cum habet oculos claros & dispositos ad videndum, & habet extensum & confusum, cum oculos habet infirmos. Statio & motus sunt formæ primariæ in arbore sensuali, quarum ratione in se habet plures motus & stationes particulares, sicut equus, qui stat in vno loco tunc cum se non mouet. Et stat albus per elementa, & pinguis per vegetationem, & hilaris per sensitiuam. Et equus est hoc, quod est per stationem omnium trium potentiarum. Et est mouens & mobilis ratione motus generalis, & quando se mouet de vno loco in alium, est motus ille localis per elemēta. Et in quantum est motus habet crementum, & est ille motus per vegetationem, & inquantum se mouet ad ea quæ videt & desiderat, est ille motus per sensitiuam. Durities & mollities sunt formæ primariæ ad arborem sensualem, quæ plures habet mollities & durities particulares, ex generalibus causatas: sicut caro quę est mollis, & est mollis per potentiam elementatiuam, & ossa quæ dura sunt per ipsam. Vegetatiua autem, & sensitiua simpliciter non habet duritiem, neque mollitiem, sicut lenitatem non habent, neque ponderositatem, veruntamen in equo sunt formæ, inquantum informant in illo formam elementalem, ex qua durities & mollities consistunt. Longitudo, latitudo & profunditas, sunt formæ primariæ ad longitudines, latitudines & profunditates, quæ sunt in arbore sensuali, quæ sunt tantummodo per arborem elementalem, & hoc est, quia sunt de grossa materia, secundùm comparationem materiæ, quam habent vegetatiua & sensitiua, quia materia cuiuslibet est ita subtilis, & ita parum de natura habet corporali, quod nequit esse subiecta longo, amplo, & profundo: sicut corpus hominis, quod ita parum habet de humanitate, quod per se non sufficit ad esse humanum, Et idem de bonificatiuo, quæ est pars substantialis bonitatis, quod per se nō sufficit ad esse superba, sicut pars quæ non sufficit, vt sit totum. Idcirco in equo sua longitudo, latitudo & profunditas sunt de essentia elementali, & omnes mensuræ prædictæ per vegetatiuam & sensitiuam sunt informatæ, quæ intantum extendi possunt in longum, amplum & profundum, sicut prędictæ dimensiones extenduntur. Potentia, obiectum & actus sunt formæ primariæ in arbore sensuali,

 sicut

ſicut in equo, in quo ſunt plures potentiæ, actus & obiecta ſub formis generalibus (de quibus dictum eſt) exiſtentia, ſicut in equo, qui potentiam habet calefaciendi aquam frigidam, quam bibit, quæ potentia ſtat per arborem elementalem. Et digeſtio & tranſmutatio de frigiditate in calorem fit per vegetatiuam. Et in illa frigiditate quam ſentit, cùm aquam bibit fit illud ſentire per ſenſitiuam. Et ideò calefacere eſt actus elementatiuæ, & tranſmutare vegetatiuæ, & ſentire ſenſitiuæ. Et inquantum equus deſiderat aquam bibere, eſt aqua obiectũ elementale, & obiectatum eſt per appetitiuam, quæ eſt ex vegetatiua, & inquantum aqua eſt viſa, ipſa eſt obiectum ſenſitiuæ. Prioritas & ſecundioritas & tertioritas ſunt formæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut arbor elementalis, quæ eſt prima naturaliter ad arborem vegetalem, & vegetalis ad ſenſualem, ex quibus ſequitur ſecundioritas & tertioritas, videlicet antecedẽs & conſequens: & tertius numerus ſubſtantiæ, quia ignis primò ponit cauſas primarias, vt ſint vegetatæ. Et idem faciunt rami arboris elementalis, in quibus ſunt materiæ digeſtæ, vt agentia naturalia ſubſtantias vegetatas producant. Et vegetatiua primæ diſpoſitionis ſe habet ad habitus ſecundarios, inquantum ſenſitiua in ramis ſuis, tertium numerum producit per conſequentiam ramorum vegetatiuæ. Et in hoc paſſu ſignificatum eſt argumentum, quod eſt ex duabus maximis, & vna concluſione, exiſtente ſecunda maxima, ex prima, & concluſione exiſtente ex ambabus ad ſignificationem cauſarum realium, conſequente exiſtente ex antecedẽte, & tertio numero, ex ambobus, ſicut equus, grus, homo & piſcis. Crementum & diminutio ſunt generales formæ ad arborem ſenſualem, veluti in leone, in quo crementum eſt per arborem elementalem, ex qua vegetatiua materiam multiplicat, quam radices accipiunt, ex hoc quod leo comedit & bibit. Et ſenſitiua illud crementum in ſenſibus ponit, & hoc facit, quia retentiua retinet hoc quod venit, & digeſtiua illud digerit in maiori quantitate, quam hoc quod expulſiua in fæces expellit. Et quando eſt conſummatio, per contrarium eſt, videlicet quod expulſiua, plus per corruptionem expellit, quam digeſtio in generatione ponit, vel quam retentiua retinet. Diſpoſitio proprietas & proportio ſunt formæ primariæ ad arborem ſenſualem: ſicut in leone, in quo arbor elementalis habet in diſpoſitione, quod agens naturale trahat formam leonis, cum vegetatione, cum qua leo ſtat in potentia in arbore elementali, & in actu deductus in arbore ſenſuali, cum proprietate omnium triũ naturarum, & cum proportione: quæ in illis ſtat habituata, ex qua leo ſua membra habet proportionata & inſtrumenta ſua. Conditio & intentio ſunt naturæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut arbor elementalis, quæ conditionata eſt taliter, quod cum tangitur cum arbore vegetali, influit materiam & ſubiectum, in quo vegetatiua, vegetatum ædificet. Et hoc facit ignis ea intentione, vt ſit indutus ex formis vegetatis. Et vegetatio taliter conditionata eſt, quod cum ipſa ab arbore ſenſuali tangitur, dat influentiam illi ſubiecto ea intentione, vt formis ſenſatis ſit induta. Et ideo arbor ſenſualis in leone indiuiduatur per conditionem ſuam & intentionem, ſecundùm quod agens naturale tangit omnes tres naturas ipſas tangendo ſecundùm

cundùm earum conditiones & intentiones, quare sunt. Ordo & operatio sunt prima principia ad arborem sensualem, quia ratione ordinis quam habet arbor elementalis in se secundùm radices suas, truncum, & cæteras suas partes, disposita est quod ex illa vegetatum & sensatum operata sint cum ordinatione vegetationis & suæ operationis, & cum ordinatione sensitiuæ & suæ operationis. Et hoc apparet in leone, in quo est ordo & operatio naturalis secundùm naturas omnium trium arborum. Influentia & refluentia sunt causæ primariæ ad arborem sensualem. Et ideò in leone stant influentia & refluentia secundùm tres arbores, sicut elementalis, quæ influit ad principia sua finem, quare est, & illa principia refluunt illum finem ad finem vegetationis, qui refluit ad principia sensualis hoc quod ex elementali accipit, & sua principia similiter, & sensualis illam influentiam recipit ad finem, ex qua sua principia refluit. Et ideò stat leo productus de influētia & refluentia naturali omnium trium arborum. Productio ortus & exitus sunt primariæ naturæ ad arborem sensualem, sicut in elementali, in qua productus est truncus ex radicibus, & branchæ ex trunco, quæ nascuntur ex trunco, & in seipsis exeunt, quia in suamet specie nascuntur. Et cum vegetatio per agens naturale tangit productionem, ortum & exitum elementalis, producit ex ipso elementatum, quod nascitur & exit in vegetato. Et hoc idem facit sensuale, videlicet natura sensitiua, quæ producit in suamet specie leonem vegetatum & sensatum, & quia exit & nascitur in sensitiua, remanet sensatus & ex ipsa indutus. Separabilitas, inseparabilitas sunt formæ primariæ ad arborem sensualem, sicut in leone, in quo est calor naturalis, qui suum proprium subiectum non dimittit, quod est ignis, quia ab ipso discedere non potest, nec vegetatio suas branchas dimittit, quod si dimitteret, non esset hoc, quod est, nec particulares sensus à sensu communi non discedunt, sicut partes quæ suum totum dimittere non possunt. Et cum in leone hæc quæ prædicta sunt recedunt, videlicet elementatiua, vegetatiua, & sensitiua, tunc ille leo in priuationem deuenit. Et in hoc passu est significatum, quod simplicia remanent in suo numero in cōpositis. Possibilitas & impossibilitas sunt causę primarię ad arborem sensualē, sicut in arbore elementali, in qua possibile est, q; sequitur elementatum ex illa, & in vegetali, in qua possibile est, quod ex ipsa sit vegetatum, & in sensuali, in qua possibile est, quod ex illa sequatur sensatum. Et hæ possibilitates sunt, quia in quálibet arborum, quodlibet suorū principiorum ad finem se habet, propter quem est. Et ideò ex omnibus tribus arboribus potest esse leo. Et impossibile est, quod non possit esse secundùm cursum naturalem. Et est impossibile, quod leo possit esse in arbore elementali, si in sua leoncitate perderentur principia simplicia arboris elementalis, & idem est de vegetali. Similitudo & dissimilitudo sunt naturæ primariæ ad arborem sensualem, sicut in leone, in quo est similitudo äëris, ignis, terræ & aquæ, inquantum branchæ arboris elementalis, in suis ramis ponunt similitudines suas, quas leo attingit, videndo & tangendo, & ex quibus est secundùm naturam elementalem. Et vegetatiua in ipso suam ponit similitudinem, & essentiam suā: inquantum leo vegetat cibaria quæ accipit, & appetitum habet, & instin-

ctum

ctum naturalem aſſumendi ipſa, vt ex ipſis viuat. Et ſenſitiua ſimiliter, quæ in leone ſuam ponit ſimilitudinem, inquantum ipſum calorem, frigiditatem & ſaporem ſentire facit, & etiam res viſibiles videre. Ponunt adhuc arbores in leone, per corruptionem diſſimilitudines ſuas, ſicut leo, qui cum guſtum infirmum habet, videntur ei cibaria amara, quæ naturaliter ſub forma leonitatis dulcem habent ſaporem. Et idem eſt de ſuis diſſimilitudinibus, quæ ſunt ſpecies, ſicut piſcis & equus, qui ſimiles figuras non habẽt, & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis. Natura, corporalitas & tranſmutatio ad arborem ſenſualem, ſunt naturæ primariæ, ſicut in leone, omnes tres arbores ſuas ponũt naturas, ſicut ignis, qui naturam ponit calefaciendi, & vegetatiua naturam ſaporandi, & ſenſitiua naturam videndi. Item ignis & cætera elementa ponunt in leone naturam corporis, inquantum in ipſo ponunt longum, amplum & profundum, & figuras quæ ſunt circulus, triangulus & quadrangulus Et vegetatiua, & ſenſitiua ſimiliter ponunt in ipſo corporalitatem: inquantum ſunt partes corporales & ſubſtantiales. Ponunt etiam in leone tranſmutationem formarum, quæ ſunt in potentia & diſpoſitione, quod ſint in actu tranſmutatæ, ſicut vnus leo ex alio, & ſicut muto quem leo comedit, eius materia carnis eſt tranſmutata in materiam carnis leonis. Lux & vmbra ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut in leone, in quo ignis ponit lucem, quæ eſt inſtrumentum ad videndum, & aqua & terra quæ ponunt vmbram, per quam pellis leonis habet colorem confuſum. Et digeſtiua illam lucem facit in oculis digerentibus, illa quæ ducunt claritatem, & digerit vmbram, dirigendó illa de quibus vmbra venit. Et ſenſitiua lucem ponit, inquantum in ſua impreſſione ipſam accipit, & in ſua ſpecie ipſam naſci, & ſtare facit, ſicut lux ignis, quæ eſt in oculis leonis, & eſt pars illorum, quæ ita eſt ſenſata, ſicut vegetata, & idem eſt de vmbra. Et in hoc paſſu cognoſci poteſt, quod in abſentia ſolis, vel luminis ignis ſtat leo in vmbra ita contentus, ſicut vinum in ampulla. Et ideò leo facit vmbram, ſecundùm illas partes, in quibus ſol, vel lumen ipſum non tangunt. Linea, punctus & ſuperficies ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut in leone, in quo arbor elementalis, puncta ponit, lineas & ſuperficies, quæ ſunt de ſua eſſentia & natura. Puncta verò ſunt, ſicut ſunt radices, & lineæ ſunt longum, amplum & profundum, & branchæ arboris eſt ſuperficies ex amplitudine & participatione linearum, & de contiguatione, quæ eſt inter vnam & aliam, & puncta quæ vegetatiua ponit in leone, ſunt ſuæ radices, & lineæ ſunt ſuæ branchæ, & ſuperficies eſt ſicut ſapor, quæ eſt ſuperficies in medio tactiui exiſtens, qui ipſum ſaporat. Et idem eſt de ſenſitiua, quæ in ſapore ponit ſenſum & oculos, quæ ſuperficiem attingunt, & ſua puncta ſenſata in ſentiendo, videndo, audiendo, & lineas ſenſatas, ſicut ſunt ſuæ branchæ. Rectitudo & figura ſunt prima principia ad arborem ſenſualem, ſicut in leone, in quo arbor elementalis, ſex ponit rectitudines, inquantum leo eſt in illa contentus, quę verti poſſunt, ſecundùm quod leo ſe vertit in parte dextra, vel ſiniſtra. Ponit etiam in ipſa figuram circularem, triangularem & quadrãgularem: ſecũdùm quod in ipſo maniſ ſtè apparet, & ſecundùm hoc quod de figura

in

feſtè apparet, & ſecundùm hoc quod de figura in ſuo tractatu, dictum eſt. Et vegetatiua in leone ponit rectitudines, quia illa quæ ex comeſtione digerit, quæ comedit, expulſiua inferius in fæces proijcit, & digeſtiua ſuperius, & in omnes partes, inquantum dat ad cerebrum, & ad caudam, & ad brachia dextrum & ſiniſtrum, & ad pedes & ad dorſum altum & infimum, & in illo ponit figuram digeſtam in ſpecie leonis, quæ in ſemine cruda fuit & confuſa. Senſitiua verò ponit rectitudines in ſex ſenſibus ſenſatis, & figuram leonis in extremitatibus illorum in ſuperficie ſenſata. Maſculinitas & fœmininitas ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut arbor elementalis, quæ in leone ponit maſculinitatem ratione naturæ, quam habet à bonificatiuitate, magnificatiuitate, aërificatiuitate, & ſic de aliis formis maſculinis. Et ponit in illo fœmininitatem ratione naturæ bonificabilitatis, magnificabilitatis, ignificabilitatis, & ſic de cæteris materiis fœmininis. Et ratione huius ſunt in ſpecie leonitatis leo & leoniſſa: & vegetatiua in illis ponit ſuas naturas maſculinas & fœmininas, videlicet vegetatiuitatem, & vegetabilitatem. Et idem de ſenſitiua, quæ ponit in illis naturas maſculinas & fœmininas, ſicut ſunt ſenſitiuitas, & ſenſibilitas. Et ideò leo eſt in leoniſſa agens naturale in elementando per elementare, & in vegetando per vegetare, & in ſenſando per ſenſare. Membroſitas & inſtrumentalitas ſunt naturæ primariæ in arbore ſenſuali: ſicut in leone, in quo elementatiua potentia ponit membra & inſtrumenta, ſecundùm quod ſignificatum eſt in ramis & in floribus ſuæ arboris ponendo ſua membra, videlicet cor, epar, caput, & brachia. Ponit etiam inſtrumenta, in quantum ponit manus, & pedes, & oculos, & elementare. Et vegetatiua in illo ponit membra ſecundùm generationem, corruptionem, & priuationem, & renouationem formarum veterum, & nouarum, & ponit inſtrumenta, in quantum ponit humidum nutrimentale, quo vtuntur formæ in ſaporando & digerendo in aliis. Et ſenſitiua membra ponit, ſicut viſitiuum, viſibile, & videre, quæ ſunt membra & rami viſus: & ponit inſtrumenta, ſicut videre quod eſt flos, qui non eſt de eſſentia viſus nec viſitiui, & ſic de aliis. Nutrimentum & impreſſio ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem, ſicut in leone, in quo elementatiua potentia ponit nutrimentum ſecundùm naturam quam habet nutriendi: ſicut bonitas & magnitudo, quæ bonum & magnum durare nutriunt, & ignis qui nutrit ſuum calorem in aëre & in terra calefaciendo, & ponit impreſſiones ſuæ ſpeciei, in hoc quod leo eſt ex quatuor elementis, & habet radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus, ſecundùm quod in arbore ſenſuali ſignificatum eſt. Et vegetatiua ponit in leone nutrimentum, in quantum dat ei potentiam nutritiuam, cum qua nutrit ſemetipſum ex cibariis quæ accipit, & in illo ponit ſuam impreſſionem, in quantum ei dat appetitum & alias branchas, & idem eſt de ſuis ramis, & cæteris partibus arboris vegetalis. Et potentia ſenſitiua ponit in leone nutrimentum, in quantum in ipſo nutrit videre, guſtare, tangere, &c. etiam ponit in ipſo ſuam impreſſionem, in quantum in ipſo ponit viſibilitatem, quæ eſt impreſſio viſitiuitatis, & videre quod eſt impreſſum ex ambabus potentiis, & ſic de cæteris partibus ſenſitiuæ. In-

ſertio & perſeitas ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem exiſtentes in naturis trium arborum, ſicut in leone, in quo elementatiua ponit inſertionem ſecundùm naturam inſerendi, quam in ſe continet:ſicut ignis qui in ſuo calore inſerit aërem, ex qua inſertione exit humiditas calida. Et ponit in leone perſeitatem, cum facit ipſum eſſe per ſe elementatum & vnam ſubſtantiam per ſe ſtantem, & etiam facit ipſam eſſe per ſeipſam elementantem, in quantum ipſum facit alium leonem generare & elementare. Et vegetatiua ponit in leone naturam inſerendi, quam habet inſerendo in materia carnis, quam comedit, materiam ſuæ ſpeciei, quæ eſt leonina. Et ponit in ipſo perſeitatem, in quantũ eſt per ſe ipſum vegetans vegetando cibaria, quæ accipit in ſua ſpecie, in qua naſcuntur & exeunt. Et ſenſitiua ponit ſuam inſertionem, in quantum inſerit ſentire in branchis leonis, & in cæteris ſuis partibus. Et ponit perſeitatem in quantum ipſum facit per ſeipſum ſenſatum, & ipſe ſenſare facit alterum leonem per viam generationis. Indiuiduitas & attractio ſunt naturæ primariæ ad arborem ſenſualem, & ſunt naturæ omnium trium arborum, quæ ſe ponunt naturaliter in leone, ſicut indiuiduitas arboris elementalis, vnde ſequitur ſubſtantia elementata, exiſtente vno leone ex alio ex branchis & ramis arboris elementalis in ſpecie leonina. Qui quidem leo habet attractionem, quæ eſt de attractionibus arboris elementalis, ſicut ex attractione, quam ignis habet in trahendo ſiccitatem ad ſe de terra, & aër calorem ab igne. Per quam attractionem leo attrahit ad ſe materiam cibariorum, quæ aſſumit, ipſo habente naturam attractiuam per elementa. Et vegetatiua in ipſo ponit indiuiduatum, in quantum digeſtiua naturam habet indiuiduandi vnam partem ab alia, & expulſiua ſimiliter, ponit etiam adhuc vegetatiua attractionem in leone, in quantum attrahit ad ſe ſpecies cibariorum quæ aſſumit. Et ſenſitiua ſimiliter proponit in leone, in quantum ex ſua ſenſitiuitate & ſenſibilitate generali ſcindit & indiuiduat ſenſitiuitatem & ſenſibilitatem, quam in leone producit quem generat. Ponit adhuc in leone attractionem ſenſitiuitatis & ſenſibilitatis, ex quibus ſentire procedit extenſum in guſtare, videre, audire, odorare, & ſic de aliis. Neceſſitas & contingentia ſunt prima principia ad arborem ſenſualem, ſecundùm quod ſignificatum eſt in hoc quod in earum tractatu dictum eſt:ſicut in leone, in quo arbor elementalis ſuas ponit neceſſitates, quoniam ſi truncus eſt, oportet quod ſint radices, & ſi accidens eſt, oportet quod ſit ſubſtantia. Et propter hoc leo habet truncum de neceſſitate, & quia in ſe habet calorem, oportet de neceſſitate quod in ſe habeat ſubſtantiam ignis. Item neceſſarium eſt leoni comedere ratione qualitatum contrariantium, quæ ſunt ſuæ partes. Ponit etiam elementalis potentia in leone contingentiam ſecundùm contingentiam, quæ eſt ſuprà, & ideò leo caſu naſci poteſt contractus:& inuenire etiam poteſt à caſu aliquam beſtiam, quam inuenire non intendebat, ſicut ſerpentem, aut hominem. Et in leone vegetatiua ponit neceſſitates, quia ſi in ipſo eſt vegetate, neceſſarium eſt ei comedere. Et ponit in illo contingentiam ſecundùm contingentiam, quæ eſt ſuprà, de qua in ſuo tractatu dictum eſt. Et ſenſitiua in leone ponit neceſſarias cauſas, ita quod ſi habet videre, oportet quod

quod habeat viſitiuum & viſibile. Et etiam ponit in illo contingentiam in priuatione videndi ratione cæcitatis, circa quam peccant elementatiua & vegetatiua in organo videndi. Et in hoc paſſu eſt ſignificatum, quod ſenſitiua eſt nobilior potentia quàm elementatiua & vegetatiua: ſicut ignis qui ſemper combureret, ſi ligna haberet. Perfectio & imperfectio ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem, ad quam ſunt primariæ per tres naturas arboris, ſicut in leone elementatiua, quæ in illo ponit corpus completum, cùm ſuam habet ætatem, & hoc facit ex complemento, quod elementatiua habet in trunco generali ſub ſpecie corporalitatis. Et in leone ponit imperfectionem, in quantum in ipſo ponit elementationem in potentia, in quantum poteſt elementare alium leonem in generando, qui quidem leo qui ſtat in potentia completus non eſt. Et vegetatiua ponit in leone perfectionem, in quantum in ipſo ponit branchas ſuas. Et in ipſo ponit defectum, in quantum ipſe ſuſtineri non poteſt, niſi comedat & bibat, quia in ſe habet vegetare & conſumptionem ſuarum partium per corruptionem. Et ſenſitiua ponit in illo perfectionem in videndo, audiendo. Et defectum accidentalem, cum ſibi dat afflictionem per ſenſum, quem habet à calore, frigiditate, fame, & ſiti. Vita & color ſunt cauſæ primariæ ad arborem ſenſualem: ſicut in leone, qui eſt viuus per vitam, & eſt coloratus per colorem, & hoc ſecundùm naturam trium arborum. Eſt viuus per arborem elementalem, in quantum viuit ex cibariis elementatis. Et coloratus eſt per colores quatuor elementorum generalium ad ſuum colorem. Eſt viuus per vegetatiuam, quæ vegetat illa, quæ comedit, ipſa tranſmutando in ſpeciem leonis. Et colorem habet per vegetatiuam, quæ colores generales digerit in ſpecialem colorem, quia ſicut tranſmutat aquam, quam bibit in ſanguinem, ſic colorem aquæ in colorem leonis tranſmutat, ſicut in hominibus, qui comedunt cibaria nimis calida, vegetatiua vegetat in ipſis colorem croceum in oculis & in facie. Et ſenſitiua ponit in leone vitam: per quam calorem ſentit, famem & ſitim, & in ipſo ponit colorem ſanguinis, & ei dat virtutem, quod colorem videre poſſit. Sonus, odor & ſapor ſunt naturæ primariæ ad arborem ſenſualem, quę ſunt ex parte trium arborum generalium, ſicut elementalis natura, quæ ponit aures in leone, quæ inſtrumenta ſunt ad audiendum & ponit naſum, qui inſtrumentum eſt ad odorandum, & in ipſo ponit guttur, qui inſtrumentum eſt ad guſtandum. Et vegetatiua ponit in leone naturam audiendi, in quantum digerit ſonum ad audibilitatem per naturas calidas & ſiccas, quæ plus reddunt de ſono quàm illæ, quæ ſunt ex aliis complexionibus, & apparet in tonitruo, quod eſt de vaporibus calidis & ſiccis, etiam per retentiuam (quæ eſt vna brancha vegetatiuæ) retinetur ille ſonus in auribus. Ponit etiam odorabilitatem, in quantum digerit odores ad odoratiuitatem, quoniam ſicut aquam digerit in ſanguinem, ſic digerit odores in odorabilitatem. Et hoc facit vegetatiua in guſtare, quæ digerit guſtabilitatem in hoc, quod ipſam ponit in diſpoſitione guſtandi, ſicut natura quæ ponit in ferro diſpoſitionem claui. Et guſtare ponit in potentia vegetatiuam & ſenſitiuam quæ quidem ſenſitiua ipſam ducit in actu in leone, in quantum ei dat naturam gu-

statiuam. Ponit etiam in ipso odorare & audire, in quantum ei dat potentiam auditiuam & odoratiuam. Et in hoc passu cognosci potest, quomodo vegetatiua obiecta quæ sunt extra disponit cum elementatiua ad obiecta, quæ sunt intrà, quæ sunt ex natura sensitiuæ, in quibus ipsa accipit sensitiua. Tactus & affatus sunt formæ naturales & primæ ad arborem sensualem, sicut leo, qui tactum habet per arborem elementalem, in quantum in ipso ponit quantitates discretas sub forma molli, aut sub forma dura in tangendo. Ponit adhuc in ipso affatu linguam quæ est elementata, & quæ est instrumentum & organum ad affandum. Et vegetatiua ponit in tangere saporem digestum & in dispositione & potentia positum, vt sentiri possit & affari, ponit in potentia & in dispositione quod auditi possit. Et sensitiua ponit in tangere sentire, sicut leo, qui cum tangit aquam frigidam cum lingua, sentit frigiditatem, & cum clamat, suam vocem sentit, & adhuc sentit vocem aliorum entium cum sua potentia auditiua, quæ est brancha sensus. Vigilatio & dormitio & somnium sunt potentiæ primæ ad arborem sensualem secúdùm naturas trium arborum, quia natura elementalis ponit in leone vigilationem in quantum famescere facit, & sua necessaria imaginari per nimium calorem aut frigiditatem, humiditatem aut siccitatem. Et in dormire ponit naturam quiescendi, in quantum cessat humorum contrarietas, qui excitant ipsum ad vigilandum, quorum contrarietatem leo sufferre non potest, & ideò dat ei natura in dormitione quietem. Et natura elementalis ipsum somniare facit, in quantum suam imaginationem stare facit inter vigilationem & dormitionem ratione impressionum, quæ se habent ad omnes partes, videlicet ad vigilandum & dormiendum, & ideò homines qui sunt complexionis calidæ & siccæ, somniant colores croceos, & siccitates, & prælia. Et quia anima requirit recolere, intelligere & amare, & ignis requirit calefacere & desiccare, in dormitione loquuntur de rebus quæ sunt de natura calida & sicca, & similiter de præliis. Vegetatiua ponit in vigilare suam naturam, in quantum præparat leoni saporem comestionis, & in ipso ponit suam naturam dormitionis, in quantum ipsum dormire facit, vt melius digerere possit cibaria, quæ ita bene digerere non potest in vigilando, quia formæ sensitiuæ ipsum impediunt, in quantum se habent ad sua obiecta sensibilia. Et suam naturam ponit in somniare, in quantum digerit species fantasticas, quas imaginatio accipit cum iuuamine sensuum. Quæ quidem species fantasticæ sunt inter vigilare & dormire. Et sensitiua ponit in vigilare suam naturam, in quantum sensus vti facit sentire. Et in dormitione naturam ponit quiescendi in quantum potentiæ fessæ sentiendi quietem habent in dormitatione. Et ponit in somniare species sentiendi confusas, quæ sunt inter vigilare & dormire. Gaudium & ira sunt formæ primæ ad arborem sensualem secundùm naturas trium naturarum arborum generalium, sicut in leone, in quo natura elementalis est ratio ad placitum quod habet per suam vigentem fortitudinem, cum qua potestatem habet vincendi alias bestias. Et in illo ponit dispositionem ire per frigidum, & per calidum, & per famem, & per sitim, & per infirmitatem. Et vegetatiua ponit secundùm suam naturam placitum in leone, in quantum

tum cibaria digerit, quæ accipit tali modo, quòd ipsum sanum stare facit, & ei ministrat placitum per saporem & tactum, quem facit in leonissam. Ponit etiam in illo iram per contrarium modum placiti. Et sensitiua ponit in illo placitum per videre, & per sentire sapores bonos. Ponit etiam in illo iram, in quantum ipsum sentire facit contraria ad viuendum, sicut sunt fames, sitis & dolor. Sanitas & infirmitas sunt formæ primariæ ad arborem sensualem, sicut leo, qui per sanitatem est sanus, & per infirmitatem infirmus. Et istę impressiones sunt per naturas arborum, sicut elementatiua, quæ per temperatas complexiones est ratio sanitatis, quæ est in leone, & per distemperatas complexiones est ei ratio infirmitatis. Et digestiua ei est occasio sanitatis tunc: cum digerit cibaria, secundùm quod oportet. Et quando peccat in sua operatione, infirmitatem in leone ministrat. Et sensitiua sanitatem ministrat per sentire placitum in comedendo & bibendo, quia sapor sentitus naturam viuificat. Et ideò de placito quod habet leo in videre ea quæ sibi placent. Et per contrarium sensitiua infirmitatem ministrat in leone. Industria est forma generalis ad industrias animalium, quæ industria sustentata est in potentiis generalibus, videlicet elementatiua, vegetatiua & sensitiua: sicut leo qui industriam habet ad venandum secundùm elementatiuam, quæ accipitur supra in instinctu naturali ignis, & in eius appetitu, qui modum habet aquam calefaciendi, calefaciendo aërem quem calefacit: vt in humiditate calefacta, quam aër dat aquæ: transeat ignis ad calefaciendum & mortificandum aquam. Item ignis habet modum calefaciendi aërem influendo in illo calorem desiccatum, vt cum sua siccitate humiditatem existentem in aquam possit mortificare, vt aqua beneficium ab aëre non recipiat. Consimili modo vegetatiua est ratio leoni, quod habeat industriam secundùm suum modum generalem, quem habet in suis branchis: sicut leo, qui modum habet existendi in locis calidis, quando fit frigus, & in locis frigidis, quando viget calor. In quo modo digestiua melius potest operari secundùm naturam sensitiuæ, quæ ei ministrat loca frigida, quando habet calorem, & loca calida, quando habet frigus. Et adhuc se facit inuisibilem de nocte bestiis, quia timorem habent de illo, quando ipsum vident, & ideò plus venatur de nocte quàm de die. Substantia, essentia & ens sunt formæ generales & primæ ad arborem sensualem: sicut in leone, in quo substantia elementalis, & generalis ponit substantiam specialem & indiuiduatã ex quatuor massis deriuatam, essentia cuius est leoncitas, quæ est ex natura elementali, in quantum hoc quod in leone videri potest, & tangi. Et idem est de sua entitate elementata. Et idem facit vegetatiua, quæ vegetando conseruat speciem leonis. Et sensitiua similiter, quæ sensando aut sentiendo conseruat, & ipsum generat cum agente naturali. Et leoneitas quæ est essentia leonis, est per vegetationem & per sensum, quia sine vegetare & sentire essentia stare non possèt suprà substantiam, quæ stat sub essentia per vegetare & sentire, quæ sunt de entitate substantiæ & essentiæ. Et in hoc passu potest homo cognoscere, quod substantia est in particularibus sub essentia & operatione illius, sicut bonus sub bonitate. Et adhuc cognosci potest quod

essentia & substantia stant sub entitate. Et in hac cognitione multum de philosophia habetur. Et adhuc ea quæ dicta sunt de centum formis applicatis ad indiuiduatum arboris sensualis. Quæ applicatio subiectum est generale, in quo datur doctrina habendi artem & modum ad applicandum centum formas ad inuestigandum veritatem entium secretorum sequendo modum, quem terminus inuestigandi secreta & naturas cum centum formis, & indiuiduatum, elementatum, vegetatum & sensatum cum naturis elementalibus, vegetalibus, & sensualibus.

DE ARBORE imaginali.

ARbor ista in septem, vt aliæ, diuiditur partes, scilicet, in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt principia generalia imaginata in similitudines illorum realium in imaginatione sumpta.

Truncus est trunci realitas aliarum arborum imaginati in similitudinaria accepti.

Branchæ sunt similitudines brancharum aliarum arborum imaginatæ.


Rami sunt similitudines ramorum aliarum arborum imaginatæ.

Folia sunt similitudines foliorum aliarum arborum imaginatæ.

Flores similiter sunt similitudines florum aliarum arborum imaginatæ.

Fructus sunt similitudines fructuum aliarum arborum imaginatæ.

De



De Arbore imaginali.

ARBOR ista est de similitudinibus & impressionibus. Et diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. Et est de similitudinibus arboris elementalis, vegetalis, & sensualis, quoniam in quantum est generalis, in illis est inserta & cum illis mixta: sicut vegetalis in elementali, & sensualis in vegetali. Et similitudines ex quibus est, sunt masculinæ & fœmininæ: masculinæ sunt per bonificatiuum, magnificatiuum, & cæteras formas. Est ex similitudinibus fœmininis per bonificabile, magnificabile, & cæteras materias. Et propter hoc in se continet imaginatiuum, imaginabile, & imaginari,

nari, quod est similitudo bonificare, magnificare,& cæterorum actuum. Et imaginatiuum est similitudo bonificatiui,& magnificatiui & cæterorum. Et imaginabile est similitudo bonificabilis & magnificabilis & sic de aliis. Arbor ista est de imaginatione, quæ est creatura vt plurimùm necessaria animalibus, quia absque illa viuere non possunt, nec se possent habere ad obiecta sensibilia: sicut leo qui ad fontem redire non posset absque imaginari, neque similiter auis ad suum nidum,nec homines ad domum,nec antequam domus esset, ipsam facere scirent, nec sine imaginatione clauum, tunicam,nec nauem facere scirent,nec habitus scientiarum haberent, neque alia quæ necessaria sunt ad viuendum, neque memoriam rerum transactarum haberent. Hæc arbor videri non potest nec tangi. Et in quantum imaginabilitas est in corporibus inanimatis,& in quantum imaginatiuitas,imaginabile, & imaginari est in animatis corporibus, in animatis corporibus est sicut in igne & in aëre, qui assimilantur in calore, & sicut speculum, quod accipit vmbram & figuram plantæ, quæ similantur ad diaphanitatem in vmbra,& est in animatis, qui similantur in speciebus, sicut Petrus & Martinus, qui similantur in specie hominis,& sic de aliis rebus similibus istis.

De Radicibus arboris imaginalis.

RADICES arboris imaginalis sunt similitudines radicum realium de quibus in arbore elementali, vegetali, & sensuali dictum est: sicut similitudo bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis.& cæterarum radicum, etiam similitudo vnitatis, & pluralitatis, & cæterarum consimiliũ formarũ,de quibus dictum est. Et suæ radices sunt ita generales ad similitudines specificas: sicut sunt radices reales, & generales ad specificas, secundùm quod in exemplis quæ dedimus, dictum est. Bonitas suam dat similitudinem magnitudini, in quantum magnitudo est bona per bonitatem, & magnitudo dat suam similitudinem bonitati in quantum bonitas per magnitudinem est magna, & ex his similitudinibus realibus est imaginatio arbor ex similitudinibus & impressionibus, & quæ accipit similitudines radicum: sicut cera, quæ accipit similitudinem literarum sigilli,& speculum quod accipit figuras quæ sunt ante ipsum: & sicut homo qui imaginatur equum, quem vidit in quo imaginatur bonitatem in quantum bonus est ad currendum, & in ipso imaginatur magnitudinem,quia ipsum vidit magnum, & quia ipsum vidit pulchrum imaginatur in ipso pulchritudinem sicut magnitudinem, quæ est pulchritudo bonitatis, quoniam pulchrum est bonitati quod sit magna. Vnde sicut potestatiua, sensitiua naturam habet & proprietatem, quod in sua specie sentiat saporem pomi, quod homo comedit, quam non sentit in specie pomi, sed in essentia sua: sic imaginatiua accipit & attingit similitudines reales in semetipsa, in qua digestiua ipsas digerit. Et in his similitudinibus quas accipit in imaginatiua à bonitate, magnitudine & cæteris radicibus sunt naturæ arborum realium, quæ sunt imaginabiles, quia cum imaginatiua participat, quæ in ipsis generaliter est extensa:sicut ignis & cætera elementa, quæ in elementatis figuram faciunt, & ponunt in illis colores: sicut in equo elementato, in quo est figura

figura & color, qui boni ſunt & magni. Et quia ex ſimilitudinibus realibus ſimilitudines fantaſticæ deſcendunt, ſicut accidentia quæ exeunt ex ſubſtantia accipit imaginatiua ſimilitudines reales ab equo, quæ bonæ ſunt & magnæ, & ipſas accipit cum ſenſitiua, quæ eſt inſtrumentum ad illam receptionem, quam attingit videndo colorem & magnitudinem, & digeſtiua ipſas ſpecies fantaſticas digerit, in quantum diſpoſitæ ſunt, quod ſint imaginatæ, & cum imaginatiua ſunt potentialiter in obiectis cum iuuamine ſenſitiuæ, ſecundùm quod dictum eſt. Et ſic omnes tres naturæ arborum realium diſponunt, quomodo imaginatiua earum ſimilitudines accipiat, quæ apparent in bonitate & magnitudine equi.

De Trunco arboris imaginalis.

TRVNCVS arboris imaginalis eſt ex ſimilitudinibus communis & confuſus, & conſtitutus eſt ex eſſentiis & naturis radicum ſuarum, & in ipſo ſunt potentialiter ſimilitudines ſpecificæ, quas ex ipſo agentia naturalia & animata attrahunt vlterius non animata. Inanimata ſunt: ſicut figura plantæ terræ vel equi, quæ apparent in ſpeculo vel in vmbra aut in aqua, aut in vmbra quam arbor facit in terra ratione ſolis, & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis. Quare truncus ſecundùm quod tangitur ex ſui natura, reſpondet ad tactum: per quem tangitur per agentia naturalia, quia ſi per bonitatem tangatur, reddit ſimilitudinem bonitatis, & ſi per magnitudinem, ſimilitudinem magnitudinis: ſicut Deus, qui eſt iuſtus, miſericors & humilis, quia ſi tangatur cum iuſtitia, iuſtitiam reddit, ſi cum miſericordia, reddit miſericordiam, & ſi cum humilitate, reddit humilitatem. Conſimili modo facit truncus imaginatiuæ, quia ſi bonitatem imaginatur in ſpecie equi, reddit ei bonam ſimilitudinem equi, & imaginatiua ipſam accipit in ſua natura, in qua ducit de potentia in actum: ſicut ignis, qui cum calefacit aquam frigidam, ducit calorem in actum, qui ante ſtabat in potentia. Hæc ſimilitudo ſtat in duobus modis. Vnus modus eſt in quantum non eſt accepta per imaginationem: ſicut vmbra plantę in ſpeculo vel in aqua, vel in terra, quæ eſt ſimilitudo ſimilitudinum realium, elementatiuum, ita quod planta non imaginatur illam ſimilitudinem, neque ſpeculum aqua, neque terra illam ſimilitudinem imaginantur, quia non ſunt ſubſtantiæ animatæ, imaginabilitas tamen cum illis participat in trunco generali, qui eſt de natura elementali, vegetali, ſenſuali, & imaginali. Et propter hoc ſecundus modus ſimilitudinis eſt per agens naturale animatum: ſicut equus vel homo, qui potentiam habent imaginatiuam, quæ vmbram plantę accipit in aqua vel in terra illam vmbram imaginando. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod imaginabilitas eſt duobus modis. Vna eſt, quæ diſpoſita eſt quod imaginata ſit: ſicut vmbra plantæ, quæ apparet in ſpeculo, vel in aqua aut in terra. Alia eſt imaginabilitas, quæ eſt ex eſſentia imaginationis coniunctæ cum imaginatiuitate maſculina in animali, quæ cum ſua imaginabilitate & in ſua imaginabilitate ſtat in vna ſubſtantia indiuiduata & ſub vna & eadem ſpecie. Et in ſua imaginabilitate attingit imaginabilitatem extra ſuſtentatam in vmbra plantæ. quæ in ſpeculo, aqua & in terra eſt ſimilitudo plantæ, quam

similitudinem accipit animal, sicut homo, qui imaginatur illam similitudinem plantæ. Et truncus huic vmbræ reddit similitudinem bonitatis, in quantum illa imaginatio est bona, & magna est in hoc quod magnam facit operationem, & ideò similitudinem reddit magnitudinis. Et quia operationes transactæ durant per imaginationem, quæ ipsas reddit à trunco exit similitudo durationis. Et idem est de potestate, quoniam magna potestas stat in illo imaginari, quia ex trunco exit magna similitudo potestatis, & idem est de instinctibus naturalibus & appetitibus & de aliis similitudinibus, quæ sunt ex formis realibus & generalibus, quæ imaginabiles sunt iuuantibus quibusdam formis aliis: vt sint imaginatæ earum similitudines. Ita sub ratione imaginationis: sicut bonæ sunt sub ratione bonitatis, & magnæ sub ratione magnitudinis, & sic de aliis.

De Branchis arboris imaginalis.

BRANCHÆ arboris imaginalis similitudines sunt brancharum aliarum arborum: sicut vestigia pedum, quæ sunt similitudines pedum per operationem, sic branchæ imaginatiuæ sunt impressiones operationum, quas faciunt arbores reales & naturales. Et de hoc exemplum dabimus breuiori modo quo poterimus, vt melius cognitionem imaginationis dare possimus.

De Similitudine ignis.

IGnis simplex videri non potest neque tangi, & sua similitudo stat in ramis, videlicet in igne composito, qui est suum opus: sicut flamma, quæ visibilis est & composita ex quatuor elementis: sed quia in illa plus est de igne quam de aliis elementis stat similitudo ignis in illa & non aliorum, & ex hac similitudine imaginatio imaginatur ignem simplicem, & similitudinem accipit à flamma & non flammam. Et hæc similitudo exit de imaginabilitate flammæ, quæ visibilis est, quam imaginatio in suam propriam imaginabilitatem conuertit, quæ est, pars animalis, quod flammam imaginatur. Vnde sicut ignis qui cum medio transit ad aquam (hoc est per aërem) sic imaginatiua cum vna similitudine aliam accipit similitudinem: videlicet cum sua similitudine reali, quæ est pars animalis imaginatiui, accipit similitudinem flammæ ignis, quæ est similitudo fantastica, depurata & digesta in cerebro, quæ exit de imaginabilitate reali flammæ, quæ stat inter imaginabilitatem realem animalis & imaginabilitatem flammæ: sicut somniari, quod est in medio dormiendi & vigilandi. Et hæc imaginabilitas, quæ est inter duas imaginabilitates reales, est species fantastica imaginationis, quæ non est de sua essentia: sicut accidens, quod non est de essentia substantiæ. Et est operatio imaginandi & instrumentum cum quo imaginatiua transit ad imaginandum ignem simplicem imaginando suam similitudinem, quæ visibilis est quę est flamma. Veruntamen ignis simplex in figura imaginari non potest: sed in qualitate, videlicet in calore vel in leuitate aut in colore. Et in hoc passu cognoscitur quomodo imaginatio species multiplicat, quæ sunt similitudines entium realium.

De

De Similitudine appetitiua.

APpetitiua est vna de branchis arboris vegetalis: cuius similitudo est vna de branchis arboris imaginalis: sicut similitudo ignis, quæ est vna ex brãchis arboris imaginalis. Appetitiua est ens reale in arbore vegetali, & suã similitudinem accipit animal in suis appetitibus naturalibus: sicut homo, qui naturalẽ habet appetitum ad comedendum & bibendum, & sic de aliis sensibus. Et ideò naturalem habet inclinationem ad imaginandum res appetibiles, quas cum imaginatiuitate imaginatur. Et quia imaginatiuitas & imaginabilitas se habent relatiuè: ideò imaginatiua accipit cũ similitudine imaginatiuitatis suam met similitudinem masculinam, & cũ sua similitudine masculina accipit similitudinẽ fœmininã ab obiecto imaginabili & appetibili sub ratione coloris, saporis, vocis, odoris, aut tact⁹. Et sic imaginatio similitudinem accipit à potẽtia retentiua, digestiua & expulsiua. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo imaginatiua similitudines accipit ex arbore vegetali.

De Similitudine Visus.

SImilitudo videndi est brãcha imaginatiuæ in qua imprimuntur res visibiles, sicut imaginatiua hominis aut araneæ, qui propter hoc, quia vidit domum, cum est in absentia illius: illã domum imaginari potest, & aranea telam, quam facere desiderat: & imaginari est species multiplicata de imaginabilitate sustentata in camera visibili, composita ex quatuor elementi, in quibus imaginatiua generalis est inserta cum visibilitate elementorum compositorum. Et cum visitiua potẽtia mat etiam tetigerit, & figuram cameræ, quando homo est in absentia cameræ, aut clauserit oculos: imaginatiua attrahit à visibilitate similitudinẽ, quæ est species fantastica in imaginatiua accepta & impressa, & sic imaginabilitas remanet ens reale significatum per visibilitatem rei. Et similitudo imaginabilitatis est operatio imaginatiuę, quæ illam similitudinem imaginabilitatis accipit per videre in seipsa, & in sua propria imaginabilitate, quæ cũ imaginabilitate cameræ habet concordantiam in specie. Et instrumentum est visibilitas cameræ, cum qua imaginatiua similitudinem trahit ab imaginabilitate camerę, & ponit in sua propria imaginabilitate: cum qua est coniũcta in homine, qui suam imaginatiuam mouet ad imaginandum cameram. Et in hoc passu cognoscitur natura & modus, quem imaginatiua habet in multiplicando species, quas trahit ab imaginabilitatibus cum instrumento, quod est videre: de quo dictum est.

De Similitudine Auditus.

SImilitudo auditus est vna brancha arboris imaginalis: sicut homo, qui audit aliquam notam aut aliquos sermones, qui sũt audibiles in auribus & in aëre, q sũt partes arboris elemẽtalis: in quibus audibilitas sustẽtatur & disponitur, quod audiatur, & stat in potẽtia, quod audiat per auditiuum, quod est de essentia sensus, quod audibilitatẽ accipit: quæ est extra disposita in sua audibilitate intrà, quæ est de essentia sensus & pars hominis, qui audit sermones. Et ideò imaginatiua quæ extẽsa est per aërem & per aures: & sic de aliis partibus: sicut forma in arbore elementali extensa cum tangitur per imaginatiuum speciale, (quod est de sua

natura) reddit imaginabilitatē specialē in sermonibus auditis: quos acc p.t imaginatiuum in illis cū audire: quod est instrumentum à quo trahit similitudinem imaginandi, quę est ita vestigiū & impressio audiēdi: sicut vestigiū pedis in cinere. Et in hoc passu datur doctrina: quomodo imaginatiuum multiplicat species & ipsas trahit ex similitudinibus audibilitatis cum instrumento, quod est audire.

De similitudine Odoratus.

SImilitudo odoratus est vna brāchia arboris imaginalis, cum qua animal imaginatur odorabilia, & hoc secundùm illum modū diximus in similitudine videndi. Imaginari quod est de odorabilibus, non est secundum figuram circularem, quadrangularem, nec etiam secundum triangularem: quia deficit corpus solidum in quo formaretur illa figura odorationis, inquantum non habet superficiem, quæ sit visibilis oculis, sed imaginatio imaginatur figurā odorationis sub specie pomi, aut arboris, aut rosæ. Et ideò imaginatiua transit ad imaginādum obiectum in quo odoratio sustentatur, & mouet se imaginatiuum ad imaginandum delitias, quas odoratiuum in illis obiectis assumit.

De similitudine Gustus.

SImilitudo gustus est vna brancha arboris imaginalis, & imaginari est similitudo gustus multiplicatū ex gustabilibus, videlicet ex similitudinibus illorum: sicut homo qui in pomo imaginatur dulcedinem, & in thure amaritudinem. Et dulcedo & amaritudo sunt entia realia, & similitudines quas imaginatiuum trahit, sunt species fātasticæ sustentatæ in natura imaginationis masculinæ cū instrumento, quod est gustare, quod accipit dulcedinē & amaritudinem per attractionem sēsus masculini, qui ad se trahit naturam sensus fœminini: & fœmininus inquātum se disponit ad attractionem ratione appetituum naturalium, ad se attrahit naturam masculinam.

De similitudine Tactus.

TActus est vna brancha sensus: secundùm quod dictū est, & eius similitudo est illud, quod imaginatiua trahit ad suam speciem, inquantum imaginatur operationes tangendi: sicut homo, qui tangit ferrum calidum, aut aquam frigidam, aut fœminā: quē tactum sensus sentit: in quo imaginatio est seminata & inserta, & quæ respōdet imaginatiuæ in specie & natura imaginabili, quæ est pars animalis. Et propter hoc imaginatiuum trahit speciem fantasticam, quod est imaginari quo indutum est tangere, quod est ens reale, & eius vestimentum est similitudo fantastica, quæ est operatio imaginationis. Et propter hoc quando homo imaginatur tactum quē fecit fœminæ: illa similitudo mouet calorem naturalē & instinctū ad generationē, & appetitum similiter ad cōseruationē speciei humanę. Et hoc est, quia tactus & imaginatiua sunt mixtæ naturæ & potentiæ adinuicem cum quantitate continua. Sed quia imaginatio est vna essentia, & tactus alia essentia, & species sunt distinctæ, stant in quantitate discreta.

De similitudine Affatus.

AFfatus est vna brāchia sensus secūdum quod suprà probatum est. Ex quo affatu imaginatiua trahit similitudinem,

dinem, ſicut ignis, qui cum aquam frigidam calefacit:calorem qui in illa aqua erat potentialiter, trahit in actu,de quo quidem calore frigiditatẽ aquę induit, quę quidẽ aqua ſtat intra calorem, & ille calor tractibilis eſt de eſſentia caloris attractiui. Simili modo imaginatiua trahat ſuam ſimilitudinem de affatu, in quo ſtat in potentia, in quantum affatus eſt imaginabilis ratione conceptionis interius in voce manifeſtatæ, ex qua ſimilitudine imaginatiua affatum induit in ſua propria imaginabilitate diſtincta in ſubiecto & non in ſpecie ab imaginatiuitate, in qua affatus eſt indutus ex ſimilitudine fantaſtica, quæ exit de imaginatione generali, quæ eſt ens reale per ſpeciale racta, quæ ſpecialis eſt pars imaginatiui indiuiduati in ſpecie humana, vel in ſpecie equi, & ſic de aliis. Et ideò ioculatores ante imaginantur notas quas intra concipiunt, & ſimilitudines illarum trahunt in ſermonibus quos in ore cum lingua proferunt, vel in ſimilitudinibus ſermonum, quos formant in inſtrumentis:ſicut in figella vel in ſimphonia, & hoc facere non poſſent, ſi imaginatiua ſimilitudinem in ſua ſpecie non acciperet ex affatu vel ex ſimilitudinibus ipſius affatus.

De Ramis arboris imaginalis.

RAMI arboris imaginalis ſunt ſimilitudines ramorum arboris elementalis, & ramorum arboris vegetalis, & ramorum arboris ſenſualis. Similitudines ſunt arboris elementalis, in quantum ſunt ſimilitudines compoſitæ, quę ſimilitudines ſimplices ſignificant: ſicut quatuor maſſæ elementorum cõpoſitorum, quę ſunt ſimilitudines ſimplicium elementorum. Et ideò rami imaginabiles ſunt quatuor ſub ſpecie ramorum elementalium exiſtentium, ſicut imaginatiua, quæ imaginatur maſſam terræ in qua habitamus, & maſſam aquæ, quam in mari videmus, & maſſam aeris, in quo ſumus, & maſſam ignis, quem ſentimus tangendo & videndo: vt qui ſtat in ferro & in lapide. Et has maſſas imaginatur cum iuuamine ramorum vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Cùm iuuamine ramorum vegetatiuæ, qui ſunt generatio, corruptio, priuatio, & renouatio: ſicut generatio ſpecierum generatarum in terra & indiuidua elementata ex terra: ſicut pomerium, quod naſcitur in terra & de terra, & pomum in ſpecie pomerij, & hoc cum corruptione formarum veterum, & cum priuatione illarum, & cum renouatione nouarum formarum. Vnde propter hoc imaginando imaginatiua quatuor formas imaginatur: terram, ex qua exeunt & in ipſa attingunt naturas & proprietates elementales, à quibus imaginatiua trahit ſimilitudines plantarum. Imaginatiua terram imaginatur cum iuuamine ſenſitiuæ, videlicet cum iuuamine ramorum ſuorum, qui ſunt ſenſitiuum, ſenſibile, & ſentire in branchis ſenſitiuæ, in quibus ſunt rami ſenſitiui, ſenſibilis, & ſentire: ſicut in ſenſu, qui eſt viſus, ſunt viſitiuum, viſibile, & videre: & in auditu, auditiuum, audibile, & audire. Et quia viſitiuum monſtrat membra corporum repræſentatorum membris ſenſus communis iuuat imaginatiuam ad imaginandum viſibilia. Et ſic imaginatiua tranſit ad imaginandum terram, & ſuas conditiones attingit, & proprietates in viſibilitatibus elementorum, quæ ex ipſa deriuantur, & illud quod in ramis elementatiuæ, vegetatiuæ, & ſenſitiuæ attingit,

ſui rami proprij ſunt & eſſentiales, qui impreſſi ſunt ex ramis antedictis, & in ramis imaginatiuæ imprimunt ſimilitudines ſuas motas per agentia naturalia, videlicet per illos, qui imaginantur ramos reales arborum prædictarum.

De Foliis arboris imaginalis.

FOLIA arboris imaginalis ſunt ſimilitudines foliorum arboris elementalis, vegetalis, & ſenſualis. Folia arboris elementalis ſunt quantitas, qualitas, & cætera prædicamenta, quæ exeunt à ſubſtantia elementali in ſpecie elementationis, & imaginatiua illas imaginatur cum foliis arboris vegetalis, & ſenſualis, quæ ſibi ſunt inſtrumenta ad imaginandum folia arboris elementalis. Et illa inſtrumenta ſuas imprimunt ſimilitudines in imaginatiua, & imaginatiua ipſas accipit, & ad ſimilitudines foliorum elementalium tranſit.

De Similitudine Quantitatis.

IMaginatiua accipit ſimilitudinem quantitatis realis, quæ ſimilitudo eſt fantaſtica, & ipſam accipit cum iuuamine naturarum trium arborum, quæ ſibi ſunt inſtrumenta ad accipiendum ſimilitudinem: ſicut arbor elementalis, quæ figuram facit ſubſtantiæ corporalis, in quantum in ipſa ponit longum, amplum, & profundum, quæ ſunt quantitates continuæ ſubſtantiæ, quæ videri non poſſunt nec tangi, & per ſenſum videt figuram. Et imaginatiua conſiderat longum, amplum, & profundum, ex quibus trahit quantitatem in abſtracto, & illud quod trahit, eſt ſimilitudo quantitatis ad quam tranſit, quia videtur in colore & figura. Et ſimilitudo facit de quantitate diſcreta, de qua ſimilitudinem accipit cum iuuamine arboris elementalis, & ſenſualis: ſicut elementalis, quæ componit digitos, manus, & differentia ipſos in numero diſtinguit, & viſus ipſos in numero diſtinctos recipit, & imaginatiua ſimiliter, & ideò imaginatiua numerum multiplicat ex vno, duobus & tribus, & ſic de aliis diſcretis, quæ numerari poſſunt. Et hæc quantitas numeri non eſt aliquid in ſcipſa, ſed eſt ſimilitudo quantitatum realium diſcretarum. Quæ ſimilitudo eſt operatio imaginationis quæ plura conſiderat. Iuuat adhuc vegetatiua ad operationem imaginationis cum ſuis radicibus: ſicut ſapor vini, quod eſt forte, quando eſt purum: & non forte, quando eſt lymphatum. Et ideò imaginatiua in vino conſiderat fortitudinem maiorem & minorem. Idcircò conſiderat quantitatem fortitudinis cum iuuamine guſtus in guſtando, quam quantitatem non accipit ſub figura circulari, triangulari, nec quadrangulari, quia ſapor non eſt viſibilis, quia non eſt obiectum viſus, & ideò imaginari non poteſt ſub obiecto viſus: ſed ipſum imaginatur in obiecto, quod ſpectat ad guſtum. Et in hoc paſſu cognoſcitur quomodo imaginatiua vnam quantitatem accipit ſecundùm vnum ſenſum, & aliam quantitatem ſub alio ſenſu. Et propter hoc vnam generalem quantitatem conſiderat, quæ eſt ſimilitudo quantitatis realis & generalis, quæ extenditur in arboribus & earum partibus: ſicut accidens, quod eſt extenſum in ſubſtantia in longum, amplum, & profundum, & rotundum.

De Similitudine Qualitatis.

SOnus est per arborem elementalem, & sub sono stat verbum, quod audibile est per sensum, qui est auditus, & quia verbum videri non potest nec gustari: sed tantummodò audiri, imaginabilis est ratione sensus, qui est auditus, & eius imaginabilitas disposita est per arborem elementalem, & sensualem, quæ sunt instrumenta ad imaginandum, cum quibus instrumentis imaginatiua trahit similitudinem à verbo, & ponit in imaginari, ita quod similitudo tenet vnum pedem in verbo in quantum est sua figura & alium pedem tenet in imaginatione in quantum est sua operatio, & ita stat in medio, videlicet inter verbum & imaginationem, quæ illam similitudinem trahit à verbo cum iuuamine auditus in audiendo & tactus in tangendo: sicut audire, quod est in medio sensus, qui est auditus, & tangere quod est inter linguam & aërem, quæ quidem lingua tangit aërem in quo format vocem, quam accipit auditus in audiendo, & imaginationi ipsam repræsentat, & illud quod imaginatio accipit, est similitudo: sicut sigillum, quod cera suas literas repræsentat, & cera literarum similitudines, & non literas sigilli assumit. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo similitudines exeunt de entibus realibus. Secundùm hoc quod diximus de similitudine auditus in audiendo, potest cognitio haberi quomodo imaginatiua accipit similitudines qualitatis in verbis, in quibus qualitas extenditur, sub qua quæri potest, qualia verba dixit Rex suo populo? & is qui respondet imaginatur verba in similitudine illarum, in qua ipsa verba retinuit: sicut cera retinet similitudinem literarum quæ sunt in sigillo. Idem facit imaginatiua de qualitatibus naturalibus: sicut ex calore, frigiditate, dulcedine & amaritudine, & de bonitate dulcedinis, & de malitia amaritudinis. Et quia istæ formæ sunt sicut impressiones literarum sigilli in cera, imaginatiua similitudinem accipit ex his impressionibus sub ratione qualitatis.

De Similitudine Relationis.

PEr visum videt homo infantem nasci de sua matre, & ideò considerat homo matrem & filium, & patrem & filium, & propter hoc considератur quod si pater est, & filius sit, & si filius sit, quod pater sit. Et idem sequitur de relatione, qui est inter æquales causas: sicut si est æqualitas, oportet quod sint plures res, & idem est de concordantia. Et hæc necessitas est ens reale, ex qua imaginatio similitudinem trahit relationis, ita quod entitas realis conuertitur cum relatione in vno eodem numero, & imaginatiua similitudinem trahit relationis, & ipsam ponit in se ipsa de qua induit suum imaginari: sicut ipsum induit de similitudine albedinis, quando res albas imaginatur. Et in hoc passu cognoscitur, quod relatio est vna causa secundùm realitatem, & sua similitudo est alia causa secundùm imaginari: sicut litera, quæ est vna causa in sigillo, & sua similitudo alia in cera.

De Similitudine Actionis & Passionis.

OCuli vident, quod martellus clauum extendit cum percutere, & quod ignis calefacit aquam, quam calidam tactus sentit, absque quo sentire

tire non sciri posset, quod ignis aquam calefaceret. Et ideò sensus sunt instrumenta, mediantibus quibus imaginatiua trahit similitudines actionis & passionis, & ponit ipsas in suo imaginari ex illis similitudinibus indutum, quod quidem indumentum se extendit in rebus actiuis & passiuis, quia cum illa similitudine accipit earum similitudines, quemadmodum oculi qui cum luciditate albam similitudinem, nigram, viridem, & rubeam accipiunt: sicut imaginatiua cum similitudine actionis & passionis similitudinem actionis martelli accipit, qui clauum extendit, & etiam actionem ignis, qui aquam calefacit, & passionem ferri de quo effectus est clauus, & passionem aquæ per ignem calefactæ.

De Similitudine Habitus.

IGnis induit de suo calore aquam: inquantum ipsam calefacit, & aqua accipit habitum ignis sub ratione contrarietatis, & aërem calefacit, qui habitum ignis accipit sub ratione concordantiæ. Et ad hos habitus transit imaginatiua, ad imaginandum per habitum scientiæ, quoniam imaginari incipit cum habitibus, qui sunt extra: sicut tunica, quæ est habitus hominis qui ipsá induit, & sic de chlamyde & de habitu coloris: sicut homo, qui est albificatus per colorem. Et idem de gustare, quod dulcificatum est, per dulcedinem saporis, & sic de aliis habitibus, ex quibus imaginatiua similitudinem habitus accipit, & sicut intellectus, cum vna intellectiuitate plures res intelligit, & faber cum vno martello, plures clauos facit, sic imaginatiua, cum vna similitudine, quam accipit ab habitu, multas similitudines habituum attingit: sicut habitũ chlamydis, tunicæ, aquæ, aëris, contrarietatis, & concordantiæ: & in hoc passu cognoscitur, quomodo vnus intellectus generalis est ad intelligendum plures res.

De Similitudine Situs.

FIgura naturalis assituata est per circulum, quadrangulum & triangulum, & idem est de figuris artificialibus. Et has figuras attingit visus, & inquantum visus ipsas attingit, disponit quod sint imaginatæ in absentia videndi, quia dum videntur, imaginatiua ipsas imaginari non potest, quia visus dominus est in videre: sicut ignis, qui aquam calefacit, dominus est in calefaciendo, scilicet, tunc cum oculi non vident figuras, quas viderunt, est imaginatio domina ad imaginandum ipsas, quia ipsas habituauit per videre quod sibi illuminauit situationem circularitatis, quadrangularitatis, & triangularitatis. Et quia imaginatiua accipit similitudinem situationis realis, cum illa similitudine, quam accipit, imaginari potest plures assituationes reales: sicut assituationem hominis, manus & cameræ, vici & ciuitatis, etiam assituare potest chimæram, & ipsam apprehendere sub similitudine bouis, hominis, piscis, & fœminæ, & ipsam apprehendere potest, paruam aut magnam. Et hoc facit, quia assituationes facit in habitu situs non sustentatæ, in habitu reali, scilicet in habitu imaginandi similitudinem situs, quam accipit à sitibus realibus. Et per hanc naturam pictores libertatem habent ad faciendum figuras magnas, aut paruas, & sub similitudinibus diuersorum habituum & assituationum.

De

De ſimilitudine Temporis.

VIſus diem accipit,& noctem, videlicet ſimilitudinem amborum, & ex hac ſimilitudine quam accipit, imaginatiua ſimilitudinem, inquantum imaginatur vnum diem,& vnam noctem, & imaginatur diem in vno tempore,& noctem in alio,& ſic ſimilitudinem temporis accipit, & ſimilitudinem motus, cuius ſimilitudo eſt inſtrumentum imaginationi, quod ſimilitudinem crementi temporis accipiat. Hoc idem facit figura crementi, quod eſt inſtrumentum ad imaginationem per quod ſimilitudinem temporis accipiat:ſicut planta,quæ in vno tempore eſt parua, & in alio eſt magna, & fructus qui in vno tempore eſt viridis,& in alio tempore eſt maturus. Et quia tempus tangi nequit,neque videri,guſtari,nec odorari, ſenſus monſtrat imaginationi ſimilitudinem temporis,ſicut guſtus in guſtando, qui monſtrat quòd in vno tempore pomum eſt viride, & in alio maturum. Et ideo imaginatio quæ illam ſimilitudinem accipit, ſimilitudinem temporis accipit,& ſuum induit imaginari illa ſimilitudine habituatum, & denudat ab ipſo ſimilitudines particulares,quas accipit, inquantum remanet habitus generalis, ad imaginandum generalitatem temporis.Et ex hac generalitate deſcendit ad imaginandum tempus, in rebus particularibus, ſicut tempus diei,& tempus noctis,& tempus præteritum hominis mortui, & tempus præſens hominis,qui viuus eſt, & tempus futurum infantis, qui eſt ad naſcendum.

De ſimilitudine Loci.

OCuli vinum vident in ampulla, & ampullam vident in camera, & cameram in ciuitate, & ciuitatem in aëre. Et ideò locum imaginationi repræſentant,ſicut ſpeculum,quod repræſentat figuram rei, quæ ſtat ante ipſum. Et ex hac repræſentatione trahit imaginatio ſimilitudinem loci, quã oculi diſponunt.Et quia ſimilitudo ſtat in potentia per oculos, & per imaginationem:ſicut clauus, qui ſtat in maſſa ferri, per ferrum & per fabrum, & martellum,ſic viſus, & imaginatio,& inſtrumentum (quod eſt figura, quæ continet, & quæ eſt contenta,ſecundùm quod dictum eſt de ampulla & vino) ſunt rationes, cum quibus imaginatio accipit loci ſimilitudinem, cum qua imaginatur res collocatas, & ea in quibus ſunt collocatæ, ſicut vinum in ampulla, & ampulla in camera. Et quia locum oculi ſentire,ſeu videre non poſſunt,ſimilitudinẽ ſuam imaginationi repræſentãt, quam accipit imaginatio in ſpecie, & natura ſua, ſicut formam abſtractam ab ente reali ſuſtentatam in imaginatione, & generalificatam ad imaginandum plurima loca particularia, hoc eſt ſuas ſimilitudines particulares ſimilitudinis generalis, quam imaginatio ſub ratione loci accipit.

De Floribus arboris imaginalis.

FLores arboris imaginalis ſunt ſimilitudines florum arboris elementalis, vegetalis & ſenſualis. Sunt ſimilitudines florum arboris elementalis, in quantum imaginatio imaginatur flores illius,ſicut elementare, quod eſt flos elementati, &

instrumentum ad eundum, & manus ad operandum. Et ex his floribus & instrumentis, imaginatio accipit similitudinem, cum videt figuras, in quibus fit operatio, videlicet in operando, in elementando & eundo. Flores arboris vegetalis, sunt potentia, obiectũ & actus, qui quidem actus est vegetare, ex quibus imaginatio accipit similitudinem, cum visu in videndo, & cum gustu in gustando, in quantum visus pomum videt vegetatum, & gustus saporem attingit. Et hæ sensuum operationes earum similitudines influunt imaginationi, sicut pes in arena, & imaginatio accipit ipsas, sicut arena, quæ pedis vestigium accipit. Et imaginatiua imaginatur vegetatiuæ operationes, & imaginando ipsas mouet branchas vegetatiuæ, ad habendum appetitum in rebus gustabilibus. Et vegetatiua mouet branchas arboris elementalis: sicut homo, qui imaginatur aliquod placitum saporis, ad quod se mouet per comedere & bibere. Accipit imaginatiua similitudines florum arboris, sensualis, sicut videre, quod est flos & instrumentum, cum quo potentia visiua, obiectum visum accipit. Et similitudo quam imaginatio accipit, est habitus, de quo induit imaginari sub ratione videndi. Hoc idem facit audire: secundum quod in accidentibus imaginationis significauimus. Accipit imaginatiua similitudines florum arborum, & vnam similitudinem facit generalem, sicut logicus qui plurium indiuiduorum vnam speciem considerat. & cum illo flore generali imaginatur flores speciales secundum naturas & proprietates instrumentorũ & actionum, formarũ & passionum materiarum, & ideo res imaginatæ sequuntur, quæ indutæ sũt de imaginari, quod illas imaginatur.

De Fructu arboris Imaginalis.

Fructus arboris imaginalis est similitudo fructus arboris elementalis, qui est elemẽtatum, & fructus arboris vegetalis, qui est vegetatum & elemẽtatum, & fructus arboris sensualis, qui est sensatum, vegetatũ & elementatũ: sicut equus, qui est elementatus, vegetatus, & sensatus. Et ideò fructus arboris imaginalis est imaginatum. Et fructus iste est de essentia imaginationis: sicut homo per naturã imaginatus, & sic elementatus, vegetatus, & sensatus, & imaginatum quod homo imaginando accipit per imaginationem: sicut sunt leo & equus imaginati per hominem, qui non sunt de essentia imaginationis hominis ratione quantitatis discretæ, sed continuæ: sicut ignis Petri, & ignis leonis, & pomi, qui sunt de vna essentia continua, in quantum sunt vnum elementum simplex, non in quantum sunt diuersa composita. Et ideò imaginatiua in suo fructu, qui est de sua essentia attingit imaginatum, quod est de essentia equi, quem attingit in figura imaginandi, sicut attingit similitudinem quantitatis, qualitatis, & sic de aliis accidentibus, secundùm quod dedimus doctrinam in foliis istius arboris. Et fructus qui est imaginatum quod est de essentia imaginatiui, est fructus in fine rerum imaginabilium, vt sint habitus scientiarum, & quod animalia habere possint industriam ad viuendum in habendo res quæ sunt necessariæ ad viuendum: sicut acus & nidus gallinæ, camera & ferrum, cum quo homo trahit ignem à lapide, & sic de aliis similibus istis. Dictum est de arbore imaginationis, quæ multum vtilis est

lis eſt ad ſciendum ſecundùm artes mechanicas & liberales, & ille qui melius ipſam ſcit, melius diſpoſitus eſt, ad habendum habitus artium & ſcientiarum, & habet plus de ipſius cognitione ſecundùm proceſſum, quem tenuimus in ſuo tractatu, & in tractatu cæterarum arborum. Et quantum plus homo ſe iuuat in imaginando cum radicibus, truncis, branchis, foliis, floribus, & fructibus, & cum centum formis, quas in arbore elementali poſuimus, & in applicatione in arbore ſenſuali, tanto melius multiplicat homo ſuum imaginari ad accipiendum varias ſimilitudines entium realium, naturalium & artificialium.

DE ARBORE humanali.

Arbor humanalis ſimiliter vt aliæ diuiditur in ſeptem partes principales, ſcilicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices ſunt principia generalia iſtius artis, tamen ſunt duplicia, ſcilicet, corporalia & ſpiritualia, in quantum homo ex corpore & anima eſt compoſitus.

Truncus eſt genus humanum ſiue ſpecies humana. Et conſiſtit ex quinque truncis, videlicet de quatuor antedictis, & de iſto qui pertinet ad animam rationalem.


Branchæ ſunt membra humana, & potentiæ animæ, & ſic dictæ branchæ ſunt ex duabus naturis, ſcilicet de natura corporali, & de natura ſpirituali.

Rami ſunt proprietates dictorum membrorum, &c.

Folia ſunt accidentia humana, &c.

Flores ſunt actus naturales hominis, &c.

Fructus ſunt homines indiuiduati, ſcilicet, Petrus, Iohannes, Martinus, &c. Qui dupliciter dicuntur fructus, ſcilicet fructus ratione exiſtentiæ, & fructus ratione agentiæ, &c.



De Arbore humanali.

ARBOR humanalis in se continet quinque naturas quæ sunt quatuor naturæ quatuor arborum, de quibus dictum est, quæ ad corpus humanum pertinent, quæ sunt suæ partes. Et quinta natura est de natura animæ rationalis coniuncta cum corpore humano, in tantum quòd ex illa & ex corpore sequitur homo, qui Petrus vocatur vel Martinus, & sic de aliis indiuiduis, quæ sunt sub specie humana. Hæc arbor diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

De

De Radicibus arboris humanalis.

RADICES arboris humanalis sunt duplices, scilicet, bonitas corporalis, & bonitas spiritualis. Et ex ambabus bonitatibus efficitur vna radix, quæ est bonitas composita ex ambabus, & fit compositio in quantum quælibet alteri suam dat similitudinem, idem est de magnitudine, duratione, potestate, & cæteris radicibus. Et ideò bonitas spiritualis se inclinat ad magnitudinem bonitatis corporalis. Et bonitas corporalis se inclinat & exaltat ad magnitudinem bonitatis spiritualis. Et hoc naturaliter ratione maioritatis & minoritatis, quæ se ponunt in magnitudine bonitatis, quoniam maioritas est pars bonitatis spiritualis, quia est per primam intentionem & in nobiliori fine, & minoritas se ponit in magnitudine bonitatis corporalis, quæ est per secundam intentionem, quæ est propter primam. Bonitas corporalis venit ad spiritualem cum quatuor naturis arborum, de quibus dictum est, & bonitas spiritualis ipsas accipit in vno numero tertio quod est corpus, ita quod ex ipsis quatuor naturis efficitur vna bonitas corporis in vna bonitate naturali & substantiali animæ rationalis. Et differentia conseruat essentiam cuiuslibet bonitatis, & ipsam in suo numero remanere facit. Et concordantia quamlibet bonitatem cum alia bonitate concordat in vna bonitate hominis, quæ quidem bonitas in numerum tertium transit. Et idem de magnitudine, & cæteris radicibus arboris Et ideò cum homo tangitur vel ipse tangit secundùm bonitatem corporalem, eandem bonitas spiritualem ad illum tactum secundùm bonitatem naturæ corporalem, in quantum est forma & complementum illius: sicut qui tangit militem Regis: Rex respondet sicut vniuersale, quod deffendit suum particulare. Et sicut cum bonitas animæ rationalis tangitur per aliquam bonam aut malam tentationem, partes quæ sunt inferius, respondent, sicut cum tangitur Rex, respondent milites, qui ipsum defendunt propter finem, quare est. Hæc ordinatio stat per creationem, & in anima remanet, quæ pura venit ad corpus, quando cum ipso intrat in compositionem siue in coniunctionem, sed quia corpus infectum est per peccatum originale, in contrarium respondet, quod quidem peccatum originale in commento tabulæ generalis probatum esse, & adhuc infrà probabitur. Et propter hoc homines iusti meritum habent, quando naturam corporis constringunt cum natura animæ, & ipsum stare faciunt ad hoc propter quod creatum est.

De Trunco arboris humanalis.

TRVNCVS arboris humanalis de quinque truncis consistit, videlicet de quatuor primis truncis, & de trunco, qui pertinet ad animam rationalem, qui quidem truncus est rationalis, coniunctus truncis qui veniunt ad eum. Et trunci transeunt in vnum truncum tertium hominis: sicut partes ad suum vniuersale, quod vocamus substantiam humanam, quod nomen ei attribuimus, quia est communior pars quàm aliqua cæterarum partium arboris, & quia stat sub aliis partibus. In hoc trunco quælibet radi-

radicũ officium suum, & quilibet trũcorum specialem similiter, ex quibus est compositus, qui sunt suæ partes grossæ, & radices sunt suæ partes minutæ. Vnde cum ipse rangitur ab vna parte grossa, omnes partes illius respondẽt, quia eius partes ad inuicem sunt mixtæ cum partibus aliorum truncorum, omnibus truncis respondentibus ad tactum illius trunci tacti. Et ideò differentia conseruat in illo tactu partes reales. Et concordantia ipsas concordat & ipsas appropinquat ad illorum tactum, sic si tangatur substantia hominis cum nimis magno calore, respondet anima & instinctus naturalis ad desiderandum aquam vel frigiditatem. Et propter hoc anima mouet corpus ad fontem, & imaginatiua imaginatur fontem & eius circunstantias: & oculi vicos vident, per quos homo vadit, & appetitiua desiderat, quod homo bibat aquam frigidam ad multiplicandum frigiditatem corporis, & mortificandum nimis magnum calorem, vt digestiua habeat temperatas mensuras, quæ naturali calori conueniunt.

De Branchis arboris humanalis.

BRANCHÆ arboris humanalis sunt ex duabus naturis, videlicet ex natura corporali & ex natura spirituali, & branchæ quæ sunt de natura corporali exeunt de trunco, in quantum est de natura corporali, & branchæ quæ sunt de natura spirituali exeunt de trunco humanali, in quantum est de natura spirituali, vnde primo de branchis corporalibus dicemus, deinde de spiritualibus.

De Branchis corporalibus arboris humanalis.

BRanchæ corporales ex quatuor naturis consistunt, hoc est de natura elementali, vegetali, sensuali & imaginali. De natura elementali, sicut brachia & tibiæ, quæ sunt branchæ corporis significati per dorsum hominis, quod significat truncum elementalem, qui est pars trunci humanalis. Branchæ, quæ sunt de natura vegetali, sunt appetitiua, retentiua, digestiua, & expulsiua. Et branchæ quæ sunt ex natura sensuali, sunt sex sensus corporis Et branchæ quæ sunt ex natura imaginali, sũt 14. videlicet quatuor, q̃ sunt similitudines brancharum arboris elemẽtalis, & quatuor, q̃ sũt similitudines brãcharum arboris vegetalis, & sex, quæ sunt similitudines brancharum arboris sensualis. Et omnes istæ branchæ, sunt branchæ arboris humanalis substãtialis, de quibus dictum est. Et quælibet brancha suam propriam naturã habet secundùm suas conditiones, quas diximus in arboribus ante hanc arborem positis. Vnde qui voluerit inuestigare secreta, & naturas brancharum corporalium, quæ sunt, vt homo sit ex ipsis constitutus, illas inquirat in homine, secundùm quod positæ sunt in arboribus præcedentibus. Et hæc inquisitio, multum est vtilis, & est disposita in tractatu, quem fecimus de arboribus, & quem de ista arbore facere proponimus. Et quia breuiter loqui proponimus, branchas nolumus recapitulare corporales in hac arbore, quia sufficit, quod in suis propriis arboribus dedimus cognitionem.

De

De Branchis spiritualibus arboris humanalis.

BRanchæ arboris humanalis spirituales sunt tres, videlicet memoria, intellectus, & voluntas, quæ sunt tres potentiæ, quæ sunt de essentia animæ rationalis: sicut quatuor branchæ, quæ sunt de essentia trunci elementalis, & sicut truncus, qui est de suis radicibus. Vnde primò dicemus de memoria, & postmodum de intellectu & voluntate.

De Memoria quæ est brancha spiritualis arboris humanalis.

MEmoria est brancha arboris humanalis, & est de bonitate, magnitudine, duratione, potestate, sapiẽtia, voluntate, virtute, veritate, gloria, differentia, concordantia, principio, medio, & fine, maioritate, æqualitate, & minoritate. Et ipsa est posita in numero tertio, quoniam sicut homo est ex anima & corpore, & in numerum tertium transit in tantum, quod non est anima nec corpus, sic memoria non est bonitas, nec alia principia, licèt sit ex ipsis, quibus principiis vtitur secundũ illorum naturam. Memoria per bonitatem est bona, cum ita sit, quod bonitas vna sit de suis partibus, & ideò facit operationes bonas, quæ sunt res transactas recolere, per quod recolere homo habet habitum scientiæ, qui bonus est, & eius priuatio esset mala. Memoria magna est per magnitudinem, & eius magnitudo bona est per bonitatem, & propter hoc bonas facit operationes & magnas, quia magnum quid est recolere res præteritas & sensibus absentes. Quia memoria est de duratione, ideò naturam habet, quod durare faciat, quæ præterita sunt: sicut recolere ea, quæ homines antiqui fecerunt, quorum operationes per memoriam durant, quæ ipsas recolit. Memoria est de potestate, cuius ratione potest esse hoc quod est, & recolere res transactas, & potest esse de bonitate, magnitudine, sapientia. Quia memoria cum sapientia participat, & cum voluntate, q̃ sunt cæteræ branchæ, habet per sapientiam instinctum naturalem ad recolendum, & habet per voluntatẽ appetitum naturalẽ ad recolẽdũ, & ideò mouet instinctus & appetitus naturales aliarum branchaarum, ex quibus est corpus hominis. Sicut homo qui recolit aliquod placitum carnale, per quod recolere se mouet elementatiua ad calefaciendum, & vegetatiua ad vegetandum, & sensitiua ad sentiendum, & imaginatiua ad imaginandum, vt illud placitum in actu venire possit. Et idem est si homo recolat aliquod displicitum, quod ab aliquo homine receperat, quoniam tunc se mouet ad iram per instinctum naturalem & appetitum memoriæ, & alias branchas mouet, cum quibus participat, cum instinctibus naturalibus, & appetitibus secundum eorum conditiones, vt possit fieri vindicta, & ideo irascuntur sæpius homines, & si sunt patientes, virtuosi efficiuntur, & meritum consequuntur. Quia memoria est de virtute, facit opera virtuosa, quoniã virtus est res transactas recolere secundùm earum conditiones & naturas. Memoria est de veritate, idcirco recolit vera: Et cũ vera recolere non potest, contrariatur, ei cõtrarietas, q̃ est inter branchas elemẽtatiuę, vegetatiuæ, sensitiuæ, & imaginatiuæ, cum quibus ipsa memoria participat. Et ideo sæpius credit vera recolere, & recolit in contrarium. Memoria est

de ge

de gloria, videlicet de delectatione, idcirco naturam habet in habendo delectationem & placitum: sicut ignis qui delectatur in calefaciendo, & vegetatiua in vegetãdo, & sẽsitiua in sẽtiendo, & imaginatiua in imaginando. Memoria est de differentia intellectuali, ratione cuius in se habet concreta differentia quæ sunt de sua essentia. videlicet memoratiuum, memorabile, & memorati, & quia ipsa est de potestate, potest ipsa habere. Et bonum est, quod ipsa habeat, quia ipsa est de bonitate. Et magnum est ei, quod ipsa habeat in seipsa, & quod sint de de sua essentia. Et propter hoc res recolit differentes, & ipsas recolere potest, & ei bonum est ipsas recolere. Et plura sunt quibus est bonum quod recolantur, sicut amatus qui placitum habet, cum ab amico recolitur, quia bonum est recolere. Memoria est de concordantia intellectuali, & ideo branchas concordat, cum quibus participat ad recolendum ea quæ recolere desiderat. Quę quidem branchę ipsam iuuant in hoc quod sunt de concordantia sicut & ipsa. Et contrarietati contrariantur: quæ concordantiæ recolendi contrariantur. Vnde secundum quod memoria se iuuat, & cum branchis cum quibus participat, est concordans, est disposita ad recolendum. Memoria est de principio, idcirco principium est ad recolibilia recolendum: sicut oculi qui principia sunt ad videndum visibilia. Et quia memoria est de principio cũ recolere principiat, siue incipit illud in suo proprio memorabili sibi essentiali principiat, & in ipso assumit memorabilitates, quæ sunt extra, quæ non sunt de sua essentia, & sunt memorabiles siue recolibiles, quia cum illa participant in corpore, cum quo est coniuncta. Et per similitudines illarum brancharum, cum quibus est coniuncta, similitudines aliorum entium, quæ non sunt cũ ipsa coniuncta, attingit: sicut mater, quæ suum filium recolit, & miles suum equum, quæ siquidem filius & equus recolibiles sunt, in quantum elementati sunt, & vegetati & sensati, per quos participant genera & species cum cõiuncto memoriæ, quæ in similitudinibus illius coniuncti incipit accipere similitudines cæterorum entiũ ei similium. Memoria est de medio, idcircò in se habet essentiale memorari, quod est in medio memorantis & memorabilis. Et est in medio intellectus & voluntatis, vt temperatè accipere possit species, quas ei commendant, & eis eas restituere, quando petant, & in ipsa illas quærant. Et etiam quia memoria est de medio, naturam habet memorandi cum medio, videlicet cum memorari fãtastico, quæ est species multiplicata, & instrumentum ad recolendum ens memoratum. Memoria est de fine, videlicet de causa finali, & ideo quietem habet in memorando memorabilia, quorum ratione creata est memoria, videlicet ad memorandum Deũ eiusque operationes, proprietates, & dignitates. Et est retrò in occipite hominis, quia est instrumentum ad memorandum ea, quæ transacta sunt, & terminos illorum & species quas intellectus & voluntas in ipsa thesaurizauerunt, & lucrati in ipsa fuerunt, vt faciant habitum scientiæ, charitatis, & cæterarum virtutum. Memoria est de maioritate, vt sit pars substantialis animæ, quia si esset accidentaliter, disposita non esset ad memorandum magna, nec habere posset magnum recolere, cum ita sit, quod magnitudo maiorem habet concordantiã cum substantia, quàm cum accidente, & bonitas

tas similiter, & idem est de voluntate, virtute, veritate & gloria, duratione, potestate, differẽtia, cõcordantia, principio, medio, & fine. Memoria est de qualitate, & ideo est de æqualibus partibus, videlicet de memoratiuo, memorabili & memorari, quæ partes essentiales sunt illius, & in quibus sustentatur. Et quia est de bonitate, est sua æqualitas bona, & quia est de magnitudine, est magna, & quia est de duratione, durat, & quia est de potestate, potest esse, & sic de cæteris formis. Memoria est de minoritate, quia de nihilo creata est, & quia in se quasdam minores habet partes, quàm aliæ, sicut sunt accidentia, quæ non sunt ita magna, sicut partes substantiales, quæ sunt bonitas, magnitudo, &c. quarum ratione, memoria est pars substantialis animæ rationalis. Et partes minores esse non possunt de memoria, si memoria de minoritate non esset. Memoria non est de contrarietate, quod si de contrarietate esset, corruptibilis esset, sed est contrarietati subiecta, in quãtũ bráchæ aliarũ arborũ, cũ quibus participat, sunt de contrarietate. Quapropter homo plura facit contra memoriam, in mouẽdo partes suas, cõtra ipsã, sicut homo, qui cõtra suas partes facit in scindendo suam manum, aut quando nimis laborat, aut quia comedere non vult cum habet famem, & sic de cæteris rebus similibus istis. Dictum est de memoria & de suis partibus, & per ea quæ de ipsis diximus potest haberi cognitio de memoria & de sua quiditate, quia cognoscendo partes cognoscitur totum. Vnde sicut corpus sensatum respondet, cum ab aliqua suarum brancharum, vel ab aliqua suarum formarum tangitur: sic memoria respondet, cum ab aliqua suarum formarum tangitur vel partium: sicut si tangatur cum malitia contra suam bonitatem, cum magnitudine suæ bonitatis, respondet contra malitiam. Et si cum bonitate tangatur, cum magnitudine suæ bonitatis, respondet recolendo res bonas, & sic de aliis tactibus, per quos tangi potest, quia totidem modis respondere potest: sicut sunt partes suæ, & etiam in plus accidentaliter, in quantum est de concordantia, per quam respondere potest contra contrarietatem, & in quantum est de veritate, respondere potest contra falsitatem, & sic de cæteris. Iste tractatus de memoria multum est vtilis ad sciendum, & ad habendum habitum scientiæ, & etiam ad habendum modum ad memorandum res transactas, quia data est doctrina, quomodo homo sciat suam memoriam mouere ad recolendum obiecta affectata, quod memorentur, quæ similitudinem habẽt suarum partium, scilicet ex quibus est memoria, & secundùm hoc quod diximus in branchis cæterarum arborum, data est doctrina ad applicandum similitudines illarum brancharum, vt recolentur secundùm earum conditiones, & conditiones partium memoriæ. Et iste tractatus quem dedimus de memoria, dispositus est, quod ponatur in arte memoratiua, quæ fieri potest secundùm quod iste tractatus significat.

De intellectu qui est brancha spiritualis arborũ humanalis.

SEcundùm quod dictum est, quod memoria est de bonitate, magnitudine, & cæteris principiis, ita dicimus, quod intellectus ex ipsis consistit, & in tertium numerum transit sicut memoria. Vnde qui de intellectu tractare voluerit, & naturas eiúsque secreta inquirere, tractet ipsa secundùm

quod de memoria tractatum est cum suis principiis. Ad dandum melius cognitionem de intellectu & de eius naturis & conditionibus applicare volumus centum formas primarias, quas diximus in arbore elementali ad intellectum, & ipsum cum ipsis inquirere. Et primò cum vnitate & pluralitate. Est intellectus vnus per vnitatem: sicut bonus est per bonitatem, & magnus per magnitudinem. Et plura habet in se per pluralitatem, videlicet intellectiuum intelligibile & intelligere. Et ideò in quantum est vnus habet naturam considerandi vnum vt vnum. Et quia est de pluribus rebus, naturam habet considerandi plura vt plura. Intellectus est de principiis simplicibus, videlicet de bonitate simplici & magnitudine, &c. & ideò habet naturam, quod si pars simplex substantiæ & in numero simplici indiuiduato, ratione cuius simplicitatis entia simplicia attingit, & quia est de pluribus principiis compositus, in hoc quod transit de pluribus principiis in tertio numero: sicut homo, qui compositus est ex anima & corpore, & transit in tertium numerum, hoc est in esse humanum per naturam compositionis, attingit entia, quæ ex pluribus simplicibus principiis sunt composita. Per formam bonitatis habet intellectus naturam formalem, quæ bona est, & idem est de magnitudine, idcirco in se habet intellectiuum, quod est forma composita ex bonificatiuo, & magnificatiuo. Et quia est de bonitate materiali, in quantum est bonificabilis, & est de magnitudine, quia est magnificabilis, naturam habet materialem, quæ est intelligibitas. Et intelligere habet per bonificare, magnificare, &c. Intellectus est de bonitate generali in hoc, quia est de vna bonitate, ex qua est memoria & voluntas: & idem est de magnitudine generali, & ideò naturam habet considerandi entia generalia. Et quia bonitas sua est ei specialis & propria, & à bonitate speciali memoriæ & voluntatis distincta, habet naturam considerandi specialia. Et per hanc naturam considerat logicus genera & species entium naturalium. Intellectus habet intra seipsum naturam, quæ est pars suæ essentiæ: sicut propria intelligibilitas, & extra suam essentiam aliam habet intelligibilitatem, quæ non est de sua essentia: sicut intelligibilitas pomi leonis & caloris ignis & ideò transit ad considerandum naturas extra cum naturis, quæ sunt intra, quæ concordantiam habent in genere & specie cum illis quæ sunt extra. Intellectus est de bonitate, quæ est forma abstracta, & est de concretis, quæ habent intra formam, hoc est bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, & ideò naturam habet ad considerandum formas, quæ sunt in abstracto, & ad inclinandum se suis concretis, illa intelligendo, & ideò accipit habitus scientiarum. Intellectus non est de generatione, quod si esset, oporteret quod esset secundùm cursum naturalem de corruptione per quam naturam priuationis haberet. Sed quia coniunctus est cum substantia corporali, quæ est ex arbore elementali, vegetali, & sensuali & imaginali generata, attingit considerationes generationis, corruptionis, & priuationis, & habet passionem per corruptionem & priuationem coniuncti, in quantum suas perfectiones complere non potest, nec ab ipsis imperfectiones remouere, quæ sua organa & instrumẽta impediunt ad intelligendum intelligibilia. Intellectus participat cum entibus, quæ sunt de subtili & grossa materia:

materia: ſicut corpus ei coniunctum, quod per ignem eſt de ſubtili materia; & per terram eſt de groſſa. Et etiam per vegetatiuam materiam habet magis ſubtilem, &c. per ſenſitiuam magis ſubtilem, & per imaginatiuam magis ſubtilem, idcircò intellectus accidentaliter naturam habet ſubtilem ad intelligendum res intelligibiles. Et cum eſt de groſſo ingenio, hoc eſt ratione organorum & inſtrumentorum, quæ ingroſſata ſunt per groſſam materiam: ſicut homines flegmatici, qui naturaliter ita ſubtile ingenium non habent ſicut colerici, melancolici tamen ſunt de ſubtili ingenio, licèt ſint de complexione ſicca & frigida, & hoc eſt per accidens, videlicet ratione memoriæ, quæ maiorem habet concordantiam cum illa complexione quàm cum cæteris, quia eius natura eſt ſpecies retinere ratione conſtrictionis, atque etiam de natura ſui eſt, quod ſit ampla ratione vacuitatis terræ, quam habet terra, vt ex ipſa exire & naſci poſſint & nutriri plures ſubſtantiæ. Intellectus naturam non habet, quod ſit leuis nec ponderoſus, ſed quia participat cum leuibus & ponderoſis, accidentaliter intelligit leuius in vno tempore quàm in alio: ſicut homo ieiunus, in quo intellectus melius diſpoſitus eſt ad intelligendum quàm in homine non ieiuno, in quo cibaria ſunt indigeſta. Plenitudo intellectus eſt ſuum intellectiuum, intelligibile & ſuum intelligere, & quando ſe habet ad finem, quare eſt. Et ſua vacuitas eſt, quando ſe non habet ad finem, quare creatus eſt, & quando eſt contra finem ſuorum principiorum, videlicet contra finem bonitatis ſuæ & magnitudinis ſuæ, &c. Et hoc eſt tunc, cum ſæpius & cum maiori deliberatione naturas cæterarum arborum conſiderat quàm naturam arboris intellectualis, de qua eſt vna pars & vna brancha. Intellectus eſt ex parte, videlicet ex bonitate magnitudine, & cæteris principiis. Et ideò eſt totus ipſemet, quia omne ens quod fit de partibus, oportet quod totum ſit ad illas partes, quapropter in quantum totum eſt naturam habet ad intelligendum totalitates entium. Et quia de partibus eſt, naturam habet ad intelligendum res partiales. Intellectus participat cum entibus intenſis, & cum entibus extenſis, videlicet cum intenſo calore corporis cum quo coniunctus eſt, & cum intenſa bonitate ſuſtentata in ſuis intenſis concretis. Idcirco naturam habet intenſam ad conſiderandum intenſitates rerum. Et quia participat cum entibus extenſis, naturam habet ad conſiderandum extenſitatem plurium colorum ſub vno colore, de quo coloratum eſt corpus cum intellectu coniunctum. Et quia participat cum extenſa bonitate & extenſa magnitudine, duratione, poteſtate, &c. habet naturam ad conſiderandum in entibus extenſis quædam in aliis. Intellectus ſtat in ſtatione & motu accidentaliter, quia cum entibus quæ ſunt in loco, participat: ſicut cum corpore, cum quo eſt coniunctus, quod ſiquidem corpus ſtat in loco, & eſt mobile de vno loco in alium. Idcirco intellectus accidentaliter ſtat in loco per corpus, & per corporis motum eſt motus de vno loco in alium, quoniam per corporis motum mouetur, & ideò mouendo corpus ſeipſum mouet. Et ſicut eſt mobilis per corpus localiter tranſit per medium accidentaliter mediante corpore, cum ita ſit, quod corpus de vno loco in alium tranſire non poſſit, niſi tranſeat per medium. Et in hoc paſſu haberi poteſt cognitio quod intellectus per cor-

pus in vno loco existens secundùm suam naturam non transit per medium ad intelligendum obiecta, quę sunt extra, & ita citò intelligit illa, quæ sunt à longè: sicut illa quæ sunt prope. Et ideò est significatum, quod cum à corpore sit separatum, ita citò est in locis remotis sicut in locis propinquis. & ad illa loca mouetur, quamuis per medium non transeat secundùm suam propriam naturam, cum non sit corpus, de cuius natura est per medium se mouere. Durum, molle, amplum nec profundum, non sunt partes intellectus, quia formæ sunt, quæ spectant ad substantiam corporalem, sed quia intellectus, coniunctus est cum corpore illis formis subiecto, accidentaliter in illis partibus consistit, & per participationem quam habet cum ipsis, earum similitudines in subiectis extra sustentatas attingit. In intellectu consistit potentia, obiectum, & actus, propriæ & appropriatæ. Propriæ sicut suum proprium intellectiuum, intelligibile & intelligere: appropriatæ, sicut potentia visiua, quæ cum intellectu participat, & obiectum quod est visibile similiter, & idem est de videre. Et ideò intelligit intelligibilitates entiū, visibilium, visitiuorum, & entium, quę sunt videre, vt ita loquar, quæ in suo appropriato intelligibili attingit, quod non est de sua essentia, sicut est intelligibilitas coloris, aut visus, visitiui leonis, pomi, vel imaginationis. Et has intelligibilitates quæ sunt extra, denudat ab intelligibilitate fantastica ex intelligibilitatibus realibus abstracta, & suam propriam intelligibilitatem ex ipsa induit, & suum intelligere, & sic intellectus indutus est de habitu scientiæ. In intellectu est primum principium, & per istud primum entia, antecedentia attingit, sicut sunt maximè, quæ antecedentia sunt ad conclusiones. Et attingit res secundarias, quia est de medio, idcirco attingit maximam minorem, quæ consequens est ad maximam maiorem. Et attingit tertium numerū substantię indiuiduatæ, ex pluribus partibus multiplicatæ, & in tertio numero positæ, & hoc facit, quia est de fine, qui est vnum de suis principiis, per quem est positus in tertio numero, & de suis partibus constitutus, in quo siquidem numero est vna brancha huius arboris. In intellectu non est, natura crementi, siue augmētationis, nec diminutionis, inquātum est pars spiritualis substantiæ. Sed accidentaliter crescit, vel diminuitur in habitibus, quos accipit secundùm bonitatem acquisitam, vel magnitudinem, virtutem, veritatem, vel sapientiam. Et hoc facit ratione partium, cum quibus participat, quarum ratione habitus quos accipit, crescunt vel diminuuntur in cremento, siue in augmentatione, vel diminutione ipsarum. Dispositio, proprietas, & proportio sunt formæ, quæ sunt in intellectu. Per dispositionem dispositus est ad intelligendum secundùm dispositionem suiipsius, & dispositionem suarum partium, cum quibus participat in coniuncto. Et habet proprietatem in se ad intelligendum, & habet proprium intellectiuum & intelligibile, & quia habet proprium esse, sunt suo esse appropriatæ partes propriæ, quemadmodum bonitas existens propriè sub specie intellectus: & idem est de magnitudine, & aliis partibus ex quibus est constitutus. Quæ siquidem partes in illo proportionaliter consistunt, & ideò proportionaliter, respōdet proportioni partium, cum quibus est in coniuncto. Conditio, intentio, ordo, & operatio sunt formæ, quæ sūt in

in intellectu, cum quibus respondet partibus, cum quibus est in coniuncto, quia secundùm suam intentionem intentioni corporis respondet, & ideò corpus conditionat, & ordinat, vt operationem habere possit ad sequendum finem, siue intentionem: quare est, quę est Deum, & res veras cognoscere. Influentia & refluentia sunt formæ, quæ sunt in intellectu, sub quarum ratione influit & refluit suum intelligere, & suam virtutem, & potestatem, & magnitudinem, & suam bonitatem corpori & eius partibus, cum quibus est coniunctus, & quibus influit vitam, sustentationem, & informationē. Et id quod ei dant, eisdem refluit, vt Deum intelligere possit, & entia similia in genere, & specie suis partibus, cum quibus est coniunctus, quapropter suum intelligere, de pluribus rebus diuersis in generibus & speciebus consistit. Et cum cessat influentia & refluentia, deuenit homo in priuationem & mortem, vel in priuationem intelligendi. Productio ortus & exitus sunt formæ, per quas intellectus suum intelligere producit, quod nascitur ex intelligibili, & exit in intellectiuitate: sicut homo qui intelligit semetipsum hominem esse, aut aliam rē intelligit. Idcirco intellectiuum, naturam habet producendi similitudinem rei intellectæ, vt per illam similitudinem cum illa possit participare. Quæ siquidem similitudo naturam habet exeundi & nascendi in suam speciem, quæ est opus intellectiui & intelligibilis, quorum realitas significatur in eorum opere quod est intelligere. Et in hoc passu est significatū, quod species fantastica, quam intellectus multiplicat, nascitur de intelligibilitate, & stat & nascitur in intellectiuitate, & ideò similitudo est ambotum. Separabilitas & inseparabilitas sunt formæ, quæ consistunt in intellectu: sicut intelligere reale, quod est de essentia intellectus quod nunquam suum proprium subiectum dimittit, quod si illud dimitteret, non essent naturalia nec substantialia intellectiuitas & intelligibilitas in intellectu, imò essent in ipso formæ accidentales, quæ de sua essentia non essent. Et intelligere quod non separatur ab intellectu, aliud est ab intelligere, quod est species fantastica multiplicata ex similitudine realis intelligere, quod suum proprium subiectum non dimittit. Quod siquidem intelligere habet naturam, quod eius similitudo appareat in illa specie, quam intellectus multiplicat ex ipso & ex intelligibili, & ex seipso, scilicet intellectu. Et hæc species fantastica vadit & venit, & eius particularia renouantur, & in priuationem deueniunt, ita quod vnum intelligere non est aliud: sicut qui faceret vnum clauū, & postmodum destrueret illum, & quod iterum ex eodem ferro clauum faceret, figura primi claui non esset figura vltimi, quamuis amborum materia semper eadem in numero remaneret. Et hoc significatum est in magnitudine & paruitate ipsius intelligere, quoniam in vno tempore habet homo magnū intelligere, & in alio paruum, idcirco oportet quod numerus amborum sit in quantitate distinctus. Sicut in pomo consistit visibilitas in quantum est visibile, & tangibilitas similiter in quantum est tangibile, & etiam odorabilitas in quantum est odorabile, ita in intellectu est similitudo, in quantum est intelligibilis, sine qua similitudine non posset esse intelligibilis, cum ita sit quod intellectiuum se habere non posset suprà intelligibile sine medio, quod est similitudo,

cum qua intelligit, intelligibile. Et sicut in ipso stat similitudo intelligibilitatis, cum intelligit, ita stat in ipso dissimilitudo intelligibilitatis, cum ignorat ens quod non intelligit, quæ siquidem ignorantia est dissimilitudo intelligendi, sicut vmbra, quæ est dissimilitudo luminis. In intellectu stat natura, per quam naturam habet intelligendi, & ex qua natura nascitur similitudo, quæ est intelligere. Vnde sicut intellectus bonus est, per bonitatem, & magnus, per magnitudinem, & ignis est calidus, per calorem, sic intellectus, per naturam sui intelligere potest intelligere, quæ siquidem natura est ei propria, sicut natura calefaciendi, quæ est propria igni. Idem est de natura videndi, quæ spectat ad oculos. Intellectus participat cum corporalitate, ratione cuius cæteras corporalitates attingit, cum quibus non est coniunctus, sicut gustus in gustando modicum de aqua maris, totam aliam partem aquæ maris salsam iudicat, quam non gustat. Et in hoc passu est significatum, quomodo cum vna parte cum eo coniuncta attingit totum, sicut gustus in gustando, qui cum vna parte quæ est gustabilis, quam gustat, cæteras partes iudicat esse gustabiles, quæ dispositæ sunt, quod gustentur in illa qualitate, in qua illa pars gustatur, quam gustus attingit. Sicut faber, qui vnam eandem materiam ferri transmutat de vna figura in aliã, vtpote de cultello facit clauum, sic intellectus, vnam eandem materiam intelligendi de vno intelligere ad aliud transmutat, sicut in pomo & equo, in quibus est intelligibilitas, inquantum disposita sunt, quod intelligantur. Et intellectus vnum habet intelligere, cum pomum intelligit, & aliud cum intelligit equum. Idcirco stat transmutatio vnius intelligere in aliud, quæ siquidem transmutatio fit propter diuersitatem obiectorum intelligibiliũ. Et intelligere, stat vnum secundùm vnitatem potentiæ intellectiuæ. Et in hoc cognoscitur quod vnus est habitus scientiæ, secundùm potentiam intellectiuam, & plures sunt habitus scientiarum, secundùm diuersas intelligibilitates illarum. Lux & vmbra sunt formæ, cum quibus intellectus participat, videlicet cum luce ignis, & cum vmbra terræ, quæ sunt partes corporis, cum quo intellectus est coniunctus. Et quia in intellectu est intelligere, sicut lumen quod illuminat intelligibilitates entium intelligibilium, & cum illo lumine intellectus ipsas attingit, inter intellectum, & ignem maiorem concordantiam, quam inter ipsum & terram, quia sua ignorantia est vmbra intelligendi, in qua intellectus non attingit res intelligibiles, quæ sunt in vmbra ignorantiæ. Linea & punctus sunt formæ, cum quibus intellectus participat, inquantum coniunctus est cum corpore, cuius lineæ & punctus sunt partes naturales. Et ideò linea & punctus, cum quibus intellectus participat, sunt media; cum quibus attingit lineas & puncta substantiarũ, quæ non sunt coniunctæ cum illo. Et hanc attinctionẽ facit ratione similitudinũ quorundã pũctorũ & aliorũ, & quarundã linearũ & aliarũ, quæ sunt sub genere corporalitatis. Et in hoc passu significatum est, quod intellectus citiùs tangit partes illorum, cum quibus coniunctus est cum aliquid intelligit, quàm partes cum quibus non est coniunctus: sicut manus, quæ ante tangit pennam quam penna literam, & ideò multiplicat ante similitudines partium, cum quibus est coniunctus. In intellectu sunt rectitudo,

tudo, superficies & figura formæ, per quas intellectus coniunctus se habet ad intelligendum, quæ siquidem formæ sunt ex essentia & natura corporis indiuiduati, cum quo intellectus est coniunctus, & ex ipsis ita est habituatus: sicut homo tunica indutus, & substantia ex colore colorata. Et ideò intellectus ratione habituum quos habet per corpus se habet ad habitus corporales, & considerat rectitudines secundùm habitum rectitudinis, & habet superficiem, secundùm habitum superficiei, & habet figuras, secundùm habitum figuræ. Et in hoc passu habetur cognitio, quod intellectus accipit primo habitus partium, cum quibus est coniunctus, & in quolibet habitu se habet ad plures terminos sub vno habitu scientiæ consistentes. Partes masculinæ & fœmininæ participat cum intellectu in quantum sunt partes corporis cum ipso coniuncti: sicut visitiuitas, & visibilitas, calefactiuitas, & calefactibilitas, vegetatiuitas, & vegetabilitas, &c. & quia intellectus habet intellectiuitatem, & intelligibilitatem, est concordantia inter quasdam partes & alias arboris humanalis, ratione cuius concordantiæ partes corporales dispositæ sunt vt intelligantur, & intellectiuum ad intelligendum. In intellectu sunt intellectiuum, intelligibile, & intelligere membra, quæ habent concordantiam cum ramis sensus communis: sicut cum visitiuo, visibili, & videre, auditiuo, audibili, & audire, & sic de aliis similibus istis. Et de hac concordantia quæ est inter vnum membrum & aliud dispositus est intellectus ad intelligendum res, quæ sunt rami brancharum: sicut pater & mater, qui concordantiam habent in amare filium, quia eorum similitudines repræsentat. Intellectus habet plura instrumenta ad intelligendum, quoniam omnia instrumenta aliarum arborum formæ sunt, cum quibus intelligit intellectus: sicut elementare, quod est instrumentum, cum quo fit elementatum, & vegetare, cum quo fit vegetatum, & sic de sentire & imaginari. Et hæc omnia sunt formæ cum quibus intellectus suum intelligere producit, quod est instrumentum intellecti & etiam intellectiui quod mouet intelligere, quod intellectum induit. Sicut martellus, qui mouet figuram claui, de qua induit substantiam claui. Transit ergo intellectus ad intelligendum cũ omnibus instrumentis elementatum, vegetatum, sensatum, imaginatum, rationatum, & humanatum, & cætera supposita his similia. Intellectus nutrit suum intelligere cum suis naturalibus conditionibus & cum conditionibus aliarum brancharum, quia in hoc quod intellectus seipsum inclinat ad intelligendum entia bona suum intelligere nutrit cum natura bonitatis. Et quandò habet appetitum ad intelligendum magna, nutrit suum intelligere magnum cum natura magnitudinis. Et quando vult finem intelligere propter quem est, tunc suum intelligere nutrit cum naturis. Et quando vult corpus intelligere, suum intelligere nutrit intelligendo conditiones corporis, hoc est longum, amplum, & profundum & cæteras eius conditiones. Et in hoc passu significatur modus, ratione cuius nutriti sunt habitus scientiarum, & quomodo per contrarium modum sunt habitus scientiarum destructi. Impressio est forma, quæ est in intellectu, & est de intellectiuo & intelligibili, quod siquidem intellectiuum suam similitudinem imprimit in intelligibilitate, quæ similitudo in intelli

intelligere apparet, & hanc naturam impressionis habet intellectus generaliter ratione suarum partium, & stat impressio naturalis & specialis: sicut in sua bonitate naturali, in qua bonificare est impressum & vestigium; & sic de aliis rebus. Et ratione huius impressionis generalis ex pluribus multiplicatæ, & ratione impressionum, quæ in arboribus consistunt, cum quibus intellectus participat, habet intellectus naturam & proprietatem ad intelligendum suam similitudinem imprimendo in entibus intelligibilibus, vt ex ipsis trahat intelligere, quod est impressio siue caracter entium intellectorum & entis quod ipsa intelligit. Intellectus est de bonitate, magnitudine & cæteris formis primariis. Vnde in quantum bonitas suam similitudinem dat magnitudini, est magnitudo bonitate induta, & hoc quod magnificat, eius bonitas accipit in sua specie: sicut gustus qui in sua specie accipit illud, quod ex gustare venit. Et per hunc modum intellectus accipit in sua specie naturas, quæ sibi veniunt ex suis partibus in quantum ipsas induit ex sua essentia, in cuius concretis conuertit bonificare in bonum intelligere, & idem facit de magnificare in magnum intelligere, & per hanc naturam quam habet in se, habet concordantiam cum insertionibus aliarum arborum, quas transit ad intelligendum per illam concordantiam. Perseitas, & indiuiduitas, & attractio sunt formæ, ex quibus intellectus est indutus, & ita est per perseitatem hoc, quod est: sicut est bonus per bonitatem, & per naturam indiuiduitatis est indiuiduatus, in quantum de bonitate generali ipsæ memoria & voluntas specialem bonitatem quælibet per se habent indiuiduatam, quæ stat sub sua perseitate & numero, & idem est de sua speciali magnitudine & de cæteris principiis. Idcircò habet intellectus naturam & virtutem attractiuam, per quam attrahit de bonitate virtutem ad intelligendum, quod sit bonum & virtuosum, & de magnitudine similiter. Et etiam per virtutem attractiuam attrahit virtutem aliarum arborum ad intelligere suum, vt illarum subiecta intelligere possit. Necessarium & contingens sunt formæ, in quibus intellectus de necessitate consistit secundùm suas conditiones naturales, per quas naturales intelligibilitates attingit: sicut oculi, qui naturaliter colorem attingunt, & gustus in gustando, qui naturaliter attingit saporem. Et forma contingentiæ est per accidens, quia intellectus attingit secundùm dispositionem aliarum arborum, quæ in vno tempore dispositæ sunt, quod intelligantur, & in alio non, & per vnum modum, & per alium non. Sed intellectui est ita proprium intelligere: sicut igni calefacere lignum quod ardet, tamen cum aqua ei proiicitur, contingit, quod illud calefacere non potest. Perfectio & imperfectio sunt formæ, quibus vtitur intellectus: perfectione vtitur, in quantum se habet ad finem, quare est, videlicet ad intelligendum Deum & cætera entia vera cum virtute eius principiorum. Et cum imperfectione vtitur, tunc se habet contra finem propter quem est creatus, hoc est, cum intelligit entia vera contra virtutem suorum principiorum & eius sororum, quæ sunt cæteræ branchæ animæ; sicut si intelligeret falsitatem, & voluntas diligeret. Et in hoc passu est significatum, quod vna potentia in vitium cadit per aliam accidentaliter. Vita est forma, quæ est vna pars intellectus: sicut bonitas, quia

sicut

ſicut per bonitatem bonus eſt, ſic per vitam viuus eſt, per quam vitam habet naturam viuificandi cæteras arbores diſpoſitas, quod viuificentur per ipſum: ſicut ſunt arbor vegetalis, ſenſualis, & imaginalis, quæ ſunt mortæ per ipſum ad vitam, ſi cum illo ſint coniunctæ. Vtitur intellectus colore, in quantum ipſum colorem intelligit. Et idem de cæteris branchis arboris ſenſualis, quæ ſunt intelligibiles, quarum intelligibilatem trahit intellectus ad ſuam intelligibilitatem propriam, & in ipſa illas intelligit: ſicut ſphæra lunæ, quæ ſibi aquam attrahit in ſphæra ignis, & in illa ei dat ſuum beneficium. Et ſicut aqua cum ſuis conditionibus venit ad accipiendum influentiam & beneficium à luna in ſphæra ignis, ita intelligibilitates arborum veniunt ad accipiendum influentiam ſecundùm earum conditiones in intelligibilitate intellectus: ſicut viſus, qui cum intellectu eſt coniunctus, venit ad accipiendum beneficium, in quantum ipſe viſus intellectus eſt per intellectum ſub ratione coloris, quem intellectus intelligit, & per ipſum intelligit potentiam viſiuam, quæ colorem accipit, cuius eſt obiectum. Vigilare conſiſtit per intellectum, & dormire per ocioſitatem ipſius intellectus. Et ideò homines qui intellectu multùm vtuntur minus dormiunt quàm alij. Et ſomniare inter intelligere & ignorantiam conſiſtit: ſicut dubitatio, quæ eſt inter affirmatiuam & negatiuam. Et illud propter quod vigilare per intellectum conſiſtit, eſt, quia intellectus trahit inſtrumenta ad ſuum intelligere, quæ ſiquidem inſtrumenta ſunt aliarum arborum, quibus operatur, vt intelligere poſſit: ſicut calefacere, vt poſſit intelligere calefactum, & ſicut videre, vt poſſit intelligere obiectum viſum. Et illud propter quod in dormire ocioſitas intellectus conſiſtit, eſt, quia flores cæterarum arborum quietem habent, quia agentia eorum naturalia feſſa ſunt in mouendo ipſa, & ideò intellectus non habet, cum quo poſſit operari in attingendo obiecta corporalia. Et ratio quare ſomniare eſt inter vigilationem & dormitionem, eſt, quia intellectus attingit in parte aliquas ſimilitudines realium viſibilitatum, & in parte ipſas ignorat, quia eius inſtrumenta diſpoſita non ſunt, quod ex ipſis bonum operari poſſit: ſicut faber, qui cum paruo martello magnum clauum operari non poteſt. Gaudium & ira ſunt formæ, quæ sũt in intellectu in parte ſecundùm ſuã proprietatẽ, & in parte ſecundũ naturã voluntatis, ſecũdũ ſuã naturã, in quãtum inclinationẽ habet ad placitum per ſuum inſtinctũ naturalẽ vt intelligere poſſit. Et quando impeditur ad intelligendum, inclinationem habet per inſtinctum naturalem ad iram, & ad hoc mouet voluntas in amando intelligere, pro cuius amare habet intellectus placitũ in intelligẽdo. Et quãdo voluntas odit intelligere, tũc mouetur intellectus ad iram contra voluntatẽ ſecundũ inſtinctum naturalem. Per intellectum ſanitas conſiſtit in corpore, vel infirmitas, quoniam ſecundùm quod intellectus in intelligendo delectatur, corpus (cum quo eſt coniunctus) viuificatur, ſi tamen res delectabiles intelligit. Et ſi res corpori nociuas intelligit, corpus & eius oſſa deſiccat, & ſic eſt cauſa ſanitati corporis, aut infirmitati. Tamen ſecũdùm ſeipſum diſpoſitus eſt, ad habendum ſanitatem, aut infirmitatem ſpiritualiter. Diſpoſitus eſt ad ſanitatem in quantum ſua principia dirigit ad finem, propter quem ſunt, ſi-

O cut

cut bonitatem ad bonificandum, quod si deuiát illa à fine propter quem sunt, tunc infirmatur per peccatum. Industria est forma cum qua intellectus participat, quæ industria venit ex parte sensitiuæ & aliarum arborum. Et illa industria est ei instrumentum, quomodo modum animalium accipiat, quem habent in viuendo, & plantæ in vegetando, sicut vulpis, quæ industriã habet in venando, & sarmẽtum, quod habet industriam se ligandi in ramis arborum, in quibus ascendit, & sic de aliis rebus similibus istis. Intellectus est pars substantialis animæ rationalis, & eius essentia est intelligentia, & est ens inquantum est suppositum de concretis essentialibus plenum, quę sunt intellectiuum, intelligibile & intelligere. Est pars substantialis animæ, quia est de partibus substantialibus, videlicet de bonitate substantiali, magnitudine & cæteris. Et intelligentia est eius essentia, inquantum æqualiter sua realia, concreta essentialia consistunt sub essentia sua. Et est ens inquantum compositus est, ex partibus substantialibus & accidẽtalibus: compositus est ex substantialibus, vt dictũ est, ex partibus accidentalibus, vt in foliis huius arboris dicere intendimus. Dictum est de centum formis primariis, & secundùm quod applicatæ sunt ad humanum intellectum, eo modo applicari possunt, ad voluntatem secundùm suas conditiones.

De Voluntate, quæ est brancha spiritualis arboris humanalis.

Voluntas est de bonitate, magnitudine, & cæteris formis spiritualibus, quæ se habent ad ipsam constituendam, sicut plures lineæ ad vnũ punctum. Vnde sicut homo vtitur suis partibus calefaciendo, vegetando, sentiendo, & imaginando, sic voluntas vtitur, vel vti debet bonitate, magnitudine, & cæteris: debet vti bonitate, quia naturaliter est bona, & magnitudine similiter. Et quia libertatem habet vtendi suis partibus, potest acquirere aliam bonitatem, quæ accidentalis est, & meritoria & moralis, quæ virtus vocatur, sicut iustitia, quæ est bona, & sic de aliis. Voluntas in homine est coniuncta, cum branchis cæterarum arborum, videlicet cum igne, qui est vna brancha arboris elementalis, quæ naturalem habet appetitum calefaciendi, & siccitatem recipiendi. Et voluntas naturalem habet appetitum diligendi ignis appetitus cum ipsos habeat secundùm cursum naturalem, sicut homo, qui cum habet frigus, magnum habet appetitum per ignem, quod calefiat, & illum appetitum diligit voluntas, quia corpus diligit, cum quo est coniuncta. Idcirco fit concordantia inter voluntatem & appetitum ignis, quæ bona est & magna, &c. Sed cum ignis appetitum habet ad nimis magnum calorem, quia voluntas aquam diligit cum iustitia, frigiditatem diligit contra nimium calorem, idcirco hominem mouet ad comedendum res frigidas, & ad standum in locis frigidis, & ad vestiendum paucas vestes. Vegetatiua amabilis est, quia est bona & magna, & quia per illam viuit corpus, ex his quæ sunt extra, quæ vegetatiua conuertit in naturas corporis. Et quia est amabilis, voluntas diligit eam. Idcirco diligunt homines sapores, in quibus appetitiua delectatur, amaritudines euitando, quas appetitiua non requirit in retentiua, neque in digestione. Tamen quãdo appetitiua delectationem requirit contra bonitatem voluntatis, si voluntas

tas illam delectationem diligat, suum diligere non est bonum, imò est vitiosum, inquantum diligit contra bonitatem & iustitiam. Idcirco homines qui sunt iusti in vegetatione, diligunt temperantiam, cum qua refrænant appetitiuam contra indebitam delectationem, vt voluntas cōseruare possit bonitatem suam, quæ diligibilior est quàm delectatio in vegetatione. Et si homo contrarium faciat, diligit plus ea, quæ minora sunt, quàm ea quæ sunt maiora. Et ideo stat vitiosus in peccato & in culpa. Voluntas diligit sentire in videndo, audiendo, & odorando bonos odores, & in gustando, tangendo, & in loquendo. Et hoc facit, quia naturaliter diligit partes, cum quibus est coniuncta, idcirco corpus mouet ad videndum pulchra, quia pulchra placentia sunt ad videndum. Et mouet corpus ad audiendum verba pulchra, & sic de cæteris delectationibus sensualibus, in quibus corpus delectatur & inuenit placitum. Et quia naturaliter voluntas plus diligere, debet iustitiam in amare suum in magnitudine bonitatis, quàm delectationem sensus in sentire, si in sentire maiorem diligat delectationem, quàm in amare intelligere, vel recolere, facit contra magnitudinem sui amare: sicut homines, qui plus diligunt pulchritudinem mulierum, ratione sensus, in sentiendo, quàm pulchritudines ipsius volūtatis; intellectus & memoriæ in amando, intelligendo, & recolendo. In homine coniunctæ sunt voluntas & imaginatiua, ita sicut partes, quæ coniunguntur, vt sit totum. Vnde cum inclinationem habet amādi sensitiua, imaginatio est eius instrumentum, inquātum intellectus, in illa imaginatur placita sensualia, & tunc imaginatiua voluntatem mouet, ad amandum placita sensualia. Et in hoc passu habetur cognitio, quomodo quædam potentiæ, alias potentias mouent: sicut voluntas, quæ intellectum mouet ad imaginandum placita sensualia in imaginatiua, quæ est similitudo illorum, quæ siquidem placita naturaliter sunt amabilia. Et imaginatiua voluntatem mouet ad amandum illa placita: sicut nauis, quæ mouendo seipsam, nautas mouet de vno loco in alium. Et si voluntas in hoc motu non moueat amare suum cum magnitudine bonitatis, potestatis, virtutis, &c. seipsam mouet ad peccatum, & instrumentum quod est imaginari, conuertit in malis operibus, quę sunt priuatio magnitudinis, boni, & virtuosi amoris in amando. Et in hoc passu cognosci potest, quod malum est priuatio boni, & peccatum priuatio virtutis. Et habetur cognitio, quomodo homines se inclinant ad malum & peccatum. Quæ siquidem inclinatio est priuatio ascensionis ad opera bona & virtuosa. Voluntas est ita de æqualitate, sicut est de bonitate, magnitudine, duratione, & potestate, & idem est de intellectu & memoria. Et ideò habet voluntas naturaliter ita æqualia, sicut bona, & magna, & potentia, quæ sunt suum proprium amatiuum, amabile & amare, quæ in illa sunt æqualia. Vnde sicut voluntas participat cum intellectu, & memoria in specie bonitatis, magnitudinis, &c. sic cum illis participat in specie æqualitatis. Et in hoc passu cognoscitur, quod omnes tres potentiæ, animæ naturaliter sunt æquales: sicut per bonitatem sunt bonæ, & per magnitudinem & potestatem magnæ & potentes, & sic de cæteris. Sed quia homines earum æqualitate vti nesciunt, ideo opinantur, quod vna sit maior alia. Sicut, considerare, quod voluntas sit maior, quàm

intellectus in quantum ei præcipit illa obiecta intelligere:quę amare desiderat,cui voluntati intellectus est æqualis: in quantum ei præcipit intelligibilia obiecta amare cum magnitudine bonitatis,virtutis, veritatis, &c. Et idē est de æqualitate memoriæ,quæ est instrumentum dispositum, in quo voluntas & intellectus,æqualiter species deponant, quas acquirunt & multiplicant, vt ipsas æqualiter, cuilibet restituere possit. In vegetatiua consistit æqualitas instinctuum naturalium & appetituū:sicut appetitiua, quæ æqualis est naturali instinctui retentiuæ, & quando est maior, tunc est contra digestiuam; idem si instinctus naturalis retentiuæ maior sit,quàm naturalis instinctus appetitiuæ. Oportet ergo secundùm cursum naturalem, quod in vegetatiua sint æquales potentiæ instinctus & appetitus naturales. Sed quia homines maiorem inclinationem habent ad appetitus sensuales, qui dāt placitū,quàm ad instinctus, per quos fit calor naturalis, & etiam conseruatur. Imò credunt, quod appetitiua maior sit in vegetatiua, quàm instinctus naturalis retentiuæ, qua propter contra veritatem corporis considerant. Idem faciunt, cum maiorem voluntatem iudicāt per libertatem,quam intellectum, qui ita magnus est per libertatem sicut voluntas: quoniam sicut est magnum voluntati habere libertatem,per quam se habere possit ad diligendum vnum, vel aliud, sic est magnum intellectui habere libertatem, per quam se habere possit ad intelligendum liberè & non coactè, vnum obiectum vel aliud. Sicut oculi,qui libertatem habēt, quod videāt, & ignis ad calefaciendum, cum calefacit, & etiam sicut voluntas libertatem habet ad amandum, vel odiendū, sic intellectus libertatem habet,ad intelligendum veritatem vel falsitatem.

De Ramis arboris humanalis.

RAmi arboris humanalis sunt ex quinque naturis, videlicet de natura elemētali, vegetali, sensuali,imaginali & rationali. Idcirco quilibet ramorum venit cum suis naturis & cōditionibus in hac arbore:sicut ignis, qui venit cum suis ramis: qui sunt ignificatiuum,ignificabile,& ignificare:in massa quæ est ramus de elementatiuo, elementabili & elementare compositus, cum aliis elementis. Et cum tali ramo stat vestitus de vegetatiua ramus, cuius induit suum ramum, per quod indumentum est dispositus ad generationem & corruptionem,priuationem & renouationem,& transit ad ramos sensitiuę,ratione quorum dispositus est, quod sit instrumētum visitiuo visibili,& videre & obiecto viso,& auditiuo audibili, & sic de cæteris particularibus sensus communis. Deinde transit ad imaginatiuam ducendo ei obiecta, quæ per suam habet naturam, & illa similiter, quibus est indutus per vegetatiuam & sensitiuam, in qua dispositus est, quod sit imaginabilis secundùm suas conditiones,quas accipit & donat.Et sic indutus & habituatus transit ad rationatiuam, cuius rami sunt in memoria, memoratiuum memorabile & memorari,& in intellectu,intellectiuum,intelligibile & intelligere, & in voluntate, amatiuum amabile & amare. Et ideò anima accipit in suis ramis proprietates & qualitates ramorum elementatorum.Et idem facit de vegetatis,& sensatis,& imaginatis.Et in hoc passu habetur cognitio de mixtione ramorum,

ramorum, quæ fit in arbore humanali, per quam mixtionem fit ramorum continuatio & participatio, vt fit vna continuatio humanitatis ex discretis quantitatibus constitutæ, quæ discretæ sunt, inquantum sunt partes totius, quod est homo. Quod si quidem totum est, totum per continuam quantitatem ex pluribus compositam. Et ramis sic mixtis omnibus adinuicem in arbore humanali, fit participatio obiecti & obiecti, & potentiæ & potentiæ, & actus & actus, quemadmodum ex elementabili, vegetabili, sensibili, imaginabili & rationabili. Et quia hæc obiecta sunt specie obiectationis, sunt in concordantia, per quam disposita sunt, quod sint instrumenta omnia adinuicem vt per potentias sint obiectata. Et idem sequitur de concordantia potentiarum & actuum, veluti elemẽtatiuum, vegetatiuum, sensitiuum, imaginatiuum & rationatiuum, quæ concordantiam habent in accipiendo obiecta, inquantum sunt sub vna specie actiuitatis. Et ex ambabus concordantiis, sunt in concordantia actus, sicut elementare, vegetare, sentire, imaginari & rationari. Et quando hæ concordantiæ destructæ sunt per contrarietatem, quæ est contra fines ramorũ, fit diuisio ramorum, & moritur homo.

De Foliis arboris humanalis.

FOlia arboris humanalis sunt de quinque naturis, secundùm quod rami sunt de illis: sed quia in arboribus prædictis, de quatuor dictum est, idcircò de quinta natura quæ est de foliis spiritualibus arboris humanalis, in hac arbore loqui intendimus, & de participatione, quam habet cum cæteris foliis. Et primo de quantitate arboris humanalis, quæ est secundùm animam rationalem.

De Quantitate arboris humanalis.

IN homine est vna quantitas continua, quæ ex pluribus quantitatibus discretis consistit, secundùm quod sunt plures arbores, ex quibus compositus est. Et quia in quatuor arboribus antedictis, de quantitate tractatũ est, cum quantitate illarum inuestigare volumus quantitatem arboris rationalis coniuncta cum corpore humano. Sicut ignis, qui quantus est per existentiam & agentiam, & eius partes indiuiduatæ in elementatis sunt, quãtæ in amplum, longum & profundum, & in figura circulari, triangulari & quadrãgulari: sicut in pipere & equo. Et istæ suæ quantitates indiuiduatæ transeunt in arborem vegetalem, in qua imprimunt suas similitudines, & arbor vegetalis ipsas in figuris accipit quæ veniunt, in quibus eius indiuiduas quantitates extendit. Et idem est de arbore sensuali, & etiam de imaginali. Cuius quantitates sunt similitudines realium quantitatum, quæ veniunt. Et idem est de arbore rationali, quæ se extendit in arboribus, cum quibus est coniuncta: sicut in homine, in quo est anima extensa per omnes quantitates corporis, quæ siquidem extensio est sua quantitas, in qua longum, amplum, & profundum non sũt realiter, neque circulus, quadrangulus, neque triangulus corporales, secundùm suam essentiam, sed accipit illas figuras quantitatis, in sua quantitate: sicut cera, quæ quantitatem accipit in sua quantitate à litteris sigilli, & quantitas arboris rationalis in quantitate bonitatis, consistit spiritualis, & magnitudinis similiter. Et sic de aliis radicibus propriis, quæ multiplicant

vnam quãtitatem continuam sub memoria existentem, videlicet sub eius quantitate. Et sic de intellectu & voluntate. Quæ siquidem memoria totum ex suis partibus esse non posset, nisi quælibet suarum partium quantitatem haberet, vna parte existente ab alia distincta. Corpus cum anima coniunctum in amabilitate est quantum, idcirco oportet, quod voluntas illud mensuret in amare secundùm amabilitatem illius, quod mensurare non posset, si quantitatem ipsa non haberet. Cuius quantitas in numero ternali consistit, videlicet in amatiuo, amabili & amare, & ex his tribus consistit quantitas voluntatis, quæ videri non potest, nec tangi, neque etiam imaginari, quia nõ est de natura corporali Et hoc idem sequitur de quantitate intellectus & memoriæ. Deus est intelligibilis, & sua intelligibilitas est absque quantitate in sua amatiuitate, & in suo amare, & in seipsa. Et istud est, quia bonitas Dei, sua magnitudo, potestas, & cæteræ suæ formæ sunt infinitæ, & quælibet est idem numero quod alia. Sed eius intelligibilitas est quanta in intellectu humano, qui vsque ad terminum intelligit, quem terminum facit in seipso, qui finitus est & terminatus, quia est de partibus finitis & terminatis, & in numero differentibus. Et in hoc passu cognoscitur, quando in arbore humanali, arbor rationalis se extendit secundùm quantitatem arboris corporalis, & remanet in maiori quantitate bonitatis, magnitudinis, & cæterarum formarum spiritualium, quàm quantitas corporalium formarum. Et hoc est, quia arbor rationalis, maiorem habet magnitudinem bonitatis & virtutis, quàm arbor corporalis. Ratio quare comparamus quantitatem arboris rationalis ad folia, est, quia sicut folia se vertunt ad omnes ventos, sic quantitas arboris rationalis, quantitates sequitur arboris corporalis, secundùm quod amabiles sunt, intelligibiles, & dispositæ ad elementandum vegetandum, sensandum & imaginandum. Folia quæ sunt in arbore humanali, ex parte arboris elementalis sunt accidentia corporis, quæ sunt per calorem, frigiditatem, siccitatem & humiditatem, colorem, longum, amplum & profundum, & visibilem figuram, scilicet circularem, triangularem, aut quadrangularem, & illa quæ sunt in homine per vegetatiuam, sunt, sicut sapor, odor, &c. Et illa quæ sunt per sensitiuam: sunt, sicut videre, audire, &c. Et illa quæ sunt per imaginatiuam, sunt: sicut similitudines aliarum arborum.

De Qualitate arboris humanalis.

IN arbore humanali, tot sunt naturæ qualitatum, quot sunt naturæ arborum. Et ideò arbor rationalis naturales & proprias habet qualitates, per quas dicta est qualis, & eius bonitas qualis, & magnitudo similiter. Et in eius bonitate bonum quale, & in magnitudine magnum quale. Et per bonitatem existit bene, & per magnitudinem magnificè. Et hæ qualitates mixtæ, & cum aliis coniunctæ reddunt hominem qualem, vt si ita diceretur, qualis homo est Petrus aut Martinus, vel si est bonus aut malus, magnus aut paruus, sanus aut infirmus. Et in hac determinatione ponit, quælibet arbor suam propriam qualitatem: sicut arbor elementalis, quæ ponit in illa colorem, album aut nigrum. Et vegetatiua in illa ponit sanitatem, aut infirmitatem. Et sensitiua sensum caloris aut frigiditatis. Et imaginatiua in illa

illa ponit similitudines aliarum qualitatum. Et rationatiua gaudium, aut tristitiam, aut habitum scientiæ. Et sic de aliis rebus similibus istis.

De Relatione arboris humanalis.

SEcundùm quod arbor humanalis ex pluribus arboribus consistit, ita sunt plures relationes, aliæ in aliis mixtæ. Et ideò in homine est relatio generalis omnium, sicut relatio honorificatiui, honorificabilis & honorificare, aut patris aut filij. Et relatio honorificatiui, honorificabilis & honorificare deriuatur ex relationibus ramorum, aliarum arborum primarũ, ita quod homo Martinus honorificatiuus est, inquantum est ex primis arboribus antedictis, non inquantum est ex hac arbore, quoniam nullus homo generare potest animam rationalem, nec creare, & ideò non transit relatio ad omnes partes arboris humanalis. Relationes arboris rationalis sunt in ramis, videlicet in memoria, memoratiuum, memorabile, & memorari, in intellectu, intellectiuum, intelligibile, & intelligere, & in voluntate amatiuum, amabile, & amare, & in suo trunco, videlicet rationatiuum, rationabile, & rationare, & in suis radicibus: sicut in bonitate, in qua est relatio bonificatiui, bonificabilis & bonificare. Et sic de cæteris relationibus naturalibus.

De Actione & Passione arboris humanalis.

CVm arbor humanalis sit ex pluribus arboribus: oportet quod in illa sint plures actiones & passiones, sicut in Martino in quo per arborem elementalem actio & passio constitutur; quia suus calor naturalis cibaria quæ comedit, calefacit, & eius frigiditas est calefactibilis, & in se habet actionem per arborem vegetalem, inquantum digestiua digerit cibaria, quæ accipit, & in se habet passioné per corruptionem inclinationis ad mortem, & renouationis ad alias formas, quæ sunt sub aliis speciebus: sicut vermes ex materia corporis deriuati. Est in homine actio ratione arboris sẽsualis: inquantum coloré sentit cum oculis, & saporem cum gustu: & est in illo passio, inquantum sentit dolorem. Per actionem imaginationis carnes se mouent, ad carnales delectationes, quæ siquidem carnes sustinent passionem in motu quem habent. Sunt etiam in homine actio & passio, per arborem rationalem, sicut omnes arbores primariæ quæ habent passionem sub arbore rationali, quæ est dominus & forma informans, omnes formas inferiores ad earum inclinationes naturales & motus. Et ipsa habet passionem in acquirendo necessitates ipsarum: sicut anima cum considerat & laborat, vt corpus viuere possit, & necessitates habere, quibus indiget ad viuendum: sicut est camera, qua indiget ad inhabitandum, & acus, qua indiget ad suendum, & vomer, quo indiget ad arandum. Habet adhuc anima rationalis, actionem & passionem per se simpliciter, sicut in voluntatem, in qua amans est agens, & amabile patiens, & etiam amare amborum passionem habet secundùm impressiones & passiones habituum, quos accipit. Et sic de aliis rebus similibus istis: sicut intellectus, qui passionem habet cum intelligere non potest, & voluntas, cum non potest habere hoc quod desiderat.

De Habitu

De Habitu arboris humanalis.

HAbitus arboris humanalis sunt plures & diuersi. Et quidam sunt naturales,& alij artificiales;naturales sunt secundùm conditiones arborum primarum, secundùm quod de ipsis dictum est in foliis arboris elementalis. Et similimodo est de habitibus arboris vegetalis,sensualis,& imaginalis, qui secundùm earum conditiones veniunt ad habitus arboris rationalis,vt sint sustentati:sicut materia quę sustentata est in sua forma & in fine illius. Et ex omnibus his habitibus naturalibus,est arbor humanalis habituata & induta. Sicut per habitum elementalem induta est colore & calore,& per vegetalem sapore,dulcedine,& odore, & per sensualem induta est visu & auditu, & per imaginalem induta est imaginatione, & per rationalem induta est memoria, intellectu, & voluntate. Et ex omnibus his habitibus naturalibus deriuantur habitus artificiales, qui sunt necessarij ad viuendum & ad bene esse arboris. Sicut per, elementalem homo accipit habitum tunicæ, vt frigus non habeat,& sic in habitu, habet artem sattoriá, vel artem fabrilem, vt cultellum facere possit,acum & vomerem.Et per vegetalē habet in habitu artem pistorinam, & artem medicinæ. Et per sensualem habet in habitu artem ædificatoriam,& artem pulchrarum figurarum, ornamentorum & instrumentorum. Et per imaginalem facit imagines. Et per rationalē habet habitus virtutum, qui sunt fides,spes,& charitas, iustitia, prudentia, fortitudo, &c. De quibus habitibus moralibus & artificialibus, loqui intendimus in arbore morali. Et in hoc passu leuiori modo, quo possumus loquimur de habitibus mechanicis & liberalibus, & primò de arte fabrili.

De Arte fabrili.

SIcut arbor vegetalis,suos habet instinctus naturales ad faciendum folia, flores & fructus, sic faber considerando processum arborum, secundùm instinctum naturalē industriam habet, & modum in arte fabrili.Sicut considerando radices, in quibus ei significatur per bonitatem, quod faciat bonum cultellum, & magnum,& durabilem per magnitudinem, & durationem, & fortem per potestatem, & proportionatum, per proportionem ad finem, propter quem ipsum facit. Et in trunco est ei significatum, quod faciat cultellum ex pluribus rebus, sicut trūcus,qui est ex pluribus rebus. Et per folia consideret instrumenta, cum quibus faciat, & suam quantitatem consideret,assituationem & tempus: & sic de aliis rebus, secundùm quod considerat ad faciendum cultellum ornatum & vtilem, propter suum finem. Vnde sequente fabro processum arborum,secundùm instinctum naturalem illarum, suam imaginationem disponit, ad imaginandum suam artem completè, & suum intellectum subtiliat, vt sua arte bene sciat vti.

De Arte Carpentaria.

PEr arborem imaginalem accipit carpentarius similitudines aliarum arborum, & necessitates considerat hominum, quibus indigent ad viuendum imaginando domos, scrinia, scutellas, aratrum pro agricola,& sellam pro equo, & lanceam pro milite,& sic de cæteris,quæ ad eius officium pertinent. Et omnes hæ considerationes ipsum dirigunt & disponunt, secundùm conditiones arborum, & etiam secundùm principia primaria, vel secundaria. Vnde si quis carpentarius

istam scientiam sciret, subtilior esset, quàm alij in faciendo sua opera, quoniam dispositiones arborum darent ei doctrinam ad imaginandum subtiliter figuras circulares, triangulares, & quadrangulares, quas considerare oportet in processu artis carpentariæ.

De Arte Sartoriæ.

SArtor acum considerat, filium, forfices, & pannum. Et hæc omnia considerat propter finem induendi, & branchas habituat, & in illis ornamenta considerat. Et per radices modos considerat. Et per truncum corpus hominis. Et per formam quantitatem & proportionem tunicæ, & ipsius induti. Et vult quod tunica sit bona & magna, & quod duret per durationem & potestatem, & quod eius color sit placens ad videndum, & quod sit mollis, vt tactus placitum habeat. Et sic de cæteris rebus similibus istis. Quare sartor qui habet in habitu suam artem, primo incipiat in formis primariis secundùm instinctus naturales in arboribus seminatos & in eius partibus. Concordando instinctus naturales cum habitibus artificialibus, existunt mechanici in suis operationibus perfecti.

De Arte Agricoliæ.

AGricola considerat aratrum, vomerem, ligonem, bouem, & restellum semen & tempus seminandi & colligendi, & sic de cæteris rebus similibus istis. Hæc consideratio incipit in instinctibus naturalibus & in formis primariis, quæ habitum agricolæ disponunt secundùm earum conditiones, dispositiones & naturas, quas agricola tunc accipit, cum suam artem habituat: sicut per bonitatem, per quam aratrum bonum considerat, item bonum vomerem, bonos boues, bona putatoria, & bonum tempus ad seminandum & ad colligendum. Et omnes istæ considerationes sibi conueniunt, secundùm quod vtitur arbore imaginali in accipiendo similitudines cæterarum arborum, quas accipit in earum radicibus, truncis, branchis, ramis, foliis, floribus, & fructibus.

De Arte Mercimoniæ.

MErcator terrarum necessitates considerat, & ideò in aliquam terram vadit, in qua habetur magna abundantia alicuius rei, de qua alia terra indiget. Sicut illi qui vadunt ad locum, in quo fit piper, & vbi fiunt panni, & ipsos in terram ducunt, vbi piper neque panni fiunt. Vnde primò considerat finem, qui generalis est ad viuendum, & ad bonum esse magnum & durabile potens & amabile. Et considerat in prosperitatibus rerum, in quibus homines habeant quietem. Vnde postmodum istis considerationibus principiatis, in radicibus secundùm truncum considerat suum bonum speciale ex pluribus rebus acquisitis multiplicatum. De quo trunco exeunt magnæ branchæ, & bonæ, & pulchra folia, & rami foliis pulchris & fructu ornati sub intentione ornamenti, ad euitandum famem, sitim, & vilia vestimenta. Et in omnibus istis habet mercator modum recipiendi significata arborum & participationem, quam quædam arbores habent cum aliis. Quare ille esset subtilis & bonus mercator, qui sciret accipere significata arborum secundùm processum istius scientiæ generalis.

De Arte Nautarum.

MArinarius considerat galeam, nauem & barcham, & considerat velum, & arborem, & cætera quæ expectant ad nauem, & postmodum considerat tempus nauigandi, & portus, ad quos habet refugium, stellam, acum, magnetem, ventos & miliaria, & cætera quæ spectant ad suam artem. Et omnes istæ considerationes, primò incipiunt in formis naturalibus & primariis seminatis in arboribus, ex quibus instinctus & appetitus naturales disponunt habitum marinariæ illis, qui sub fine artis marinariæ significata arborum accipiunt in arbore imaginali, cum branchis arboris humanalis. Et is qui melius accipit arborum significata applicando ipsa ad finem marinarię, qui est lucrari, est sapientior alio marinario, & securius est ei nauem tradere & mercimonia.

De Arte Militiæ.

MIles finem militiæ cõsiderat, qui ipsum considerare facit bonum equum, & bene equitare, gladium fortem, cum quo percutere possit, & lanceam cum qua à longè possit percutere, & scutum forte, cum quo se possit cooperire. Et ipsum considerare facit modum, quomodo suum inimicum decipere possit & vincere. Et vt ex officio suo vtilitatem, honorem, & bonam famam, ab omnibus similiter habere possit. Et hæ considerationes primò incipiunt in formis primariis naturalibus seminatis in arboribus, quæ disponunt formas artificiales, quæ instrumenta sunt artis militiæ. Quam artem habent in habitu quidã milites melius, quàm alij, secundùm quod sciunt concordare formas primarias naturales, cum formis secundariis artificialibus.

De Arte Grammaticali.

GRammatica est ars, quæ docet ordinatè loqui, & accentus ponere in vocabulis, vt oportet, & concordare verba, & nomina, præpositiones, substantiuum & adiectiuum, & sic de cæteris partibus artis. Et iste ordo & processus prius incipit in formis primariis seminatis in arboribus, in quibus ordinatæ sunt, secundùm cursum naturalem. De quo ordine grammaticus habet instinctum naturalem, ex quo trahit ordinem habitus artificialis, in loquendo, & in faciendo bonum Latinum, & in euitando falsum accentum, in quo Latino significata ponit vocabulorum, quæ sunt in vulgari.

De Arte Logicali.

LOgicus finem considerat Logices considerando falsum & verum. Et considerat falsitatem & veritatem, Sub forma nominis & verbi. Sub forma nominis considerat, vt cognitionẽ habeat de rebus, quæ sunt hoc quod sunt. Idcircò nomina considerat & diffinit. Et sic similiter verbum considerat & diffinit, vt cognitionem habeant operationum, quas habent substantiæ. Et in his duobus principiis, omnes res consistunt, videlicet existere & agere. Et ad inuestigandum ista principia, habet Logicus intentiones secundarias, quæ sunt rerum realium significata, de quibus tractat naturalis, & ex quibus Logicus nomina trahit, & similitudines operationum naturalium. Et super hoc ponit in considera-

ratio

rationibus suis, decem prædicamenta, genera & species, differentias, & proprietates, & accidentia, & maximas ponit ante conclusionem, & habet modum arguendi & significandi res falsas esse veras, & veras esse falsas, vt de veritate & falsitate melius cognitionem habere possit, & sic de cæteris rebus, quæ ad Logicam pertinent. Et omnes istæ considerationes incipiunt in instinctibus naturalibus & primariis, quæ in arboribus sunt sustentati, & in ipsis realiter seminati, boni, magni, amabiles, veri & distincti ab inuicem. Et ex omnibus istis formis realibus est habitus Logicæ dispositus, quod veniat de potentia, per agens artificiale in actu, quod accipit similitudines in arbore imaginali cæterarum arborum, vt ex illis similitudinibus, ars Logicę constituere & ordinare possit, & de entibus cognitionem habere possit.

De Arte Rhetorica.

Rhetoricus tractat, quod homo loqui possit per vocabula pulchra & ornata, vt sensus auditus placitum in audiendo habere possit, & vt per illud placitum voluntatem mouere possit audientium ad perficiendum, quod desiderat Rhetoricus, qui facit de Rhetorica instrumentum vt ad finem venire possit, quem desiderat. Quod siquidem instrumentum deriuatur ex principiis primariis & ex ornamento, quod habent naturaliter, & etiam de natura instrumentorum superiorum. Et ex his naturis primariis in arboribus seminatis accipit Rhetoricus in arbore imaginali pulchras similitudines & ornatas & dispositas ad placitum, positis illis similitudinibus in verbis, & illis verbis positis in pulchris exemplis & placidis, & in salutationibus ornatis & in humilibus supplicationibus, & debitis petitionibus & promissionibus. Vnde cùm Rhetoricus tangat formas naturales & principia quæ in arboribus posuimus, & applicando illa ad habitum Rhetoricæ, tunc habet modum & magnam materiam vtendi scientia sua, & ad consequendum ea quæ desiderat, ad quæ per Rhetoricam venire credit.

De Arithmetica.

Arithmeticus considerat discretas quantitates ex discretis quantitatibus realibus multiplicatas in similitudinibus fantasticis, ex quibus numerum multiplicat, quem ponit in figuris, quæ illas certas quantitates significant. Et ideò considerat vnum & eius figurã, & duo, & eius figuram, & decem, & eius figuram, & viginti, & eius figuram, & centũ, & mille, & eorum figuras, & sic de aliis. Et considerat assituationes figurarum, secundùm quod sunt ante vel retrò in arte algorismi. Considerat etiam substantiarum assituationes: sicut lapides, ex quibus turris efficitur, numerum quorum scire desiderat, & sic de aliis, quæ ad artem spectant. Ad cuius artis finem peruenit, si de ordinatione superiori & de formis primariis quæ sunt in arboribus naturalibus cognitionem habere sciuerit, quia ita apparet habitus arithmeticæ in illis formis, sicut imago in speculo. Cùm ita sit, quod numerus numeralis sit, imago visa in numero reali, qui est ex entibus veris, singularibus & distinctis, & in numero illorum apparet sua similitudo.

De Geometria.

GEometricus. considerat quantitates continuas, & illas mensurat de principio vsque ad medium, & de medio vsque ad finem, & facit circulum, in quantum considerat in illo medium, quod est centrum, cuius circumferentia est circulus. Deinde quadrangulum considerat & triangulum, qui circulum perficiunt. Et ad has figuras venit secundùm quod accipit similitudines habituum naturalium superiorum, quos applicat ad suam artem, vt sciat quantitates turrium, & marinarij spacia, quæ sunt inter vnum ventum & alium. Vnde sicut sanitas est principium memoriæ, sic quantitates continuæ & reales suprà existentes sunt principia quantitatum artificialium abstractarum ex materia, de quibus Geometricus mensurat res mensurabiles secundùm suam artem. Et huic arti iuuant maximè assituationes naturales, de quibus in arbore elementali tractatum est, & etiam in hac arbore in suis foliis.

De Musica.

MVsicus considerat voces dispositas, scilicet quod sint altæ, infimæ, & mediocres, longæ & breues, grossæ & primæ siue subtiles, proportionatæ & accentus vocalium & consonantium, vt voces ornare possit & melodias instrumentorum, quæ sunt placentes ad audiendum & ad confortandos animos hominum. Et ideò artem ordinat & modum quomodo voces trahat, quæ sunt in dispositione soni placentes, & vocis, vt in actu veniat habitus musicalis. Et principia prima & naturalia in formis consistunt, de quibus dictùm est in processu arborum, ex quarum instinctibus musicus habet instinctum naturalem, ex quo trahit habitum musicalem: sicut faber qui clauum trahit ex massa ferri de potentia in actu, vt fine vtatur, ratione cuius est faber. Et ideò sunt radices & trunci & cæteræ partes arborum principia prima & naturalia, ex quibus principia artificialia artis musicæ descendunt.

De Astronomia.

AStronomus considerat naturas corporum suprà cœlestium influentias & impressiones, quas mittunt in inferioribus corporibus, quæ illas influentias recipiunt, & impressiones, secundùm quas disposita sunt & mota ad operationes naturales secundùm radices arborum & secundùm truncos, branchas, ramos, folia, flores & fructus. Idcircò Astronomus considerat stellas fixas in firmamento, quas diuidit in partes duodecim, quæ sunt duodecim signa, videlicet aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces. Et istis qualitates brancharum arboris elementalis attribuit, nam arieti qualitatem ignis attribuit, tauro qualitatem terræ, geminis qualitatem aëris, & cancro qualitatem aquæ, & sic de aliis per ordinem. Et dicit, quod aries est mobilis & masculus, cuius planeta dicitur Mars. Et dicit quod eius caput est bonum in medio & in fine, & sic de aliis per ordinem. Etiam considerat Astronomus septem planetas errantes, qui sunt Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna, & istis planetis qualitates elementorum attribuimus effectiuæ & appropriatæ,

priatæ, secundùm hoc quod requirit planeta inferiùs, quę naturis supra cœlestibus indigent: vt moueant ipsa ad instinctus generabilium & corruptibilium naturales, & ad modos, per quos plantæ vel animalia viuere possint, aut in priuationem & corruptionem deuenire, vt cursus naturalis non cesset. Et dicunt, quod Saturnus est de complexione terræ, & quod sit malus, & plũbum sit ex parte eius, & dies sabbati similiter. Et quod Iupiter sit de complexione aëris, & quod sit bonus & quod stagnum & dies Iouis sint ex parte ipsius. Et sic de cæteris per ordinem. Considerat etiam Astronomus momenta, horas, dies, menses, annos, & motus rerum, & secundùm complexiones & respectus signorum & planetarum, per cursus illorum in diuersos status temporis mutatorum. Considerat etiam rerum abundantiam in fructibus & defectum. Item sanitatem & infirmitatem, lucrari, & perdere officia & prælıorum victorias. Et sic de cæteris rebus similibus istis. Et ad considerationes omnium prædictorum radices, trunci, branchæ, rami, folia, flores, & fructus arborum naturalium sunt naturę primarıę generales, quę secũdùm eorum dispositiones & naturas disposita sunt, ad recipiendum impressiones superiores, seu influẽtias: sicut tegula, quæ secũdùm suam dispositionem influentiam recipit à Sole per ignem & terram, & cera, quæ mollificationem & dissolutionem recipit per solem, per ignẽ, & per aërem. Et sic de cęteris rebus similibus istis. Idcircò valde necessarium est Astronomo scire Phililosophiam, quæ est de generatione & corruptione, in tractatu & processu, quem fecimus in arboribus naturalibus significata.

De Arte Iuris.

IVrista considerat iustitiam in his quæ sunt licita ad euitandum illicita, vt sit pax & charitas inter gentes, in amando Deum & ei seruiendo, & ad faciendum ei reuerentiã & honorem, quæ ei conueniunt. Idcircò dicunt, quod principia iuris sunt Deum diligere, honestè viuere, & vnicuique quod suum est reddere. Et quia deficit charitas in gentibus, & bonum speciale plus diligitur quàm publicum, inuenta est scientia iuris, in qua positæ sunt leges, & canones ad conseruandũ hoc quod conuenit publicæ vtilitati, & speciali & ordinationi illius boni. Idcircò inuenti sunt iudices, aduocati, & doctores ad cõseruandũ & tuẽdum scientiam iuris, secundùm mãdatum Papæ & Imperatoris, & ad positiones quas fecerunt, in quibus scientia iuris sustentatur, sunt principia naturalia primariæ causæ, quas in arboribus posuimus, quę generales sunt ad particularia, in quibus scientia iuris consistit. Quæ siquidem particularia examinari possunt & cognosci, & eorum veritates, naturæ & intentiones, quare sunt in vniuersalibus positis in processu arborum generalium & primarum. Quę siquidem vniuersalia necessaria sunt cuilibet iuristæ ad sciendum, vt suam scientiam melius cognoscere possit, & vt in defectibus particularium recurrere possit ad perfectiones superiores & generales, ponendo concordantiam inter generalia & specialia, siue inter vniuersalia & particularia, sicut inter totum & eius partes.

De Arte Medicinæ.

MEdicina est, vt sit sanitas. Idcircò medicus considerat qualitates entium necessariorum ad conseruandum sanitatem, & ad destruendum infirmitatē per accidētia in naturalia causatam. Idcircò disponit & ordinat naturam patientis, vt in actu redeat sanitas, q̄ in ipso esse solebat. Et considerat decoctiones & emplastra, electuaria, balnea, phlebotomias, dietas & cætera his similia. Considerat etiam gradus febrium & planetarum, & simplicitatem, & interpolationes febrium. Considerat etiam horas, in quibus incipit infirmitas, & in quibus desinit, siue terminatur, & sic de aliis, quæ significauimus in principiis medicinæ. Vnde omnibus istis particularibus inferioribus, sunt causæ primariæ particulares generales, quæ sunt supra, quæ in processu arborum consistunt, ex quibus, siue per quas primi medici, per instinctum naturalem habitum medicinæ, & suam artem considerauerūt, & ideò illa principia sunt valde necessaria illis, quæ de scientia medicinæ se intromittunt, vt per principia, verisimilia habere possint cognitionem de particularibus. Et illi medici, qui ita sæpe deficiunt in suis experimentis, cognitionem non habent de primis principiis naturalibus. Idcircò per medicos, quàm plures homines moriuntur, qui sine ipsis viuerent, per concordantiam supra existentem, & appetitus, & instinctus naturales in industria, quam dant ad regendum eorum particularia. Quoniam per instinctum naturalem, habet canis industriam ad comedendum herbas, vt vomitum faciant, per quas quidem herbas ei nociua & indigesta proijciat, vt sanitatem habere possit. Et idem facit catus, secundùm quod experientiam habemus.

De Philosophia.

PHilosophus veritatem rerum scire desiderat, vt in illo scire delectationem habere possit. Idcircò suum intellectum fortificat, ad habendum vnum habitum vniuersalem, sub quo plurium veritatum cognitionem habere possit, & de scientiis in pluribus veritatibus extēsis, videlicet in earum similitudinibus. Idcircò philosophus considerat causas primarias & reales, & per ipsas ad realia particularia descendit, & ipsa inuestigat cum causis primariis. Et eius inuestigatio consistit in ascendendo & descendendo, ex causis superioribus ad inferiora, & de inferioribus ad superiora, & in effectibus illarum habet cognitionē ex ipsis. Causas verò primarias in arboribus naturalibus significauimus, & in earum partibus, ex quibus sunt cōstitutæ, assituatæ, & ex pluribus habitibus indutæ.

De Theologia.

THeologia loquitur de Deo, videlicet de eius essentia, proprietatibus, dignitatibus, & eius operationibus, quas habet in seipso & in creaturis. Supponit etiam, quod Deus habet omnem perfectionem, siue complementum in suo existere & agere, & quod nullum habet defectum, nec indigentiam alicuius rei, & quòd sit finis, & perfectio omnium creaturarum. Et in huiusmodi considerationibus, Theologus finem sequitur brancharum arboris humanalis, & etiam radicum, & omnium partium arboris. Idcircò maiorem habet delectationem in considerationibus suis, quàm aliquis alius

alius ratione nobilitatis obiecti. Et cum se inclinat ad considerandum naturas primarias secundùm philosophiam, túc venit ad scientiam, positiones primas, quas fecit in Theologia, in necessarias demonstrationes conuertit & rationes. Et ideò Theologi philosophi maiorem delectationem habent in Theologia quàm alij, quia de necessitate principia attingunt positiua, quæ simpliciter considerantur secundùm auctoritates & opiniones verorum. Quare philosophia multum est necessaria ad sciendum Theologiam, & ad vincendum errores & iniurias, & falsas opiniones, quæ sunt contra veritates, in quibus Theologia est sustentata, & per illam est habituata.

De Situ arboris humanalis.

ARBOR humanalis assituata est ex quinque naturis, ex quibus est constituta: quia vna assituatio est per arborem elementalem, alia per vegetalem, alia per sensualem, alia per imaginalem, & alia per rationalem. Per elementalem habet corpus circulatum, triangulatum, & quadrangulatum. Et per vegetalem habet corporalitatem assituatam secundùm figuras arboris elementalis, quæ in se continet corporalitatem maiorem quàm vegetalis. Et ideò simpliciter non potest homo cogitare figuram corporalem secundùm arborem vegetalem, quia sua corporalitas tangi non potest neque videri. Et assituatio quam ab illa accipiunt Petrus & Martinus, est per generationem & corruptionem, priuationem & renouationem, & etiam per alias partes arboris. Et assituatio quæ est per sensualem est, secundùm quod potentiæ sensitiuæ, assituatæ sunt in branchis, ramis, foliis, floribus, & fructibus, vt dictum est, & idem est de arbore imaginali, quæ est de similitudinibus assituationum realium. Et hoc idem est de situ arboris rationalis, secundùm quod dictum est, in qua est assituatus, per memoriam in occipite, per intellectum in fronte, & per voluntatem in corde, & per truncum in omnibus partibus corporis.

De Tempore arboris humanalis.

ARBOR humanalis consistit in tempore, & est in tempore secundùm dispositiones arborum, ex quibus constituta est. Quia secundùm quod arbores diuersæ sunt, in tempore diuersimodè consistunt: sicut ignis, qui in omni tempore Martinum calefacit: & vegetatiua, quæ in vno tempore facit Martinum esse sanum, & in alio infirmum. Et sensitiua ipsum sentire facit in vno tempore calorem, & in alio frigiditatem, & in vno tempore famem, & in alio sitim. Et imaginatiua in vno tempore ipsum mouet ad delectationem, & in alio tempore ad iram. Et rationale ipsum mouet in vno tempore ad iustitiam, & in alio tempore ad illicita siue ad iniuriam. Tamen semper in Martino simplex consistit tempus, & Martinus in tempore similiter. Sed quia Martinus consistit ex diuersis partibus & naturis, diuersificat tempus in similitudinibus temporis, quæ siquidem similitudines non sunt de sua essentia: sicut intellectus, qui accipit similitudinem corui in imaginatione, & ipsum considerat in vno tempore album, & in alio nigrum, quæ siquidem consideratio non est de essentia corui, nec de essentia sui coloris, sed est species multiplicata

cata

cata de similitudinibus & de figura corui in imaginatione impressis, in qua intellectus ipsas imprimit. Sicut litteræ sigilli, quæ in cera imprimunt suas similitudines, quæ non sunt de sua essentia.

De Loco arboris humanalis.

ARbor humanalis consistit in loco, & locus in ipsa: sicut partes quædam consistunt in aliis. Tamen Martinus totus stat in loco, sed totus locus non stat in Martino, quia si totus staret in ipso, leo & turris locum non haberent, in quo starent. Sed in quantum Martinus determinatus est secundùm quinque arbores, ex quibus constitutus est, diuersimodè in loco consistit: sicut per vnum modum stat in arbore elementali, quæ ipsum in loco determinat, qui in se continet figuram circularem, triangularem & quadrangularem, & plenam ex longo, amplo & profundo. Et vegetatiua stare facit Martinum in loco, in quantum suam figuram facit vegetatam. Et sensitiua similiter Martinum in loco stare facit, in quantum est extensa in vegetatiua & elementatiua. Et imaginatiua similiter, in quantum se ponit inter frontem & occiput, vbi fit fantasia & multiplicatio specierum fantasticarum sub speciebus imaginationis. Et rationatiua Martinum in loco stare facit, in quantum ipsum mouet de vno loco in alium. Et in Martino locus consistit accidentaliter, in quantum se ponit in maiori virtute in vno loco quàm in alio: sicut in cerebro in quo se ponit per recolere & intelligere ad faciendum iudicium de entibus, & in corde per amare & per diligere bona diligibilia, & per odire mala odibilia, veruntamen rationatiua simpliciter in loco non consistit, sed accidentaliter secundùm conditionem illorum, in quibus consistit: sicut arbor nauis, quæ de vno loco in alium mouetur ratione motus nauis, in qua arbor consistit.

De Floribus arboris humanalis.

FLORES arboris humanalis sunt ex quinque naturis, videlicet ex natura elementali, vegetali, & sensuali, imaginali, & rationali. Per elementalem elementare est flos, in quantum homo est elementabilis & elementatiuus ex quibus elementare resultat. Elementabilis est, in quantum generabilis est ex quatuor elementis. Elementatiuus est homo, qui alium hominem generat, idcircò elementare est flos, ex quo sequitur elementatum, & est flos, quia radices arboris elementalis naturaliter, & truncus, branchæ, rami, & folia se habent ad florem, qui est superior ratione maioritatis finis, in quantum propinquior est elementato, quod est pars homificati. Vegetare est flos in hac arbore, ad quem se habent radices arboris vegetalis, & truncus, branchæ, rami, & folia. Idcircò est flos, quia per illud viuunt homines ex causis exterioribus, quæ intrant per gustare, tangere & odorare, quas vegetatio vegetat & transmutat in speciem hominis, sine quibus viuere non posset. Sentire est flos, per quem homines sentiunt videndo, audiendo, odorando, &c. Idcircò est flos, quia radices arboris sensualis, & truncus, branchæ, rami, & folia se habent ad sentire, vt homines sentiant & sentiantur. Et flos qui est sentire, generalis est, in quantum se extendit ad plures flores, videlicet

videlicet ad flores videndi, audiendi, odorandi, gustandi, tangendi, & affandi, siue loquendi. Imaginari est flos arboris, imaginalis ad quem se habent radices, truncus, &c. Idcircò est flos, quia per imaginari, retinent homines in memoria res absentes, quæ fuerunt auditæ, odoratę, & gustatę, tactæ, & affatæ, siue locutæ. Rationari est flos, ad quem suæ radices se habent, & sic de trunco, &c. Idcircò est flos, vt homo sit rationatus, & quod hoc quod facere voluerit faciat cum ratione; quia ea quæ cum ratione facta sunt bona sunt & magna, durabilia, & virtuosa, vera & amabilia, & in ipsis homo ytitur intellectu & fine, quare creatus est, & quando facit contrarium, facit sicut animal brutum in suis operibus, & flores stare facit otiosas, qui sub eo sunt, per quorum otiositatem ad finem quare sunt, venire non possunt. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo est graue peccatum, quod tot nobiles flores à fine deuiat, quare sunt.

De Fructu arboris humanalis.

FRVCTVS arboris humanalis est duplex, quoniam vnus est ratione existentiæ, & alius ratione agentiæ. Ille qui est ratione existentiæ, est fructus per quem homo est hoc quod est, & hunc fructum habent fructus, qui sunt sub eo, vt ex elementato, vegetato, sensato, & rationato sit homificatus. Et in hoc fructu stat alius fructus in potentia cum conditionibus aliorum fructuum, quas pater potest dare filio, quem generat, arbore rationali excepta, quæ per creationem venit, & ideò habent homines libertatem, quod si per generationem arbor rationalis veniret, ita se haberent homines naturaliter ad ratiocinandum: sicut ad videndum, audiendum, &c. & perderentur merita & virtutes morales, & plura alia inconuenientia inde sequerentur. Fructus per agentiam est secundùm finem, videlicet homo est vt Deum recolat, intelligat, amet, honoret, & ei seruiat, & omnem reuerentiam faciat. Et iste fructus nobilior est primo fructu, & etiam altior, quoniam primus fructus est, vt iste fructus sit, & eius virtus siue nobilitas consistit in virtute obiecti & nobilitate, quod quidem obiectum est Deus omni honore dignissimus, & est dignus, quod recolatur, intelligatur, & ametur, honoretur, & ei seruiatur, plusquam aliquod aliud ens quod non est Deus. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo magnum defectum faciunt homines, qui plus suos filios diligunt, in quantum sunt ab ipsis homificati & deriuati, quàm quia creati sunt ad honorandũ Deum, & ei seruiendum, quia in intentione eorum de maiori fine faciunt minorem. Idcircò contra rationem vtuntur & faciunt, & contra eorum principia naturalia, & deuiati sunt à fine, quare sunt, in cuius deuiatione ad gloriam peruenire non possunt. Et idem sequitur in hominibus, qui plus diligunt seipsos honorari quàm Deum, & plus diligunt fructus branchearum sensualium & florum, quàm fructus brancharum rationalium. Et ita sunt sicut lapis, qui de loco alto ad locum infimum descendit. Et in hunc descensum descendunt homines in abyssum, de quo nunquam exibunt nec habebunt aliquid cum quo ad supernam gloriam ascendere possint, quia caput tenent inferiùs & pedes superius, in quantum intentiones primas peruertunt in secundas.

De Arbore Morali.

SVMMARIVM.

Arbor ista moralis est duplex supra vnum truncum. Et idem de suis radicibus secundum quod per figuram sequentem significatur. Et hoc in quantum dicta arbor est de virtutibus & de vitiis. De arbore vitiosa dicetur suo loco. Nunc de virtuosa dicimus, quod diuiditur in septem partes vt aliæ arbores, *scilicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.*

Radices sunt principia generalia huius artis, vt in præmissis arboribus.

Truncus est mos confusus & generalis.

Branchæ sunt virtutes Cardinales & Theologales.


Rami sunt similitudines ramorum realium.

Folia sunt accidentia virtutum.

Flores sunt merita acquisita per virtutes.

Fructus est merces, siue retributio,

De



Priuatio finis.
Falsitas.
Stultitia.
Malitia.
Bonitas.
Magnitudo.
Duratio.
Poteftas.
Sapientia.
Voluntas.
Virtus.
Veritas.
Gloria.
Differentia.
Concordantia.
Contrarietas.
Principium.
Medium.
Finis.
Maioritas.
Æqualitas.
Minoritas.

Q 4

De Arbore Morali.

ARBOR ista est duplex, vna pars est de bonis moribus nominatis sub ratione virtutum lucratarum siue acquisitarum, quæ sunt similitudines arboris humanalis realis. Alia pars est de malis moribus sub ratione vitiorum dictis siue vocatis, quæ sunt dissimilitudines similitudinum partium arboris humanalis. Dicemus ergo primò de prima parte, postmodum de secunda. Prima pars diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

De Radicibus arboris moralis.

RADICES arboris moralis sunt similitudines radicum arboris humanalis: sicut bonitas moralis, quæ est similitudo bonitatis realis, & magnitudo moralis, quæ est similitudo magnitudinis realis, & perseuerantia moralis, quæ est similitudo durationis realis, & potestas moralis, potestatis realis, & intelligere morale, quod est de reali, & virtus moralis, quæ est de reali virtute, & amare morale, quod est similitudo amare realis. Et idem est de veritate, delectatione, differentia, concordantia, contrarietate, principio, medio, fine, maioritate, æqualitate, & minoritate moralibus, quæ sunt similitudines veritatis, delectationis, differentiæ, & aliarum realium. Et omnes istę similitudines morales sunt impressiones formarum realium primarum & naturalium. Et sicut formæ reales & substantiales sunt ex quinque naturis (secundùm quod in arbore humanali dictum est) ita sunt impressiones morales similitudines quinque naturarum realium, velut bonitas moralis, quæ est bona sub ratione elementationis, vegetationis, sensualitatis, imaginationis, & rationalitatis. Est bonitas moralis sub ratione elementationis: sicut homo bonus qui vtitur elementatis ordinatè, in quantum ipsa ad finem applicat, quare sunt: sicut sunt panis & denarij, quæ elementata sunt, & ex illis eleemosynam facit pauperibus, qui ipsa quærunt propter Deum, qui ipsa creauit, vt homines diuites & pauperes viuerent. Bonitas moralis est similitudino bonitatis vegetalis, in quantum homines bene ipsis vegetatis vtuntur, velut homo bonus, qui vegetata congregat, vt bonas operationes faciat, per quas Deus honoretur, & ei seruiatur, & ab illis accipiat hoc, quod ei est necessarium ad viuendum, & dat similiter ex ipsis eleemosynā pauperibus, per quorum necessitatem arbor vegetalis ipsa trahit sub terra, siue à terra, & ipsa deuenire facit in fructum, & homo iustus ipsa congregat, & diuidit cum iustitia & charitate illis, qui ipsis indigent, & ex ipsis accipiunt cum iustitia & temperantia, vt vitam bonam habere possint, cum qua Deo seruire possint. Est bonitas moralis sub ratione sensualitatis: sicut homo bonus, qui bene vtitur sentire in videndo, audiendo & sic de cæteris floribus sensitiuæ qui boni sunt, & bene vtitur videre suo, quando sensualia videt & ex ipsis accipit bona significata, quæ significant. Sicut in videndo pulchrum filium, pulchram fœminam, pulchrum florem, pulchrum equum, &c. in quibus Deus debet laudari, qui ita pulchras creaturas creauit. Et idem est de aliis floribus: sicut homo bonus, qui cum instrumenta audit sonare, & similiter cùm audit

audit verba Dei, bene vtitur illo audire, in quantum bonitatem considerat, quam verba significant, & melodiam, quæ est in alia vita audita. Bonitas moralis sub ratione imaginationis consistit: sicut homo bonus qui res imaginatur, & ex imaginatione trahit bona significata, quæ applicat ad bonas operationes. Sicut homo q imaginatur opera misericordiæ, & ex illa imaginatione se mouet ad operationes q̃ sunt bonę, & cum imaginatur pulchras fœminas, & imaginatio mouet ipsum ad carnales delectationes, & se mouet ad contrarium in imaginando turpitudines, quæ sunt in fœminis, quæ non sunt dignæ nominari neque scribi, & ex illo motu se mouet ad castitatem, quæ est bonus motus. Est bonitas moralis recolere bonum, intelligere bonum, & diligere bonum, & bonitas est magna secundùm magnitudinem recolendi, intelligendi, & amandi. Et est durabilis, secundùm quod durat recolere, intelligere & amare, & potest esse potens in bona recolere, intelligere, & amare, & sic de aliis rebus similibus istis. Quare in exemplo quod dedimus de bonitate secundùm quinque naturas reales arborũ, potest homo intelligere magnitudinem moralem, quæ est de magnitudinibus realibus secundùm quinque naturas arborum, & idem de duratione morali & cæteris similitudinibus moralibus, sicut radices naturales & reales sibi adinuicem suas dant similitudines, sicut bonitas: quæ est in arbore elementali suam dat similitudinem magnitudini, & magnitudo similitudinem suam bonitati, & sic de aliis: ita radices morales sibi dant adinuicem suas similitudines: sicut bonitas moralis, quæ magnitudinem moralem facit bonam, & magnitudo moralis quæ bonitatem moralem facit magnam: sicut homo qui magnam habet animositatem in bello: quia verecundiam timet, & diligit honorem, quam magnitudinem bonitas facit esse bonam, & magnitudo facit bonitatem esse magnam, quoniam illa bonitas est magna quæ verecundiam magnorum defectuum euitat, & per quam veniunt magnæ felicitates & honores. Et ideò cum homines ornati & induti de moralitatibus tangantur & tententur ab aliquibus defectibus, quælibet moralitas aliam tangit, & sibiinuicem dant suas similitudines, & ita hominem in virtute fortificant contra vitium, & in illa ipsum assuescunt, vnde sicut sinapis naturã habet, quod quanto plus homo ipsam ducit, tanto fortior est: vel sicut bestia rebellis, quæ quanto magis percutitur, vt vltra vadat, tanto magis retrouertitur, & idem est de mala fœmina, quæ correctionẽ non recipit: ita homines virtuosi quanto magis tanguntur & tentantur, vt se moueant ad vitia, tanto magis se mouent ad contraria vitiorum, videlicet ad virtutes morales, quæ consuetæ sunt quòd se inuicem iuuent contra eorum inimicos. Et in hoc passu cognoscitur, quod Deus benedictus permittit hominem iustum tentari à dæmonibus & ab hominibus malis, paupertate, inhonoribus & aliis contrariis prosperitatibus, vt sint fortiores, & vt vtãtur sæpiùs habitibus virtutum, quia quanto magis vtuntur, tanto melius dispositi sunt, quod Deus benedictus eis suam gratiam transmittat, quę magnum locum & bonum requirit, in quo multùm intrare possit.

De Trunco arboris moralis,

TRuncus arboris moralis est ex naturis & essentiis radicum, ex quibus constitutus est, & est mos confusus & generalis, in quo sunt in potentia mores particulares, quibus homines bene morigerati sunt habituati secundùm habitus quos attrahunt à trunco in branchis, ramis, floribus, & fructibus, ex quibus nascuntur, exeunt & sunt, secundùm quod durant per durationem, & secundùm quod sunt amati per voluntatem, & possificati per potestatem, & per bonitatem boni, & ad finem moti: quare sunt, cum intellectus illum finem intelligit, & concordantia concordat principia & media, vt ad finem venire possint contra contrarietatē, quæ principiis & mediis contradicit, vt concordantia sit in habitibus ociosa & suo fine vacua. Truncus arboris moralis est inuisibilis, & tangi non potest neque imaginari sub figura circulari, quadrangulari, nec triangulari, & hoc est: quia non de natura corporali, sed est similitudo illius naturę & naturę spiritualis, quem quidem truncum attingit intellectus in hoc quod intellexit ex radicibus realibus & ex trunco reali, de quo est truncus moralis, cuius est similitudo in memoria sustentata, quæ ipsam recolit, & voluntas, quæ ipsam diligit. Idcirco ex illis trahit intellectus habitûs, qui dispositi sunt ad recolendum, intelligendum & amandum: sicut habitus iustitiæ, prudentiæ, & cæterarum virtutum moralium, quæ possunt esse ex trunco eis ita generali secundùm similitudines: sicut massa ferri ad figuram cultelli, gladij, & martelli.

De Branchis arboris moralis.

BRanchæ arboris moralis sunt septem virtutes. Et quatuor sunt cardinales, & tres theologales. Cardinales sunt iustitia, prudentia, fortitudo, & tēperantia. Theologales sunt fides, spes, & charitas. Differentia est inter quatuor cardinales, & tres theologales: inquantum per quatuor se habet homo ad bene viuendum in hac vita, & quilibet homo eas habere potest: secundùm quod naturaliter trahere potest similitudines ex primis naturis trunci moralis, quæ sunt confusæ & dispositæ ad ducendum in actu. Sed tres virtutes theologales haberi non possunt sine gratia Dei, & illas dat; cui sibi placet, quia vię sunt ad aliam vitam. Eas tamen libenter dat hominibus ornatis & indutis virtutibus cardinalibus quæ cum illis, scilicet, theologalibus concordantiam habent.

De Iustitia.

IVstitia est illa virtus, ratione cuius homines reddunt vnicuique, quod suum est. Iustitia est ex radicibus arboris, & maximè ex æqualitate, ratione cuius bonitas, magnitudo, &c. sibi dant inuicem æqualiter suas similitudines, & in illa æqualitate dandi nascitur & stat iustitia, quoniam iustum est, quod magnitudo suam det similitudinem bonitati, ex quo bonitas dat ei suam similitudinem. Et bonum est, quod similitudines æqualiter sint datę, & est magnum similiter & durat: quia æqualiter sibi inuicem suas dant similitudines. Et ideo iustitia bona est, magna & durabilis in æqualitate huiusmodi dationum. Et in hoc passu cognoscitur,

gnoscitur, quod datio extra æqualitaté facta non durat: sicut cum Martinus fessus est dandi magna Petro: cum idé Petrus ei dat parua. Et hoc est, quia magnitudo & paruitas sunt contraria, cum qua contrarietate habet iniuria concordantiam contra iustitiam, quæ est ex causis magnis & æqualibus; & paruis & æqualibus. Iustitia est virtus, ratione cuius memoria habet iustum recolere, & intellectus iustum intelligere, & voluntas iustum amare. Idcirco voluntas naturaliter diligit iustitiam: vt habere possit per ipsam iustum amare: & quod memoria in ipsa recolere possit, & intellectus intelligere. E ratione iustitiæ diligit voluntas in memoria iustum recolere, & in intellectu iustum intelligere: quare mouet homines ad iustum recolere, intelligere & diligere. Et idem faciunt memoria & intellectus, vt induti sint habitu iustitiæ inuicem cum voluntate, & quod omnes tres custodiant iustitiam contra suos inimicos, qui sunt iniustum recolere, intelligere & diligere quæ sunt contra iustitiam: cum homines ociosi sunt in accipiendo similitudines naturarum primarum, & accipiunt dissimilitudines illarum. Sicut homo malus, qui iniustè accipit similitudinem malitiæ contra similitudinem bonitatis: & qui accipit paruam similitudinem bonitatis, contra magnam similitudinem bonitatis. Et sic de aliis rebus, in quibus nascitur & stat iniuria, quæ est priuatio iustitiæ.

De Prudentia.

PRudentia est illa virtus, ratione cuius homines sapientes eligunt ea, quæ sunt bona, & euitant ea, quæ sunt mala, & diligunt plus maiora bona quàm minora, & plus timent maiora mala quàm minora. Prudentia maximè est ex parte intellectus, quoniam sicut olea inserta in oleastro ad suam speciem trahit & naturam hoc, quod venit ex oleastro: sic intellectus habituatus prudentiâ & indutus, sibi & eius naturæ attrahit hoc, quod venit sub habitu prudétiæ, bonitatis, magnitudinis, durationis, &c. Quare sicut ignis fortiùs in pipere regnat quàm cætera elementa: sic intellectus regnat fortiùs, in habitu prudentię quàm cæteræ radices arboris. Et ideo prudétia plus crescit & multiplicat in habitu, quem intellectus accipit, quàm in habitibus, quos accipiunt memoria & voluntas. Et cum perditur habitus, & in priuationem deuenit, maiorem culpam habet intellectus quàm memoria & voluntas, quia prudentia plus participat cum intellectu quàm cum memoria vel cum voluntate: obiecta bona & magna illuminat per experientiam voluntati & memoriæ. Idcirco homines amici prudentiæ inquirunt experimenta rerum, quæ videri, imaginari, recoli possunt & amari, & etiam audiri, gustari, & tangi. Et in illa inquisitione diu cogitant, quousque lumen illuminauerit memoriam & voluntatem: vt sit facta electio illius rei, quæ bona est ad amandum, recolendum & intelligendum, vel ad odiendum. Idcirco memoria in illo tempore iuuat ad faciendum electionem & iudicium, inquantum recolit similitudines primarum naturarum & dissimilitudines illarum. Per quod recolere memoria disponit voluntati amabilitatem similitudinum, & odibilitatem dissimilitudinum, vt voluntas se moueat ad amandum similitudinem bonitatis realis: & similitudinem magnitudinis realis, & sic de aliis: & quod

quod se moueat ad odiendum earum dissimilitudines. Idcirco quando intellectus & memoria concordantiam habent ad repręsentandum similitudines voluntati contra malas similitudines, ipsam inclinant ad amandum prudentiam, & ad odiendum eius contraria, cum ita sit quod potestas maior sit in intellectu & memoria quàm in volũtate tantummodo. Aliquando tamen cõtingit, quod memoria & intellectus repræsentant voluntati bonas similitudines & malas, & voluntas eligit malas & bonas dimittit. Et hoc est, quia intellectus & memoria vtuntur minori potestate & minori magnitudine bonitatis, durationis, virtutis, & veritatis, & memoria minores fines recolit, & fines maiores obliuiscitur.

De Fortitudine.

Fortitudo est ille habitus & virtus, per quã homines sunt fortes contra vitia, & nitũtur ad lucrandũ virtutes. Fortitudo est maximè ratione potestatis, quę regnat in bonitate, magnitudine, duratione, sapientia, & voluntate, veritate, & gloria, differẽtia, cõcordantia & contrarietate, compellunt & fortificant principium, medium & finem, & maioritatem contra minoritatem, & æqualitatem illorum, quæ bona sunt contra æqualitatem illorum, quæ mala sunt. Idcircò cum fortitudo est tacta contra bonitatem cum malitia, tunc fortificat bonitatem cum magnitudine, & cæteris naturis primariis. Et cum est tacta fortitudo cum paruitate, contra magnitudinem multiplicat, siue fortificat magnitudinem in maioritate, contra minoritatem & paruitatem. Idcircọ milites in bello sunt fortes & audaces, & habent magnum animum & desiderium ad habendum victoriam. Et cum in mensa tanguntur & tentantur contra temperãtiam, sunt fortes contra gulam, cum magnitudine bonitatis & memoriæ, quæ recolit, & cum magnitudine voluntatis, quæ amat sapientiam, sanitatem, & verba licita, quæ homo habere non potest, cum nimis comedit & bibit. Et cùm miles tentatur per luxuriam, aut per superbiam, aut per cætera vitia, potestas suam similitudinem ministrat naturis primariis, & accipit similiter ab eis suas similitudines, vt habitu fortitudinis se induere possit, & ornare, & à vitiis se defendere. Et ad hoc concurrunt naturæ primariæ, secundùm quod potestas se fortificat in dãdo & recipiendo similitudines illarum.

De Temperantia.

Temperantia est illa virtus, per quam homines sunt saniores, quàm per alias virtutes, & per quam vincunt illicitos appetitus. Temperantia magis cõsistit per æqualitatem, quàm per aliquod aliorum principiorum. Idcircò maiorem habet concordantiam cum iustitia, quàm cum aliqua alia virtute, quoniam ante se iuuat cum iustitia, quam cum aliis virtutibus, quia cum iustitia licita mensurat, & cum illa se defendit ab illicitis. Temperantia tamen se iuuat cum fortitudine, contra magnos appetitus comedendi & bibendi, inquantum fortitudo ipsam conseruat, quousque veniat iustitia, quæ nimios appetitus dimittit, & minores appetitus multiplicat, vt appetitus sint æquales in potentia, digestiua & retentiua. Et hæc eadem æqualitas iuuat prudentiam, quæ docet cautelas & modos, per quos homines habeant temperantiam contra gulam, inquantum in principio mensæ,

ſæ, antequam homines incipiant comedere, ipſos moueat ad recolendum, intelligendum & amandum temperantiam, & ad odiendum gulam & circumſtantias illius. Et homines conſiderare facit paruam vtilitatem ſaporis, & magnum periculum infirmitatis, quæ venit, quia magni ſapores & plures in cibariis multùm recoluntur & amantur. Quare prudentia conſulit, quod illi nimij ſapores obliuiſcantur, & temperantia recolatur & diſponatur, vt ſit habituata. Vnde ſicut quatuor fratres, aut ſorores, ſecundùm inſtinctum naturalem habent modum, & naturam quod ſe iuuant contra inimicos ſuos, ſic virtutes cardinales modum habent, & inſtinctum naturalem, quod ſe iuuent contra vitia.

De Fide.

Fides eſt virtus, quæ compellit intellectum ad affirmandum, vel negandum poſitiuè illa, quæ vera ſunt. Fides eſt, vt reſtauret veritates amabiles, & recolibiles, & conſiderabiles, vt ſimilitudines illarum ſint bonæ, per quas ſignificentur. Sicut viſibilia oculis abſentia, quorum ſimilitudines acceptæ ſunt in imaginatione, vt viſibilia deſiderentur, & quod amabiles videri poſſint. Fides eſt maximè ratione intellectus, qui credit hoc, quod intelligere non poteſt, veruntamen credentiam ſuam iuuant memoria & voluntas, quia voluntas vult quod attingat ſupponendo veritatem, quam per rationes neceſſarias attingere non poteſt illo tempore. Et hoc vult voluntas, vt poſſit attingere amabilitates objectorum, quæ intellectus conſiderat. Et idem facit memoria, quæ inſtinctū naturalem habet ad memorabilitates deſiderabiles, vt cum voluntate habeat concordantiam. Ratione fidei intellectiuitas inquirit intelligibilitates verorum & materiam diſponit, vt intelligatur per neceſſarias rationes, quam diſpoſitionem Deus iuuat. Et iuuat amatiuitas voluntatis, & memoratiuitas memoriæ. Idcircò intellectus ſe exaltat & ſubtiliat tantum quantum poteſt ad aſcendendum ſuum intelligere, per neceſſarias rationes rerum veritates, ſicut ad intelligere trinitatem Dei, & eius incarnationem, & creationem mundi, & hominum reſurrectionem, & Sacramentum altaris, & poteſtatem Papalem, quam habet in clauibus, & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis. Ad quem aſcenſum intellectus venire non poſſet, niſi prius ſupponeret eſſe poſſibile quodlibet obiectorum, quæ diximus. Idcircò fides habet officium, per quod intellectus ſupponat, quod intelligere poſſit vera. Et eſt lumen intellectus, per quod vera inquirat, & cum ea videlicet vera acquiſierit, ſiue acceperit in vno gradu veritatis, fides ei diſponit materiam, quo magis ſupra aſcendat cum maiori magnitudine intelligendi, & hoc de gradu in gradum, in tantum quod non poteſt vltra aſcendere. Et fides eſt ſupra intellectum, & intellectus eſt ſub fide ſicut olea, quæ inſerta eſt ſupra oleaſtrum. Et quantò magis venit materia ex oleaſtro ad oleam, magis ſupra aſcendit olea, veruntamen illam materiam quæ venit, conuertit in ſuam ſpeciem. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quomodo fides remanet, & merita quæ habet homo per illam, licet intellectus attingat in vno tempore vera, quæ ſunt circa Deum per neceſſarias

rationes, quæ prius non attingebat, sed ea supponebat esse vera per virtutem fidei. Si fides non esset, homines simplices, & qui habent tractare de artibus mechanicis, participare non possent cum veritatibus Dei & eius operationum, quæ difficiles sunt ad intelligendum. Sed quia fides est in istis, cum illis veritatibus participant in amando, credendo, & recolendo, sicut cum sensibilitatibus quas non sentiût, participant imaginando illas, per quod imaginati se mouent ad sentiendum sensibilia, quæ sentire desiderant videndo, vel audiendo, odorando, gustando, &c.

De Spe.

SPes est virtus, quæ facit hominem sperare finem quem desiderat, ad quem venire credit plus per potestatem & bonitatem Dei aut alterius quã propter suam bonitatem vel potestatem, & idem de magnitudine, duratione, sapientia, & voluntate. Spes magis est per finem quàm per aliud principium. Cum illa homines confidunt in misericordia Dei quòd eorum peccata dimittat, quia potestatem maiorem habet peccata dimittendi, quàm ipsi habent ad peccandum, & maior est eius bonitas in faciendo bonum, quàm malitia hominum in faciendo malum: & voluntas Dei maior est in amando bona & pia, quàm voluntas hominum, & idem est de sapientia & duratione Dei. Et ideo qui sic veniam sperat à Deo, finem cõsequitur, quem desiderat. Homines qui volunt facere aliqua per quę Deus seruiri potest & honorari, si illa facere nequeunt per seipsos, quia paruam habent potestatem, ad diuinam potestatem recurrant, sub cuius spe sperent auxilium, quia finis est ad honorem illius potestatis, & tales homines habent veram spem. Sed homines qui ad aliquem finem venire desiderant, vt honorentur, ditentur, seruiantur, & vt sic loquar, saluentur, & ex grauibus periculis liberentur, & ista desideria habent ratione vtilitatis eorum, & non simpliciter propter honorem Dei, homines tales non habent veram spem, quoniam nullus in peccando veram spem habere potest, cum ita sit, quod spes & peccare sint contraria, & spes & virtus iustitiæ, & charitas habeant concordantiam. Sicut fides materiam intellectui præparat, vt suum intelligere faciat ascendere ad altas intelligibilitates, sic spes materiam voluntati præparat, vt suum amare ascendere faciat ad altas amabilitates, & memorabilitates. Idcircò spes est causa, quæ dat hominibus magnum placitum & quietem, & quanto est maior, tanto est causa maioris placiti & quietis. Et in hoc passu cognoscitur, quod Deus patitur aliquos homines filios spei & cultores illius esse pauperes, & in grauibus periculis, vt in bonitate Dei & potestate habeant confidentiam. Quia sicut magna frigiditas facit hominem recolere calorem ignis, aut magna sitis facit hominem recolere frigiditatem aquæ, & locum vbi est fons, sic labores quos amici Dei patiuntur in hoc mundo propter eius amorem, facit eos recolere magnam potestatem & magnam bonitatem Dei. Et idem de sua magna humilitate, pietate, & voluntate.

De Charitate.

CHaritas est virtus, quæ societatem facit & solatium inter amicum & amatum, qui se habent ad amabilia.

bilia. Per charitatem diligunt homines Deum & eius operationes, & se inuicem diligunt & seipsos. Et est magis per voluntatem quàm per aliud principium. Et non potest esse plena absque amare, quod se habeat ad Deum & ad homines cum magnitudine bonitatis, iustitiæ, & amabilitatis. Idcircò homines qui ad Deum habent suum amare, & ad seipsos sunt filij charitatis, & ex eius habitu induti. Sed illi qui non habent suum amare in Deo & in seipsis cum magnitudine bonitatis, iustitiæ, & amabilitatis, eorum amare non habent indutum de charitate, sed indutum est de figura charitatis, quæ est contra formam: sicut aqua calida in qua figura sui caloris est contra formam frigiditatis. Sicut denarij & possessiones sunt diuitiæ hominum diuitum, ita charitas est diuitiæ hominum pauperum. Vult enim charitas, quod diuites satisfaciant pauperibus in suis necessitatibus de suis diuitiis. Etiam charitas est diuitiæ diuitum in hominibus pauperibus, quia charitas requirit quod homines pauperes diuitibus seruiant in suis necessitatibus. Idcircò charitas vnum pedem tenet in hominibus diuitibus, & alium in hominibus pauperibus, & tendit amare per charitatem ad Deum, qui est amatus. Charitas est similitudo voluntatis, quæ desiderat amabilitates amari. Idcircò amatum charitas facit esse in intellectu & in memoria amici, in quo consistit amatus, memoratus & intellectus. Idcircò charitas est virtus, quæ dat maius placitum quàm aliqua alia virtus, & per quam amicus plus est alligatus suo amato, vt ab ipso recedere nequeat, nec fatigari in honorando ipsum & ei seruiendo. Et quia in hoc libro breuiter loquimur, quia gentes prolixitatem non diligunt, & citò in amando sunt fessi, de charitate nolumus dicere totum, hoc quod dicere possemus. Dictum est de virtutibus moralibus, modò dicendum est, quomodo vna virtus cum alia concordantiam habet. Et hoc est, vt habeatur doctrina quomodo cum quibusdam virtutibus aliæ possunt haberi, & quomodo vitiis (quæ sunt eis concontraria) possit contradici.

De Iustitia, & Prudentia.

PRudentia disponit iustitiæ obiecta sua, in quantum inquirit licita & illicita, quia est operatio intellectus, qui illa intelligit. Idcircò in quantum præparat iustitiæ obiecta sua, est ratio disposita iudicare, ratione cuius dispositionis iuuatur per prudentiam ad faciendum iudicium. Idem est de iustitia, quæ prudentiam iuuat, quia in quantum prudentia attingit, quod melius est amare Deum quàm creaturam, disponit iustitia prudentiæ, quemadmodum habeat & industriam, quomodo moueat voluntates hominum ad amandum Deum magis quàm aliquid aliud, cùm iustum sit diligere plus amabilitates maiores quàm minores, & magis nobilia quàm minus nobilia. Et in hoc passu potest homo cognoscere, quod quando homines sapientes tentati sunt contra prudentiam, quomodo se iuuant cum iustitia, & cum tentati sunt contra iustitiam quomodo se iuuant cum prudentia.

De Iustitia, & Fortitudine.

FOrtitudo iustitiam fortificat contra iniuriam tunc, cum homines fortitudine vtuntur. Sicut iudex cum tentatur per denarios, quod det falsum iudicium, & ipse considerat fortitudi-

nem multiplicatam ex bonitate magnitudine, sapiētia, voluntate, virtute, veritate & gloria, quæ meliora sunt quàm denarij, tunc cōtradicit iniuriæ, & est fortis in suo iudicio, per quā fortitudinem habet iustitia materiam ad iudicandum, & è conuerso, inquantum iustitiā iustificat fortitudinem, quoniā iustum est, quòd fortitudo vtatur naturis, ex quibus constituta est, & quòd sit contra contrarietates partium suarum. Et in hoc passu habetur cognitio, quomodo fortitudo facit prius considerare licita vel illicita quàm voluntas se moueat ad amandum, vel iustitia ad iudicandum.

De Iustitia, & Temperantia.

TEmperantia disponit iustitię, quod fiat bonum & verum iudicium, in quantum temperantia facit homines esse sapientes & habere subtilem intellectum. Et iustitia disponit temperantiæ æquales mensuras, secundùm quas debet homines mouere ad comedendum & bibendum temperatè, & ad loquendum & operandum temperatè, & sic de aliis, quæ iustitia cum partibus æqualibus aut proportionatis mensurat. Et quando homines nimis comedere volunt, aut bibere, vel loqui, aut expendere, aut ire, iustitia repræsentat licita & illicita ad naturalem instinctum temperantiæ, quæ habet per magnitudinem bonitatis. Et per finem propter quem homo creatus est, habet concordantiam cum instinctu naturali iustitiæ, qui est per magnitudinem, bonitatis, & per finem propter quem creatus est homo. Et sic existente concordantia inter duos instinctus naturales, qui se habent ad finem vnum, vincit illa concordantia, concordantiam gulæ & iniuriæ, quæ est contra finem iustitiæ & temperantiæ.

De Iustitia & Fide.

IVstitia est ratio, quod fides sit hominibus, qui sunt occupati in rebus temporalibus & in artibus mechanicis, qui non possunt altum intellectū habere ad subtilia indagādum, quæ eū fide attingit, quoniam iniuriosum esset, quod homines in suis necessitatibus occupati cum Deo & eius veritatibus non participarent. Idcirco vult iustitia quod intellectus seipsum in credendo vera & alta captiuet, quæ siquidem alta non intelligit, quia occupatus est in intelligendo infima. Et fides iustitiam iuuat inquantum captiuat intellectum ad credendum alta, quia in hoc quod fides facit materiam iustitiæ præparat: quod credulitas quā habet intellectus induta sit habitu iustitiæ, quia ratione illius habitus dispositus est ad faciendum bonum & verum iudicium.

De Iustitia & Spe.

IVstitia præparat spei sua obiecta: inquantum iustum est quod homines maiorem spē habeant in potestate Dei & in eius bonitate, magnitudine & voluntate, quàm in potestate creata, idcirco, quia iustitia hoc iustificat & requirit, cum spe participat, qua participatione spes vtitur iustè in sperando à Deo auxilium, misericordiam, & veniam. Quæ siquidem spes est causa iustitiæ, quod habeat in illa bonum & verum iudicium. Et in hoc passu cognoscitur, quod iustitia & spes cōcordantiam habent contra iniuriam & desperantiam.

De

De Iustitia & Charitate.

IVstum est diligibilia diligere, & odibilia odire, & inquantum hoc iustum est, iustitia disponit charitati suas amabilitates. Et in quantum charitas se habet ad Deum & ad proximum, iustitia ei disponit sua obiecta, videlicet suas iustificabilitates, quoniam iustum est quod homo Deum diligat, & suum proximum, & etiã semetipsum. Et in hoc passu cognoscitur quod homines habenr culpam, qui neque Deum neque suum proximum diligere volunt: quia iustitiæ sua obiecta non præparant in modo quod cum illa habeant concordantiam, & quia culpam habenr, dignum est, quod per iustitiam puniantur.

De Prudentia & Fortitudine.

PRudentia & fortitudo habenr cõcordantiam: quæ fortitudo abstinentiam producit: quousque prudentia suum obiectum inuenerit, quod desiderat. Sicut homo, qui se abstinet à peccato, quia fortitudo fortificat ipsum contra vitium, quod prudentia attingit, & ipsum dimittit, & contrarium suum eligit. Sed hoc facere non posset prudentia si fortitudo abstinentiam non causaret, quę voluntatem hominis refrę nat, quæ disposita est ad peccandum tunc, cum tentatio venit. Prudentia est causa fortitudini in hoc, quod fortitudini eligit obiecta sua: sicut homo qui cum tentatur ad peccandum: differentiam facit inter maiora bona & minora. & idem facit in malis. Et per huius lumen per differentiam productum haber fortitudo naturalem instinctum, quod sit fortis contra vitinm, cũ ita sit, quòd maiora bona magis desiderabilia sint quàm minora, & maiora mala magis odibilia quàm minora.

De Prudentia & Temperantia.

PRudentia præparat temperantiæ suam materiam inquantum sanitatem considerat esse bonam & gulam esse malam. Et quia sanitas est bona: habet temperantia naturalem instinctum ad bonum, quod venit per sanitatem, & euitat mala quæ per nimis comedere & bibere veniunt. Et ille naturalis appetitus & instinctus causat prudentiæ suum instinctum naturalem: inquantum materiam præparat, ratione cuius prudentia elegit illa, per quæ sanitas consistit, & euitat illa, per quæ infirmitas genetatur.

De Prudentia & Fide.

PEr fidem captiuatur intellectus ad credendum sublimia, quæ sub habitu scientiæ intelligere non potest, secundùm ipsa credit sub habitu credulitatis. Et hac fidem iuuat prudentia, inquantum considerat intellectus infirmitatem & obiecti altitudinem Et sic considerando, haber concordantiam cum fide, & fidei præparat illa, quæ credenda sunt. Et illa fides accipit, vt credibilia & vera prudentia eligat, intantum quod in fide restaurentur, & vt ipsa suis instinctibus naturalibus & appetitibus liberè vti possit in coactione intellectus qui credenda liberè credit ratione electionis, quam liberè prudentiã facit. Et in hoc passũ haberi potest cognitio de libertate intellectus, quæ per prudentiam consistit, & eius captiuitas per fidem.

De Prudentia & Spe,

SApientia est in Deo spem habere ratione bonitatis suę misericordię, potestatis, voluntatis, sapientiæ, & veritatis. Et magna stultitia est plus confidere in suis denariis, in sua sapientia, vel in amicis suis, quàm in Deo. Et hanc sapientiã & stultitiam prudentia considerat. Idcirco causat spem, quæ est materia & subiectum prudentiæ, quod eligat habitum sapientiæ, bonitatis, magnitudinis, potestatis & voluntatis. Et idem de habitu misericordiæ, inquantum spem considerare facit magnam misericordiam Dei, quæ maior est, quàm peccata hominũ. Quem siquidem habitum prudentia eligit, per cuius electionem remanet hoc quod est, & suam priuationem vitat in illa electione.

De Prudentia & Charitate.

PRudentia & charitas habent concordantiã, quoniam magna sapientia est amare Deum, seipsum, & suum proximum, & magna stultitia est Deũ nõ diligere, seipsum, neque suum proximum. Et magna stultitia est suum proximum odire, qui creatura Dei est, & etiam operatio: quoniam qui multùm Deum diligit: eius opera diligere debet. Vnde cum ista sint de conditionibus charitatis, præparat charitas prudentiæ secundum suas conditiones quod prudentia eligat sua obiecta, & quod dimittat eorum contraria. Et prudentia causat & disponit charitati habitus suos: inquantum ipsos bonos considerat, & ipsos eligit, & eorum contraria dimittit. Et in hoc passu potest homo cognoscere magnam concordantiam quæ est inter habitum prudentiæ & habitum charitatis, & quomodo per priuationem vnius habitus, sequitur priuatio alterius.

De Fortitudine & Temperantia.

FOrtitudo & temperantia habent concordantiam, quoniam fortitudo est potestas, cum qua temperantia vincit gulam: sicut miles in bello qui cum sua potestate suum inimicum vincit. Et quia fortitudo est potestas temperantiæ: operatio temperantiæ est fœlicitas fortitudinis, quæ suum actum habet in actu temperantiæ. Et in hoc passu potest homo cognoscere magnam coniunctionem fortitudnis & temperantiæ, quoniam sicut in charitate iustum iudicare & amare separari non possunt: sic fortitudo & temperantia separari non possunt, & quando separantur habitus fortitudinis, & habitus temperantię, non possunt remanere.

De Fortitudine & Fide.

FOrtitudo & fides habent concordantiam, quoniam fortitudo fidem fortificat inquantum cum fortitudine constringit intellectum ad credendum vera, quæ non intelligit. Et quæ fortitudo est vis intellectus: vincit intellectus seipsum: vt habitu fidei habituatus sit & indutus, sicut Rex, qui cum potestate suæ humilitatis se humiliat, vt sit humilis, & quod participare possit cum pauperibus eorum necessitates intelligendo. Et idem est de potestate suæ misericordiæ, cum qua seipsum vincit tunc cum parcit illis qui cum offenderunt.

De

De Fortitudine & Spe.

FOrtitudo est vis spei, & spes est instrumentū, & habitus fortitudinis, cū quo sua natura vti potest & etiā sua operatione. Sicut homo qui habet spem in misericordia Dei in suis necessitatibus intantum quod non deuincitur per desperantiam, qui vult spem deuincere, inquantum considerare facit magna peccata hominum, qui spem habent in magna iustitia Dei. Idcircò fortitudo & spes sunt pedes: cum quibus pauperes vadunt, & quærunt à diuitibus eleemosynam, & peccatores misericordiam Dei.

De Fortitudine & Charitate.

FOrtitudo est potestas charitatis, cū qua charitas se fortificat cōtra crudelitatem & inimicitiam, & stat fortis contra suos inimicos. Et ideò charitas est habitus difficilis, vt sit vis magna, sicut homini iniuriato, cui est necesse magnam vim charitatis habere in amando suum proximum, qui sibi iniuriatus est, & etiam difficile est Deo seruire & eum honorare ratione inpedimentorum, quę sunt magna, quę Deus patitur quod sint magna, vt charitas maiori potestate vti possit in tractando honorem Dei. Et ideo quando homines qui Deum diligunt, magnum habent tædium ad seruiendum ei: tangitur fortitudo quod sit magna vis charitati vt charitas possit esse magna, quam magnitudinem consequitur in magnitudine vigoris, q̃ est fortitudo, cum qua suum amare fortificat cum quo Deum diligit & suum honorem. Et idem est de homine paupere, qui eleemosynam facit alij pauperi, quæ eleemosyna est multum difficilis: quia illo indiget quod alij dat.

De Temperantia & Fide.

TEmperantia & fides habent concordantiam in concordantia quā habent cum fortitudine, sicut duæ sorores quę concordantiam habent cum fortitudine in amando suum fratrem: quia ratione fortitudinis (quæ est vis temperantiæ & fidei) habent fides & temperantia concordantiam: Idcirco fides fortificat temperantiam, & temperantia fortificat fidem, quoniam per temperata cibaria est intellectus dispositus ad credendum contra incredulitatem, sicut homines inebriati, qui leuiter credunt vel discredunt. Et homines qui fidem habent, temperantiam diligunt, vt melius fide vti possint.

De Temperantia & Spe.

TEmperantia affert meritum quod siquidem meritum disponit habitum spei, quæ sperat mercedem. Et quando homines contra temperantiā peccauerint cum pœnitent, & temperantiam diligunt: temperantia habitum disponit spei, per quem habitum homines peccatores habebant confidentiam in misericordia Dei, qui defectus quos contra temperantiam fecerunt, remittit. Et spes causat habitum temperantiæ, inquantū homines considerare facit misericordiam Dei, supposito quod gulam odiant, & quod diligant temperantiam.

De Temperantia & Charitate.

VT charitas sit virtus est temperātia hominibus necessaria, quoniam sine temperantia charitas non posset esse virtus, quia in gula sustētari non

ri non posset. Et quia temperātia charitati est necessaria oportet quod tēperantia sit virtus. Idcirco charitas causat temperātiam in hoc quod temperantiam oportet esse virtutem, vt charitas esse possit, & è conuerso. Et in hoc passu cognoscitur quod charitas est nobilior virtus quàm temperantia, cum temperantia sit ex secundariis intentionibus, & charitas ex primariis.

De Fide & Spe.

Fides est lumē & testimonium magnę potestatis, humilitatis, & misericordiæ Dei, quoniam magna potestas est illa quæ duas naturas (videlicet naturam diuinam & humanam) existere facit vnam personam, quæ vocatur Iesus Christus. Et magna humilitas est quod diuina natura (quæ est filius Dei) velit indui ex humana natura, quæ est Christus homo. Et magna misericordia fuit quod Deus absque hoc quod humanum genus non petiit veniam ab ipso, remittere voluit per incarnationem quam accepit misericordia: quæ est Deus. Idcirco fides causat magnam spem, quam homo habebat in magna potestate Dei, & in eius magna misericordia & pietate, siue humilitate. Quæ siquidem spes causari non posset, si homo incarnationem Dei non crederet. Et in hoc passu cognoscitur quod infideles dispositi non sunt ad habendum ita magnam spem sicut Christiani, cum ita sit quod infideles incarnationem Dei non credunt.

De Fide & Charitate.

Fides & charitas habent concordātiam, quia in hoc quod per fidem credimus in productionem diuinam per generationem & spirationem: vnde sequitur trinitas personarū, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & quia incarnationem credimus, & in passione Christi hominis Dei causat fides charitatem in magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, veritatis & virtutis, cum trinitas & incarnatio sint obiecta amabilia multum voluntati dispositæ ad amandum magnas amabilitates per lumen fidei. Quia quanto fides est maior, tāto voluntas est dispota ad habendum magnam charitatem. Idcirco est concordantia inter charitatem & fidem per magnitudinem bonitatis & cęterarum formarum, quæ sunt instrumenta ad earum concordantiam. Et in hoc passu cognoscitur quod illi paruam habent charitatem, qui non sunt cultorçs fidei cum magnitudine bonitatis, virtutis, veritatis, sapientiæ, & potestatis.

De Spe & Charitate.

IN magnitudine charitatis multiplicatur magnitudo spei, quoniam quanto homines maiorem habent charitatem Deo, sibiipsis, & suis proximis, tanto causant in spe magnitudinem, & è conuerso, quia quanto homo maiorem habēt spem in Deo & in suis amicis, tanto causat magnitudinem in charitate. Idcircò charitas & spes secundùm quod sunt magnæ, causant quælibet alij magnitudinem bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, veritatis, & virtutis finis & concordantiæ. Idcircò possunt homines tantum habere de charitate & spe, quantum habere volunt. Et in hoc passu cognoscitur, quòd magnam culpam habent illi qui sunt negligentes in habendo magnitudinem charitatis & spei. Dictum

est de septem virtutibus moralibus, quarum aliæ inuicem cum aliis mixtæ sunt. Modò dicendum est de sedecim virtutibus moralibus, quæ ex primis descendunt & deriuantur. Et secundùm quod doctrinam dedimus in miscendo quasdam virtutes cum aliis, cognosci potest doctrina & modus in miscendo virtutes illas quas dicere proponimus.

De Sanctitate.

SAnctitas est illa virtus, per quam sancti sunt innocentes & mundi à peccatis. Vt sanctitas sit virtus, iuuant cæteræ virtutes, quare illa est virtus communis ex multis: sicut iustitia, quæ homines facit sanctos, in quantû existit in illis occasio quòd sint iusti. Et prudentia ipsos facit sapientes, in quantum eis significat illa, per quæ sapientes fieri possunt. Et fortitudo ipsos fortificat contra vitia, & temperantia ipsos sanos existere facit & habere intellectum subtilem & licita verba proferre, & fides ipsos credere facit veritates quas intelligere non possunt, & spes ipsos sperare facit illa quæ per ipsam fidem magnam assequuntur. Et charitas ipsos participare facit in societate & amore & fraternitate, & in amando Deum & ei seruiendo. Et omnes istæ virtutes & etiam aliæ quæ ex ipsis descendunt, iuuamina sunt & instrumenta quod homines sint sancti & habeant altam vitam, & quod mundi sint à peccato.

De Patientia.

PAtientia est illa virtus, per quam homo passiuas virtutes acquirit: sicut homines fortes, qui patientiam habent contra illos qui illicita eis faciunt. Idcircò patientia disponit in passionibus materiam, per quam homines sint humiles, & habeant charitatem secundùm appetitum & instinctum naturalem & concordantiam, quæ est inter formas & materias. Quoniam secundùm quod disposita est materia habet forma placitum in illa operandi & producendi ex illa hoc quod desiderat. Idcircò dixit quædam sapiens, quod patientia est quædam virtus quæ vincit, & quæ vinci non potest. Et est virtus per quam dæmon sæpiùs deuincitur, quàm per aliquam aliam virtutem.

De Abstinentia.

ABstinentia est illa virtus, quæ tunc voluntatem refrænat cum odibilia vult desiderare. Abstinentia incipit ratione finis charitatis, & ipsam prudentia illuminat, fortitudo ipsam fortificat, & iustitia ipsam iustificat, & spes ipsam sperare facit illa quę desiderat. Et dum abstinentia homines facit abstinere, habet prudentia deliberationem, & iustitia similiter, & idem de temperantia ad faciendum bonum & verum iudicium, & ad eligendum illa per quæ homo venit ad fœlicitatem, & euitat illa quæ damnum dant. Idcircò abstinentia est illa virtus quæ plus iræ contrariatur in principio quàm aliqua alia virtus.

De Humilitate.

HVmilitas est illa virtus quæ minores virtutes humiliat ad maiores cum iustitia, & humiliat cum seipsa virtutes maiores ad minores, idcircò maior est per illa quæ maiora sunt, quàm per illa, quæ sunt minora, & per seipsam quàm per iustitiam. Cuius bonitas multiplicatur in entibus minoribus & maioribus. Idcircò dicit

quidam sapiens quod humilitas magna virtus non est, si descendat vt in bonitate ascendat, sed vt in infimis (in quibus parum est de bonitate) consistat. Et quoniam per huius intentionem est magna humilitas ad bonitates superiores & magnas iustitia ipsam exaltat ratione suorum meritorum. Idcircò dicitur, quod quanto homines maiores minoribus se humiliant tanto ad magnitudinem bonitatis, virtutis, charitatis, & spei exaltantur.

De Pietate.

PIetas est illa virtus quæ humilitatem cordis ad oculos ascendere facit, & quæ illam in lachrymis & fletibus cõuertit per compassionem quam homo pius habet de proximo suo, cum ipsum videt in tribulatione & periculo: Et hæc pietas à charitate descendit, & ex similitudinibus quas habent homines sub specie minoritatis, per quam habent instinctum naturalem, conseruando tamen libertatem, vt quidam pietatem de aliis habeant, postquam in minoritate cum humilitate habent cõcordantiam, quæ minoritatem cuiuslibet repræsentat. Idcircò dicit quidam sapiens, quod crudelitas ex superbia nascitur, quæ non considerat in minoritatibus, in quibus participant naturaliter quidam homines cum aliis.

De Castitate.

CAstitas est illa virtus quæ ordinem ponit in copula hominis & fœminæ. Per castitatem considerant homines finem copulæ matrimonij quod est propter filios qui sint seruitores Dei. Qui siquidem finis ipsos considerare facit sanctitatem matrimonij & immunditiam luxuriæ & eius circumstantias, & hoc in tantum quod prudentia eligit circumstantias castitatis, finem matrimonij conseruando, & circumstantias luxuriæ dimittit. Idcircò in magna concordantia sanctitas & castitas consistunt. Quam concordantiam iuuant prudentia, abstinentia, fortitudo, & spes.

De Largitate.

LArgitas est illa virtus, quæ auaritiæ plus contrariatur quàm aliqua alia virtus. Largitas est filia charitatis & spei, quæ siquidem filia contrariatur auaritiæ, quæ est filia crudelitatis & desperantiæ. Idcircò homines largi filij largitatis dant, vt largitatem habere possint, non autem vt remunerentur per illos quibus dant: sed per modos largitatis & mercedem spectant, siue expectant in multiplicando largitatem, in qua voluntas eorum quiescit, vt ipsam habere possint cum magnitudine bonitatis, & perseuerantiæ.

De Legalitate.

LEgalitas siue fidelitas est illa virtus quę homines tenere facit quod promittunt, & cum illud tenere non possunt, facit ipsos verecundiam habere. Legalitas est illa virtus, quæ est contra traditionem, deceptionem, & mendacium, & habet vnum pedem de iustitia, & alium de fortitudine, & homo legalis tendit quietus in lectum veritatis, in quo charitatem & spem acquirit. Idcircò homines fideles tenent hoc quod promittunt, quoniam iustitia hoc requirit, & fortitudo ipsos facit fortes contra falsitatem & deceptionem. Et charitas & spes illos faciunt verecundiam timere.

De

De Constantia.

CONstantia est illa virtus, quæ hominem perseuerare facit in suo bono proposito. Constantia homines firmat cum fortitudine & spe ad magnitudinem, bonitatis, perseuerantiæ, iustitiæ, & veritatis. Idcircò homines qui sunt constantes in suo bono proposito, fortes sunt contra vitia, & spem habent in adiutorio Dei, & in eorum meritis quæ acquirunt in longa perseuerantia bonitatis, & veritatis. Idcircò dicit vnus sapiens quòd homines filij constantiæ fortes sunt, & plures habent amicos, per quos constantes sunt contra suos inimicos.

De Diligentia.

DIligentia est virtus cum qua charitas, & prudentia vincunt pigritiam. Per diligentiam sunt homines citò mobiles, & considerant illa, quæ possunt euenire, & plus vigilare diligunt quàm dormire, & nolunt esse pingues vt citiùs ire valeant ad finem quem desiderant: & quando impediti sunt ex nimio desiderio languent, & quando fessi sunt, fortitudo eorum desiderium cum prudentia, & spe fortificat in tantum, quod charitas facit ipsos audaces, nec ipsos multum dormire permittit.

De Suauitate.

SVauitas est virtus charitatis filia in prudentia & humilitate nata, siue orta. Suauitas homines fortes suaues facit, quoniam illos ligat cum charitate in patientia, & humilitate. Et ideò se duci permittunt ab hominibus superbis, crudelibus, & impatientibus, ad voluntatem eorum in tantum, quòd cum sua humilitate vincunt eorum superbiam, & cum sua patientia vincunt illorum iram, & cum sua charitate illorum vincunt crudelitatem in tantum, quod cum eorum similitudine ipsos domant. Et ad hoc leo dat exemplum, qui mansuetus est & suauis aliis animalibus paruis, quæ vtuntur suauitate cum illo contra superbiam & contra iram, & quæ cum illo similitudinem habent in voluntate.

De Conscientia.

COnscientia est illa virtus, quæ consulit cum timore facere bonum & euitare malum. Conscientia homines habere facit timorem de Domino, qui bonum pro bono reddit, & pœnam pro malo. Et ideò conscientia cum potestate, & iustitia Domini minatur, & illi qui minas timent, reuerentiam Domino faciunt, per quàm merita consequuntur, & virtutes multiplicant. Et quando minas non timent, contra Dominum peccant cui reuerentiam non faciunt. Idcircò conscientia eos ligat cum iustitia ad pœnam, & non sustinet quòd spem habeant in Domino. Et hæc conscientia est secundùm instinctum naturalem.

De Timore.

TImor est illa virtus, per quàm homines charitatem offendere timent, & timorem habent de iustitia. Timor est ancilla amoris, quæ prudentiam mouet ad considerandum illa, quæ periculosa sunt, & qui opinari facit plura damnosa, quæ non eueniunt. Et ideò timor homines existere facit inter iustitiam & charitatem, quia per iustitiam contra Dominum errare timent, & per charitatem timent, quod bonitatem Domini offendant. Et huiusmodi timor spem affert, quæ cum charitate habet con-

cordantiam, per quam misericordiam Domini expectant.

De Contritione.

CONtritio est virtus, qui homines mouet ad satisfactionem & pecuniam, quia contritio homines mouet ad satisfactionem & pœnitentiam, facit concordantiam misericordiæ, iustitiæ, & spei, quia satisfactio affert iustitiam, & pecunia spem, & idcircò misericordiam adesse oportet. Quare contritio est virtus, quæ deficere non potest, imò ad finem illius venit, quod desiderat. Idcircò homines hilares facit, cum illos flere facit, quoniam eum illis fletibus ipsos adducit ad concordantiam illorum & Domini.

De Verecundia.

VErecundia est passiua qualitas, quæ reuelat dispositionem minorum formarum per quas homo dispositus est ad faciendum illa quæ sunt illicita, quæ verecūdia venit ab his, quæ minora sunt. Naturaliter fœminæ maiorem habent verecundiam quàm homines, cùm ita sit quod homines maiores sint per actionem, & fœminę minores per passionem: veruntamen homines moraliter plus de verecundia habere debent in deficiendo siue peccando quàm mulieres, quoniam defectus maior est in formis quàm in materiis. Idcircò homines virtuosi magis verecundiam timent quàm fœminę secundùm virtutes acquisitas. Et in hoc passu cognoscitur quod homines verū iudicium non faciunt in hoc quod pro peccato luxuriæ non plus increpant homines quàm fœminas.

De Obedientia.

OBedientia est illa virtus quæ voluntatem (quæ est libera naturaliter) facit esse seruam & subditam alteri voluntati, quæ ad plures alias voluntates est communis. Obedientia est virtus vt subito habitu sint plures voluntates ad vnum finem ordinatæ, sicut plures lineæ ad vnum punctum. Idcircò obedientia requirit ordinem omnium virtutum, vt voluntates quæ sunt sub illa ordinatæ sint: sicut iustitia quæ requirit quod voluntas religiosi sit coacta sub suo habitu ad obediendum voluntati sui superioris. Et idem est de prudentiâ & cæteris virtutibus. Quare oportet quod voluntas superioris domina plurium voluntatum ordinata sit secundùm habitus aliarum virtutum, vt cum illis suas oues custodiat quæ libertatem ad peccandum nolunt habere: inquantū se obligant ad volendum voluntatem maioris in faciendo bona opera. Vnde sicut communi voluntati est magnus honor factus: sic posita est ipsa voluntas in magno honore & periculo. Et si inordinata sit & exuta ex habitibus virtutum, nulla voluntas maiorem habent culpam, nec dignior tanta pœna.

De Ramis Virtutum.

SEcundùm quod dictum est in ramis aliarum arborum haberi potest cognitio de ramis huius arboris, & maximè per ramos arboris imaginalis. Cùm ita sit quod rami virtutum sint similitudines ramorum naturalium & realium, sicut rami iustitiæ qui sunt similitudines realis potentiæ obiecti & actus. Sicut Martinus qui est iustus: qui sub habitu iustitiæ accipit obiectum quod

quod est de iustificabilitate, & dat iudicium rectum inter partes & ramos quorum iudex factus est. Et idem est de sua prudentia, cuius rami sunt potentiæ obiecti & actus, & sic de cæteris virtutibus. Rami cuiuslibet virtutis loca sunt, in quibus virtutes nascuntur, renouantur & viuunt ex radicibus arboris, videlicet bonitate, magnitudine & cæteris. Sicut in iudicio quod magnitudo facit de patribus & ramis, habet vnam renouationem bonitatis, magnitudinis, & aliarum: & in iudicio quod facit de genere & bonitate, habet aliam renouationem bonitatis, magnitudinis, & aliarum. Idcircò rami suę iustitiæ generales sunt ad plura iudicia. Et idem est de ramis suæ prudentiæ, & sic de suis aliis virtutibus. Et hoc plantæ significant quæ fructus producunt in ramis nouis.

De Foliis virtutum.

FOlia virtutum sunt accidentia virtutum ex quibus virtutes sunt ornatæ & indutæ. Et ex his accidentibus haberi potest cognitio per accidentia cæterarum arborum: cum ista accidentia sint illorum similitudines in operibus virtuosis quæ faciunt homines habituati virtutibus. Veruntamen quia multum desideramus veritates & secreta entium declarare & ostendere: in hac arbore loqui volumus de virtutum accidentibus.

De Quantitate virtutis.

IVstitia Martini, & sic de eius prudentia, fortitudine, & cæteris virtutibus est quanta: per cuius quantitatem ipsa crescere potest vel minui: quoniam sine quantitate nec crescere potest nec minui. Et illa quantitas tangi non potest nec videri: nec est de essentia reali, sed ita est multiplicata in specie fantastica quæ est habitus virtutis quæ vocatur iustitia: sicut est habitus multiplicatus, vt sit habitus iustitiæ. Idcircò quantitas non habet longum, latum neq; profundum, nec consistit sub figura corporali, circulari, quadrangulari, nec triangulari: sed tantummodò sub figura spirituali, quæ quantitatem habitus iustitiæ repræsentat quæ est continua quantitas: inquantum est essentia vnitus habitus, & est discreta, inquantum distinctio potentiæ obiecti & actus sunt tres rami iustitiæ.

De Qualitate virtutis.

PRudentia Martini est qualis secũdùm bonitatem ratione cuius homo dicit quod est bona. Et est qualis per magnitudinem ratione cuius homo dicit quod est magna. Et sic de duratione, potestate, & cæteris formis accidentalibus, quarum qualitas in sua specie repræsentat qualitates particulares: sicut calor ignis, qui calorem piperis & allei repræsentat. Vnde sicut calor est propria qualitas ignis, & est piperi & alleo appropriata remanens vna in sua specie: sic qualitas prudentiæ est sua propria qualitas. Et qualitas quam habet iustitia in habitu prudentiæ est qualitas appropriata prudentiæ vt vtatur habitu iustitiæ. Et in hoc passu multum est de philosophia morali.

De Relatione virtutis.

RElatio est in virtute sicut in fortitudine & in cęteris secundũ ꝙ relatio est cõsiderabilis pluribus modis. Sicut in forma quæ est in abstracto & supposito: sicut si est fortitudo est forte quod est indutum habitu fortitudi-

nis: & si est suppositum, oportet quòd sit habituatum. Sicut magnitudo quæ est fortis in bello, aut in iudicio, aut in patientia, aut in prosperitatibus huius mundi vel in paupertate. Est alius modus relationis, secundùm quod significatum est in ramis prudétiæ quæ est ratione potentiæ obiecti & actus, quoniam si fortificatiuus sit, oportet esse fortificabile & fortificare & è cóuerso. Et idem est de relatione, quæ est per æqualitatem & cócordantiam.

De Actione & Passione virtutis.

IN temperentia est virtus actiua per formam, & passiua per materiam. Et prius sentitur passio quàm actio, quoniam passio sentitur in indigentia appetitiuæ, quæ requirit multum de cibo, & postmodum venit forma, quæ materiam disponit ad habitum virtutis. Idcircò in habendo temperantiam habent homines passionem quæ est passiua virtus, de qua virtus actiua operatur siue agit. Veruntamen illi qui magnam habent temperantiam tantũ diligunt operationem virtutis, quod virtus passiua illos non cogit ad passionem secundùm forma rationis quã habet voluntas sua ex sensibili & passibili qualitate. Sicut ignis qui mouet terram ad suum instinctum naturalem, quamuis aqua ei non det magnam passionem.

De Habitu virtutis.

FIdes est virtus, & est habitus sub quo intellectus est habituatus & indutus ad credendum vera Dei & eius operum quæ argumentatiuè non intelligit, sed positiuè: cuius positiones sunt similitudines rationum necessariarum, quæ sunt per vim argumenti. Et iste habitus fidei est virtuosus, quoniam sub ipso facta sunt opera virtuosa & mirabilia, quoniam magnum mirabile est veritates rerum attingere absque rationibus necessariis. Idcircò dicitur, quòd fides non est habitus naturalis, sed est donum gratiæ & infusio Dei, qui ipsam dat, quia hominibus est necessaria, quam necessitatem natura humana dare non potest, quoniam si dare posset: sequeretur quod fides esset habitus naturalis, & quod probationes necessariæ naturaliter essent superfluæ.

De Situ virtutis.

SPes est virtus, & est assituata in bonitate, magnitudine, & cæteris similibus entium realium & primorum: quoniam sicut corpus est realiter assituatum secundùm arborem elementalem, vegetatiuam & sensualẽ, sic spes est assituata similitudo in pluribus similitudinibus, quia sicut corpus vnam habet assituationem per figuram circularem, & aliam per triangularem, & vnam aliam per illa quæ sunt infima, & aliam habet per superiora, & sic de aliis rectitudinibus: sic spes est assituata per vnum modum secundùm bonitatem, & per alium modum secundùm magnitudinem, & sic de cæteris similibus. Et idem est de assituatione quam habet spes in cæteris virtutibus, cum ita sit quòd quædam virtutes assituatę sunt in aliis: sicut spes quæ est in iustitia, cum magna iustitia sit in hominibus, qui habent maiorem spem in Deo quàm in denariis, possessionibus, & amicis. Et idem est de prudentia, cum sapientia sit in Deo spem habere. Et sic de aliis assituationibus virtutum ex quibus homo cognitionem habere potest per hoc quod de situ spei dictum est.

De-

De Tempore virtutis.

CHaritas est virtus, & est in tempore inquantum est incepta in tempore: potest esse in vno tempore & non in alio, & in quantum potest esse maior in vno tempore quàm in alio. Existere quod habet charitas in tempore, est ei appropriatum secundùm naturam temporis realis, & non secundùm naturam charitatis, cùm ita sit quod charitas non sit ex rebus realibus, sed est similitudo illarum, inquantum sunt amabiles aut amatiuæ. Et tempus quod est forma realis, est de natura corporali: sicut accidens quod est de natura substantiæ, non quod sit de essentia substantiæ, sed est natura per quam substantia potest esse: sicut charitas quæ principiari potest, aut multiplicari vel in tempore priuari, sine quo tempore principiari non posset multiplicari neque priuari: sicut substantia, quæ sine quantitate non posset esse quanta, nec sine qualitate qualis, nec sine colore colorata.

De Loco virtutis.

SAnctitas est virtus, & est in loco spiritualiter, videlicet in spirituali iustitia, & prudentia, & aliis virtutibus quæ sunt similitudines spirituales virtutum realium quæ consistunt in loco corporali reali, inquantum sine loco esse non possent, nec in vno loco esse, & non in alio, qui sicut cristallum accidentaliter accipit colorem auri: cum supra aurum sit positum, sic sanctitas & virtutes in quibus consistit, similitudinem à loco accipiunt, inquātum in substantiis consistunt, quę sunt in loco. Idcircò sicut tunica mouetur de vno loco in alium per motum hominis, qui ex ipsa vestitus est: sic sanctitas mouetur de vno loco in alium accidentaliter per motum sanctæ personę. Idcircò sanctitas secundùm suam naturam non transit per mediū, quod est inter principium & finem. Et in hoc passu est significatus motus substantiarum separatarum, quæ mouentur de vno loco in alium, non contentæ in loco, secundùm figuram circularem, triangularem, nec quadrangularem, nec secundùm rectitudines loci, sicut tunica, quæ se non mouet ex vno loco in alium.

De Floribus virtutum.

FLores virtutum sunt merita, quæ homines acquirūt per virtutes, quas habent. Et secundùm quod virtutes sunt diuersæ, sunt flores diuersi & distincti. Et quia arbor moralis est valdè necessaria ad sciendum, ideò de hac arbore loquimur ita diu. Veruntamen diu nō loquimur, imò breuiter, secundùm quod est necessariū ad sciendum, & se habet ad prædicationem secundùm conditiones ipsius, quas diximus. Idcircò loqui volumus de floribus cuiuslibet virtutis.

De Flore Iustitiæ.

FLos iustitiæ est meritum quod est per recolere, intelligere & diligere iudicium, recolitum, intellectum, amatum, bonificatum, & sic de aliis actibus radicum iustificatarum, vt sit iudicare, & vt illi sint habitu iustitiæ induti. Et ideò flos iustitiæ viuit, quando iustitia est recolita, intellecta, & amata, bonificata & magnificata, & cum illa iustificat alios habitus virtutum, & priuatio floris iustitiæ, stat in contrario.

De Flore Prudentiæ.

FLos prudentiæ est meritum per discretionem hominum, qui accipiunt illa

illa quæ ſunt bona & mala, & quæ ſciunt habere modos eligendi illa quæ ſunt bona, & dimittendi illa quæ ſunt mala, cum iuuamine brancharum arboris ſenſualis, imaginalis, & rationalis. Et ideò homines ſapientes quærunt conſilia, & dant deliberationem voluntati priuſquam eligant, amabilitates vel odibilitates, & intellectus prius quàm faciant iudicium, & memoriæ quod recolat iuuamina brancharum, arborum quas diximus. Et ideò vocantur ſapientes, & diſcreti in eorum operibus, & ad finem veniunt, quem deſiderant.

De Flore fortitudinis.

FLos fortitudinis eſt meritũ, quod eſt ex fortificato recolere, intelligere & amare, quod eſt ex fortificato bonificare, magnificare, &c. Et eius figura eſt fortificare, quod eſt flos fortitudinis, in quo apparent vigores, qui ex ipſo ſunt induti. Idcircò homines qui habent fortem animam, fortes ſunt per florem, & cùm tentantur ad faciendum aliquod illicitum, flos fortificat bonitatem contra malitiam, & ſic viuit ex bonificare, ſicut lumen quod viuit de oleo. Et cùm tentantur contra cæteros flores, illos fortificant contra eorum contraria. Idcircò homines fortes animi ſunt muniti pluribus floribus, ſpiritualibus & moralibus cum quibus vincunt tentationes ſenſuales.

De flore Temperantiæ.

FLos temperantiæ eſt meritum ſui actus, per quem actus aliarum virtutum ſunt temperati, ſicut iudex quæ habet moderatos ſermones in iudicio, & habet temperamentum in menſa & ſuo ſtudio, & in expenſis ſuis, & ſic de cæteris rebus ſimilibus iſtis. Et hic flos conſiſtit in medio loci temperantiæ, vt ſit fortior, & quod melius ſapiat principium & finem, & vt cum cæteris floribus maiorem habeat concordantiam, & cum mouetur ex medio loco, & ad vnam extremitatum appropinquauerit, infirmitatus eſt, & diſpoſitus ad corruptionem.

De Flore Fidei.

FLos fidei eſt meritum ſui actus quod habet in credendo vera, & viuit ex veritate entium, cum iuuamine florum aliarum virtutũ. Sicut cum flore iuſtitiæ, cum ſit iuſtum credere vera, poſtquam intelligi non poſſunt. Et eſt difficile illa credere & non intelligere. Et iſte vigor qui eſt flos fortitudinis, rigat florem fidei, vt ſit fortis cum incredulitatem, & vt in illa cæteri flores ſint fortes.

De flore Spei.

FLos ſpei eſt meritum quod eſt ex ſperare licita, ſecundùm iuſtitiam & miſericordiam, & ſuſtentatus eſt cũ aliis floribus, ſicut iuſtum eſt habere ſpem in Deo, cùm facit verum iudicium in illis, quæ ei ſeruiunt, & eum honorant ſecundùm eorum poſſe. Et iuſtum eſt, quod Deus iuuet eos, qui pro ipſo laborant. Et iuſtum eſt quod perdonet illis, qui ſe pœnitẽt de commiſſis, & qui contritionem habent & ſatisfaciunt, & etiam quod Deus eis parcat, poſtquam ſpem habent in ipſo.

De flore Charitatis.

FLos charitatis eſt meritum, quod eſt ex amare amabilia, illo amate induto ex floribus aliarum virtutum, & ex illo alios flores induente in eorum amabilitatibus. Sicut amare charitatis, quod iuſtum eſt per iuſtitiam, & diſcretum, ſiue prudens per prudentiam, & forte per fortitudinem, & moderata

deratum per temperantiam, quod si quidem amare induit florem iustitiæ, inquantum amari facit, & sic de aliis actibus florum. Secundùm quod dictum est de floribus in virtutibus primariis, potest haberi cognitio de floribus consequentibus, descendentibus ex primariis: sicut ex flore sanctitatis, qui est meritum cæteros flores sanctificans, & ipsos à peccato purificans.

De Fructu arboris moralis.

FRuctus arboris moralis, duobus modis consistit. Vnus modus est de mercede florum. Secundus modus est, vt Deus honoretur virtuosè, & ei seruiatur. Primus modus est sicut merces iustitię, quæ est per iudicare, & merces prudentiæ, quæ est ex discretione, & merces fortitudinis, quæ est ex fortificare, & merces temperátiæ, quæ est ex temperare & merces fidei, quæ est per credere, & merces spei, quæ est per sperare, & merces charitatis, quæ est ex amare, siuè per amare. Et in his modis mercedes radicum intrant, sicut mercedes iustitiæ per bonificare, magnificare, & alia quæ induunt & ornant suum florem. Secundus modus, fructus magis supra consistit, & altior est & nobilior primo; & est causa primi, videlicet moralitates sunt, vt Deo virtuosè seruiatur, veluti cum virtuosa iustitia & cæteris, & etiam cum virtuosa bonitate, magnitudine, & cæteris. Et idem de virtuoso recolere, intelligere & amare, Idcircò nemo ad Deum peruenire potest, qui vitiosè ei seruire voluerit, nec ipse Deus benedictus vult seruitium ab eo accipere. Et in hoc passu cognoscitur ratio, per quam Deus habet ita paucos seruitores, & quod plures sunt illi, qui ei decus magnum faciunt, inquantum ei vitiosè seruiunt, & credunt ei seruire virtuosè in hoc mundo, idcircò cùm sunt mortui, nullam habent retributionem ex hoc quod habere credebant, imò habent pœnam, in quantum Deo seruire vitiosè voluerunt.

De Secunda parte arboris moralis.

ISta pars est de vitiis, & tot habet partes sicut prima. Quæ siquidem partes sunt radices, truncus, branchæ, & aliæ. Et per hoc quod de prima parte dictum est, cognitio ex ista haberi potest, sicut vnum contrarium, quod aliud contrarium cognoscitur. Veruntamen, quia hanc arborem volumus declarare, de vitiis loqui intendimus.

De Radicibus Vitiorum.

RAdices vitiorum sunt quatuor, videlicet malitia, stultitia, falsitas, & priuatio finis. Et ad ista quatuor se habent magnitudo, duratio, potestas, voluntas, delectatio, differentia, concordantia, contrarietas, principium, medium, maioritas, æqualitas, & minoritas. Magnitudo se habet ad malitiam, inquantum malitia est magna, & se habet ad stultitiam, quæ contraria est sapientiæ, inquantum stultitia est magna, & se habet ad falsitatem, inquantum falsitas est magna, & se habet ad priuationem finis, inquantum priuatio est magna, idcircò peruersa est magnitudo in vitium, contra hoc quod esse solebat in virtute, quare diffinitio magnitudinis in vitio existentis est hæc, videlicet magnitudo est id, per quod malitia stultitia, falsitas, & priuatio finis sunt magnæ. Est etiam diffinitio magnitudinis hæc, videlicet magnitu-

gnitudo est per quam duratio, malitię, stultitiæ, falsitatis, & priuationis finis est magna, idcircò trāsit magnitudo in vitium. Diffinitio malitiæ quæ contratiatur bonitati, est hæc, videlicet malitia est id, ratione cuius magnitudo, duratio, potestas, stultitia, voluntas, falsitas, delectatio, & aliæ sunt malæ, quibus similitudinibus malitia culpæ suam dat similitudinem, inquantum ipsas peruertit in vitium & peccatum. Idcircò malitia est illud, ratione cuius homo malus facit malum esse, cuius mali est malū, & eius priuatio est bona. In hac arbore quæ est de vitiis duratio, est id ratione cuius durant malitia, magnitudo, potestas, & cæteræ formæ peruersæ in vitium & peccatum. Idcirco duratio est mala cōtra bonitatem, & eius magnitudo est mala contra virtutem & contra alias formas. In hac arbore potestas est id, per quod malitia magnitudinis, durationis, & aliæ possunt existere & agere. Quæ siquidem potestas est mala, & eius priuatio bona. Et hoc est, quia de illa sequitur malum. Stultitia est contrarium sapientiæ, inquantum stultos omnes illos facit esse, qui sunt habituati ex illa & induti: sicut homo stultus, qui fatuè intelligit entia contra eorum intelligibilitates bonas & veras, finis quarum est intelligibilis sub habitu sapientiæ. Idcirco stultitia mala est & vitiosa, & eius priuatio est bona. Volūtas vitiosa est illa, ratione cuius illa quæ sunt amabilia sunt odibilia, & illa quæ odibilia sunt sub habitu virtutis, in habitu vitij sunt amabilia. Idcirco talis voluntas est mala, & suo fine vacua. Vitium est priuatio virtutis, & exit ex similitudinibus vnitatum, videlicet ex malitia, & ex mala magnitudine, duratione, potestate & aliis, sub cuius vitij habitu sunt formę bonæ peruersę in malo, & in priuatione finis & sub falsis similitudinibus. Falsitas est illa, quæ est habitus ratione cuius similitudines bonarum formarum, & virtuosarum peruersę sunt in falsas similitudines. Idcirco illa quæ falsa sunt, videntur secūdùm apparentiam, quod sint vera, & illa quæ sunt vera videntur quod sint falsa. Delectatio quæ est sub habitu vitioso, est id in quo vitia habent quietem. Idcirco homines mali delectationem habent in faciendo malum, & habent laborem in bono, quod homines boni faciunt. Differentia quę est inter vnum vitium & aliud, est mala, & est confusio bonitatis, magnitudinis, & cæterarum formarum, quę indutę sunt de virtute. Idcirco homines mali habent intellectum confusum, & voluntatem cōfusam, & plus tenebras diligunt quàm diligant lucem. Concordantia vnius vitij & alteri' est mala, & eius priuatio est bona. Idcirco est mala similitudo ex bona concordantia, & est hoc quod est contra bonam contrarietatem. Idcirco per talem vitiosam concordantiā multa vitia se concordant in vno & in pluribus malis. Contrarietas mala, est hoc, quod est cōtra bonos fines & bonas concordantias. Idcircò est mala, & eius priuatio est bona. Malum principium est id, quod se habet ante ad plura mala principia, & istud generale est ad plura principia, & suum esse est ex priuatione boni principij naturalis & generalis, ad bona principia. Et in hoc malo principio generali, principiant principia particularia mala, inquantum homo dispositus est ad faciendum malum, inquantum principiatus est de nihilo, quod non habet, naturam alicuius boni, quod si haberet esse, esset non esse, quod est impossibile

sibile & contradictio. Et in hoc passu possunt cognosci principia peccati, & vbi principiantur, & de quo, & per quam principiantur, & quare homo habet libertatem ad faciendum bonum & malum, quæ siquidem libertas quam homo habet ad peccandum non est creatura, sed est ex natura nihili, inquantum homines se inclinant per illam ad principium generale, de quo sunt, videlicet ad non esse, vel nihilum. Et inquantum habent esse, & sunt creati ad bonum, naturam habent ex libertate creata ad faciendum bonum, & per illam principiant bona, contra mala. Et iste passus est multum vtilis ad sciendum, & difficilis ad intelligendum, videlicet illis, quæ parum sciunt, & maximè illis qui sunt vitiosi, & contra bona principia. Medium vitiosum est priuatio medij virtuosi, & est subiectum, in quo priuatio finis similitudinem suam influit ad principium, & principium suam malam similitudinem refluit ad priuationem finis. Idcircò in hac influentia & refluentia sunt primæ formæ peruersæ in vitiis, & in malis similitudinibus, vnde magna mala durabilia, & possibilia sequuntur, quæ sunt contra instinctus & appetitus naturales bonarum formarum. Priuatio finis est vacuitas & vacuatio boni medij, & boni principij. Idcircò priuatio finis est mala, & sub sua malitia & habitu sunt peruersæ bonæ formæ in peccata & mala, & sunt vacuę de suis bonis principiis, & mediis naturalibus. Idcircò in inferno bonæ formæ naturales sunt vacuæ, suis bonis finibus naturalibus, ad quos se habent bona principia, & media naturalia habituata accidentalibus vitiosis principiis & mediis, & nullo tempore finē consequentur, ad quem finem se habebunt, secundùm cursum naturalem. Et pœnam quam habebunt damnati per priuationem finis naturalis, non est aliquis, quæ eam dicere, nec scribere posset. De qua pœna loqui intendimus diutiùs in arbore æuiternali. Maioritas vitiosa est illa maior imperfectio, quæ se habet ad non esse, & quæ facit suum contrariũ (quod est minoritas) concordare cum esse. Quæ siquidem minoritas naturaliter habet concordantiam cum non esse. Et in hoc passu potest haberi cognitio sub ratione similitudinis non esse, & similitudinis esse, quæ sunt formæ, quæ sunt contrariæ similitudines esse, & non esse. Idcircò homines mali, quanto maiores sunt in malitia, concordantiam maiorem habent cum non esse, quàm homines qui non sunt ita mali, qui secundùm comparationem habent, ratione eorum malitiæ concordantiam cum esse. Et in hoc passu potest haberi cognitio, quod maioritas est mala in priuatione finis, & in stultitia, & in falsitate, in qua siquidem maioritate, mali sunt infideles sub habitu stultitiæ, & etiam Christiani diuites auari, qui bona communia permittunt esse ociosa, & in priuatione finis contra pauperes. Æqualitas vnius mali, & alterius est priuatio æqualitatis vnius boni & alterius. Idcircò homines auari, digni sunt magna pœna. Et quanto magis sunt auari, maiori pœna sunt digni, quia multiplicant æqualitatem vnius mali & alterius, & priuant finem, propter quem diuitiæ illorum sunt creatæ. Quæ priuatio finis est multum mala, in qua concordant plura magna mala, contra finem bonitatis, & contra finem suæ magnitudinis, durationis, suæ potestatis, sui instinctus, & sui appetitus naturalis. Minoritas vitiosa est priuatio minoritatis virtuosæ, quę concordantiam

habet cum non esse, & in hoc passu potest cognosci modus, ratione cuius poterit haberi cognitio de quiditate virtutis, & de quiditate vitij. Et huius cognitio multum est vtilis illis, qui habituari volunt ex virtutibus, & qui volunt vitia euitare, & habitus eorum. Dictum est de radicibus vitiosis, & de earum diffinitionibus per quas haberi potest cognitio de ipsis, & quomodo stant sub quatuor habitibus vitiosis, videlicet sub habitu malitiæ, stultitiæ, falsitatis, & priuationis finis, sub quibus quatuor habitibus, sunt alij habitus, aliarum radicum; quæ se habent ad suas species, sicut materia oleastri, quę se habet, & se conuertit in materiã oleæ insertæ in illo. Et ex istis quatuor formis: quæ sunt supra, quæ viuunt ex formis inferioribus, compositus est truncus arboris vitiosæ.

De Trunco arboris vitiosæ.

TRVNCVS huius arboris est ex similitudinibus quas diximus, quæ sunt suæ radices, & qui est communis confusio generalis quæ est fons, in quo vitia pari cultura sunt disposita in potentia, quæ siquidem vitia trahit agens naturale de dispositione, & ipsa in actu adducit & in habitu, sicut Martinus vitiosus, qui ex ipsa trahit suam malitiam, & magnitudinem illius malitiæ. Et idem de sua stultitia & potestate quam habet, per quam potest fieri stultus, & duratio, quam habet in perseuerando in malo, & in stultitia, & etiam in falsitate & in priuatione finis virtutis, quæ est truncus contrarius, trunco vitij. Truncus iste est inuisibilis, nec videri potest, cum sit ex similitudinibus, quæ similitudines sunt peccatum, quod est iste truncus. Et quia in illo stat multitudo malitiæ, potest quilibet homo multiplicare & augmentare suum peccatum, cùm ita sit, quòd ex formis generalibus multiplicari possint formæ speciales. Et cùm in trunco sit minoritas vna ex suis partibus, possunt peccatores minorificare sua peccata, & maiorificare, cum maioritas sit vna pars trunci, & etiam quia priuatio finis, est vna pars trunci, possunt peccatores priuare eorum peccata, & hoc possunt cum potestate, quæ est vna pars trunci. Veruntamen possunt cum iuuamine Dei, contra potestatem trunci, & possunt cum contrarietate, quę est vna pars trunci, in qua est concordantia virtutum, sic in dispositione & potentia moraliter, sicut frigiditas naturaliter in aqua calefacta. Et iste passus declarat, quomodo peccator potestatem habet, in principiando virtutem ratione contrarietatis, quæ est contra vitium, tamen cum adiutorio Dei, sine quo peccator non posset exire à peccato, cum sit incarceratus in carcere iustitiæ. Et iste passus est multum vtilis ad sciendum.

De Branchis arboris vitiosæ.

BRanchę huius arboris principaliter sunt gula, auaritia, luxuria, superbia, accidia, inuidia, & ira. Et iste septem branchæ sunt habitus, sub quibus sunt formæ, ex quibus truncus consistit. De quibus diffinitiones dare proponimus, vt ex ipsis melius cognitionem demus.

De Gula.

GVla est illud peccatum, quod sæpius priuat abstinentiam & temperantiam quam aliquod aliud peccatum. Idcircò est illud vitium, per quod homines plus moriuntur, quam per aliquod aliud vitium. Per gulam sunt

sæpius

sæpius homines infirmi, cum ita sit, quod per nimis comedere aut bibere, sit destructa digestio & appetitus naturalis, in quo natura arboris vegetalis se delectat. Idcircò patres & matres qui diligunt filios & vitam illorum, nutrire non deberent cum cibatiis delicatis & pluribus Quæ quidem delectatio & multitudo disponit gulam contra vitam, & contra diuitias, & disponit homines quod sint ociosi, & quod sint de grosso ingenio, & quod sint latrones, cùm diuitiæ eis defecerint propter nimis comedere & bibere, vel propter cibaria delicata quæ sunt chariora quàm alia: sicut sunt gallinæ, perdices, & pisces grossi, qui sunt chariores quàm carnes bouinæ, vel sardinæ.

De Auaritia.

AVaritia est illud vitium, quod est magis contrarium fini bonorum temporalium, quàm aliquod aliud vitium. Per auaritiam sunt denarij ociosi in arca omnis auari, & bladum in granariis, & sic de aliis. Sicut spes in qua homo auarus non existit, in quantum confidit in suis denariis nec eius appetitus suum habet complementum, in quantum homo auarus non comedit de cibariis quæ sunt sana, quia sunt digestibilia, & quia appetitiua in illis delectationem inuenit. Idcircò homo auarus est contra arborem elementalem, ex qua sunt denarij. Et idem est de contrarietate, quam habet contra arborem vegetalem, in quantum est contra sapores & delectationes, in quibus natura delectatur. Est etiam contra arborem sensualem, in quantum homo auarus est malè indutus, & iacet in malo lecto, & multum laborat. Et sic de aliis similibus illis: sicut homo auarus qui in extremis satisfacere non curat de commissis, quæ fecit contra largitatem, veritatem & finem diuitiarum.

De Luxuria.

LVxuria est vitium, quòd inordinat copulam carnalem, in quantum ipsam deuiat à fine, propter quem est finis carnalis copulæ. Est enim finis carnalis copulæ, vt humana species restauretur & multiplicetur in pluribus hominibus, quem finem facit luxuria obliuisci, & recolere facit delectationes carnales, & contra cursum naturalem, quas nec dicere, nec scribere sumus ausi, propter magnam vilitatem illarum. Sub quarum habitu sunt viles illi, qui illis delectationibus sunt induti, & qui magna pœna sunt digni. Est etiam luxuria contra sanitatem, quia in placitis quæ dat arborem vegetalem destruit. Et est contra diuitias, quas homo congregat & disponit inuidiam, deceptionem, traditionem, & plura alia mala, quòd veniant in actu. Et de hoc experientiam habemus in pluribus & magnis malis, quæ hominibus luxuriosis per fœminas acciderunt, & per eos pluribus aliis,

De Superbia.

SVperbia est illud vitium, ratione cuius homines volunt habere honores, qui eis non conueniunt. Superbia obliuisci facit minoritates naturales de quibus homo processit, & considerare facit maioritates quas Deus sub conditione dat, quòd homo cum illis sit humilis, & indutus habitibus virtutum, & cum illis Deo honorem faciat & suo proximo. Idcircò homines superbi nolunt pares habere, nec alios amare, & faciunt ali-

qua, quorum ratione humiles existunt in seruitute propter eorum defectum. Et inuidiam habent de bonis humilium, qui ascenderunt cum humilitate ad perfectiones, quas Deus dat. Idcircò homines superbi sunt inuidiosi & accidia induti, ratione cuius dicunt malum libenter, & irascuntur, quando honorari non possunt in rebus superioribus, à quibus eos superbia descendere facit in infimis, quæ sunt sub pedibus humilium, qui cum humilitate ascendunt ad superiora, à quibus homines superbi ceciderunt. Idcircò per superbiam veniunt guerræ, labores, iræ, tristitiæ, & paupertates, & plura alia mala, quæ longum esset ad enarrandum, quæ dicere non oportet, quoniam ex ipsis experientiam habemus.

De Accidia.

Accidia est vitium, per quod homines pigritiam habent in faciendo bonum, & habent placitum de malo aliorum, & tristitiam de eorum prosperitate. Accidia est vitium, quod est in pluribus hominibus, qui ipsam non agnoscunt nec credunt esse in mortali peccato. Et est vitium, quod est magis secretum quàm alia, idcircò plures se perdunt per accidiam, qui credunt saluari. Quare accidia est peccatum valdè periculosum, quæ regnat multum in mundo. Accidia est contra charitatem & contra fraternitatem naturalem, & est medium per quod bona naturalia sunt impedita, ne veniant ad fines naturales, quia per ipsum transire non possunt. Et ideò facit homines pigros & contra diligentiam, iustitiam, & cæteras virtutes.

De Inuidia.

Inuidia est illud peccatum, quòd est contra propriam charitatem, & communem. Inuidia est contra propriam charitatem, in quantum homines inuidiosi volunt habere bona aliena contra iustitiam & spem. Et quando ipsa habere non possunt facit ipsos considerare modos ex quibus oriuntur traditiones, mendacia, deceptiones, latrocinia, & plura alia mala, vt illa bona habere possint. Idcircò inuidia est valdè graue peccatum, in quantum cum malo desiderare facit homines bona, quæ sunt contraria in aliis. Inuidia est contra communem charitatem scilicet contra charitatem Dei, qui dat bona communia omnibus: sicut ignis, qui dat communem calorem plantis, in quibus ipse habet Dominium, & etiam in plantis, in quibus cætera elementa dominium habent. Est etiam inuidia contra communem charitatem, fraternitatis, & bonorum naturalium. Idcircò homines inuidiosi non recurrunt ad bona generalia, sed ad specialia, quæ habere desiderant contra suos proximos.

De Ira.

Ira est nimius motus voluntatis, quæ venit, & est cum tristitia, per quam voluntas passionem bonorum entium desiderat, & actionem malorum, vt bona sint destructa. Per iram destructæ sunt veritates, quas intellectus inquirit, quia ira lumen destruit cum quo inquiruntur, & in intellectu ponit tenebras. Et idem facit in viis memoriæ, idcircò homines qui sunt irati, nesciunt quid faciunt, & faciunt casu fortuito hoc quod faciunt, & contra instinctus & appetitus naturales.

les & cum errauerint, eorum commissa vel errores non recolunt, nec modum quem tenuerant, quando errauerunt: quare homines qui sunt irati, ligari deberent, quousque iram vel furorem amitterent, & haberent lumen viarum intellectus, & memoriæ, & quousque tenebræ priuarentur, per quas homines irati fortuito vadunt absque discretione, qui peiores sunt quàm bestiæ, quæ hoc quod faciunt, cum imaginatione faciunt, & cum instinctibus, & appetitibus naturalibus. Nullum peccatum est ita periculosum sicut ira: quia ita brachia & pedes ligat contritioni, conscientiæ, patientiæ, abstinentiæ, & aliis virtutibus, vt ventre non possint nec aliqua operari. Quare ira est contra esse & habet concordantiam cum non esse, in quantum bona digna essendi inclinat ad non esse, & mala digna non essendi producit in esse. Quare homo iratus non facit differentiam inter destructionem suipsius, patris, filij & sororis, & fratris, & consanguinei, priuati & extranei, quoniam nulli parcit, nec remittit, nec rationem auscultat. Et mala quæ sunt per iram, quis dicere posset?

De Gula, & Auaritia.

GVla & auaritia concordantiam habent contra temperantiam, & largitatem. Et ideò gula disponit materiam auaritiæ quòd sit contra largitatem. Sicut homines gulosi, qui bona temporalia aggregant in maiori quantitate quàm indigeant, pro cibariis quæ desiderant. Idcirco auaritia est contra largitatem, quæ retinet illa, quæ dari deberent, postquam est sufficientia cibariorum in illis, quæ comedere desiderant. Contra temperantiam idem facit auaritia, quæ gulæ materiam disponit, quod possit multum comedere, & bibere contra temperantiam, in quantum retinet multa superflua, quæ omnia homo comedere non potest, neque bibere, propter quas diuitias intendit multum comedere, & bibere, postquam cibaria habere potest, cum diuitiis quas auaritia aggregat.

De Gula, & Luxuria.

GVla, & luxuria concordantiam habent contra castitatem, & temperantiam, quia gula facit homines comedere, & bibere, vt luxuria vti possint, idcircò propter placita luxuriæ est gula, contra temperantiam & contra castitatem, in quantum materiam luxuriæ disponit per nimium comedere, & bibere. Idem facit luxuria quæ disponit gulæ materiam: vt per illam possit esse contra castitatem & temperantiam. Et in hoc passu potest cognosci, quod quædam vitia sunt cōcordantia cum aliis cōtra virtutes, & quomodo concordantia vitiorum accipitur in trunco secundùm naturam radicum, quæ sunt primariæ dissimilitudines virtutum.

De Gula & Superbia.

GVla & superbia concordantiam habent contra temperantiam & humilitatem, quoniam homines qui sunt superbi, multum diligunt comedere & bibere inquantum nolunt esse serui temperantiæ, quę dat passionem seruitoribus illius, vt habeant humilitatem, cum qua ascendere possunt ad merita, quæ veniunt per illas passiones. Ergo gula homines facit superbos contra temperantiam, quoniam non vult

vult quod habeat aliquos subditos.

De Gula, & Accidia.

GVla & accidia concordantiam habent contra temperantiam & diligentiam, quoniam gula facit homines pigros, per nimium comedere & bibere, & ipsos facit obliuisci fines rerum necessariarum ad viuendum, & ideò est contra semetipsam. Et accidia facit obliuisci fines entium, vt homines sint pigri in procurando cibaria, quæ necessaria sunt ad vitam, secundùm naturas arboris vegetalis. Et etiam obliuisci facit fines temperantiæ, ratione quorum temperantiam est instrumentum ad sanitatem, & vitam.

De Gula, & Inuidia.

GVla & inuidia concordantiam habent contra temperantiam, & charitatem, quia gula est contra charitatem propriam & communem, vt habeat quid comedere. Idcircò aufert diuitias pauperibus, quas possident homines diuites. Et inuidia est contra temperantiam in hoc, quod multiplicat materiam comedendi, & bibendi in desiderando illam, vt gula habeat quid comedere, & etiam bibere.

De Gula, & Ira.

GVla & ira habent concordantiam contra temperantiam, & abstinentiam, & discretionem, quia per gulam sunt homines inebriati, & etiam motui voluntatis consentiunt, & non habent deliberationem ad eligendum discretionem, & abstinentiam, neque ad vtendum prudentia. Et ira est contra temperantiam, & gulam, in quantum tristitiam producit, & non permittit media temperata, considerare, & corpus ponit in periculo, & cibaria, ratione cuius temperantia subiectum non habet, in quo diu stare possit, nec gula habet subiectum, in quo diu esse possit, quoniam cibaria deficiunt, & non habet quid comedere possit, & sanitas per tristitiam deficit, & per mortem, nec habet appetitum ad comedendum.

De Auaritia, & Luxuria.

AVaritia & luxuria habent concordantiam, contra castitatem, & largitatem, quoniam homines auari per suam auaritiam retinent illa, quæ dari deberent, & ideò sunt contra largitatem, & quoniam retinent illa, sunt contra castitatem, quoniam homines auari bona temporalia congregant, vt possint vti luxuria in pulchris, & malis fœminis, quæ magna dona requirunt secundùm comparationem turpium mulierum, quæ sunt malæ.

De Auaritia, & Superbia.

AVaritia & superbia habent concordantiam, contra largitatem, & humilitatem, quoniam auaritia in quantum aggregat plura bona temporalia, materiam præparat superbiæ: sicut homines superbi qui dispositi sunt quod sint superbi, quando habent plures diuitias. Et superbia disponit materiam auaritiæ, quòd sit contra largitatem, in quantum est dispositio quod sit per magnas diuitias. Sicut homines qui propter hoc quia sunt diuites sunt contra largitatem, ratione cuius largitatis pauperes sunt humiles. Et idem est de diuitibus, quando dant de bonis suis pauperibus, ad quos humilitas ipsos diuites descendere facit, & ascen

ascendere contra superbiam, & auaritiam. Idcircò fuit quidam diues impeditus qui nesciebat, si filium sum nutriret auaritiæ vel largitati.

De Auaritia, & Accidia.

AVaritia & accidia concordantiam habent contra largitatem, & diligentiam, quoniam auaritia est contra largitatem, cum accidia, quæ est contra diligentiam. Idcircò auaritia est contra semetipsam. Quare mercatores auari ascendere non possunt ad ita magnas diuitias sicut largi, qui cum diligentia habent concordantiam, & auari cum pigritia, & accidia est contra largitatem cum auaritia, in quantum cum illa habet concordantiam.

De Auaritia, & Inuidia.

AVaritia & inuidia contra largitatem, & charitatem, habent concordantiam, quoniam inuidia est contra charitatem, per quam est largitas. Et auaritia est contra charitatem, in quantum est contra largitatem, quæ est instrumentum charitatis.

De Auaritia, & Ira.

AVaritia & ira sunt contra largitatem, & abstinentiam, quoniam auaritia in quantum est contra largitatem, materiam præparat hominibus auaris, quòd sint irati, cùm eos perdere contingat eorum diuitias, aut cùm homo eis consulit, quòd sint largi, & eos reprehendit de auaritia. Quæ siquidem ira est contra largitatem, in quantum auaritia est eius instrumentum.

De Luxuria, & Superbia.

LVxuria & superbia habent concordantiam, contra castitatem, & humilitatem, quoniam in quantum luxuria est contra castitatem, est contra humilitatem, quæ homines humiliat ad se subiiciendum castitati. Et inquantum superbia, est contra humilitatem, est contra castitatem, sub qua non vult subiici, imò libera diligit esse in placitis luxuriæ.

De Luxuria, & Accidia.

LVxuria & accidia concordantiam, habent contra castitatem, & diligentiam, quoniam in quantum luxuria est contra castitatem, materiam accidiæ præparat, quod homines sint pigri ad acquirendum castitatem, & ad resistendum diligentiæ. Et quantum accidia est contra diligentiam, materiam præparat luxuriæ, quòd homines sint pigri ad acquirendum castitatem.

De Luxuria, & Inuidia.

LVxuria & inuidia habent concordantiam, contra castitatem, & charitatem, quia inuidia concupiscere facit pulchras mulieres, idcircò materiam luxuriæ præparat, contra castitatem. Et desiderare facit diuitias, per quas materiam luxuriæ præparat, in quantum per diuitias homines habere possunt pulchras mulieres. Et in quantum luxuria est contra castitatem, materiam inuidiæ præparat, quòd sit contra charitatem mariti, & suæ pulchræ vxoris, quam luxuria desiderare facit, & inuidere. Hoc idem est de luxuria, quæ desiderare facit diuitias mariti, vt cum illis luxuriari possit Petrus, qui est inuidiosus.

De Luxuria, & Ira.

LVxuria & ira concordantiam, habent contra castitatem, & absti-

nentiam, quoniam luxuria in quantum est contra castitatem, voluntatem Petri luxuriosi mouet ad iram, quando habere non potest mulierem, cum qua luxuriari vult. Et ira in quantum est contra abstinentiam, est causa luxuriæ contra castitatem, quam castitatem Petrus luxuriosus habere non potest in deliberatione voluntatis ratione subitanei motus, qui est contra castitatem.

De Superbia, & Accidia.

SVperbia & accidia habent concordantiam, contra humilitatem, & diligentiam. Quoniam in hoc quòd superbia est contra humilitatem, est contra diligentiam, quæ cum humilitate acquiritur, & in quantum accidia est contra diligentiam, est contra humilitatem, quæ cum diligentia acquiritur.

De Superbia, & Inuidia.

SVperbia & inuidia concordantiam habent contra humilitatem, & charitatem. Quoniam in quantum superbia est contra humilitatem, est contra charitatem, quæ cum humilitate habet concordantiam. Et in quantum inuidia est contra charitatem, est contra humilitatem, quæ cum charitate habet concordantiam.

De Superbia, & Ira.

SVperbia & ira concordantiam, habent contra humilitatem, & abstinentiam. Quoniam in quantum superbia est contra humilitatem, est contra deliberationem abstinentiæ, quæ in humili voluntate, & patiente habet deliberationem. Et idem est in humili intellectu, & memoria. Et in quantum ira est contra abstinentiam, est contra humilitatem, quæ acquiritur cum abstinentia contra iram.

De Accidia, & Inuidia.

ACcidia & inuidia habent concordantiam contra diligentiam, & charitatem. Quoniam in hoc quod accidia est contra diligentiam, materiam inuidiæ præparat, quòd pigritiam desideret Petrus piger ad lucrandum diuitias Martini, per quam pigritiam concupiscit illas diuitias, quas cum labore lucrari non vult. Et in quantum inuidia est contra charitatem, est contra diligentiam lucrandi diuitias.

De Accidia, & Ira.

ACcidia & ira concordantiam habent contra diligentiam & abstinentiam. Quoniam inquantum accidia est cõtra diligentiam, habet concordantiam cõtra ira, contra abstinentiam, quæ sine diligentia voluntatis & memoriæ, & intellectus haberi non potest Et inquantum ira est cõtra abstinentiam, concordantiam habet cum accidia, inquantum pigritiæ præparat materiam, quæ cum priuatione diligentiæ habet concordantiam.

De Inuidia & Ira.

INuidia & ira concordantiam habēt contra charitatem & abstinentiam. Et inquantum, inuidia est cum charitatem, est contra abstinentiam. Et inquantum ira est cum abstinentiam, est cõtra charitatem, quæ cum abstinētia lucratur. Dictum est de vitiis principalibus, & alia cum aliis miscuimus, vt per quædam alia cognoscantur. Modo de aliquibus vitiis dicere proponimus, quæ consequentia sunt primorum.

morum. Et primò dicendum est de iniuria.

De vitiis consequentibus. Et primò de Iniuria.

INiuria est vitium quod est cõtra iustitiam per semetipsam. Et est contra iustitiam, inquantum concordantiam habet cum vitiis, quæ sunt contra iustitiam sicut cum superbia, quoniam superbum est contradicere iustitiæ, quæ ita alta est per bonitatem, magnitudinem, fortitudinem, & sapientiam, & maximè cum superbia, quæ in se nullam habet bonitatem, imò omnes qui sub suo habitu sunt induti, infimos existere facit. Indiscretio est vitium, quod est contra prudentiam, inquantum est eius priuatio. Et est cõtra prudentiam cum iuuamine pigritiæ & iræ, quoniam per pigritiam sunt homines indiscreti, inquantum nolunt inquirere veritatem rerum. Et per iram offuscatus est eorum, intellectus in tenebris existens, idcircò sunt homines idiotæ, qui habitu prudentiæ vti nesciunt. Debilitas cordis est contra fortitudinem, & vt maior sit contrarietas, est contra fortitudinem cum desperantia, vt homines non sint fortes cum spe, quæ animos hominũ fortificat, qui in potestate Dei, & in sua bonitate, & in fidelitate, & in veritate (in quibus sunt) confidentiam habent. Et in hoc passu potest haberi cognitio, quod vitium, quod per seipsum, contra vnã virtutem non potest, habet concordantiam cum aliis vitiis, contra vnam virtutem. Idcircò homines virtuosi, quando plura vitia sunt contra vnam virtutem, cum illa virtute, plures alias virtutes concordant, vt cum illis sint contra plura vitia. Intemperantia est id, quod est contra temperantiam cũ gula, & contra fortitudinem, quam debilitatem fortificat gula, cum primis naturis sensitiuè imaginatis, cum placito sentiendi intantum, quod fortitudo deuincit per suum contrarium, & per iuuamen, quod facit gula debilitati. Idcircò homines sapientes mortificant imaginationes, quæ iuuant placita sentiendi, illa placita obliuiscendo, & placita recolendo, quæ veniunt per virtutes in considerationibus hominum virtuosorum intantum, quòd gula iuuare non potest debilitatem, imò per fortitudinem deuincitur. Infidelitas est id, quod est contra fidem, cum falsis similitudinibus, quæ verè videntur secundùm cursum naturalem, & cum priuatione recolendi, quæ non recolit opera, quæ Deus facit supra cursum naturalem, vt sua magna potestas, melius recolit intelligi, & amari possit, & quod homines in illo habere possint maiorẽ spem. Idcircò homines sapientes cum sunt tentati, cõtra huius infidelitatem, recolunt illa, quæ Deus fecit, & facit supra cursum naturæ, sicut creare mundum, & primum hominem & miracula quæ fecit, & facit, vt fidem fortificent, & etiam considerant, quod Deus plus habet facere, quàm intellectus eorum intelligere. Desperantia est id, quod est contra spem, contra quam est cum memoria in recolendo magnitudinem peccati, & magnitudinem iustitiæ, & obliuiscendo magnitudinem misericordiæ & pietatis. Idcircò homines sapientes cum cadunt in tali contrarietate, recolunt æqualitatem iustitiæ, & misericordiæ Dei. Idcircò sunt in spe contra desperantiam, & cum timore iustitiæ Dei, cum quo timore ei honorem faciunt, cum humilitate, & cum contritione, & satisfactione. Idcircò iustitia iuuat spem contra desperantiam,

& cum misericordia habet cōcordandantiam. Crudelitas est id, quod est contra charitatem, cum auaritia & superbia intantum, quòd charitas non potest se tueri contra suum contrarium, quousque se iuuet cum contrariis contrariorum, cum quibus se iuuat crudelitas, quæ sunt humilitas, quæ est contra superbiam, & largitas, quæ est contra auaritiam. Et quia charitas, humilitas, & largitas concordantiam habent cum esse, & superbia, crudelitas & auaritia concordantiam habent, cum non esse, crudelitas, superbia & auaritia non possunt esse contra charitatem, largitatem, & humilitatem. Traditio est id, quod est contra fidelitatem, quam habent homines multis modis, quoniam vnus modus est ille, quem habent homines contra fidelitatem cum luxuria, & alius modus est ille, quem habent contra fidelitatem cum auaritia. Idcircò homines sapientes legales secundùm quod modi sunt diuersi legalitatem iuuant. Sicut contra luxuriam iuuant cum castitate, & contra auaritiam cum largitate. Et quando modos ignorant, fidelitas contra traditionem non potest. Sicut qui iuuare vellet cum castitate, fidelitatem contra traditionem, quę est per auaritiam. Homicidium est illud vitium, quod plures habet modos quā aliud, quoniam potest esse per inuidiam, per superbiam, iram, luxuriam, & per plura alia vitia. Idcirco homines discreti cùm tentantur ad faciendum homicidium, modos considerant, ratione quorum huiusmodi habent tentationem, & iuuant se cum contrariis. Idcirco fuit deceptus semel quidam homo, qui tentationem homicidij mortificare voluit cum timore iustitię, & non cum charitate sui proximi, quæ fortior est contra auaritiam, quam timor contra mortem, & homicidium fecit, quod non fecisset, si se cum charitate iuuisset. Latrocinium est vitium, quod est magis per gulam, quam per aliud vitium. Idcircò temperantia est ei plus contraria, quàm aliqua alia virtus. Et ideò deceptus fuit quidam homo, qui se iuuare nesciebat in tentatione contra latrocinium, contra cuius vitium se iuuare voluit cum fidelitate, & non cum temperantia, & fecit latrocinium. Mendacium est illud vitium, cuius contraria maximè sunt veritas & verecundia. Idcircò deceptus fuit quidam, qui plus mortificare voluit mendacium cum iustitia, quàm cum veritate & verecundia. Et ideò mentiebatur, in quantum dixit falsa verba, & cum mentitus fuit, veritas & verecundia, plus eius conscientiam excitauerunt, quàm iustitia. Idcircò cognouit, quod plus contraria sunt veritas, & verecundia mendacio, quam iustitia tantum. Et propter hoc modum accepit, quod cum mentiri volebat ante veritatē & verecūdiā respiciebat, quā iustitiā, vel quā aliam virtutem. Maledictio est illud vitiū, cuius contraria sunt maximè, bonitas & charitas. Et ideò quidam discretus, cùm volebat male dicere, bonitatem & charitatem respiciebat, per quem respectum bonitas, à voluntate priuauit suum contrarium, & charitas similiter, & voluntatem ad benedicendum conuertebant contra maledictionem, quæ maximè est per malitiam & crudelitatem. Impatientia est vitium, quod est cum superbia, & ira contra patientiam. Et è conuerso, patientia est cum humilitate & abstinentia cōtra impatientiam. Idcircò fuit prælium in voluntate, inter patientiam & impatientiam, in qua quidem voluntate vincebat patientia impatientiam, cum

cum iuuamine Dei, qui iuuit humilitatem & abstinentiam contra superbiam & iram. Cùm ita sit quòd Deus semper virtutes iuuat, & non vitia. Idcircò non est verum, quòd quidam homines dicunt, quod leuius est vti vitiis, quàm virtutibus. Veruntamen verum dicunt secundùm naturas, quas habent homines per minoritatem, & per radices, ex quibus processerunt, videlicet de non esse & de infectione, quã habẽt ratione originalis peccati. Et falsum dicunt, inquantum leuiora sunt illa, quæ Deus iuuat, ad faciendum, quàm illa, quæ iuuamen non habent à Deo. Et propter hoc homines culpam habent, qui bonum non faciunt, sed faciunt malum. Inconstantia est vitium, quod est contra constantiam, cum indiscretione & debilitate animi. Et constantia est contra inconstantiam cum prudentia & fortitudine. Et propter hoc accidit semel, quod fuit prælium inter constantiam & inconstantiam, in conscientia cuiusdam hominis & victa fuit constantia, quia accidia iuuit indiscretionem & debilitatem animi, & quia diligentia nimis tardabat. Immundicia est vitium, quod est contra sanctitatem cum malitia, & cum magnitudine iniuriæ indiscretionis, debilitatis, intemperantiæ, incredulitatis, desperantiæ, & crudelitatis. Et è conuerso sanctitas est contra immundiciam cum bonitate, & cum magnitudine iustitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, fidei, spei, & charitatis. Et ideò accidit quòd sanctitas & immundicia præliabantur in libertate voluntatis hominis. Sanctitas autem fuit deuicta in hoc, quod venerunt ad iuuandum prælium gula, auaritia, luxuria, superbia, accidia, inuidia, & ira. Falsitas est vitium, quod est contra fidelitatem cum hypocrisi & simonia. Et è conuerso fidelitas est cõtra falsitatẽ cum veritate. Et propter hoc factum fuit prælium in libera voluntate cuiusdam hominis. Et deuicta fuit falsitas per fidelitatem, quoniam plus potest fidelitas cum veritate, quàm falsitas cum hypocrisi & cum simonia. Et ideò reprehendebatur quidam prælatus propter hypocrisim, & simoniam qui deuictus fuit per falsitatem, & excusabat se per tentationem hypocrisis, & simoniæ. Pigritia est contra diligentiam cum vsura. Et è conuerso diligentia est contra pigritiam cum mercimonio. Et propter hoc reprehendebatur quidam vsurarius de vsura quam faciebat, & fuit scriptum quòd vsura fuit peccatum, vt pigritia in hominibus non esset, per quam homines impedimentum habent ad lucrandum bona, quæ necessaria sunt ad viuendum, quæ lucrantur cum diligentia & mercimonio. Incurialitas est contrarium curialitati cum gula, auaritia, & superbia. Et curialitas è conuerso est contra incurialitatem cum verecundia. Et propter hoc factum fuit prælium inter curialitatem, & incurialitatem, & vincebat curialitas, quæ est fortior cum verecundia quàm incurialitas cum gula, auaritia, luxuria, & superbia. Oportuit tamen quòd verecundia fuisset magna, quoniam vna parua virtus contra plura vitia non potest. Idcircò reprehendebatur quidam peccator, qui se excusabat, quia cum tentatione plurium vitiorum errauerat, nec iuuamen habuit nisi ab vna virtute, quæ deuicta fuit, quia parua erat & victoriam habuisset si magna fuisset. Inobedientia est contrarium obedientiæ, & in quodam viro religioso adinuicem præliabantur. Obedientia verò fuit munita de patientia, abstinentia, &

humilitate. Et inobedientia munita erat de impatientia, ira, & superbia. Et fuit deuicta obedientia, quia ita priuauit habitum prudentiæ, per cuius priuationem deuicta fuit obedientia, quia si prudentia in illo præl o fuisset, obedientia deliberationem habuisset ad considerandum patientiam, abstinentiam, & humilitatem.

De Ramis vitiorum.

RAmi gulæ sunt de actiua appetiuitate, & passiua appetibilitate, & de medio amborum quod est appetere. Et ista sunt eius tria membra principalia, in quibus fit generatio sui habitus, & priuatio habitus temperantiæ, qui in ramis corrumpitur, in quibus fit renouatio plurium peccatorum existentium sub habitu gulæ sustentato in habitibus suorum ramorum, & membrorum. Ramos auaritiæ & cæterorum vitiorum potest homo considerare secundùm hoc quod de ramis gulæ dictum est, & secundùm hoc quod diximus de ramis cæterarum arborum. Et quia prolixitatem euitamus, intellectui qui est in hac scientia exercitatus cognitionem quæ de ramis cæterorum vitiorum haberi potest commendamus.

De Foliis vitiorum.

FOlia vitiorum sunt similitudines accidentium realium, quæ similitudines sunt contra similitudines accidentium realium, quæ indutæ sunt de virtutibus. Et quia ista folia grauia sunt ad intelligendum, vt de illis cognitionem demus clarè, de quolibet tractare proponimus.

De Quantitate vitij.

VItium est sub quantitate terminatum, quoniam si terminatum non esset per quantitatem, omnia vitia essent æqualia, & essent ita magna in principio sicut in medio & in fine, nec esset differentia inter peccatum veniale, & mortale, quòd est impossibile. Est ergo vitium per quantitatem terminatum, & quantitas est similitudo extensa & continua per naturam arboris elementalis, vegetalis, sensualis, imaginalis, & rationalis. Et est discreta, in quantum distinctio arborum: sicut Petrus luxuriosus, qui cum imaginatur placita luxuriæ, crescit caro quæ est instrumentum. Et in illo cremento ignis ponit calorem & extensionem longi, lati, & profundi. Et vegetatiua ponit delectationem, quanto maior est imaginatio. Et sensitiua in illo ponit sentire. Et imaginatiua, imaginari, & voluntas desiderare, & memoria recolere, & intellectus, intelligere. Et quælibet istarum potentiarum multiplicat suum actum & operationem in illo motu & cremento. Idcircò oportet de necessitate quòd habitus luxuriæ sit ratio operationum cum quantitate. Quæ quantitas videri non potest, nec tangi, quia est similitudo motus carnalis, & non est de essentia illius, sed est eius figura accidentalis. Sicut est figura quadrangularis hominis similitudo formæ illius. Et hæc similitudo quantitatis, quæ est per habitum luxuriæ, venit de potentia in actum per agens, qui ipsam trahit de dispositione materiæ (in qua stat in potentia) per agens naturale & per suam naturam. Sicut clauus qui est in potentia in massa ferri per dispositionem ferri & per potentiam fabri,

fabri; qui ex massa trahit figuram claui, qui est quantus. Tamen in tantum est differentia, quoniam figura claui est creatura, in quantum posita est in dispositione ferri, & non est creatura, in quantum est posita per agens artificiale. Quantitas luxuriæ non est creatura in potentia hominis luxuriosi, & motus carnalis extensus & indutus de habitu luxuriæ. Per imaginatiuam, sensitiuam, vegetatiuam, & per elementatiuam potentiam, est naturalis, & est creatura eius quantitas. Et in hoc passu potest cognitio haberi, quòd quantitas luxuriæ est ex parte rationalis, & non ex parte subiecti corporalis. Et ideò animalia bruta luxuriam non habent, quia ratione carent.

De Qualitate vitij.

AVaritia Petri qualis est per malitiam, & est qualis per magnitudinem, & sic de aliis formis. Et qualitas est similitudo & impressio habitus auaritiæ, de quo habitu est induta eius voluntas, quæ illum multiplicat. Sicut interiùs qui multiplicat speciem fantasticam, sub specie qualitatis in quantum obiectum quale intelligit, & idem facit memoria. Et sic habitus auaritiæ est sustentatus per qualitatem actuum omnium trium potentiarum quæ mouent imaginatiuam ad imaginandum res motas ad essendum subiecta auaritiæ.

De Relatione vitij.

RElatio vitij est: sicut si est gula, oportet quòd si gulosus, sine quo gula esse non posset, & è conuerso. Et est etiam relatio in branchis huius arboris, secundùm quod est significatum in ramis. Sicut voluntas qui comedere desiderat contra temperantiam, in quo desiderio est relatio inter potentiam quæ desiderat, & rem desideratam. Et hæc relatio est habitus de gula indutus, quæ expoliat voluntatem habitus temperantiæ; in quantum trahit relationem, de qua temperantia est vestita.

De Actione, & Passione vitij.

IN vitio sunt actio & passio: sicut in ira, quoniam voluntas est potentia actiua, quæ mouet elementatiuam ad calorem, quòd calefaciat cum imaginatiua vegetatiuam, & sensitiuam, in tantum quòd homo iratus passionem sentit per sensitiuam, & voluntas tristitiam habet per passionem. Et in hoc passu cognoscitur, quòd voluntas materiam habet propriam & naturalem, substantialem suæ formæ essentiali, quæ ipsam mouet ad tristitiam, & passionem cum vegetatiua, sensitiua, imaginatiua, & elementatiua, quæ sunt ei instrumenta ad illum motum actionis & passionis, quoniam cum illa sunt coniuncta. Idcircò cognosci potest, quòd voluntas irata & tristis, in quantum forma habet in potentia, quòd trahat de sua materia disposita ad peccatum habitum iræ, qui induit actum iræ, quæ exit de materia voluntatis, in qua actus erat dispositus, priusquam ab ipsa exiter.

De Habitu vitij.

HAbitus vitij est: sicut superbia, & accidia, & cætera vitia. Qui siquidem habitus est forma accidentalis & dissimilitudo habitus virtutis. Sicut superbia quæ est dissimilitudo habitus virtutis humilitatis, & infidelitas,

litas, quæ est dissimilitudo habitus fidei. Et habitus superbiæ exit in actu per formam voluntatis, quæ vult exaltare vilia supra nobilia contra iustitiam & charitatem, & per materiam, in quantum illa exaltatio est amabilis contra iustitiam, & charitatem. Et in hoc passu cognoscitur, quòd habitus superbus venit de iniusta amatiuitate, & amabilitate, quæ nascuntur in habitu superbiæ de reali amatiuitate, & amabilitate. Sicut similitudines oculorum, nasi, oris, & aliarum partium faciei in speculo disposito ad recipiendum illas similitudines, quas imprimunt in illo reales partes faciei: sicut sigillum quod imprimit literas suas in cera quæ sunt similitudines in cera literatum, quæ sunt in sigillo. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo entia realia multiplicant suas similitudines in aliis substantiis, quæ non sunt de eorum essentia: sicut in cera, quæ non est de essentia sigilli. Multiplicant ergo iniusta amatiuitas, & amabilitas (quæ sunt partes reales voluntatis) earum similitudines, iu dissimilitudines iustitiæ quæ irascuntur & existunt in iniuria indutæ de superbia. Qua voluntas vult quod entia nobilia sint subdita vilibus, siue minus nobilibus.

De Situ vitij.

Sicut situs est ratio, quòd vna similitudo sit assituata in alia sub habitu virtutis, sic est ratio, quod vna similitudo sit assituata in alia sub habitu vitij. Sicut in habitu accidiæ, in quo voluntas est pigra ad faciendum bonum, & desiderat mala, cui desiderio est solicita. Et sic sua operatio assituata est de pigritia contra bonitatem, & de diligentia in tractando malum. Et idē est de intellectu, & memoria, quæ in habitu accidiæ suas habent operationes assituatas, de similitudinibus bonitatis, magnitudinis, & aliarum. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo habitus vitij assituatus est vitiosa assituatione, quæ ex habitu vitioso est indura, vno vitio exeunte in alio, scilicet habitu vitioso in vitiosa assituatione, & vitiosa assituatione in habitu vitioso. Et in hoc passu potest haberi cognitio de magna Philosophia morali.

De Tempore vitij.

Tempus inquantum est ens reale, non est sub habitu vitioso, sed inquantum sunt in illo habitus vitiosi, significant similitudines temporis. Sicut in vno tempore Petrus inuidiosus desiderare potest mulierem sui vicini, & in alio tempore suam vineam, & in alio tempore suum equum, & sic tempus est obiectum habitui inuidiæ generale ad plura particularia, in diuersis temporibus existentia, non quod tempus sit vniuersum in se sed est, subiectum dispositum ad diuersa opera, quę Petrus in vno tempore operari non potest. Sicut vegetatiua quæ in vno eodem tempore complexionare non potest speciem vuæ siue racemi in complexione calida & sicca, & frigida & sicca. Et in hoc passu habetur cognitio, quod inuidia, & sic de cæteris habitibus peccati, non sunt decentia temporis, sed tempus est instrumentū illorum inquantum possunt esse in alio sustentati, quia plura possunt esse in diuersis temporibus.

De Loco Vitij.

Vitium est in loco duobus modis: vnus est quando est in illis naturaliter,

taliter, sicut homo contractus, cæcus, aut surdus, & sic de cæteris vitiis naturalibus, quę non sunt in habitu peccati ex parte animæ rationalis. Alius modus est ex parte animę rationalis, sicut habitus traditionis aut proditionis aut impatientiæ, qui est loco spirituali videlicet in voluntate impatienti, & quæ dilig t traditionem. Et iste locus non est corporalis, sed est spiritualis, & de habitu vitioso indutus, & in loco collocatus, videlicet in mala volūtate: mala, quia vult malū, & nō bona, quia non vult bonū, & idē est de intellectu & memoria. Et quia istæ tres potentiæ sunt loca, in quibus sunt habitus vitiosi, & ipsæ sunt in corpore cum anima coniuncto, quæ siquidem anima est ex tribus potentiis spiritualibus, sunt habitus vitiosi, accidentaliter in loco corporali, videlicet in corpore humano, quod est habituatum, de habitu vitioso accidentaliter, quia est collocatum in anima inqua totum extensū est. Et in hoc passu datur cognitio, quomodo corpus peccat accidentaliter, inquātum de peccato est habituatum accidentaliter per habitus vitiosos, in quibus sunt tres potentiæ animæ. Et ideò est significata resurrectio, vt corpus Petri, quod moritur in mortali peccato, habeat pœnam pro eo, quod stetit, vel fuit instrumentum animæ ad peccandum cum illo coniunctæ. Secundùm quod dedimus exemplum de accidentibus vitiosis in vitiis moralibus antedictis, haberi potest cognitio de accidentibus venialium peccatorum, veluti quantitas vitiosa volūtatis gulosi, qui se mouet ad desiderandum carnales delectationes, & in principio resistit illi appetitui, intantum quod quantitas non extenditur in medio, neque venit in successione, quod ad finem veniat, & est sicut punctus, qui dispositus est, quòd ex illo, & ex alio fiat linea, & quando ei deficit alius punctus, non exit in actu linea, similimodo principiū appetitus carnalis fuit sub habitu luxuriæ principiatum, & quia se non extendit, & ratio, & castitas extensionem, & secundum punctum impediuerunt, ad quem punctum ratio noluit consentire, & odit principium primi puncti, qui fuit peccatum veniale in principio, tantummodò sustentatum, & in vno puncto, qui fuit destructus per aliud principium ei contrarium, & in habitu castitatis natum, & cum pluribus punctis extensis per medium, à principio vsque ad finem. Et in hoc passu datur cognitio quod est peccatum veniale, ex quo de malo exit bonum, non tamen existens de essentia mali, nec è conuerso malum de essentia boni.

De Floribus vitiorum.

Flores vitiorum sunt culpæ, quæ sunt habitus peccati. Sicut voluntas quæ peccat, inquantum vult esse sub habitu gulæ, aut auaritiæ, aut luxuriæ, & sic de alijs peccatis. Et flores sunt culpę inquantum voluntas culpā habet, quando se induit de habitibus vitiosis, ex quo se induere potest de habitibus virtutis. Vnde sicut ex calefacere, sequitur calefactum, sic per culpam, siue cum culpa sequitur peccatum quod est fructus malus, qui est priuatio boni fructus. Idcircò peccare est flos malus, qui est opus peccati, sicut calefacere, quod est opus calefacientis & calefactibilis, inquantum potentia actiua, quæ est forma ignis calorem mouet, qui per formam est actiuus, & inquantum est calor motus, est forma passiua à materia mota per actiuam: similimodo in peccare est homo

mo agens, qui voluntatem mouet ad peccandum. Et idem est de intellectu, & memoria, & forma voluntatis, quæ est amatiuitas, quæ suam materiam, quæ est amabilitas mouet ad peccandum Et ita peccare est flos agentis & patientis, à quo flore nascitur, & exit peccatum in voluntate sustentatum, & in pluribus habitibus extensum, ex quibus voluntas est induta, videlicet suum amare quod est indutum, ex pluribus modis peccandi.

De Fructu viciorum.

FRuctus peccati est duobus modis. Vnus est consequentia culpæ, videlicet pœna, quam iustitia Dei facit, qui punit homines peccatores eis dando pœnam malam contra bonitatem, & magnam contra magnitudinem realem, & durabilem contra durationem realem, & sic de aliis formis realibus, de quibus homo constitutus est, contra quas dat pœnas in contrarietate formarum realium, & accidentalium, secundùm quod peccata sunt magna, aut parua, & diuersa: sicut propter peccatum corporale, dat pœnam corporalem, & propter spirituale peccatum, pœnam dat spiritualem. Sicut propter peccatum luxuriæ, dat calorem ignis, & priuationem finis voluntatis: & propter peccatum gulæ, quæ diligit sapida & saporosa, dat insapida in arbore vegetali & sensuali, & in imaginatione, quæ imaginatur magnam quantitatem pœnæ, & in rationali, quæ illam pœnam intelligit esse æuiternam, & intelligit, quod perdidit æuiternaliter finé, propter quem fuit creatus, qui siquidem finis est vacuus sui principij, & medij quæ naturaliter se habent ad illum finem, quem intellectus perdidit, & idem de memoria & voluntate. Et in hoc passu datur cognitio, quomodo pœna spiritualis est magna, & maior quàm corporalis. Secundus modus fructus est magis principalis quàm primus. Et est bonum, quod pœna sequatur propter peccatum, quæ est instrumentum, cum quo Deus punit peccatores & peccata illorum: & pœnæ quas habent sunt instrumenta, per quæ merita iustorum melius cognoscantur, & gloria quam Deus eis corporaliter & spiritualiter largitur. Quare sicut peccatum veniale est aliqualis præparatio per quam se mouet homo iustus ad vtendum virtute per excitationem, quam facit peccatum veniale, quod virtutem excitat à suo contrario: sicut aqua in furno, quæ excitat carbones ad maiorem calorem, sic pœna peccatorum & eorum culpa est aliqualis dispositio & exemplar ad excitandum intellectum iusti ad cognoscendum meliùs gratiam Dei, misericordiam, iustitiam, & suam gloriam, quam à Deo accipit. Veruntamen non dicimus quòd Deus sit occasio peccati: sicut nec iniuria hominis iniuriosi, quæ non est occasio bonæ iustitiæ Principis, quod si esset, sequeretur quòd vnum contrarium esset occasio sui contrarij, quod est impossibile. Diximus de arbore morali, & illam scire est multum vtile, & in illis qui prædicant, est multum bona sequendo suum processum, & est bona illis, qui audiunt eorum sermones, quoniam secundùm dispositionem arboris datur cognitio de moralitatibus, videlicet quid sunt, & vnde veniunt, & in quo stant, & quomodo virtutes haberi possunt & multiplicari, & quomodo vitia possunt destrui.

De Arbore Imperiali.

SVMMARIVM.

ARBOR imperialis versatur circa regimen reipublicæ. Et diuiditur in septem partes vt aliæ arbores, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt principia generalia huius artis.

Truncus est commune regimen siue imperator.


Branchæ sunt barones & officiales, &c.

Rami sunt virtutes, quæ debent esse in principe.

Folia sunt accidentia, &c.

Flores sunt iudicia principis & suorum officialium.

Fructus est pax gentium.



De Arbore Imperiali.

ARBOR ista in septem partes est diuisa, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructum. Item in duas partes diuiditur. Prima pars concordat cum prima parte arboris moralis, & est similitudo & impressio illius partis, sicut litteræ quæ sunt in cera, sunt similitudines litterarum quę sunt in sigillo. Idcircò in hac parte radices primæ partis arboris moralis, respõdere debent primis radicibus istius arboris, & truncus trunco, & hoc per ordinem vsque ad fructum. Et de hac prima parte huius arboris loqui intendimus, & exempla dare, & per illam intelligi potest secunda pars quæ est, vt cum prima parte huius arboris sit Imperator, siue Princeps contrarius secũdæ partis huius arboris moralis. Et de

de hac secunda parte huius arboris nō oportet dare exempla, quoniā per hoc quod de prima parte dicemus, & per ea quæ diximus de secunda parte arboris moralis, potest haberi de ipsa cognitio & modus ad regendum in pace & populum, & regnum.

De Radicibus arboris Imperialis.

RAdices arboris Imperialis sunt bonitates, magnitudines, durationes, potestates, sapientiæ, voluntates, virtutes, veritates, delectationes, concordantiæ, principia, media, fines, maioritates, æqualitates, & minoritates, quæ cōcordant in vna communitate vnius bonitatis, vnius magnitudinis, vnius durationis, vnius potestatis, & sic per ordinē, vsque ad minoritatem. Quæ siquidem bonitas sit vnius personæ cōmunis, & idem de magnitudine & cæteris, illa persona vocata hoc nomine, quod est Imperator, vel Princeps. Bonitas Petri, & bonitas Martini, radicis generalis, & sic de aliis, se tradūt habitui bonitatis Principis, aut Imperatoris, vt ipsas tali modo regat, quod bonitates extra accidentales concordantiam, habeant cum bonitatibus, quæ sunt intra naturales & corporales. Et idem est de magnitudine Petri, Martini, & sic de aliis. Iccircò Imperator & Princeps est imago Dei in terra, ad regendum bonitates morales, rerum corporalium populi, & magnitudines & durationes & alias quæ ad suum populum spectant. Et in hoc passu datur de honore, qui Principi conuenit, & de magno merito quod expectat, si sit bonus, & de seruitute, in qua Deus ipsum posuit ad regendum, cum vna sua bonitate, plures bonitates, & cum vna magnitudine, plures magnitudines, & cum vna potestate, plures potestates, & cum vna voluntate, plures voluntates. Sicut vnus pastor est obligatus, ad regendum plures oues, Princeps obligatus est cum sua bonitate ad regendum plures bonitates, & propter hoc sua bonitas est in seruitute, ratione cuius debet esse humilis, contrà superbiam. Et quia sua bonitas principalis, & communis est de pluribus bonitatibus particularibus, generalis est sua bonitas libera, ratione cuius libertatis & generalitatis se custodire debet, ne declinet de bono ad malum, & ne concordantiam habeat, cum secunda parte arboris moralis. Et si declinet ad malum, & cum secunda parte arboris moralis habeat concordantiam, cadit de pluribus gradibus superioribus, ad plures gradus inferiores, & initiam facit, & peccatum pluribus bonitatibus particularibus, quæ suam bonitatem elegerunt, quam Princeps in vitium & malitiam peruertit. Cuius vitium ita est supra bonitates particulares sui populi, sicut vitium, quod est supra virtutem. Et in hoc passu haberi potest cognitio, quomodo defectus Principis mali, est magnus & grauis, & quantum est materia magna, & grauis mali exempli, & occasio iustitiæ Dei, quod puniat eum in perpetuis tormentis. Vitium ita magnam concordantiam habet, cum paruitate & minoritate, quòd sibi nulla entitas realis conuenit, vt in totum concordantiam habeat cum non esse, & quòd eius contrarium, quod est virtus, habeat concordantiam cum magnitudine & cum esse. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo defectus Principis, siue delictum est magnus & grauis, intantum quòd eius vitium nullam habet entitatem realem, nec concordantiam, cum aliqua realitate. Et cum par-

uitate & minoritate habet ita magnam concordantiam, quòd omnibus modis concordat cum priuatione & non esse, & est supra tantas bonitates magnas & reales, & supra tantas durationes bonas & magnas & reales, & facit durationem vitij esse, & potestatem supra tot, & tantas potestates. Item facit stultitiam, siue ignorantiam illius esse, supra tot, & tantas sapientias, & odibilitatem illius, supra tot, & tantas amabilitates. Et sic de vitio, quod est supra virtutem, & de falsitate, quæ est supra veritatem, & sic de vacuitate, quæ est supra fines, & sic de aliis. Et hoc est sicut, si venenum esset insertum in tyriaca, & tenebræ in luce, & pœna in quiete. Et sic de cæteris formis insertis in bonitatibus illis contrariis, de quibus malè formæ attrahunt, & peruertunt naturam illarum bonitatum in malis moribus. Vnde cùm hoc ita sit, est magnum mirabile quòd aliquis homo velit esse Princeps, cùm in ita graui casu possit deuenire.

De Trunco arboris Imperialis.

TRuncus arboris imperialis est confusus, id est, commune regimen quod significat communem personam Principis, in quo siquidem communi regimine sunt disposita, & in potentia particularia regimina hominũ existentiũ in castellis & villis, ciuitatibus, quæ regimina veniunt in actu per Principẽ, si sua vtatur generali bonitate, sua generali magnitudine, & sic de aliis formis communibus multiplicatis ex radicibus, arboris; quę sicut faber generalis est cum suo martello generali, ad trahendam de massa ferri, quæ generalis est ad plures figuras particulares: videlicet ad figuram cultelli, gladij, & clauis: sic princeps qui bonus est, trahit in actu cum suis formis generalibus, hoc quod dispositum est ad reg. men trunci generalis & materiæ omnium illorum regiminum particularium. Et quando Princeps est malus, est eius truncus communis, ad ducendum in actu vacuitates finium bonarum, quæ ei sunt supra: sicut ille qui illos vacuos facit, inquantum ipsos à fine deuiat, propter quem sunt: sicut qui vacuaret à bonificatiuitate, & bonoficabilitate, bonificare, & à magnificatiuitate & magnicabilitate, magnificare, vt non sit bonificatum, & magnificatum, & quod ipsas impleret malificare; & paruificare, vt sit malificatum, & paruificatum. Bonus Princeps, qui est communis trũcus, ad plures truncos particulares, quando fines formarum implet qui sunt sub eo: implet suum finem de finibus formarum, qui sunt sub eo, sicut qui impleret vnam bonitatem, pluribus bonitatibus, & vnã magnitudinẽ, pluribus magnitudinibus. Idcircò huiusmodi Principi ita pleno, plures honores conueniunt & amores. Et si Princeps vacuet cum vna malitia plures bonitates, & cum vna paruitate plures magnitudines, vanitatem illius Principis nullus cogitare, vel dicere posset. Et in hoc passu datur cognitio: quomodo bonus Princeps obiectum est ad plures amatiuitates, vt per multos sit amatus, honoratus & laudatus. Et quomodo malus Princeps est obiectum plurium odibilitatum: & quomodo per suas gentes sit oditus, maledictus, inhonoratus & inobeditus.

De Branchis arboris Imperialis.

BRanchæ arboris Imperialis sunt decẽ. Prima est Barones, sicut sunt

Comites.

Comites, Duces, Marchiones, & Vicecomites. Secunda est, sicut sunt Milites vnius scuti. Tertia est, sicut sunt Burgenses, Quarta est, sicut sunt Consiliarij siue Consilium. Quinta est, sicut sunt Procuratores. Sexta est, sicut sunt Iudices. Septima est, sicut sunt Aduocati. Octaua est, sicut sunt Sagiones & Nuncij. Nona est, sicut est Confessor discretus. Decima est, sicut sunt Inquisitores. Omnes istę branchæ debent esse habituatæ & indutæ primis branchis arboris moralis.

De Baronibus.

Barones Principi conueniunt, vt ipsum iuuent ad regnandum & possidendum suam nobilitatē, quoniam in nobilitate Baronum conseruatur nobilitas Principis: sicut plura particularia, quæ suum vniuersale cōseruant. Idcircò illi Principes malefaciunt, qui sunt contra nobilitates suorum Baronum, quoniam destruendo corū nobilitates, destruunt suas nobilitates. Quoniam magis est nobile Principi, quòd sub se habeat Barones, quàm quòd non habeat: sicut substantia, quæ est genus magis supra quàm corpus, quæ quidem substantia tantum non esset supra: si corpus esset species, & quod non posset esse genus. Sunt adhuc Principi Barones necessarij in bello, vt plura vexilla habere possit pluribus hominibus ordinatis, sub quolibet vexillo, & quolibet vexillo ordinato, sub vexillo maiori Principis. Quoniam si Barones non essent, non oporteret quod in bello esset plus vno vexillo, & Princeps haberet satisfacere ordinationi, & regimini suorum militum & sui populi, quod quidem regimen confusum esset, oporteret, quoniam sua sapientia sufficere non posset ad regendum tot particularia regimina, & posset in bello perdere suam vtilitatem & honorem. Sicut Principi sunt Barones necessarij, sic Princeps Baronibus est necessarius, vt Princeps eos iuuet & defendat in suis necessitatibus. Quoniā quilibet Baro fortior est per suum Principem contra alium Baronem, qui ei vult iniuriari. Idcirco illi Barones malefaciunt, qui sunt contra suum Principem, & qui quęrunt ab illo priuilegia & libertates, per quæ potestatem habeant & honorem contra potestatem & honorem Principis. Et in hoc passu cognoscitur, quod secundùm ordinationem vnitatis & pluralitatis oporteret quod esset vnus Imperator tantummodò in mūdo, ita supra multos Reges & Principes, sicut est vnus Papa supra multos prælatos. Sed quia Imperator non est illa potestate, q̄ esse solebat, videlicet quando Imperatores Romani regnabant, deuentum est ad æqualitatem, quæ est inter Principē, & Principem, & vnā ciuitatem & aliam, & imperium est diuisum in plures partes, & in plures communitates ciuitatum. Et ideò sunt guerræ & labores in mundo, & non est vtilis potestas in mundo, quæ iuuet ad mortificandum illos labores, qui sunt per guerras & malos homines. Et hoc est, quia vtilitates speciales plus diliguntur quàm publicæ.

De Militibus.

Milites sunt necessarij ad regimen Principis, quoniam per equos habent homines prærogatiuam, quod sint magis fortes, quàm alij, qui equos non habent, & per equos honores maiores eis debentur, & etiam propter honorem antiquitus militiæ impositum. Idcircò quanto milites plus ha-

bent de potestate & honore, tanto magis sunt conuenietes, siue opportuni ad regimen Principis, & tardiùs vituperium facerent & illicita. Quoniam honor naturaliter homines facit esse supra, & vilitas inferius secundùm moralitatem, & ideò est honor gradatus ita quòd melius conuenit militibus quàm burgensibus, & burgensibus quàm mercatoribus, & mercatoribus quàm populo, in quo nullus est gradus superior, neque inferior, inquantum populares in artibus mechanicis sunt necessarij, castro, villę, & ciuitati. Idcirco Princeps ille malefacit, qui honorem antiquum militiæ non obseruat, inquantum aliquos milites facit; qui non sunt digni, & illi similiter qui fiunt dedecus militiæ faciunt.

De Burgensibus.

BVrgenses sunt homines, qui regere debent ciuitates, & tenere siue conseruare sua priuilegia. Idcircò burgenses excusationem habēt, quòd alia officia non habeant, videlicet quod non sint milites, neque mercatores, nec quòd vtantur artibus mechanicis, qui sunt necessarij Principi, vt custodes sint consuetudinum ciuitatis, & quòd per illos ordinentur mechanici. Et ideò burgensibus aliquis honor debetur, qui mercatoribus non debetur, quia generale habent officium, per quos honores equos habere debent, & debent esse diuites tali modo, quod de suis redditibus viuere possint, & eorum officium sustinere.

De Consilio.

PRincipi conuenit bonum consilium bonarum personarum, & in suo consilio debent esse Barones, milites, burgenses, mercatores, & aliqui homines, qui sint de populo, & etiam illum esse oportet, qui sit suus confessor. Barones ibi debent esse, quoniam partes sunt regiminis, & idem de militibus, burgensibus, & hominibus populi, qui sciunt statum populi & ciuitatis. Et idem est de Confessore Principis, vt Princeps ipsum timeat in consilio, & quod Cōfessor ipsum repręhendat, si contra suum bonum consilium faciat. Sicut bonitas populi se tradit bonitati Principis, & potestas populi potestati Principis, & idem de sapientia, voluntate, & cæteris formis, de quibus in radicibus huius arboris, dictum est, ita Princeps se tradit suo consilio, & ei tradit bonitatem generalem, & cæteras formas, quæ sibi à suo populo sunt commissæ. Et ideò est multum Principi necessarium habere per bonitatem bonum consilium, & per magnitudinem magnum, & per duratiōnē durabile, & per potestatem potens, & per sapientiā sapiēs, & per charitatē, charitatiuum, & per virtutem virtuosum, & per veritatem verum, & per finem completum. Et huiusmodi consilium facit bonum Principem, per bonum regimen. Et contrarium facit malos Principes, & mala regimina. Et ideò Princeps sæpius perdit suū principatum, & sui stant in ira & tristitia, & in periculo perdendi alium principatum æuiternalem. Quare illi Principes malefaciunt, qui de suo consilio homines nobiles eijciunt, sapientes & potentes, & virtuosos, & se submittunt vili consilio prauo, & vacuo formis, de quibus dictum est. Quod siquidem vile consilium est infirmitas regni, & tenebræ illius, & mala fama Principis, & labor populi ita tribulari: sicut oues quæ tribulantur per lupos, quando pastorem non habent.

De

De Procuratoribus.

PRincipi procuratores sunt necessarij, sicut sunt Balliui, Vicarii, & Castellani, qui eius redditus congregant, & alij procuratores similes istis, quos procuratores Princeps habere dicitur, qui sint induti habitibus virtutum contra vitia. Quoniam per malos procuratores Principes suas terras perdunt & suos denarios, & suum officium est confusum in illis. Et ideò malefaciunt illi homines, qui volunt esse procuratores magis propter eorum vtilitatē, q̄ propter vtilitatē Principis, quoniam sunt contra publicam vtilitatem. Et Princeps malefacit, quoniam facit illos procuratores, qui illum quærunt de officio: sicut Papa malefaceret, si consentiret, quòd aliquis eligeretur in prælatum, vel personam publicam: si quæreret illud, vel huiusmodi officium, vel faceret simoniam: vt huiusmodi officium habere posset.

De Iudicibus.

IVdices sunt necessarij Principi ad faciendum iudicia. Qui siquidem iudices sapientes esse debent, & salarium à Principe recipere debent, vt libertatem maiorem habeant ad dandū verum iudicium, per veritatem, & bonum per bonitatem, & virtuosum per virtutem, & sic de aliis formis. Quam libertatem ita bene habere non possunt, si ab aliis salarium accipiant. Et ideò male faciunt Principes qui sustinent quòd iudices accipiant aliquod salarium ab aliis, sed quod ipsi eis largiantur tantum, quòd ipsi iudices possint viuere honorabiliter, secundùm quod officio conuenit. Quoniam sicut Princeps Deum in terra significat tenendo homines in pace: ita iudex in suo iudicio Principem significat, quia honor iudicis, est honor Principis, & vilitas iudicis, est dedecus & mala fama Principis.

De Aduocatis.

ADuocati sunt Principi necessarij, qui sint boni, fideles, & sapientes, & quod in qualibet ciuitate aduocatos habeat, & per principem cōductos, & quod prohibeatur eis ne salarium agētibus accipiant, vt sint magis fideles, & quòd lites nō prorogent, nec quòd faciāt litigantes expēdere, & huiusmodi aduocati sunt Principi, valde necessarij: idcircò malefaciunt Principes, qui huiusmodi aduocatos non habent. Sed ad hoc respondit monachus, & dixit, quòd nimis Principi constarent illi aduocati. Cui respondit Raym. quòd Princeps tenetur tales habere, quia omnia quæ ad bonum iudicium spectant, sunt instrumenta Principis, qui est iudex generalis: sicut martellus, forfices & incus spectant ad fabrum, vt bene clauum faciat, & quòd clauum citò faciat, vel sequatur finis in illo tempore, quod sibi conuenit.

De Sagionibus siue Nunciis.

SAgiones sunt Principi necessarij, vt per illos capiantur illi qui accusati sunt, & puniantur qui culpam habent, & quòd sint nuncij procuratorum & iudicum. Qui siquidem sagiones, vel nuncij salarium à Principe tantùm accipiant, vt veraciores sint, & meliores in eorum officio. Et in hoc passu considerare potest Princeps, quòd non decet quòd sit superbus, quoniam quilibet sagio, siue nuncius, suam significat personam, cùm ita sit,

quòd Princeps sit, vt puniat illos qui malefaciunt, & statuit sagiones, officium quorum non est de nobilibus rebus.

De Inquisitoribus.

INquisitores sunt Principi necessarij, qui inquirant, si iudices & procuratores, aduocati, & sagiones aliqua fecerint contra Principem, vel contra suas gentes. Et illi inquisitores debent esse boni, & sapientes, & diuites, & quòd sint in tribus modis videlicet quòd sint de maioribus medioctibus & de populo, vt melius scire possint veritatem, & quòd maiores inquisitionem faciant per seipsos de omnibus, & idem est de medioctibus, & minoribus. Et iste modus est necessarius, vt iudices maiorem habeant timorem, & alij officiales Principis. Qui quidem Princeps punire debet suos officiales, si ipsos inueniat in defectu, vel in delicto. Quoniam Princeps qui vni parcit officiali, plures facit iniurias pluribus hominibus, quæ iniuriæ sunt contra suum officium, de quibus rationem reddere, Deo ipsum oportet, qui non semper parcit, & indulget.

De Confessore.

PRincipi est necessarius, bonus, & discretus confessor, qui sit religiosus, vt sit fortius à mundo elongatus, & ad illum homines veniant, si Princeps in aliquibus manifestè facit contra iustitiam, qui quidem conscientiam dicitur facere Principi. & inquirere dicitur, si Princeps aliquid iniustè faciat, contra suum populum. Quoniam sicut Princeps inquisitores habere debet contra suos officiales, sic debet habere inquisitorem contra seipsum, & talis inquisitor est valde Principi necessarius, & suis gentibus.

De Ramis arboris Imperialis.

RAmi arboris imperialis significantur in ramis arborum, & maximè in ramis primæ partis arboris moralis quas habere debent contra ramos qui sunt in secunda parte illius arboris. Et etiam ad Principem spectat habere inter alia, sex ramos, videlicet, iustitiam, amorem, timorem, sapientiam, potestatem, honorem, & libertatem. Quoniam sine istis ramis Princeps habere non potest bonos flores, nec bona folia, nec de ipso fructus bonus colligi potest.

De Iustitia Principis.

IVstitia est ramus generalis in Principe ad plures bonas iustitias & magnas, durabiles & potentes. Et ideò oportet, ꝙ iustitia Principis sit bona, & magna, & potens. Et eius bonitas & magnitudo significantur in branchis arboris moralis. Quæ siquidem significatio est Principi necessaria ad sciendum, quomodo se habeat sua iustitia cum prudentia, fortitudine, & alijs virtutibus. Et sicut iustitia est ramus, quem Principem habere oportet, in quantum est generalis, ita oportet quod sit ramus in suis subditis, vt concordantia sit inter iustitiam generalem, & iustitias particulares.

De Amore Principis.

AMor est ramus, qui conuenit Principi & suis subditis. De quo amore potest haberi cognitio secundùm tractatum de charitate in arbore morali.

rali. Et amor conuenit Principi, vt suum populum diligat, & quòd sit à suo populo dilectus, quoniam amor & amatus habent concordantiam. Idcircò Princeps suum populum nutrire dicitur fortiùs ad amandum quàm ad timendum, cum ita sit, quòd amare sit nobilius quàm timere, quia plura sustinet homo per amorem, quæ per timorem non sustineret. Idcircò illi Principes malefaciunt, qui vim non faciunt, an sint amati vel non sint amati, sed volunt, quòd homines ipsos timeant. Qui siquidem timor bonus esse non potest sine amore, nec diu durare potest, cum ita sit, quod timor sine amore magnam dat passionem animis hominum. Quæ siquidem passio facit considerare plura contra Principem de quibus odium nutrit contra amorem, & iniuriam contra iustitiam, & traditionem contra fidelitatem, & sic de aliis, quæ veniunt per timorem sine amore. Et nutrimentum amoris fit cum amabilitatibus amabilium: sicut cum iustitia quæ est amabilis naturaliter cum humilitate, honestate, & cæteris formis, de quibus dictum est in prima parte arboris moralis. Et nutrimentum odij fit per contrarium quod est de formis odibilibus, de quibus dictum est in secunda parte arboris moralis. Idcircò Princeps in quantum vult esse iustus, castus, & humilis, & sic de aliis virtutibus, suum populum nutrit ad amandum amabilia in semetipso, & ex illo nutrimento suum populum nutrit ad amandum, amabilia in semetipso, & ex ambobus nutrimentis amoris nutritur odium ad odiendum odibilia, quæ sunt iniuria, superbia, luxuria, & cætera vitia.

De Timore Principis.

Timor est ramus qui conuenit Principi duobus modis: vnus modus est principalior, videlicet quòd timeat Deum, & alius modus est, quod timeat populum suum. Deum timere dicitur, vt offensam populo suo non faciat, quem Deus tradidit ei sicut oues, quæ traditæ sunt pastori. Suum populum timere dicitur, vt offensam non faciat amori, quem suus populus habet ad eum, quoniam magnam iniuriam facit Princeps suo populo, cum contra illum iniuriam facit & deceptionem. Simili modo populus Deum timere dicitur, vt ei offensam non faciat in Principe, quem ei dedit Deus in Dominum, & etiam Principem timere dicitur, vt offensam amori illius non faciat, & quòd non destruat concordantiam amoris, & timoris. Est etiam alius modus amoris quem populus habere dicitur ad suum Dominum, considerando potestatem Principis, & sapientiam illius & suorum iudicum, procuratorum, & consiliariorum, & iustitiæ Principis. Et ideò malè facit Princeps ille, qui suam potestatem diminuit, & qui discretum consilium non habet & discretos officiales, quia suum populum nutrit ad modicum timorem, de quo nutrimento sequitur minor amor, & per tempus odium & contemptus, quæ habent gentes Domino suo.

De Sapientia Principis.

Ad Principem spectat, quòd sit sapiens & discretus vt cognitionem habere sciat de intentione, ratione cuius est Princeps, & vt suum populum regere sciat, vt populus ipsum

timeat propter suam sapientiam. Quoniam Princeps discretus multum est timibilis, & est magis timibilis propter suam sapientiam quàm propter potestatem, quoniam sapientia Principis timorem ponit in suo consilio, & in officialibus suis, & in suo populo, cùm ita sit, quòd sapientia ostendit licita, & illicita, & iudicia, quæ conueniunt illis, qui contra Principem faciunt. Et propter hoc in retroactis tẽporibus Principes fuerunt sapientes, qui filios suos Philosophiam docere faciebant, quia est scientia generalis, quæ intellectum illuminat hominum ad cognoscendum veritates rerum. Quare Principes antiqui in Philosophia edocti modos habuerunt ad bonum regimen & ad bonos mores naturales.

De Potestate Principis.

AD Principem pertinet potestas, quoniã potestas est instrumentũ sui officij. Et est potestas ita generale instrumentum Principis, sicut martellus, qui est instrumentum generale fabro, vt cultellum, gladium, & clauum faciat, ita Princeps cum sua potestate est iudex generalis, maioribus, mediocribus, & minoribus: & quanto sua potestas est maior, tanto suum instrumentum est melius, & ideò malè faciunt homines, qui sunt minores, siue inferiores, qui maioribus consentiunt, quod potestas Principis diminuatur, quoniam per suam minoritatem perditur suum officiũ, & fiunt diuisiones regnorum, & terrarum, & traditiones, & guerræ, & plura alia mala, quæ eueniunt, quia Princeps vti non potest suo officio.

De Honore Principis.

AD Principem spectat honor, quoniam honor duos habet pedes, cum quibus vadit per iustitiam, quæ siquidẽ iustitia est quies populi. Vnus pes honoris est amor, & alius est timor. Idcircò Princeps intantum quantum est eius honor, intantum fortius ire potest per iustitiã, cùm ita sit, quòd honor sit amabilis & timibilis, & ideò Principes malefaciunt, quando non obseruant honorem, qui eos decet, & populus malefacit, quando dedecus facit suo Principi, quoniam in honore Principis consistit honor, & quies populi. Et in hoc passu cognoscitur magna nobilitas honoris, quæ tantum ab hominibus desideratur: cõtra quem honorem illi faciunt, qui cum vtilitate ipsum habere volunt, & illi sunt qui volunt habere honorem, contra honorem sui Domini, quem honorem cùm habere volunt, habere non possunt, quia ipsum habere volunt cum vtilitate, quæ honori est contraria, cùm ita sit, quòd nullum contrarium haberi possit per contrarium suum. Et hoc significatum est in hominibus mundanis, qui plus seipsos honorari diligunt quàm Deum. Idcirco omnia quæ habent, ad habendum honorem eis sufficere non possunt, quia ipsum non habent, & ipsum habere volunt, & sic saturari non possunt de hoc, quod non habent. Et iste passus est valdè vtilis ad intelligendum.

De Libertate Principis.

LIbertas est forma intellectualis data homini, vt liberè bonum faciat, & liberè malum euitet. Quoniam bonum est ita nobile, quod de eius nobilitate est, quod liberè fiat, & non coactè. Et vitium & peccatum, tantum est malum & vile, quod sibi non conuenit, quòd coactè sit deamatum. Et ideò est data libertas voluntati hominis

minis ad faciendum bonum, & ad vitandum malum. Et idem est de intellectu & memoria, cùm ita sit, quòd Deus ratione suæ nobilitatis sit liberè obiectabilis intellectui, voluntati & memoriæ hominis. Et idem est de aliis bonis entibus creatis. Et quoniam homo libertatem habet ad faciendum bonum, & ad vitandum malum, si bonum faciat, & malum euitet, habet meritum; ratione cuius maius bonum assequitur, quàm bonum, quod fecit. Et si faciat malum, & euitet bonum, habet culpam: ratione cuius consequitur maius malum, & perdit maius bonum, quàm bonum, quod facere noluit. Et in hoc passu significatur alia vita, cum magnitudine iustitiæ Dei. Deus homini libertatem non dedit, vt malum faciat, cùm ita sit, quod ei libertatem dedit, vt bonum faciat, & malũ euitet. Et si Deus homini libertatẽ dedit, quod malum facere posset, libertatem creauisset contra libertatem, & creauisset duas potestates, vnam bonam, & aliam malam, & duas libertates, vnam bonam & aliam malam, quod est impossibile, quod Deus sit creator mali, & quod vna libertas in vno subiecto sit contra aliam, cuius libertates sint partes intellectuales, quoniam iam forent formæ necessariæ secundùm cursum naturalem. Sicut ignis qui est liberè contra aquam, & aqua contra ignem, veruntamen in subiecto in quo sunt coniuncti ignis & aqua vnus est dominus, & alius est subditus: sicut est in colerico, in quo ignis est dominus, & aqua in cucurbita est domina. Et ratio quare homo libertatem habet ad malum, est hæc, quia tenet siue habet de natura, de qua est, videlicet de non esse, & quia peccatum originale est. Vnde sic habet libertatem ad faciendum malum ratione naturæ sibi appropriatę, quæ est ex parte nihili, quod est suum centrum ad quod eum peccato descendit liberè: sicut lapis qui ad centrum cum ponderositate descendit, quam quidam ponderositatem ei suum centrum appropriauit, vt possit esse centrum illius, & quod lapis possit in illo habere quietem. Et in hoc passu datur cognitio, cum qua possunt cognosci principia libertatis quam homines habent ad faciendum malum, quæ libertas est priuatio libertatis qua homines vti volunt faciendo bonum, & euitando malum. Et iste passus valde est vtilis & subtilis ad sciendũ. Secũdũ quod de libertate dictũ est, oportet Principẽ libertatem cõsiderare ad sciendum, vt ipsam diligat ad faciendũ bonum, & ad euitandum malum, & quòd odiat libertatem ad faciendum malum. Idcirco populus non dicitur esse contra libertatem, quam habet Princeps ad faciendum bonum & ad euitandum malum, quòd si sic Principem inclinant ad vtendum mala libertate in faciendo malum, quare ille populus facit contra seipsum, qui vult, quòd in ciuitate sint aliquæ antiquæ consuetudines, quæ sunt contra iustitiam, & contra libertatem bonum faciendi, & malum euitandi. Dictum est de ramis arboris imperialis, & secundùm septem modos de quibus dictum est, potest Princeps alios ramos considerare, qui ei conueniunt: sicut est firmitas. Quoniam nobile est Principi, quòd sit firmus & constans, & magna vtilitas est ei, quòd non sit de verbis duplicibus. Et habere potest notitiam constantiæ in tractatu, qui est de constantia, de qua dictum est suprà in branchis arboris moralis. Et idem est de patientia, fidelitate, & largitate, & de aliis formis primariis, quæ Principi conueniunt.

De Foliis Arboris Imperialis.

FOlia arboris imperialis significata sunt in aliis arboribus primis, veruntamen tractare volumus breuiter de ipsis in hac arbore. Et cum Raym. primò tractare vellet de quantitate, considerauit, quòd ad Principem spectant consuetudines, leges, & ordinationes antiquæ, quæ significant folia ad conseruationem sui regni, & ordinamentum illius. Et in hac consideratione stetit diu. Et suspirando dixit hæc verba. O quàm magnum damnum est, quod ego non habeo coadiutores, qui me iuuarent ad bonum publicum tractandum. Quoniam si adiutores haberem, modum video, per quem sciētia iuris (quæ est confusa) veniret ad declarationem, & in breui tempore sciri posset. Raymunde, (dixit monachus) bonum est, quod in hoc libro modum ponas, quem dicis, quoniam possibile est, quod adhuc compleatur hoc quod desideras. Et ideo Raymundus dixit, quod modum in breuibus verbis ponere non posset, nec in pluribus verbis illum ponere vellet, idcirco nollet tractare de materia illa. Sed monachus ei tot verba dixit, quod cum faciebat habere conscientiam, si nō tractaret de illa materia, postquam Deus dedit ei cognitionem, cum ita sit quod Deus nihil dat frustra. Idcirco illi habent culpam, quibus ipse dat, si ad finem non ducant gratiam quam à Deo recipiunt, vel quod suum posse faciant. Et propter hoc Raymundus voluntatem habuit, quod de modo generali, qui ad scientiam iuris spectat, breuiter tractaret, quia completè tractare non posset per seipsum, quoniam iura particularia ignorabat, & etiam plus intendebat ad tractandum altiora, & quæ sunt de maiori fine. Cōsiderauit Raymundus in formis primariis generalibus scientiæ iuris, minādo quadraginta sub quibus stare possunt omnia particularia scientiæ iuris ciuilis. Quæ siquidem formæ sunt istæ, emptio, venditio, commodatum, redditio, depositum, promissio, probatio, confessio, negatio, dubitatio, statutum, procuratio, ablatum, legatum, accusatio, excusatio, permutatio, perditio, inuentio, datio, conditio, tormentum, vituperium, deceptio, diffamatio, furtum luxuria, proditio, homicidium, blasphemia, inobediētia, mendacium, indigentia, fortuna, voluntarium, ignorantia, obliuio, libertas, seruitus, & præsumptio. Ad ordinandum vnum librum generalem scientiæ, vel rhetoricæ iuris, oportet considerare quadraginta formas, quas supra diximus, & oporteret cognitionē dari de qualibet, secundùm quod de centum formis primariis cognitionem dedimus in arbore elementali, & quod particularia exēpla iuris applicarentur, quadraginta formis secundū quod applicauimus centum formis in arbore sensuali, & in arbore humanali, per exempla naturalia, oporteret etiam sequi modum in 40. formis, quem tenuimus in branchis arboris humanalis combinando, quamlibet formam cum alia, & recipiendo significatum illius combinationis secundùm quod recipitur in maximis, siue conditionibus artis inuentiuæ, & artis amatiuæ, ita quod de tribus formis generalibus scientiæ iuris, fieret vna maxima, secundùm ordinem artis inuentiuæ, & quod cuilibet maximæ daretur vna quæstio iuris, cuius solutio in maxima significaretur, secundùm quod minutæ quæstiones artis inuentiuæ, & ca-

rum solutiones significantur in maximis eiusdem artis, videlicet quod de ipsis maximis fiant solutiones iuris per rationem naturalem & necessariam. Et hoc modo scientia iuris, quæ est de particularibus, reduci posset ad eorum formas generales. Et etiam doctrina posset dari in quæstionibus, ad practicandú de scientia iuris. Oporteret etiã ꝙ fieret discursus cũ quadraginta formis per accidentia arborum primarum, vt accidentia quæ sequuntur, siue procedunt ex formis in scientia iuris cognosci possent, quoniam quædam accidentia sunt secundùm vnam arborem, & alia secundùm accidentia, quæ sunt secundùm aliam arborem: sicut accidentia arboris elementalis sunt differentia ab accidentibus arboris vegetalis. Et habita cognitione de accidentibus primariis, quod applicentur ad accidentia quadraginta formarũ, & ꝙ cum illis fieret iudicium & aduocatio, miscendo quædam accidentia in aliis sicut formæ, quæ sunt mixtæ adinuicem, quædam siue aliæ in aliis, & recipiendo significata, secundùm naturas formarum & accidentium, quæ exeunt ex huiusmodi mixtionibus. Oporteret etiam quod Princeps faceret huiusmodi librum doceri hominibus, qui essent iudices & aduocati, vt per illum iudicare possent & aduocare, & plura litigia in breui tempore per rationes naturales, & necessarias determinare. Et quod illi iudices, & aduocati conducti essent per Principem, secundùm quod supradictum est, ratione cuius librum melius intelligere possent, & per illum concordare accidentia iuris, quæ à casu veniunt, & quæ sunt particularia accidẽtibus necessariis & naturalibus, quæ sunt in formis generalibus. Et iste passus multum est vtilis, illis, qui diligunt scientiam iuris. Ray. dimittere voluit materiam foliorum, & transire voluit ád materiam florum; sed monachus rogauit eum, quod aliquod exemplum daret de materia foliorum. Et ideò Ray. dedit exemplum de arte in formis emptionis & venditionis secundum nouem modos generalium accidentium, per quod exemplum haberi possit practica aliarum formarum.

De Quantitate arboris Imperialis.

Miles quidam suum equum vendidit cuidam mercatori pro centum florenis. In illa venditione est quantitas substantiæ equi & florenorum, quæ quantitas est subiecta formæ emptionis & venditionis, ita quod miles recipiat omnes florenos, & quemlibet florenum in suo pondere debito, & in specie auri, & etiam quod quilibet florenorum sit integer, hoc idem debet mercator recipere in equo, videlicet quòd equus sit sanus & integer, & quod habeat frenum, quod ei conuenit; quoniã ita oportet, quod equus habeat sanitatem & integritatem, sicut oportet, quod florenus debitum pondus habeat & integritatem, & etiam speciem auri, & idem est de freno, quod est ad vsum equi & mercatoris, sicut floreni, qui sunt ad vsum militis. Et in hac emptione & venditione ponit arbor elementalis quantitatem discretam, & colorem, & pondus in florenis, & figuram in equo. Et arbor vegetalis ponit sanitatem equi, & purificationem auri. Et arbor sensualis ponit verborum quantitatem per auditum, propter quæ verba est emptio conditionata, & color equi, & discreta quantitas florenorum videtur. Et arbor imaginalis imaginatur quantitatem equi & florenorum, & certam

quanti

quantitatem subiecti determinat, in quo fit emptio & venditio. Et arbor humanalis ponit similitudines aliarum arborum, & virtutes naturaliter, videlicet iustitiam quantitatis datæ, & receptæ secundùm naturam recolendi, intelligendi, & amandi in emptione, & venditione.

De Qualitate arboris Imperialis.

IN venditione equi ponitur qualitas bonitatis in hoc quod miles promittit, quòd equus est bonus, & ponitur qualitas auri, inquantum mercator promittit dare bonum aurum, & etiam quia mercator promittit dare numerum qualem, & miles qualem equum, videlicet album, aut nigrum, vel istum, vel illum. Et in hac qualitate sunt plures qualitates aggregatæ, videlicet plures similitudines qualitatum realium: sicut qualitas verborum per sensum auditorum, & in sono, qui est de arbore elementali sustentatorum, & sic de aliis qualitatibus imaginatis, & sensitis de quibus qualitatibus est emptio & venditio equi conditionata sub habitu qualitatis.

De Relatione arboris Imperialis.

IN emptione equi stat relatio, inquãtum vnus vendit, & alius emit, & subiectum illius relationis stat in equo & in auro, aut in valore illius, & in milite, & in mercatore, ita quod in illa relatione quatuor sũt termini, sine quibus relatio esse non posset, nec sine relatione emptio & venditio nihil essent: nec si deficeret vnus terminorum, vel plures. Sunt ergo emptio & venditio conditionatæ, secundum naturas primarum formarũ relationis. Ad quam relationem arbores diuersimodè se habent, secundùm earum naturas, in quibus naturis relatio est sustentata.

De Actione & Passione arboris Imperialis.

IN emptione & venditione sunt actio & passio, sicut miles qui habet actionem in denariis, & mercator in equo, quia fit permutatio actionis & passionis, ita quòd miles actionem habebit in denariis ratione actionis, quã habuit in equo, & mercator actionem habebit in equo, propter actionem quam habuit in denariis. Et ita passio est consequentia actionis, & hoc secundum conditiones arborum, quoniam si miles promittit vendere integrum equum & bonum, actionem habebit in bono auro, & in numero debito per verbum nominato, & in sono audito, illo verbo recolito per mercatorem intellecto & amato. Et si miles vendere non promittat bonum equum & integrum, non habebit spiritualiter actionem in precio, si fit intentio mercatoris, quòd emat bonum & integrum equum pro centum florenis. Veruntamen vult ius secundùm rationem arboris sensualis, quòd mercator sit punitus, quia non quærit, quod de equo dici debet, audiri & videri, quia à milite quærere debet, si sit bonus & integer equus, & etiam quod illum tentet secundùm actionem, quam sensus mercatoris habet in attingendo veritatem equi, veruntamen illa actio, quam miles vult habere in centum florenis, non est secundùm ius spirituale, quoniam est cõtra branchas primæ partis arboris moralis.

De Habitu arboris Imperialis.

EMptio & vẽditio equi sub habitu generali, sub quo possunt esse emptæ & venditæ plures res. Et propter

propter hoc oporteret, quod vnus habitus fieret de emptione,& venditione in ſcientia iuris,videlicet ſtatutum ordinatum & regulatum,principia naturalia in arboribus ſeminatis. Sicut miles qui dicitur vendere equum ſub habitu iuſtitiæ,prudentiæ,fortitudinis,& charitatis, & ideò dicere debet conditiones & modum equi, videlicet ſi conditiones habet bonas aut malas, quoniam propter bonas habet charitatem ſibiipſi,& per malas ſuo proximo. Et ſi aliquod vitium eſt in equo, & miles mercatori non manifeſtat,contra iuſtitiam,prudentiam,fortitudinem & charitatem, vendit equum,ratione cuius venditionis iuſtitia ipſum punit in bonis ſpiritualibus,quæ veniunt per illam prudentiam.fortitudinem & charitatem. Et hæc punitio pertinet ad Deum,non autem Principi, vt mercator ſit ita diligens ad emendum ſub habitu prudentiæ,ſciendo conditiones equi priuſquam denarios ſoluat, ſicut miles vēd t ſub habitu.ſ prudentiæ,inquantum vult ſcire, an floreni ſint de bono auro & pondere.

De Situ arboris Imperialis.

IN emptione & venditione equi ſūt verba aſſituata ſub certis terminis, quoniam miles aſſituat illa ſecundum vocem,quæ ſignificat venditionem & bonitatem & conditiones equi, & mercator illas aſſituationes accipit in memoria, intellectu & voluntate. in quibus verba militis ſunt ita aſſituata ſub ſpecie venditionis,ſicut litteræ ſigilli in cera ponendo ſuas ſimilitudines. Et idem eſt in verbis quæ dicit mercator,ad dandum centum florenos militi propter equum,quæ verba accipit miles in ſua memoria,intellectu & voluntate. Et tranſitus impreſſionum conſiſtunt ex inſtrumentis arboris ſenſualis & imaginalis. Et ideò ſecundum ſimilitudines quæ ſunt in prima parte arboris moralis, illæ aſſituationes dicunt eſſe,vt habeant figuram completam, videlicet circularem, triangularem, & quadrangularem, quæ ſunt mēſuræ & cōditiones, ex quibus figuræ ſunt plenæ,quæ ſignificant formas naturales, quæ conueniunt emptioni & venditioni. Et eſt figura circularis in continuatione iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, & charitatis. Et eſt quadrangularis in quantum emptio, & venditio ſunt de quatuor terminis, videlicet de actione militis & mercatoris, de qua dictum eſt, & de ſubiecto quod eſt equi & auri. Et triangulus eſt de intentione quam habet mercator ad emendum equum, & in vendendo ſiue tradendo aurum, & de reſpectu in quo ſunt aſſituatio, & promiſſio equi & auri. Et idem eſt de intentione militis. Et iſte tractatus aſſituationis applicatus ad emendum & vendendum, eſt valde vtilis ad ſciendum,& eſt vna ſpecies artis mercimoniæ.

De Tempore arboris Imperialis.

IN emptione & venditione equi eſt tempus verborum præſentium, per quæ conueniunt miles & mercator. Quæ ſiquidem conuentio eſt, quòd miles tradat equum in illo eodem tempore, quo florenos recipit à mercatore, & quòd mercator in illo eodem tempore quo promittit florenos tradere militi, equum recipiat à milite. Idcircò tempus tantùm ſe habet ſecundùm ſuam præſentiam ad denarios ſicut ad equum. Et ſi mercator denarios ſoluat, quamuis equum nondum habuerit, retinere debet condi-

tionem, quòd miles ei det equum, quem miles ei vendidit pro centum florenis, & idem debet miles facere, si equum tradat mercatori, licèt denarios nondum acceperit.

De Loco arboris Imperialis.

SIcut tempus æqualiter se habet ad præsentiam denariorum & equi, & ad possessionem cuiuslibet, ita locus æqualiter se habet ad possessionem denariorum & equi, videlicet quòd in vno eodem loco miles tradat equum mercatori, & mercator denarios militi. Veruntamen ratione impedimenti loci non conuenientis, & etiam temporis in quibus miles & mercator mutuo se liberare non possunt, vult ius secundùm iustitiam, charitatem, fidelitatem, & intentionem principalem, quod in vno loco & tempore solui debeant denarij, & in alio loco & tempore equus debeat tradi. Et si inter distantiam vel diuersitatem temporis & loci moreretur equus, vult ius quod mercator non teneatur soluere denarios, videlicet si miles denarios iam recepit, quòd denarios illos restituere teneatur. Et hoc sustinet ius secundùm formas naturales, quòd differentiam ponit inter locum, & locum, & tempus, & tempus in arbore elementali. Secundùm quod data est doctrina ad vtendum accidentibus in emptione, & venditione equi potest haberi cognitio, quomodo sciatur vti accidentibus in emptione, & venditione villæ vel castri, panni aut nauis, & sic de aliis rebus subiectis emptioni, & venditioni. Et ideò exemplum quod datum est de equo est vna species habitus generalis scientiæ iuris, & est doctrina, quomodo homo sciat ordinare iura & scripta specialia sub habitu generali iuris existentia.

De Floribus arboris Imperialis.

FLores arboris imperialis sunt iudicia Principis & suorum officialium. Qui siquidem flores significantur in floribus aliarum arborum, & in processu illarum. Sunt etiam flores principis regimina & ordinationes motæ ad iustitiam & ad pacem gentium. Et flores principis insertti sunt in floribus sui populi. Et ideò altiores sunt & pulchriores quàm flores alicuius alterius hominis sui populi, quoniam materiam inferiorem honoris populi conuertunt in honorem principis. Veruntamen quando princeps est malus, flores sui sunt mali, quoniam peruertunt honorem inferiorem in dedecus gentium ita, quod faciunt honorem, qui est inferior, esse in vilitate siue dedecore suprà, quod est in principe. Idcircò flores principis sunt turpes & mala figura informati, nec ex ipsis bonus fructus exire potest. Flores principis sunt instrumenta ad regimen florum sui populi ita, quòd respondent pluribus regiminibus florum principis. Et ideò princeps non debet esse negligens, nec multum dormire, nec venari, nec quiescere, quoniam in eius otiositate sunt suæ gentes ociosæ, quoniam instrumentum non habent, quod ipsos moueat ad regimen nec ad pacem. Et propter hoc in laboribus, & in guerris sunt gentes principis per ipsius ociositatem. Et quoniam facit contra finem quare est princeps, ita quòd seipsum vacuat illo fine propter quem est, & in sua vacuitate finem populi vacuat. Et propter hoc principes malefaciunt, qui in vana gloria huius mundi delectantur, & in deliciis carnalibus, & sensualibus postquam

ad.

ad tot & tanta respondere teneantur. Sicut martellus, qui est instrumentum ad plures clauos, & sicut cereus ardens, qui est instrumentum ad illuminandum plures homines in camera.

De Fructu arboris Imperialis.

FRVCTVS arboris Imperialis est pax gentium, vt in pace esse possint, Deum etiam recolere, intelligere, & amare, honorare, & ei seruire. Quoniam gentes quæ sunt in guerra & inuicem in laboribus, non sunt in dispositione, quod Deum multum possint amare, honorare, & ei seruire, nec sibiipsis, nec etiã aliis charitatem habere, tantum occupati sunt in laboribus & guerris terrarum. Vnde sicut plantæ secundùm earum indigentiam calorem solis & rorem noctis requirunt, sic populus à Principe requirit iustitiam & pacem. Quare Principes malefaciunt, qui guerras in terris suis patiuntur, vel guerras adinuicem habent contra iustitiam & pacem, & flores aliarum arborum, propter quas Principes sunt. Quoniam malus Princeps omnes fructus, & flores qui sub ipso sunt, in labore & guerra ponit, & ideò dignus est quod habeat magnam pœnam quando suum regnum non tenet nec custodit in pace & iustitia. Et in hoc passu habetur, quod merita boni Principis sunt magna, & magna sunt præmia, quæ habere expectat, & si sit malus, sunt magnæ pœnæ, quas ipse expectat ratione magnarum culparum, quas habet. Fructus arboris Imperialis generalis est ad illos fructus qui sunt sub ipso: sicut calor ignis, qui generalis est ad calorẽ piperis, hominis, leonis, gruis, & piscis, sine quo calore generali calor illorũ indiuiduatorum, de quibus dictum est, non posset esse instrumentum cum quo entia indiuiduata calefieret. Idcirco fructus principis qui talibus fructibus habet respondere, est infirmus quando se inclinat ad specialia contra generalia, & publica: sicut malus Princeps, qui plus diligit suam vtilitatem quàm vtilitatem populi sui. Quoniam propter infirmitatem fructus Principis sunt fructus populi infirmi. Sicut piper, homo, leo grus, & piscis, qui infirmi essent, si ignis suum calorem sibi attraheret & illum eis non daret. In nullo fructu tantum est de malo sapore & odore, sicut in fructu mali Principis, quoniam si fructus generalis sit malus in sapore & odore, malus est illis, qui speciales sunt & parui, sed fructus mali principis qui est generalis: omnibus dat malum saporem & odorem. Et propter hoc mirabile est, quomodo malus Princeps credit habere valorẽ, cum in illo sit fructus tam mali odoris & saporis, ex quo exeunt & deriuantur tanta mala, & tantæ infirmitates contra tot, & tantas gentes, & contra tot, & tantas sanitates, quæ sunt res vt plurimum valentes. Et malus odor, & sapor fructus Principis attinguntur in malis operibus illius, quas credit abscondere, & celare gentibus sub specie boni saporis, & odoris, & qua malus odor, & sapor fructus est generalis, celari, & abscondi à gentibus non potest: sicut ignis qui suum calorem celare non potest homini, qui comedit piper, nec Princeps populo suum vitium celare potest, in quantum iniurias facit suis gentibus, & deceptiones. Quæ quidem gentes oculos habent, cum quibus vident, & aures, cum quibus audiunt quia pacem neque regimen nec etiam bonum exemplum habent de suo Domino. Et in

hoc paſſu datur cognitio, quod non eſt aliqua arbor, quæ faciat ita malum fructum, ita periculoſum, ita damnoſum, nec à qua tantum de malo veniat: ſicut de arbore mali Principis.

De Arbore Apoſtolicali.

SVMMARIVM.

ARBOR *Apoſtolicalis verſatur circa perſonas, & res Eccleſiaſticas, & ſpirituales. Et ſimiliter diuiditur in ſeptem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.*

Radices ſunt virtutes Cardinales & Theologales,

Truncus eſt perſona generalis, qui dicitur Apoſtolicus ſiue Papa.


Branchæ ſunt Cardinales & alij Prælati.

Rami ſunt decem præcepta, &c.

Folia ſunt Sacramenta & Canones.

Flores ſunt quatuordecim articuli.

Fructus eſt ſaluatio gentium.



De Arbore Apoſtolicali.

ARBOR apoſtolicalis in ſeptem partes diuiditur, quæ ſunt radices, truncus branchæ, rami, folia flores, & fructus. Et eſt arbor generalis ad res & ordines ſpirituales, in qua ſunt impreſſiones vicariæ S. Petri, ſubiectum cuius eſt alba petra, pura, munda, & ſcripta ſanctitate, in qua ſunt impreſſiones litterarum ſigilli Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quæ ſiquidem litteræ ſunt ſuæ operationes & ſua bona exempla, quæ dat gentibus in amando & honorando Deum & ſuum proximum. Et quia illæ litteræ ſunt impreſſæ in petra, fortiores ſunt quam ſi eſſent impreſſæ in cera. Et quia petra eſt alba, ſunt magis apparentes, quam ſi eſſent impreſſæ in arena. Et etiam litteræ pulchræ ſunt & mundæ, quoniam petra eſt alba.

De radicibus arboris Apoſtolicalis.

RAdices arboris Apoſtolicalis, ſunt virtutes Cardinales & Theologicę, de quibus ſuprà in arbore morali tractatum eſt. Idcircò Apoſtolicus debet eſſe iuſtus per iuſtitiā, & prudens per prudentiam, & & fortis per fortitudinem, & temperatus per temperātiam & cultor Christianorum per fidem, & dare debet eis ſpem alterius vitæ per ſpem, & habere debet amorem ſuo populo per charitatem. Et ſi Apoſtolicus facit huiuſmodi contrarium, facit contra radices ſuorum principiorum. Iuſtitia Papæ debet eſſe bona per bonitatem, & magna per magnitudinem, & durabilis per durationem, & potens per poteſtatem, & illuminata per ſapientiam, & amata per amorem, & virtuoſa per virtutem, & vera per veritatem, & debet eſſe quies, in qua iuſtitiæ particulares ſui populi quietem habeant. Et idem eſt de prudentia, & de aliis virtutibus & radicibus arboris. Debet iuſtitia Papæ eſſe in differētia per differentiam, ita quod debet eſſe iuſtus per vnum modum, ſecundum virtutes morales, & per alium ſecundum virtutes Theologicales. Item in iuſtitia Papæ debet eſſe concordantia, videlicet inter vnam virtutem & aliam. Quoniam iuſtum eſt, quod plures virtutes concordantiam habeant cum fine, propter quem ſunt. Præterea iuſtitia Papæ debet eſſe contra iniuriam per contrarietatem, quæ eſt inter virtutes & vitia. Et iuſtitia Papæ debet eſſe principium ad iuſtitias ſui populi, per principium efficiens & formale. Et iuſtitia Papæ debet eſſe medium, inter Deum & ſuum populum per medium generale, quem ſiquidē populum, Deus ei tradidit ſicut oues, quæ committuntur paſtori. Item iuſtitia Papæ ad finem ſe debet habere per complementum, quoniam iuſtum eſt, quod Papa faciat hoc, propter quod eſt creatus vniuerſalis prælatus & generalis ad omnes prælatos. Et prætetea iuſtitia Papæ debet eſſe maior, per maioritatem officij quàm aliqua alia iuſtitia, quæ ſit in ſuo populo, quoniam iuſtum eſt quod ita ſit: ex quo eſt prælatus & vicarius generalis. Et iuſtitia Papæ ſe debet habere ad charitatem per æqualitatem, quoniam iuſtū eſt reddere cuilibet, quod ſuum eſt. Et iuſtitia Papæ ſe debet inclinare ad minoritates ſui populi, per minoritates illorum, & per maioritatem ſuiipſius, quoniam iuſtum eſt, quod Dominus maior ſe humiliet, & ſe inclinet ad minoritates ſui populi, ſiue ad oues, vt ipſas cuſtodiat à lupis rapacibus. Debet Papa illam fidem habere, quam habuit beatus Petrus, poſtquam eſt eius Vicarius Et oportet quod illam fidem habeat ſub habitu bonitatis, taliter quod Papa ſit bonus, quia fides eſt bona Oportet quod Papa habeat magnam fidem, quia fides ſancti Petri fuit magna. Et oportet quod Papa ita magnam fidem habeat, quod fidei ſui populi reſpondeat. Item oportet quod fides eius ſit durabilis, poſtquam generalis eſt, quoniam in priuatione cauſæ generalis priuantur durationes particulares Præterea fides Papæ debet eſſe fortis, vt fortitudo illius fortificet fidem cuiuſlibet hominis. Et ideo ordinatio Dei fuit, quod Imperium Romanum datum fuit Papæ, vt cum brachio ſeculari Papa foret fortis ad reſiſtendum inimicis fidei. Adhuc fides Papæ debet eſſe clara hominibus per ſapientiam, & per bonum exemplum, quoniam illa cla

la claritas illuminat, cuilibet homini ſuam fidem: ſicut ſol qui illuminat plures ſtellas, magno lumine illuminante plura parua lumina. Et fides Papæ debet eſſe charitatiua & amabilis, vt moneat ſuos ſubditos ad charitatem, & ad calorem amoris per magnum feruorem. Et fides Papæ debet eſſe virtuoſa, vt ſit contra vitia. Item fides Papæ debet eſſe vera, vt ſit cõtra falſitatem & errorem, & ideò dixit Dominus Ieſus Chriſtus ad beatum Petrum Petre ſi diligis me, paſce oues meas. Et dixit ei ter ad ſignificandum, quod oues ſunt Dei Patris, & Dei Spiritus ſancti, & Dei filij & hominis, qui ſunt vnus Deus, vnus Chriſtus, qui vnum paſtorem ſuis ouibus elegit, vt daret eis veritatem fidei ad comedendum, cum qua veritate reuiuerent. Et in perſona beati Petri ſunt oues commiſſæ fidei, cuiuſlibet perſonæ Papæ. Et propter hæc malefacit ille Papa, qui fidem in pluribus ouibus non augmentat, vt ſit multum vniuerſalis, & quod in illa viuant plures oues, quoniam ſatis eſt maior gratia vitæ ſpiritualis, quam corporalis. Fides etiam Papæ debet eſſe quies fidei cuiuſlibet hominis, ſicut bona particularia, quæ in generalibus quietem habent. Et in fide Papæ non debet eſſe differentia, videlicet inter fidem ſuã & fidẽ ſui populi, quoniã vna debet eſſe fides in ſe, & in ſuo populo. Item Papa cum ſua fide concordare debet fidem cuiuſlibet hominis. Et cum ſua fide debet Papa eſſe contra illos, qui ſunt contra fidem, ratione cuius contrarietatis conari debet errores deſtruere, qui ſunt ſeminati inter Saracenos, Tartaros, & inter Iudæos, cum quibus erroribus ſunt contra fidem Chriſtianam. Debet etiam deſtruere ſchiſmata, quæ ſeminata ſunt inter Chriſtianos, ſiue ſchiſmaticos deuiatos à vera fide Chriſtiana. Fides etiam Papæ debet eſſe principium, & lumen, per bonum exemplum eundo ante omnes oues ſuas, vt locum videant, in quo ſunt paſturæ, & aquæ viuæ æuiternæ. Fides etiam Papæ debet eſſe medium, in quo accipiatur lumen à Deo, & quod illud det ſuo populo: ſicut luna quæ virtutem accipit à ſole, & illam influit plantis inferioribus & ſubſtantiis ſenſatis. Fides etiam Papæ ſe debet habere ad finem, propter quem ipſe eſt Papa, qui ſiquidem finis eſt, vt illuminet cum ſua fide vias, & oſtendat per quas ſancti vadunt ad vitam ſanctam, & contemplatiuam, & ad pœnitẽtiam. Fides etiam Papæ ita debet eſſe maior, ſicut paſtor maior eſt ouibus ſuis. Fides etiam Papæ debet eſſe æqualis, cum fide ſuarum ouium, in credendo illa, quæ ſunt vera Dei. Et etiam quia Papa eſt paſtor, & eſt in vna fide cum ſuis ouibus, inclinare ſe debet ad minoritates illarum, vt ipſas ſupra aſcendere faciat ad recipiẽdum beneficium de ſua maioritate: ſicut ignis qui ſe inclinat ad aërẽ, qui nõ eſt de ita magna virtute, ſicut ipſe eſt, & ipſum aſcendere facit ſupra, inquantum in virtute ipſum maiorificat. Et idem facit ſol de igne, quoniam ipſum aſcendere facit, inquantum multiplicat calorem ipſius. Sicut prima principia applicauimus ad iuſtitiam & fidem, quæ ſunt de radicibus arboris Apoſtolicalis, ita applicari poſſunt ad alias radices arboris, de quibus eſt truncus. Et ita tranſeunt prima principia ad radices: tranſeunt ad truncum, ſecundum quod conuenit ſuæ diſpoſitioni, tranſeunt etiam ad branchas. Et ſic de aliis partibus arboris.

De

De Trunco arboris Apoſtolicalis.

TRuncus arboris Apoſtolicalis eſt perſona generalis,quæ dicitur Apoſtolicus. Et in hoc trunco ponit truncus elementalis partes quæ ad corpus pertinent, & arbor vegetalis, ſenſualis, imaginalis, & humanalis ſuo modo, ſicut & elementalis.Et arbor rationalis ponit in illa perſona generali partes, quæ ad animam ſpectant. Et officium apoſtolicale ponit generalitatem perſonæ, cum prima parte arboris moralis. Idcirco truncus apoſtolicalis eſt maior & plenior magnitudine bonitatis,& aliarum virtutum, quàm aliquis alius truncus ſui populi,quia in illo ſtant alij trunci ſui populi ordinati, & diſpoſiti ad finem propter quem ſunt creati. Veruntamen ſi Papa ſit malus, nullus truncus eſt ita damnoſus ſicut ſuus truncus, nec in quo tantum peruertitur de bono in malum, nec qui tanta pœna ſit dignus: ſicut ſi eſt bonus, eſt dignus, quod maiorem gloriam habeat, quam aliquis. Sol maior eſt, quam Luna: idcirco Luna accipit à Sole beneficium, & non eſſet decens, quod Sol à Luna beneficium acciperet, quia ſtat ſuperius,& eſt maior Luna,veruntamen eſt vna opinio naturalis,quod lux Solis eſt punctus, qui eſt centrum plurium linearum, quæ ſunt de luce ſtellarum fixarum in firmamento, quæ ſuam virtutem aggregant in Sole, vt in ipſo influentia fiat inferius à ſtellis, quæ ſunt ſupra in pluribus partibus, ſecundùm quod iſta corpora inferiora habent indigentiam de influentiis ſuperioribus Similimodo truncus apoſtolicalis altus eſt in virtute per influẽtiam, quæ eſt ſupra per Ieſum Chriſtum, & per Sanctos, & eſt congregatio,in qua diuiditur & tranſmittitur influentia ſui officij, & ſuæ virtutis ad truncos inferiores particulares, qui ipſa indigent, vt illuminati ſint & edocti per illum, & etiam diſpoſiti ad accipiendum influentias à ſuprà.Eſt ergo truncus apoſtolicalis ſimilis Soli in ſplendore, & in officio. Et ideò trunci qui ſunt inferiores, & ſui particulares,& ſibi commiſſi,debent ei reuerentiam facere,& honorem ſicut partes ſuo toti.Eſt ergo pulchra & nobilis huiuſmodi aſſituatio ſplendoris, quæ eſt in medio influentiarum exiſtentium ſupra, & refluentiarum inferius. Et ſi contingat, quod aliqua nebula obſcura, quæ ſit de ſecunda parte arboris moralis,conſiſtat in trunco apoſtolicali generali, eſt illius figura, illius nebulæ,multum intenſa in vmbra contra lucem, & in malo contra bonitatem, & in vitio contra virtutem. Et quia eſt in loco alto, eſt viſa à pluribus hominibus. Et quia eſt magna vmbra,magnam impedit claritatem, quæ de trunco ſuperiori, ad truncos inferiores & particulares deſcendere non poteſt. Vnde ſequitur magna priuatio boni,& ita magna ſicut eſt vmbra. Et tantum de malo multiplicat illa vmbra, ſicut eſt priuatio boni. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod ſicut truncus apoſtolicalis per virtutem & ſplendorem, eſt cauſa ad magnum bonum, ita per vitium, & per tenebras poteſt eſſe cauſa ad magnum malum. Et propter hoc mirabile eſt,quomodo tantum diligãt homines eſſe in officio apoſtolicali, cum ſit ita periculoſum. Truncus eſt in medio radicum & branchatum, quoniam ipſe eſt per radices, & branchæ ſunt per truncum. Et quando radices deficiunt,truncus deficit,& quãdo deficit truncus, deficiunt branchæ, & in defectu branchatum defectum habent

habent rami folia, flores & fructus. Est ergo valdè necessarium, quod truncus habeat bonas radices, quod si malas habeat, ipsas habet contra seipsum, & facit malas branchas, & in ipso rami desiccantur, folia, flores & fructus. Et de hoc experientiam habemus in plantis, & in ordinatione mundi, & in breuibus aliis Ecclesiæ beati Petri, sub quibus alis omnes homines huius mũdi esse deberent & quiescere, vt cum illis alis ad Sanctam vitam æuiternalem volarent & ascenderent. Extensio & alarum multiplicatio stat in dispositione trunci, & dispositio trunci stat in cremento, & multiplicatione radicum. Et hæc dispositio crementi, & multiplicationis stat in libertate trunci, qui est generalis potentia ad mouendum ad se radices cum magnitudine bonitatis, & aliarum radicum. Sicut substantia quæ sibi attrahit suas partes naturales, cum sit magna in bonitate, duratione & potestate.

De Branchis arboris Apostolicalis.

Ranchę arboris Apostolicalis sunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, & Ministri, & aliæ personæ communes. Et istæ branchæ sunt sui officiales, vt suum populum regere possit secundum naturam finis, quare truncus est persona generalis & communis secundum radices, quæ ad truncum pertinent, sicut plures partes quæ pertinent ad suum totum. De bono trunco, bona brancha, & quanto meliores & maiores sunt branchæ, melior & maior est truncus, & è conuerso, quoniam in bonitate & magnitudine trunci, stant bonitas & magnitudo brancharũ, oportet ergo magnam esse concordiam inter truncum & branchas, & inter vnam brãcham & aliam, vt in trunco, & in branchis sit magnitudo bonitatis, & aliarum radicum trunci, quæ sunt generales ad radices brancharum particularium. Et quando contingit, quod sit contrarietas inter truncum & branchas, & inter brancham & brancham, peruertitur magnitudo bonitatis, in magnitudinem malitiæ, quæ truncum & branchas vulnerat, per quorum vulnera rami infirmãtur, & folia, similiter flores, & fructus arboris. Est ergo magna priuatio boni contrarietas, si sit in arbore Apostolicali. Sicut truncus est punctus ex pluribus terminis aggregatus, qui sunt termini suarum radicum, ita est vnus punctus & vnum centrum, ad quod se habent plures branchæ. Et sic truncus est punctus duplex, quoniam vnus punctus est per inferiorem naturam, & alius est per naturam superiorem. Et si istæ duæ naturæ sint in quantitate discreta non autem in continua, tunc infirmantur, quare sanitas ambarum naturarum stat in cõtinua quantitate, vt vna natura sit in alia, vt truncus in omnibus suis partibus sit plenus, & branchæ similiter, & quod sit influentia, & refluentia de quantitatibus discretis in vna continua quantitate. Et per talem influentiam & refluentiam crescit truncus per radices, & crescunt branchæ per truncum. Et truncus dat branchis suam similitudinem, quam accipit inferius. Et branchæ dant trunco suas similitudines, quas accipiunt ab ipso. Et ideò quando fit concordantia de quantitatibus discretis in continua quantitate, talia sunt possibilia in magnitudine bonitatis, in branchis, quæ possibilia non sunt, quando discretæ quantitates non sunt in continua quantitate aggregatæ. Secundum quod dictum est

in trunco arboris elementalis, truncus transit in tertium numerum in quantum vnus numerus fit ex pluribus numeris, sic similimodo truncus arboris Apostolicalis transit in tertium numerum, quia generalis est ad plures numeros particulares. Et idem est de branchis trunci arboris Apostolicalis, quæ transeunt in numerum branchæ, ita per naturam trunci: sicut truncus arboris elementalis per naturam suarum radicum in numerum tertium transit. Et sicut truncus elementalis retinet naturam suarum radicum, quamuis in numerum tertium transeat in quantum non est suæ radices, sic branchæ trunci Apostolicalis retinere debent naturam trunci, de quo sunt, licet nulla brancha sit truncus. Et sicut nulla radix trunci arboris elementalis appetitum habet, quod esset truncus, cum ita sit, quod naturaliter quælibet radix habeat appetitum ad conseruandum suum numerum, & etiam pars appetitum non habet secundum cursum naturalem, quod sit totum, ita branchæ arboris Apostolicalis conseruare debent suum numerum, nec aliqua ipsarum debet habere appetitum, quod ipsa truncus esset, nec truncus appetitum habere debet, quod brancha non sit brancha, ex quo naturam trunci conseruat. Et in hoc passu multum habetur de cognitione, per quam status trunci, siue brancharum videtur, siue apparet.

De Ramis arboris Apostolicalis.

RAmi arboris Apostolicalis sunt decem inter alios, & alios septem ramos vocamus, qui positi sunt in arbore Imperiali, qui etiam pertinent ad officium Apostolicum. Decem vero rami sunt decem præcepta, quæ sunt vnum Deum colere, & diem Sabbatum seruare, nomen Dei in vanum non accipere, patrem & matrem honorare, falsum testimonium non perhibere, non furari, non occidere, non luxuriari, non concupiscere vxorem alterius, non concupiscere rem proximi. Veruntamen multa alia præcepta sub istis decem intelliguntur. Et ista decem præcepta applicari possunt ad duo præcepta, quæ Dominus Iesus Christus dixit, cum ab eo quærebatur, quorum primum est, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Secundum est. Dilige proximum tuum sicut teipsum. Et de istis duobus præceptis tractare intendimus. Et primo de primo.

De Primo præcepto arboris Apostolicalis.

PRimum præceptum diuiditur in quatuor partes. Vna est, inquantum dicit: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Istud præceptum factum est voluntati, quoniam cor est locus in quo voluntas obiectum eligit, quod desiderat vel odit, & inquantum dicit ex omni mente tua, est factum præceptum intellectui & memoriæ, qui voluntatem antecedunt, quando fit mens, vt sibi obiectum eligat. Et istud secundum præceptum est duplex, vnum fit memoriæ, & aliud intellectui, & ita sunt tria mandata. Et inquantum dicit ex omnibus viribus tuis, præcepta multiplicantur in multiplicatione animarum, quæ sunt potentiæ, videlicet anima vegetatiua, & sensitiua, & etiam intelligere possumus, potentiam imaginatiuam, & potentiam elementatiuam, inquantum anima potestatem habet in elementatis,

tis, vnde præcepta sunt sex: ex parte animæ rationalis sunt tria, & ex parte vegeratiuæ est vnum, & ex parte sensitiuæ aliud, & ex parte imaginatiuæ reliquum. Et ita quatuor præcepta, quæ in prima parte continentur, multiplicantur in septem partes. Secundum præceptum inquantum dicit: Dilige proximum tuum sicut teipsum, multiplicatur in prædictis septem partibus, cum ita sit, quod homo sit amabilis, inquantum sua voluntas, suus intellectus, sua memoria, sua potentia, imaginatiua, sensitiua, & sua potentia vegetatiua sunt amabiles, & etiam in quantum elementatiua (quæ est vna pars hominis) est amabilis per ipsum: sicut pars quæ est amabilis per suum totum. Et ideò processum istorum ramorũ ducere volumus duobus præceptis multiplicatis in septem, ita quod prima pars est mandatum voluntatis, secunda intellectus, tertia memoriæ, quarta est mandatum imaginatiuæ, quinta sensitiuæ, sexta vegetatiuæ, & septima pars est mandatum potentiæ elementatiuæ. Vnde omnia ista præcepta facta sunt Domino Papæ omnibusque subditis suis, & tanto plus ei quam alicui alij, quanto plus potest Deo seruire quàm aliquis alius. Et sic de Cardinalibus & aliis gradibus, secundùm quod sunt in superioribus gradibus: sicut ignis qui secundùm cursum naturalem vult, quod piper quod est in quarto gradu caloris, plus calore vratur quàm cinamomũ, quod est in tertio gradu caloris, & cinamomum quam fœniculus, qui non est nisi in secundo gradu caloris, & fœniculus quam anisum, quod non est nisi in primo gradu caloris. Et in hoc passu cognoscitur, quod personæ publicæ seu communes quanto sunt in altiori gradu, tanto plus obligatæ sunt ad obseruandum præcepta Dei, & plus sunt inobedientes, si ei non obediant, quam personæ, quæ non sunt communes.

De Primo præcepto arboris Apostolicalis, quod fit voluntati.

SAncto patri Apostolico fit mandatum quod Deum diligat ex toto corde suo. Et quia Deus est magnus Dominus, magnum facit mandatum, & facit illud magnæ personæ, quoniam Apostolicus est magnus, in quãtum est persona communis, & mandatum suæ voluntati est factum, sub qua plures sunt voluntates ad obediendum voluntati superiori. Et quia voluntas est magna, quæ est superius, & dicit Deus, quod de tota seipsa eum diligat, in hoc facit mandatum toti potestati voluntatis & toti magnitudini, quam voluntas habet in amando, & similiter toti suæ bonitati, durationi, virtuti, veritati, concordantiæ, principio, medio, & fini, maioritati, & æqualitati. Et ideò mandatum fit de pluribus & magnis, & fit ad amandum magna, videlicet bonitatem Dei, & suam magnitudinem, & sic de aliis formis sibi essentialibus. Et magnum est, quod voluntas Apostolici, quæ est ita alta (quia est generalis & est domina supra tot & tantas voluntates) Deum diligat de tota seipsa, videlicet de tota sua bonitate, magnitudine, duratione, potestate, & cæteris. Debet ergo omne bonum diligere, quod diligere potest, & amare debet ita magnum bonum, sicut suum amare potest esse magnum, & tantum debet amare, sicut potest durare suum amare. Et in hoc passu cognoscitur, quod voluntas Apostolici est obligata ad amandum, quantum potest honorem Dei, & vtilitatem sui populi.

De Secundo præcepto arboris Apostolicalis quod sit intellectui.

DEus præcipit intellectui Apostolico quod ipsum intelligat, & quod ipsum intelligi faciat de tota sua bonitate, magnitudine, potestate, duratione, virtute, & veritate, & sic de aliis formis. Et istud præceptum significat conuersionem gentium, ipsis eiectis ab errore & deductis ad intelligendum veritatem Dei eiúsque operationum, vt in gloria Dei quiescere valeant sine fine. Est ergo præceptum magnum, quoniam est magni Domini, & fit magno Domino, qui intellectum habet generalem ad plures intellectus, & de magnis rebus est factum, & quæ sunt bonæ & durabiles, quæ possunt esse magnæ, quia Deus præceptum aliquod de rebus impossibilibus non facit, quare Apostolicus obedire potest mandato, quod fit ei, & obligatus est ad obediendum Domino supremo tantum quantum mandatum est magnum, & tantum quantum res possibiles sunt, quod intelligantur ad honorem Dei & vtilitatem sui populi. Et istud mandatum facit Deus ei, in quantum dicit ei, quod diligat Deum ex tota sua mente.

De Tertio præcepto arboris Apostolicalis quod sit memoriæ.

MEmoria Apostolici creata est ad recolendum Deum, & etiam creata est, quod faciat Deum à suo populo recoli. Et fit ei mandatum, quod de tota sua potestate quam habet in magnitudine bonitatis, durationis, virtutis, veritatis, & sic de aliis formis, recolat Deum, & faciat ipsum à suo populo recoli, qui sibi commissus est ad recolendum Deum operationésque eius. Et istud mandatum facit ei Deus inquantum dicit ei, quod ipsum diligat ex tota mente. Est ergo mandatum magnum, & fit de rebus magnis, & magno Domino, sub quo sunt tot & tanti homines obligati ad sequendum suam voluntatem. Et hoc quod suus intellectus intelligit, & quod sua memoria iustè recolere potest, secundùm quod est mandatum ei: Quare sicut mandatum est magnum, obedientia debet esse magna, & si obedientia non est magna, inobedientia est magna, & sic magnitudo peruertitur de obedientia in inobedientiam. Vnde sequitur magnum malum, potens, durabile, falsum, & vitiosum, vnde multa mala sequuntur. Et hoc passu cognoscitur in hoc, quod Deus facit magnum mandatum & magno Domino, & de magnis, quod ipse vult recoli cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, virtutis, & veritatis. Quæ siquidem magnitudo est amabilis, intelligibilis, & possibilis per potestatem, & bona per bonitatem, & virtuosa per virtutem, & vera per veritatem, & durabilis per durationem. Cognoscitur etiam quod Deus non vult recoli cum paruitate recolendi, postquam recolere potest esse cum magnitudine bonitatis, durationis, & cæterarum.

De Quarto præcepto arboris Apostolicalis quod sit imaginationi.

IN quantum Deus mandat quod ipse diligatur ex omnibus viribus, quas homo habet, & homo habet vim in imaginando bona, quæ facere potest, est factum mandatum homini, quod diligat Deum cum imaginatione. Et

ne. Et istud mandatum significat, quod Deus facit Apostolico mandatum, quod ipsum faciat diligi à suo populo, siue à suis gentibus artis mechanicæ, quæ operantur cum imaginatione: sicut magistri scientiarum & artium liberalium, qui cum mente intellectus operantur, de qua supra dictum est. Est ergo factum mandatum Apostolico, quod homines suos Deum diligere faciat, videlicet homines qui sunt artium liberalium, & homines qui fruuntur arte mechanica. Est ergo istud mandatum magnum, quia fit à magno Domino & factum est magno Domino, qui magnam habet potestatem, quod Deum amari faciat in pluribus rebus & magnis. Et ideò magnum mirabile est, quomodo aliquis Papa diu viuere possit vel dormire, vel quomodo possit in aliquo esse ociosus, cum teneatur Deo in tot & tantis rebus obedire.

De Quinto præcepto arboris Apostolicalis, quod sit potentia sensitiua.

SEnsus est vis hominis, qui consistit sex modis, secundum quod in branchis arboris sensualis dictum est. Quoniam in quantum Deus mãdauit homini, ꝙ ipsum ex omnibus viribus suis diligeret, fecit ei mandatum ꝙ cũ omnibus sensibus qui sunt instruméta potentiæ, cum quibus homo Deum diligere possit, honorare & seruire. Quoniam sicut faber diligere potest denarios quos habet de cultello cum forfice & cum martello, cum quibus facit cultellum: ita homo Deũ amare potest, cum videre, audire, odorare, gustare, tangere & loqui in tractando, cũ omnibus istis honoré Dei. Et quoniam apostolicus est homo & magnus in posse, siue potestate vidédi, & sic de aliis sensibus (quoniam sub suo visu, plures sunt visus, sicut sub sua voluntate plures sunt voluntates, & sub suo verbo plura verba) idcirco est mãdatum in illo magnum. Et in hoc passu cognoscitur quod Deus vult quod sibi seruiatur cum omnibus sensibus hominis, inquantum præcipit quod homo eum diligat ex omnibus viribus suis, quas habet in sentiendo, & in tota magnitudine sui sensus, & bonitate illius. Et sic de sua duratione, potestate, & virtute, & sic de cæteris formis sensitiuis, & sensibilibus, ex quibus nascitur, & exit sentire. Nec est mirum, si Deus vult quod diligatur cum omnibus istis rebus, cum ita sit, quod ipsas omnes creauit ad se diligendum, honorandum, & seruiendum. Et ille qui cum omnibus illis ei nõ seruit, postquam habet potestatem, suas vires ponit in ociositate, & ipsas sine euacuat: sicut homo diues, & auarus, qui suos denarios ponit in arca, ex quibus nullus fructus peruenit, qui siquidem denarij sunt pauperum, qui famem habent, sitim & frigus, quia illos denarios habere non possunt. Et ideo significauit Deus quod ipse habebat famem, sitim, & frigus rerum, quas homines negligentes ponunt in ociositatem, tunc cum dicit, Famem me habere vidistis, & non saturastis me. Et passus iste est excitatio mouendi conscientiam, vt habeat magnam contritionem, satisfactionem, & timorem. Et illi qui sensus suos ponũt in ociositate, inquantum cum omnibus viribus eorum Deo non seruiunt, sunt inobedientes ipsius mandatis.

De Sexto præcepto arboris Apoſtolicalis, quod ſit potentiæ vegetatiuæ.

IN potentia vegetatiua habent homines poteſtatem, ſicut in plantis, & in grano, quod habent in granariis. & in vino, quod habent in doliis, & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis. Sicut in branchis arboris vegetatiuis, in quibus poteſtatem habent, quod ipſas induant branchis primæ partis arboris moralis. Et quia Deus mandatum fecit homini, quod ipſum diligat cum omnibus viribus ſuis, & Apoſtolicus eſt homo, fit ei mandatum, quod ipſum diligat, cum tota arbore vegetali, poſtquam in illa habet vim, & magnam vim, quoniam arbor ſua generalis, eſt ad plures arbores. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod Deus vult, quod homo ei ſeruiat, cum omnibus fructibus, qui de terra creſcunt, cum quibus eleemoſynam faciat pauperibus. Quam quidem eleemoſynam Papa procurare debet, cum tota ſua poteſtate, quæ generalis eſt ad poteſtates hominum, qui bona colligunt, quæ de terra creſcunt.

De Septimo præcepto arboris Apoſtolicalis, quod ſit ratione poteſtatis elementalis.

DEnarij cōpoſiti ſunt de quatuor elementis, & etiam villæ, caſtra, ciuitates, acus, enſis, & cultelius, & ſic de aliis elementatis, ſicut filum Martini, gallina & bos, & in his omnibus habent homines poteſtatem. Et ideo fecit Deus mandatum homini quod ei ſeruiat, cum omnibus elementatis. Et quia Papa eſt homo, fit ei mandatum, quod Deo ſeruiat, cum omnibus elemētatis, qui ab illo requirit ſeruitium, quantum poteſt ei cum illis ſeruire. Et quia ſua poteſtas eſt magna, requirit ab illo ſeruitium magnum. Quod quidem magnum ſeruitium, Papa complere non poſſet ſine magna charitate, amore & poteſtate. Et ideo tantum Deus eum honorauit quod ipſum ſupra omnes homines poſuit in magnitudine dignitatis, vt ipſe ad eum magnum amorem & charitatem habeat, cum quibus ſuam magnam moueat poteſtatem ad finem, propter quem ei data eſt ipſa poteſtas, videlicet ad honorandum Deum, & ei ſeruiendum. Dictum eſt de ſeptem mandatis, cum quibus homo diligere Deum, debet & ſuum proximum. Et in his quæ ſupra diximus eſt ſignificatum, quam magnum, & quam graue eſt peccatum, cum quo homo eſt Deo inobediens, inquantum ipſum peccatum eſt priuatio finis, ratione cuius, ſcilicet finis Deus fecit homini præcepta. Quod ſiquidem peccatum plura tormenta diſponit in æuiternitate duratura, & ſuſtentata, in hominibus Deo inobedientibus, & mortuis in mortalibus peccatis, quæ contra Deum commiſerunt.

De Foliis arboris Apoſtolicalis.

ISta folia duobus modis tractare intendimus. Primus modus eſt ſecundum ſeptem ſacramenta Eccleſiæ, per quæ eſt ornata & fortificata. Septem ſacramenta Eccleſiæ ſūt, Baptiſmus, Confirmatio, Matrimonium, Eucharíſtia, Ordo, Pœnitentia, & Extrema-Vnctio. Alius modus eſt de accidentibus, quæ ad arborem apoſtolicalem ſpectant, ſicut ſunt regulæ ſcriptæ in iure Canonico, quoniam illæ regulæ ornamenta ſunt Eccleſiæ, & fortificatio illius.

De Baptismo.

BAptismus est sacramentum necessarium ratione originalis peccati, quod in commento tabulæ generalis probatum est. Baptismus est similitudo per figuram sanctitatis. Quæ quidem sanctitas est impressio in sacramento, quod ad se finem conuertit, propter quem homo creatus est, sicut olea inserta in oleastro, quæ ad se materiam conuertit, & influentiam quæ influitur de oleastro. Quoniam forma sacramenti in patiente posita, qui recipit baptismum, purificat & mundificat,& transmutat immunditiam in puritatem, & tenebras in lucem. Et hoc facit cum potestate diuina homini data, sicut instrumentum ad vtendum illa in loco Dei, quæ recuperare vult, quod perdidit in suo subiecto. Quoniam sicut martellus est instrumentum fabro, quod cum illo clauum faciat & cultellum, sic potestas diuina est instrumentum præsbytero, quod cum illa subiectum immundum per peccatum originale sanctificet & mundet. Et hoc est magnum mirabile, quod homo vti possit potestate Dei, sicut Deus Et istud mirabile intellectum hominis excitat ad intelligendum magnam potestatem Dei, & voluntatem ad amādum illam, & memoriam ad recolendum magnitud nem fidei, spei,& charitatis. Et arbor elementalis ponit aquam in illo Sacramento, & vegetalis, sensualis, imaginalis, & moralis in illo ponunt earum proprietates & naturas, inquantum sunt formæ passiuæ in subiecto Sacramenti. In quibus formis facta est impressio per formas superiores quæ sunt in arbore rationali, quæ mouent instrumentum cum ordine verborum, quæ sunt de arbore sensuali, in quibus instrumentum facit impressiones quas formæ inferiores recipiunt, vt sint sanctificatæ, & ad finem propter quem fuerunt creatæ, reuersæ, & cum Deo participatæ: sicut litteræ ceræ, quæ participant in similitudinem cum litteris sigilli.

De Confirmatione.

COnfirmatio est, vt puer qui non erat dispositus ad intelligendum quando fuit baptizatus, recipiat impressionem Sacramenti primi in suo intelligere, & idem est de sua memoria & voluntate. Idcirco istud Sacramentum de Confirmatione, instrumentum est primi Sacramenti, quod inquātum semetipsum dispositum erat ad faciendum impressionem in potentiis animæ subiecti, sed ipsam facere non potuit in actibus illarum potentiarum, videlicet in recolere, intelligere & diligere, sed tantummodo facit impressiones in potentiis. Et per Sacramentum Confirmationis fiunt caracteres Sacramenti in actibus potentiarum, inquantum baptizatus consentit, quod sit mundatus à peccato originali, recolendo, intelligendo, & amando.

De Matrimonio.

MAtrimonium est Sacramentum, quod ordinat copulam hominis & fœminæ ad finem, propter quem sunt masculinitas & fœmineïtas, videlicet ad multiplicandum humanam speciē, vt Deus sit honoratus, & amatus per plures homines. Et istud Sacramentum specificat talem hominem, & talem fœminam cum ordine verborum, & ordine conceptionis interioris, quæ mouent verba illius, qui agit

agit Sacramentum, & illorum qui caracteres Sacramenti recipiunt intus & extra, & agens ligat, & illi ſunt ligati. Et Sacramentum eſt ſuſtentatum ita in contrahentibus, ſicut litteræ ſigilli in cera ſunt ſuſtentatæ. Et iſtud ligamen Sacramenti eſt, vt ſit intentio copulæ ad generandum prolem ratione primarum brancharum arboris moralis, & non ratione placiti ſenſualis, quoniam finis ſenſualis colligitur in arbore rationali.

De Eucharistia.

EVchariſtia eſt Sacramentum altari, quod quidem Sacramẽtum eſt, vt Deus cum homine multum poſſit participare in magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis, ſapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, concordantiæ, principij, medij, & finis, maioritatis, & humilitatis. Deus participat cum homine in magnitudine bonitatis ratione Sacramenti, quoniam valdè magnum bonum eſt homini tractare & tenere corpus Chriſti, qui eſt finis & complemẽtum omnium corporalium, & illud ita bonum corpus tãgere cum ſuis manibus, & ipſum ponere in ſuo corpore, vt corpus tactum mundet à peccato, corpus quod eſt tangens, ita quod in illo tangere tangentis, & tacti eſt participatio ambarum bonitatum. Et illud bonum ita magnum in humano corpore poſitum non eſt aliquis, quæ cogitare poſſet. In Sacramento participant Deus & homo in magnitudine durationis, quoniam valde magna eſt duratio & conſeruatio, quod Chriſtus qui eſt homo Deus, remaneat ſine cremento, & diminutione ſuiipſius in Sacramento, homine recipiente illum Chriſtum, qui non creſcit per tranſmutationem ſubſtãtialem panis in carnem Chriſti, & vinum in ſanguinem Chriſti, nec diminuitur, inquantum ille qui ipſum recipit tranſmutat materiam panis, tranſmutatam in Chriſtum in carnem ſuiipſius recipientis, & idem eſt de vino in ſanguinem. Et hoc eſt magnum miraculum, & eſt figura & impreſſio magnæ durationis, quæ figura eſt caracter Sacramenti, quod eſt inſtrumentum ad ſignificandum, magnam durationem Chriſti Dei hominis. In Sacramento altaris participat Deus & homo in magnitudine poteſtatis, quoniam magna eſt poteſtas, quam Deus dat preſbytero, qui de pane facit carnem, & de ita pauco pane, ita magnam carnem ſicut eſt caro Chriſti, quæ magna eſt, inquantum cõiuncta eſt cum Deitate, & idem eſt de vino & ſanguine. Et magna poteſtas eſt illa, quam preſbyter habet in loco, vbi facit Sacramentum, quoniam in illo loco de vino facit Sanguinem Chriſti qui in Cælo eſt. Hoc autem facit preſbyter cum poteſtate Dei infinita, quæ ſe dat ei ſicut inſtrumentum motum per agentem ad ſuam voluntatem. Sicut martellus qui eſt inſtrumentum fabri, quod cum illo clauum faciat ad ſuam voluntatem. Et hæc participatio magnitudinis & poteſtatis eſt ita in Sacramento, ſicut eſt in arte fabricationis inter agẽtem & martellum, veruntamen maior eſt participatio in Sacramento ratione inſtrumenti, quod eſt infinitum, quod ſiquidem inſtrumentum eſt agens inquantum facit Sacramentum, ſicut martellus, qui eſt agẽs, inquantum facit clauum, & ſicut martellus eſt patiens, inquantum eſt motus per manum fabri, ſic poteſtas infinita eſt inſtrumentum patiens, inquantum ſe exhibere preſbytero, quod cũ illa Sacramentum faciat. In magnitudine

tudine ſapientiæ participat Deus & homo in Sacramento, quoniam inquantum presbyter credit de pane carnem Christi facere, & de vino ſanguinem Christi, eius credentia excitat ſuum intellectum ad intelligendum magnam poteſtatem Dei, magnam bonitatem, & magnam durationem, magnam ſapientiam, & magnam voluntatem: & ſic de aliis formis diuinis. Quare credulitas quam habet presbyter, ſignificat formas, de quibus dictum eſt, quas intellectus attingit in forma intelligendi, & eſt captiuatus in quantum credit Sacramentum eſſe verum, & ſic credentia eſt lumen in quo intellectus ſcientiam attingit. Et in hoc paſſu datur cognitio, quod credentia cauſat ſcientiam presbyteri in Sacramēto ratione participationis quæ eſt magna in intellectu presbyteri & in intellectu Christi, qui intelligit Sacramentum eſſe verum, & ſic participant ſcientia, & ſcientia, & credulitas in Sacramento. Et iſte paſſus eſt multum placens, quod intelligatur, & ſignificat, quod argumentum & credentia in vno tempore poſſunt eſſe in Sacramento. Et idem in aliis Sacramentis, & etiam in articulis fidei Catholicæ. Idcircò dixit Eſayas Propheta, quod homo intelligere non poteſt, ſi non credat. Eſt ergo credentia lumen intelligendi, ita quod per credentiam hoc accipit vnum obiectum: ſicut presbyter qui accipit Sacramentum eſſe verum, & per illud obiectum quod credit, multa alia obiecta eſſe vera intelligit, quæ ſunt bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, & cæteræ, ſecundùm quod ſupradictum eſt. In magnitudine voluntatis Deus & homo participant per Sacramentum, quoniam magna magnitudo voluntatis Dei eſt, qui vult eſſe in Sacramento Christi: & magna magnitudo eſt voluntatis presbyteri, in quantum diſpoſita eſt ad amandum valde illud Sacramentum. Quoniam ſecundum quod magnum eſt in bonitate & in aliis formis Christi, eſt amabile, & Sacramentum eſt, vt participatio Dei & hominis ſit magna inter voluntatem, & voluntatem, & amare, & amare, & ita magna eſſe non poſſet, ſi Sacramentum non eſſet. Deus ergo ordinauit, quod ſit Sacramentum, vt participatio amoris ſit magna. Sacramentum altaris eſt ratio per quam virtus Dei & hominis ſint in magna participatione, quoniam magna virtus eſt Christi, quod ipſe ſit in cœlo & in Sacramento, & magnam virtutem habent verba presbyteri, quæ faciunt eſſe vnum Christum & non plures in pluribus locis, videlicet in multis altaribus in vno eodem tempore. Et hæc participatio magnitudinis virtutis, quę eſt inter Christum & presbyterum, eſſe non poſſet ſine Sacramēto, quod eſt ſubiectum participationis magnitudinis virtutis. Vnde cum virtus & vitia ſint contraria, malefaciunt illi presbyteri, qui ſunt in mortali peccato, & faciunt Sacramentum: & idem eſt de aliis hominibus, qui Sacramentum recipiunt & ſunt in mortali peccato. In magnitudine veritatis Ieſus Christus & homo participant in Sacramento, quoniam in illo magna eſt participatio inter veritatem, & veritatem, in hoc quod veritas ſuperior in ſe veritatem inferiorem multiplicat in magnitudine bonitatis, poteſtatis, & aliarum: in quantum facit eſſe verum hoc quod presbyter dicit in Sacramento tunc, cum dicit, Hoc eſt corpus meum. Et hoc eſt magnum miraculum veritatis, quod vnum ſit corpus Christi, & aliud corpus presbyteri, &

quod corpus Christi, & corpus presbyteri sint agentia in vno corpore quod est Sacramentum. Hoc autem esse non posset sine Sacramento quod presbyter facit in figura Christi, qui in quantum Christus loquitur, & facit Sacramentum. Et sic est magna participatio inter procuratorem & Dominum, & inter veritatem cuiuslibet. Et huic veritati participatæ cursus naturalis sufficere non potest, sed sicut olea ad suam speciem trahit materiam oleastri, in quo est inserta, ita veritas superior ad suam magnitudinē attrahit veritatem inferiorem, quæ ascendit ad veritatem superiorem. Idcircò dicitur, quod Sacramentum est supra cursum naturalem, in quo Sacramento veritas superior se ostendit ita magnam: sicut faciunt duratio, potestas, sapientia, voluntas, & virtus, quæ sunt superiores, ita quod participationis magnitudo, quæ est inter veritatem & veritatem est speculum, in quo apparent magnitudines superiores. Quod speculum esse non posset, si Sacramentum non esset in ita magna magnitudine sicut illa, quam diximus, quæ potest esse per Sacramentum. In magnitudine concordantiæ Deus & homo participant in Sacramento, quoniam Deus & presbyter ita fortiter per Sacramentum concordant, quod contrarietas contradicere non potest naturaliter neque per locum, neque per tempus, nec per quantitatem, nec per colorem, nec per saporem, nec per aliquod aliorum accidentium: sicut per ponderositatem & figuram. Locus contradicere non potest, quoniam Christus in eodem tempore est in multis locis, videlicet in pluribus altaribus. Hoc naturaliter esse non posset quod vnus homo sit in cœlo, & in terra, & in pluribus locis, & in vno eodem tempore. Deuicta sunt ergo locus & tempus & cætera prædicta accidentia naturalia, quæ sunt secundum cursum naturalem per concordantiam quæ est inter Christum & presbyterum. Et hanc concordantiam ita magnam, videlicet quæ est inter Christum & habitum Sacramenti, de quo presbyter est indutus, non est homo viuens qui ipsam extimare possit, idcirco ille presbyter malefacit, qui cum luxuriosus, superbus, auarus, & gulosus est, est contra ita pulchrum vestimentum, quoniam neque pulchrius nec nobilius vestimentum habere posset quàm sit habitus Sacramenti. Sacramentum altaris est principium magnum complementi efficientis formæ, & materiæ. Est magnum complementum presbyteri, quod cum principio superiori, quod est principium omnium creatorum complet omnia principia sua creata, videlicet suam bonitatem naturalem, magnitudinem, durationem, potestatem, sapientiam, voluntatem, veritatem, & virtutem. Et ex hoc magno complemento informatus est, & habet quietem sua materia in formis principiorum. Et ideo magnum principium quod tunc principiat, cum de pane facit carnem, & de vino sanguinem, & de vacuo plenum, non est homo viuens, qui dicere nec scribere posset, nec etiam magnitudinem illius principij in bonitate, duratione, & cæteris formis sustentati. Sacramentum altaris est instrumentum, quod est medium inter Deum & hominem in quantum coniungit formas superiores, & inferiores ita, quod forma est in forma: sicut aër qui est medium in quo ignis & aqua inuicem coniunguntur existente quolibet in alio, & in illa coniunctione intrant formæ inferiores

tes cum contrarietate naturali, quam contrarietatem formæ superiores in concordantiam conuertunt supra cursum naturalem, qui repræsentatur in concordantia, quam habent ignis & aqua in aëre, cum piper sit, vt ignis in ipso magnum calorem habeat, & aqua magnam passionem: sic in Sacramento, in quo formæ superiores magnam habent actionem, & formæ inferiores magnam passionem. Et ita magnam actionem & passionem, quod maiores esse non possunt inter Christum & presbyterum. Et hanc ita magnam actionem, & passionem Dei & creaturæ valde delectabile est intelligere & considerare. Finis propter quē mundus creatus est, cognoscitur in Sacramento altaris, qui quidem finis est, vt cognoscatur magnitudo diuinæ bonitatis, durationis, potestatis, & aliarum formarum Dei, & etiam vt cognoscatur magnitudo humanę bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, & aliarum formarum humanitatis Christi. Et iste finis in Sacramento cognoscitur, in quo est finis magnus bonitatis superioris & inferioris, & sic de aliis formis. Et ideò est Sacramentum habitus, in quo cognoscitur finis creationis mundi. Et ideo ille habitus est pulchrius speculum, quod potest esse in hac vita, inter Deum & hominem, videlicet & videndo in illo speculo, tot in tantas magnitudines finium, & complementorum formarum superiorum, quæ complent formas inferiores. In Sacramento altaris participant Deus & homo cum maioritate, quoniam Deus plus influere non potest de sua bonitate, magnitudine duratione, potestate, sapientia, voluntate, & sic de aliis formis. Nec homo in sua bonitate, magnitudine, duratione, potestate, & sic de aliis formis, plus recipere non potest de influentia superiori. Participant ergo Deus & homo cum maioritate influentiæ, & hæc participatio maioritatis, quę est inter Deum & hominem in hac vita esse non posset sine Sacramento. Et ideo malefaciunt illi homines, qui sunt presbyteri, qui Sacramentum sæpius facere possent, & faciunt in contrarium. In Sacramento altaris participat Deus cum homine, cum magna humilitate suæ bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis & veritatis, quoniam magnum est, quod ille qui est Deus & homo velit participare inferius, & tantum seipsum humiliare, cum omnibus suis altitudinibus, quæ sunt ita altæ, quod altiores esse non possent, quod dimittat se moueri de vno loco in alium, & dari hominibus. Et ideo malefaciunt illi presbyteri, & illi homines qui recipiunt Sacramentum, quando superbi sunt, cum ita sit, quod superbia & humilitas sint contraria. Et in hoc passu cognoscitur, quod presbyteri debeant esse magis humiles, quàm alij homines, in loquendo, induendo, comedendo, equitando, & habitando: & sic de aliis, quæ magnæ humilitati conueniunt, sicut Iesus Christus, qui in hoc mundo fuit humilis in omnibus.

De Ordine.

Ordo est Sacramentum necessarium ad alia Sacramenta, quia est instrumentum, cum quo fiunt alia Sacramenta. Et ordo est ita magnus, sicut spectat ad magnitudinem aliorum Sacramentorum: sicut martellus, qui proportionari debet ad magnitudinem claui. Vnde cum Sacramentum altaris, & pœnitentiæ sit ita magnum,

oportet quod ordo quem presbyter recipit, sit magnus, vt ipse potẽs sit per illum ordinem ad conficiendum Sacramentum altaris, & ad dandam pœnitentiã hominibus, & in soluendo & ligando illos cum clauibus beati Petri, quæ claudunt & aperiunt hominibus in cœlo & in terra: cui apertioni & clausuræ, respondet ordo presbyteri, qui siquidem ordo est Sacramentum, cuius scilicet Sacramenti magnitudinem extensam in bonitate iustitiæ, misericordiæ & potestatis iudicandi, & indulgendi, nullus posset scribere, nec cogitare. Et ideo illi presbyteri malè faciunt, qui habent ita magnum ordinem, quod se inclinant ad aliquod pactum, cum ita sit quod ordo & pactum sint contraria.

De Pœnitentia.

POenitentia est Sacramentum extensum in cõtritionem hominum, qui pœnitent de peccatis, quæ fecerunt, de quibus confitentur, & se submittunt iudicio presbyteri, vt fiat satisfactio, cum virtute contra vitium. Et istæ tres formæ contritionis, confessionis & satisfactionis sunt passiuæ, in quibus accipiunt similitudines formarum actiuarum, quas habet presbyter, qui similitudines imprimit illarum formarum actiuè in iudicio, quod dat, & in hoc quod indulget cum clauibus, quæ in illis formis passiuis claudunt & aperiunt. Et per hoc Sacramentum pœnitentiæ excitantur homines ad timorem per contritionem, & ad spem per indulgentiam. Et confessio, & satisfactio mouent contritionem, & è conuerso, contritio mouet illas: sicut forma, quæ mouet formam, vna forma mouente aliam ad suum finem: sicut ignis qui in pipere cum forma caloris mouet formam humiditatis, frigiditatis, & siccitatis: & siccitas, quæ mouet in pipere humiditatem, & frigiditatem. Et idem in formis spiritualibus, sicut voluntas quæ mouet intellectum ad intelligendum bona obiecta, amabilia ratione eorum bonitatum, & ad intelligendum mala obiecta, quæ sunt odibilia ratione eorum malitiæ. Et idem facit intellectus, qui mouet voluntatem ad amandum intelligibilia, & ad odiendum odibilia.

De Extrema-vnctione.

EXtrema vnctio est Sacramentum, quod esse oportet ratione finis, quoniam sicut baptismus est ratione principij, & confirmatio ratione medij, sic extrema-vnctio est ratione finis. In qua extrema-vnctione peccator, sua peccata confitetur, & fatetur fines formarum, qui sunt in vita æuiterna, & fines formarum qui priuantur in hac vita. Et sic extrema-vnctio est punctus, in quo peccator confitetur & fatetur lineas, quæ deficiunt in hac præsenti vita per mortem, quæ est diuisio corporis & animæ, & lineas futuras in vita æuiterna. Et hæc confessio per extremam vnctionem est Sacramentum in patiente, & in agente. Et si in patiente discretio deficiat propter magnam infirmitatem, in agente restauratur, qui facit Sacramentum. Sicut si naturaliter vnus homo perderet vnum oculum, in magna parte virtus illius oculi restauratur in organo alterius oculi. Et in hoc passu cognoscitur quomodo restaurantur baptismus & confessio in tempore necessitatis in absentia presbyteri, inquãtum fieri possint Sacramenta per aliũ hominem, qui non sit presbyter. Apparet etiam in hoc passu, quod Deus diligit,

diligit, quod Sacramenta ſint magna. Dictum eſt de ſeptem Sacramentis ſanctæ Eccleſiæ, quæ ſunt ornamenta illius, & ſicut Sol, qui eſt ornamentum terræ, inquantum ei dat lucem,& eſt idem de lumine, quod remouet tenebras à camera in nocte, & quod monſtrat illa, quæ ſunt in camera, ſic ſeptem Sacramenta cum lumine, & participatione formarum ſuperiorum & inferiorum monſtrant nobilitatem creatoris & creaturarum.

De Secunda parte foliorum arboris Apoſtolicalis.

FOlia arboris Apoſtolicalis ſunt canones,quæ ſunt accidentia,quibus Papa indiget ad ſuum regimen Qui quidem canones ſeminati ſunt in decretalibus& decretis & plures alij sũt in diſpoſitione, quod cognoſcantur: & illi qui cognoſcuntur, poſſunt applicari ad certum numerum aliorum cognitorũ magis generalium:ita quod artificialiter plura particularia applicati poſſent ad pauca vniuerſalia, & data eſt ex eis practica ſecundum modum quem dedimus in foliis arboris Imperialis Quem quidem modum replicare volumus in vno folio tantummodo, & hoc diſcurrendo per generalia accidentia. Et modum quem dabimus in diſcurrendo, eſt doctrina, quomodo homo diſcurrere ſciat per folia artificialiter, per accidentia generalia. Et per hanc doctrinam poſſet homo deducere ad ſcientiam neceſſariam in breui longam rhetoricam poſitiuam vocatam ius canonicum.

De Summa Trinitate: & primò de Quantitate.

SVmmam Trinitatem firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, ſine quantitate continua & diſcreta. Quoniã inquantum credimus vnũ Patrẽ,vnum Filium,vnum Spiritum ſanctum, & omnes tres, vnum Deum, & non tres Deos, credimus & confitemur, quod in Trinitate non eſt quantitas: quoniam in ipſa non poteſt eſſe, poſtquam omnes tres remaneat vna eſſentia, vnus Deus, vna natura, vna bonitas:& ſic de aliis formis eſſentialibus,ſiue rationibus. Quoniam quantitas diſcreta ſine diuerſitate eſſentiarum eſſe non poteſt, aut ſine diuerſitate eſſentiæ & ſuppoſiti, aut concreti:ſicut in bonitate creata, in qua bonificatiuus, bonificabilis & bonificare ſunt diſtincti, inquantum vnum non eſt aliud. Et quamuis ita ſit,quod ſint de vna eſſentia bonitatis,nullum illorum eſt bonitas, & ideo quodlibet per quantitatem attingitur, & in quantitate bonitatis determinatur. Sed hoc non eſt in beata Dei Trinitate:quoniã Pater eſt tota eſſentia diuina, & Filius tota eſſentia diuina,& Spiritus ſanctus tota eſſentia diuina: & Pater de toto ſeipſo producit Filium, & Pater & Filius de totis ſeipſis Spiritum ſanctum producunt. Et quia Pater eſt infinitus,& Filius eſt infinitus,& quilibet de tota ſua eſſentia producit, non poteſt productus ex eis in extenſitate. nec in æternitate eſſe quantus:quoniam productus eſt de eſſentia infinita & æterna, quare in illa benedicta productione quantitas nullo modo locum habere poteſt. Firmiter ergo credimus & ſimpliciter, quod in beata Dei Trinitate non eſt quantitas, nec poteſt eſſe.

De Qualitate.

IN ſumma Trinitate non eſt qualitas, quæ ſit accidens, quoniam bonitas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti

eſt qualitas eſſentialis & ſubſtantialis, inquantum Pater eſt qualis, & Filius qualis, & Spiritus ſanctus qualis, ita quod per qualitatem determinatus eſt quilibet vt ſit cognitus, & cum ſua proprietate quilibet ab alio diſtinctus & determinatus, vt Pater per proprietatem paternalem, & Filius per proprietatem filialem, & Spiritus ſanctus per proprietatem ſpirabilem. Et omnes iſtæ tres proprietates perſonales ſunt vna proprietas diuina, æterna, & infinita in bonitate, & in aliis formis diuinis, quarum quælibet eſt qualis, qualibet alia remanēte per eſſentiam. Et quælibet eſt qualis per operationē generationis & ſpirationis, in quibus eſt diſtinctio perſonarum. Ita quod pater per bonitatem bonum filium generat, & per magnitudinē magnum, & per æternitatē æternum. Et ita bonitas eſt qualis, & magnitudo qualis, & æternitas, ſimiliter in generatione, & in ſpiratione. Idcirco formæ in productione ſunt rationes reales omnes vna forma remanentes per eſſentiam, & naturam, deitatem, & vnitatem vnius Dei. Et iſte paſſus eſt multum delectabilis ad conſiderandum, & eſt principium ad ſoluendum plures obiectiones factas contra ſummam Trinitatem. Quæ quidem obiectiones graues ſunt ad intelligendum per illos, qui parum ſciunt, aut qui de Deo parum credunt.

De Relatione.

IN beata Dei Trinitate credimus & confitemur relationem ſubſtantialem non accidentalem. Subſtantialem, in quantum Pater producit Filium de ſua eſſentia ſubſtantiali, & de tota, non de parte, quoniam pars non poteſt eſſe in ſubſtantia infinita & æterna. Idcircò relatio realiter eſt ſubſtantialis ſine aliquo accidente. Et idem de relatione actiuæ ſpirationis, & paſſiuæ. Et ſimilitudo iſtius relationis ſubſtantialis, & diuinæ, eſt inter Patrem, & Filium, qui ſunt homines. Sed illa relatio non ſentitur per aliquem ſenſum, quoniam interius eſt ita ſecreta, quod nullus ſenſus ipſam attingere poteſt, ſed intellectus ipſam attingit in ſpecie, quam multiplicat de relatione, quæ eſt accidentalis conſideratio, ita quod ſi pater non eſſet, nec filius, & è conuerſo. Et cauſa quare relatio ſubſtantialis eſt neceſſaria, eſt, quia Martinus ſuum filium de ſua ſubſtantia, & de ſuis accidentibus generat. Ita quod illa relatio vnum pedem tenet in Patre, & alium in Filio. Et hoc eſt ſecundum modum quem diximus in branchis arboris elementalis, vegetalis, & ſenſualis. Et quia Martinus generat filium ſuum de ſuis accidentibus: ſicut faber qui de accidentibus ferri facit accidentia claui, ideo remanet relatio inter Martinum, & ſuum filium accidentaliter. Idcirco illa relatio eſt triplicata, vna eſt ſubſtantialis & realis, alia eſt accidentalis, & realis, & tertia eſt intentionalis in intellectu multiplicata, in quantum ipſam intelligit, & ſuum intelligere induit in ſua ſpecie fantaſtica, quæ eſt in genere relationis.

De Actione, & Paſſione.

IN beata Dei Trinitate non credimus, nec affirmamus actionem neque paſſionem accidentalem, quoniam accidens non poteſt eſſe in productione, quæ eſt æterna & infinita; veruntamen actionem credimus & paſſionem in diuinis perſonis ſubſtantiales, in quantum dicimus quod pater eſt agens, in quantum producit, & filius

filius eſt patiens, in quantum productus eſt: ſed quia pater producit de ſua ſubſtantia ſubſtantiatum, & producens, & productum remanent vna ſubſtantia, oportet quod actio & paſſio ſint reales perſonæ ſubſtantiales, & actio, & paſſio in eis locum habere non poſſunt, quia pater eſt in filio, & filius in patre, in quantum ſunt vna ſubſtantia: & idem de tempore, quod non poteſt in illis habere principium, neque motum, quoniam Pater infinitus eſt in extenſitate, ſicut in æternitate, & idem eſt de Filio. Et idem eſt de quãtitate ſecundum quod dictum eſt, quæ in illis non poteſt eſſe: quare actio & paſſio quæ ſunt formæ accidentales nõ poſſunt eſſe in ſubſtantiato, vbi nõ eſt tempus, locus, quantitas, nec motus, & in quo actio & paſſio ſunt vnamet ſubſtantia, & vnamet eſſentia. Et idem ſeqnitur de ſancto Spiritu, quæ eſt paſſiua ſpirabilitas procedens, & proceſſa de actiua ſpiratiuitate ſine tempore, & ſine aliis formis accidentalibus, poſtquam remanet vna ſubſtantia, cum actiua ſpiratiuitate, quæ eſt Pater & Filius. Et in hoc paſſu habetur modus ad ſoluendum quæſtiones, quas faciunt Saraceni contra ſanctam Trinitatem ratione actionis & paſſionis, quas negant in Deitate, affirmantes quod in Deo non cadit aliquod accidens.

De Habitu.

IN beata Trinitate Dei non credimus, neque affirmamus habitum, cum ita ſit, quod habitus ſit accidens, & Deus ſit purus actus in exiſtendo & agendo, ſicut ſua magnitudo bonitatis, quæ eſt exiſtere æternum, & ſua magnitudo bonitatis, quæ eſt opus æternum, & idem eſt de aliis formis diuinis, idcirco Pater eſt ſuamet magnitudo, quæ eſt Pater æternaliter, & infinitè in generando Filium æternaliter & infinitè. Et idem eſt de ſancto Spiritu qui æternaliter & infinitè exit de Patre & Filio. Idcirco in beata Dei Trinitate, nec in ſua eſſentia habitus eſſe non poteſt, nec creaturæ quas creauit, in illo habituatæ fuerũt, priuſquam ipſas creauerit, quoniam antequam ipſas creauerit, fuerunt ideæ in ſua ſapientia, quæ quidem ideæ aliud non erant niſi Deus. Et erant multæ ideæ, inquantum oportebat, quod plures eſſent creaturæ, ſed non erant niſi vna idea, inquantum Deus eſt vnus. Sicut in ſpeculo, in quo eſt virtus, per quam plures figuras diuerſas accipit, vt figuram hominis, equi & caſtri, & eſt vna in ſeipſa, & pars ſpeculi, ita Deus antequam forent creaturæ, cum ſua ſapientia quæ eſt forma diuina eſſentialis & ſubſtãtialis, creaturas venturas attigit, & hoc actualiter & nõn habitualiter. Et in hoc paſſu errant Ariſtoteles, & eius ſequaces, qui affirmarunt mundum eſſe æternum, vt creatio habitualiter in Deo non eſſet, & quod eius operatio æternaliter & actualiter eſſet in mundo, quoniam homo quod credebat habitum, ſi mundus creatus fuiſſet, eſt purus actus ſapientiæ Dei, quæ accipiebat ea quæ ventura erant. Sicut ſi virtus receptiua ſpeculi tranſiret ad accipiendum formas, antequam eſſent, quod facere non poteſt, ſecundum curſum naturalem, ſed ſapientia Dei poteſt hoc facere, quia ſua virtus, & ſua poteſtas ſunt in vno puro actu infinito in attingẽdo hoc, quod eſt intra ſe & extra.

De Situ.

IN Trinitate Dei non eſt ſitus, cum ita ſit, quod Deus non ſit corpus

pus, nec aliqua natura corporis: quoniam ens infinitum in extenſitate non poteſt eſſe corpus, cum ita ſit, quod corpus non poteſt eſſe ſine longo, amplo, & profundo, nec ſine figura circulari, vel quadrangulari, aut triangulari: ſed nullum iſtorum cadere poteſt in infinitate. Et ideo malè fecerunt illi Philoſophi antiqui, & adhuc aliqui moderni Saracenorum, qui ſunt eorum ſequaces, qui negauerunt, quod Deus ſit extra firmamentum eſſentialiter, nec intra, ſed potentialiter & virtuosè: & ſic de aliis formis. Et hoc negauerunt, quia affirmare timebant, quod Deus foret corpus ſi eſſentialiter eſſet intra & extra: ſicut ignis qui eſt corpus, ſuppoſito quod ſit intra cameram & extra: quia ſicut Deus infinitus eſt per æternitatem, in qua eſt tempus mundi, & motus firmamenti, & illa eſt extra inquantum mundus non eſt ęternus, ſed eſt principiatus, & æternitas eſt intra mundum, quoniam non eſt ens diuiſibile, ita extenſitas Dei infinita eſt intra mundum & extra, quamuis ita ſit, quod non ſit corpus. Et iſta extenſitas diuina & ſpiritualis eſt eſſentia, quę eſt Pater, qui de ſeipſo producit Filium, & de Patre, & Filio exit Spiritus ſanctus. Quare ſitus qui eſt creatura, eſt ſpeculum & ſimilitudo, in quo humanus intellectus accipit modum, ſecundum quem perſonæ diuinæ ſunt in eſſentia, quaſi in ſimilitudine ſituationis: ſicut Pater qui eſt in eſſentia ſicut generans & ſpirans, & Filius ſicut generatus & ſpirans, & Spiritus ſanctus ſicut ſpiratus. Et idem eſt de eſſentia, quæ eſt per vnum modum Pater, & per alium Filius, & per alium Spiritus ſanctus, & ipſa remanet indiſtincta in ſemetipſa, quamuis in ipſa ſint perſonæ. Et iſtud ſpeculum aſſituationis, & figura eſt creatura ita diſpoſita & ordinata, quod intellectus humanus per illam videre poteſt, modum eſſentiæ & perſonarum diuinatum: & ſic de aliis formis diuinis. Sicut in diuina bonitate, in qua eſt Pater bonificans, & Filius bonificatus & bonificabilis, & Spiritus ſanctus ſimiliter: & bonificare quod eſt inter Patrem & Filium, eſt per modū generandi, & inter Patrem, & Filiū, & Spiritum ſanctum per modum ſpirandi. Sed hoc intellectus humanus, intelligere non poſſet, ſi ſitus non eſſet, quod eſt inſtrumentum ita neceſſarium ad intelligendum modum perſonarum: ſicut color eſt neceſſarius ad imaginandum coloratum.

De Tempore.

IN Trinitate Dei non eſt tempus, cum ita ſit quod tempus non poſſit eſſe ſine principio, & motu rerum motarum, & principiatarum, in quo tempus eſt ſuſtentatum. Et etiam quia Pater Filium generat de æternitate, inquantum de ſeipſo (qui eſt æternitas) ipſum generat: & idem eſt de Patre & Filio, qui de ſeipſis qui ſunt æternitas, Spiritum ſanctum ſpirant. Quare ſicut faber qui facit clauum de ferro, ipſum facere non poteſt de ligno, poſtquam ipſum facit de ferro, ita & multo melius productus de æternitate eſſentialiter & naturaliter, & ſubſtantialiter non poteſt eſſe de tempore, nec de aliqua natura temporis, cum ipſe productus ſit de æternitate, & in æternitate. Et ideo Saraceni, & Iudæi malefaciunt, qui negant in Deo Trinitatem: quoniam ſi Trinitatem in Deo affirmarent, crederent, affirmare tempus in ipſo, & negare æternitatem. Et in hoc paſſu poteſt homo cognoſcere, quomodo humanus,

nus intellectus Christianorum est altior, quàm intellectus aliarum sectarum intelligendo in Deo operationem producentis,& producti sine tempore, & sine motu vnius & alterius.

De Loco.

IN Trinitate Dei non est locus, cum ita sit quod locus esse non potest nisi in entibus finitis. Sicut ampulla, quæ est locus vini, & camera quæ est locus hominis, qui stat in illa, & sic de loco secundum quod dictum est in arbore elementali. Quare locus non potest esse in subiecto infinito extenso sicut est Deus pater, qui infinitus est in extensitate sine longo, amplo, & profundo, & sine omni natura loci. Et de toto seipso producit filium, quia ipse in vno loco non potest esse, nec filius in alio, quia essent supposita finita, si pater esset in vno loco & filius in alio, nec filius productus esset de essentia patris, qui est ens infinitum in extensitate nec de toto patre. Et idem est de Spiritu sancto, qui infinitè sine quantitate (sine qua locus esse non potest) exit de patre & filio, & exit in patre & filio, vt exeat in infinitate, & exit in seipso vt sit infinitus. Et ita nullo modo in diuina Trinitate locus esse potest. Quare Saraceni, & Iudæi malefaciunt, qui opinionem habent, quod Christiani credant, quod pater sit in vno loco & filius in alio, & Spiritus sanctus in alio, quoniam credunt, quod omnia quæ distincta sunt, requirunt loca distincta: sicut homo, arbor, Martinus & filius suus. Et in hoc quod dicimus, quod pater est in filio, & filius in patre, & sic de sancto Spiritu, non sequitur, quod dicamus, quod vna pars sit in alia, cum ita sit, quod personæ diuinæ non sint partes, quoniam pars non cadit in infinitate, vt dictum est, sed pater est in filio,& filius est in patre, & ita de Spiritu sancto, ita essentialiter, & naturaliter, quod vnum sunt per essentiam & naturam. Dictum est de accidentibus in quibus datur doctrina, quomodo homo sciat illa accidentia negare in summa Trinitate, & ipsam excusare ab illis accidentibus, & etiam quomodo homo sciat respondere ad obiectiones quæ fiunt contra ipsam beatam Trinitatem cum accidentibus supradictis. Quare similis doctrina haberi potest ad vtendum ipsis accidentibus affirmando vel negando illa in aliis canonibus. Sicut in canonibus de rescriptis & de constiturionibus, & sic de aliis. Quoniam per applicationem canonum ad nouē accidētia generalia poterit iudex cognitionem habere in iudicando, & aduocatus, in aduocando, & actor in agendo, & reus in defendendo. Et ideò doctrina data est, secundum quod dictum est, quomodo homo sciat vnam scientiam facere de generalibus formis, ad quas iura canonica reducantur. Et de illis quæ sunt particularia in vniuersalibus formis cognitionem habere. Et talis liber multum esset vtilis Domino Papæ & suis Officialibus.

De Floribus arboris Apostolicalis.

FLores arboris Apostolicalis sunt, quatuordecim articuli nostrę fidei Christianę, videlicet credere & affirmare vnū Deum Patrem, Filium, Spiritum sanctū, creatorem, recreatorem, & glorificatorem. Isti septem articuli prædicti pertinent ad Deitatem, & alij septem sequentes ad humanitatem, qui sunt,

quod Dominus Ieſus Chriſtus conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus & mortuus, deſcendit ad inferos, tertia die à mortuis reſurrexit, aſcendit ad cœlos, & quod venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Et hos, quatuordecim articulos flores vocamus; quia altiora ſunt, quæ de Deo & eius operibus credere poſſumus, & credulitas quā homo habet de ipſis eſt flos, vnde naſcitur fructus, qui eſt ſancta mater Eccleſia ſuſtentata in hominibus iuſtis, ſanctis & Catholicis, qui ſunt oues Domini Papæ Vicarij ſeu ſucceſſoris Beati Petri qui Romæ fuit crucifixus & mortuus. Quæ quidem Roma ſedes eſt ſui Vicarij, cuius ſedes vocatur Petra, cuius conditiones ſunt, quod ſit fortis, viua & alba. Et ideo illi malefaciunt, qui illam Petram non cuſtodiunt de morte, fragilitate & immundicia, cum illis ſit commiſſa ſecundum ſuas conditiones, quæ requirunt homines viuos, fortes & mundos de peccatis. Antequam veniamus ad probādum vnum Deum, primò probabimus æternitatem eſſe, poſtmodum infinitam bonitatem, & infinitam magnitudinem, & alias formas, cum natura Dei per has formas ſignificetur, & ſecundum earum naturam probationes ducere intendimus & concluſiones. Deinde probabimus Deum eſſe, & poſtmodum articulos. Et quemlibet articulum probare volumus quinque rationibus, & per formas primas, & per earum diffinitiones. Quæ quidem primæ formæ ſunt bonitas, magnitudo & aliæ. Veruntamen ſi in aliquo contra ſanctam fidem Eccleſiæ Romanæ dicemus, ſcienter non dicemus, ſed ignoranter. Et ideo hoc quod dicemus, ſubmittimus humiliter & tradimus Eccleſiæ Romanæ ſacroſanctæ, quoniam hoc quod ipſa faciet, credemus.

De Formis ſiue rationibus Dei.

SI æternitas non eſt, omne quod eſt, incœptum eſt à ſeipſo, quod eſt impoſſibile, quoniam fuiſſet antequam eſſet, quod eſt impoſſibile. Eſt ergo æternitas, quam ſummam durationem vocamus. Si ſumma bonitas non eſt, nec infima eſt, quod eſt impoſſibile, cum relatiuè ſe habeant. Eſt ergo ſumma bonitas quæ eſt infinita: quoniam ſi non eſſet infinita, ſequeretur quod maius bonum quod minus diſtat ab infinitate, magis diſtaret ab infinitate, quia eſſet plus circa non eſſe quam minus bonum, & ſic minus bonum maius eſſet quam maius bonum, quod eſt impoſſibile. Eſt ergo ſumma bonitas, quæ eſt infinita. Si infinita magnitudo non eſt, omne quod eſt, terminatum eſt in extenſitate, & ſic æternitas infinita eſt in duratione, & bonitas in ſummitate, vt probatum eſt: ſed terminatæ ſunt in magnitudine, quod eſt impoſſibile, cum infinitum, & finitum in eadem ſubſtantia proportionem non habeant. Eſt ergo infinita magnitudo: ſicut eſt æternitas & ſumma bonitas. Si infinita poteſtas non eſt, omnis poteſtas eſt finita, quod eſt impoſſibile: quia æternitas eſt in infinita duratione, & poſtquam eſt in infinita duratione, poteſt eſſe in infinita duratione per poteſtatem, quia ſine poteſtate non poſſet eſſe infinita. Eſt ergo infinita poteſtas, propter quam æternitas poteſt eſſe in infinita duratione. Æternitas eſt, vt probatum eſt, & quia eſt, ſcibilis eſt, & ſic ſua ſcibilitas eſt infinita: ſicut ipſamet æternitas infinita eſt, & poteſt eſſe infinita per infinitam poteſtatem. Et bonum eſt,

eſt, quod ſit infinita in ſcibilitate per ſummam bonitatem. Eſt ergo infinita ſcibilitas,& per conſequens infinita ſcitiuitas, cum relatiuè ſe habeant. Et ſic per conſequens eſt infinita ſapientia ex ambabus. Si infinita voluntas non eſt,omnis voluntas finita eſt,& ſic ſumma bonitas(quam probauimus)& infinita duratio,infinita poteſtas,& infinita ſapientia non ſunt amabiles infinitè per voluntatem, quod malum eſt contra bonitatem, cum omne bonum ſit amabile. Et etiam eſt vitium contra infinitatem magnitudinis, æternitatis, poteſtatis, & ſapientiæ illarum, infinitate amabili non exiſtente quod eis eſt malum, quod eſt impoſſibile. Eſt ergo infinita amabilitas, & per conſequens infinita amatiuitas, cum relatiuè ſe habeant. Si infinita virtus non eſt,omnis virtus finita eſt, non ſunt ergo ſumma bonitas, nec infinitas magnitudinis,æternitatis, poteſtatis, ſapientiæ, & voluntatis infinitè virtuosę per virtutem,& ſic ſunt in infinitate earum ocioſè, & ſine fine, quem perfectionem vocamus. Vnde ſequitur ſummum vitium, & infinitum habens conuenientiam cum ſumma bonitate,& immenſitate magnitudinis,&c. quod eſt impoſſibile: eſt ergo infinita virtus, per quam formæ ſupradictæ infinitè ſunt virtuoſæ. Si nulla veritas ſit infinita, omnis veritas eſt finita in bonitate,immenſitate,magnitudinis, æternitatis, &c. & ſic eſt falſum ſummam bonitatem eſſe, &c. quas probauimus: ſequitur ergo ipſas eſſe & non eſſe.quod eſt contradictio. Eſt ergo infinita veritas, per quam æternitas,bonitas, &c. ſunt in vero eſſe. Si nulla gloria ſit infinita, omnis gloria eſt finita, non eſt ergo gloria voluntati diligere ſemetipſam, & ſummam bonitatem, &c. quod eſt malum contra bonum, & paruum contra magnum, & vitioſum contra virtuoſum, & falſum contra verum. Et ſic bonitas non haberet:per quod poſſet eſſe ſumma,& ſic de aliis, & eſſet gloria in rebus finitis, per quam eſſent in ſummitate bonitatis, voluntatis, & virtutis, quod eſt impoſſibile. Eſt ergo infinita gloria & ſumma. Si nullum principium ſit infinitum in prioritate, omne principium eſt finitum, & ſunt plura principia æqualiter in prioritate finita, quod eſt impoſſibile, quia iam probauimus, quod ſumma bonitas,& immenſa magnitudo,&c.ſunt in prioritate infinitæ, quia ſumma bonitas eſt in prioritate ſummitatis. Eſt ergo vnum ſummum principium: per quod ſumma bonitas, &c. ſunt ante omnia in prioritate. Si nullum medium ſit infinitum, omne medium eſt finitum, quod falſum eſt, quia in ſumma bonitate(quam probauimus) bonificare nõ eſſet medium infinitum inter bonificantem, & bonificabilem, & ſic iam ipſa non poſſet eſſe ſumma, quia eſſet ocioſa & ſine virtute. Etiam non eſſet amabilis, ſi amare eſſet finitum, & non infinitum medium inter amatiuum,& amabile. Eſt ergo ſummum medium infinitum, per quod omnes formæ (quas prædiximus) habent purum actum,vt non ſint ocioſę. Si nullus finis ſit infinitus, omnis finis eſt finitus. Vocamus autem finem perfectionem rei & terminum ad quem: quod ſit finis infinitus patet in hoc per hoc quod probatum eſt de ſumma bonitate, &c. quia infinitæ non poſſent eſſe ſine fine, quia bonitas eſſet ocioſa naturaliter, & non eſſet ratio magnitudini, quod eſſet bona ſua infinitas:& ſic de æternitate & è conuerſo, quod eſt impoſſibile,ergo,&c. Si nulla concordantia ſit infinita, omnis concor-

danria eſt finita, non concordant,ergo ſumma bonitas,&c. in infinitate,quod eſt impoſſibile, quia iam non eſſent infinitæ in virtute & in amabilitate, &c. Eſt ergo vna concordantia infinita. Si nulla æqualitas eſt infinita, omnis æqualitas eſt finita, non ſunt ergo ſumma bonitas,&c. æqualiter infinitæ,& ſic ſunt aliquæ finitæ, & non infinitæ,quod eſt impoſſibile. Eſt ergo vna æqualitas infinita, per quam omnes formæ antedictæ ſunt infinitæ.

Quod Deus ſit.

QVod Deus ſit,per quinque rationes probare volumus in hunc modum. Si Deus eſt, ſuum eſſe eſt bonum,& magnum, & æternum:cum ita ſit, quod conſideramus Deum eſſe perfectum bonitate, magnitudine, & duratione Et ſi Deus non eſt,ſua priuatio eſt mala, & magnitudo æterna mala, quoniam Deus nunquam fuit nec erit: vnde ſequitur, quod magnitudo mali eſt æterna,ſi Deus non eſt ita:ſicut ſequitur per contrariũ, videlicet quod Deus eſt, eſt magnitudo boni æterni, oportet ergo q̄ Deus ſit de neceſſitate, quia magnitudo maiorē habet concordantiam cum bonitate in duratione: quam cũ malitia, quia priuatio,& duratio ſunt contraria: & duratio & eſſe habent concordantiã,& magnitudo & bonitas habēt concordantiã cũ eſſe,& paruitas quæ eſt cõtraria magnitudini: & malitia contraria bonitati concordantiam habent cum non eſſe:probatum eſt ergo Deum eſſe. Si Deus eſt: plus eſt de poſſibilitate, quam de impoſſibilitate in æternitate magnitudinis, & bonitatis. Et ſi Deus non eſt, eſt contrarium: quoniam ſuppoſito, quod Deus non ſit, oportet de neceſſitate eſſe æternitatem, quoniam ſi æternitas non eſſet, hoc quod eſt per ſe principiatum eſſet, quod eſt impoſſibile,quod aliqua ſubſtantia ſeipſam principiare poſſet: quoniam ſi ſeipſam principiare poſſet, & producere, eſſet ſua potentia in aliquo ſubiecto, quod iam prius fuiſset, & ſic multiplicaretur contradictio,quod eſſet aliquid, & non eſſet: quæ contradictio eſt impoſſibilis. Eſt ergo æternitas de neceſſitate,in qua æternitate eſt maior poſſibilitas, magnitudinis, bonitatis, ſi Deus eſt:quoniam ſi Deus eſt æternitas, poteſt eſſe infinita in magnitudine bonitatis exiſtente Deo illa æternitate: & ſi Deus non eſt,non poteſt eſſe infinita in magnitudine bonitatis, & ſic magnitudo, & æternitas maiorem habent concordantiam cum impoſſibilitate boni, quam cum poſſibilitate exiſtente illa poſſibilitate in actu puro, quæ quidem maior concordãtia eſt impoſſibilis,vt magnitudo,& æternitas non habeant cõcordantiam cum malitia & impoſſibilitate,& quod habeant concordantiam cum bonitate, & cum bono poſſito,& poſſibili,vt ita loquar, eſt ergo Deus de neceſſitate. Si Deus eſt, veritas eſt in maiori realitate bonitatis, magnitudinis, & æternitatis:& ſi Deus non eſt,eſt in minoritate, & falſitas in maioritate opinionis & fantaſticæ ſpeciei in qua conſideratur eſſe Dei, quod eſt infinita bonitas,magnitudo, æternitas. Et hæc conſideratio eſt falſa, & eſt maior quam realitas magnitudinis, & bonitatis, quæ ſunt infinitæ in æternitate. Et ita æternitas maiorem habet concordantiam cum magnitudine bonitatis, cum falſitate in fantaſia, quam humanus intellectus accipit, & quæ non eſt de eſſentia æternitatis, nec eſt ſubſtantialis, quam cum magnitudine bonitatis realis, quæ eſt veritas & ſubſtantia.

ſtantia. Et talis concordantia eſt impoſſibilis, per quam impoſſibilitatem probatur, quod Deus eſt de neceſsitate. Si Deus eſt, ſuum eſſe eſt amabile, & ſi non eſt, eſt odibile. Et hoc eſt, quia in amabilitate magnitudo, bonitas, & æternitas habent concordantiam, & ſi Deus non eſt, ſuum eſſe amabile non eſt, poſtquam non eſt, nec eſſe poteſt, & eſt amabile hoc, per quod non poteſt eſſe, cum ita ſit quod veritas naturaliter ſit amabilis. Sequitur ergo, ſi Deus non eſt, quod ſua priuatio ſit amabilis,& quod ſuum eſſe ſit odibile, & quod amare ſit bonum,& magnum, & odire ſimiliter. Vnde ſequitur naturaliter, quod minora bona, magis ſunt amabilia, quam maiora, & quod bonum eſt odibile,& malum amabile, & quod maiora mala, magis ſunt amabilia quam minora. Et hoc eſt impoſſibile,ſecundum quod experientiam habemus, & ſecundum rationem naturalem. Eſt ergo Deus de neceſſitate, quia ſi non eſſet inconuenientia antedicta ſequerentur,quæ eſſe non poſſunt. Si Deus non eſt,non eſt finis alicuius rei in aliqua ſubſtantia,& finis tãtummodo eſt in accidentibus Finem vocamus complementum ſine aliquo defectu,quoniam ſi Deus non eſt: finis conſiſtit in actibus potentiarum,& primarum formarum. Sicut finis ignis qui conſiſtit in calefacere, & finis vegetatiuæ, in vegetare, & ſenſitiuæ in ſentire, & imaginatiuæ in imaginari, & rationatiuæ in recolere, intelligere, & amare. Et finis arboris moralis conſiſtit in virtuificare, & arboris Imperialis in iudicare, & idem de arbore Apoſtolicali, & finis ſolis conſiſtit in lucere, & finis firmamenti in mouere. Et ſic de aliis in tantum quod operari eſt finis, & non operatum. Et eſt in principio, & medio entium. Quæ quidem entia ſunt vacua rebus ſubſtantialibus,& plena ſunt rebus accidentalibus quæ ſunt fin.s. Et ideo dixerunt aliqui Philoſophi antiqui, quod oportet, quod generatio, corruptio, & priuatio ſint principia æterna & generalia, vt operatio Dei ſit æterna. Idcirco dicunt,quod oportet quod aliquæ formæ veteres veniant in priuationem, & corruptionem,vt formæ nouæ venire poſſint in actum,& poſtmodum in priuationem & corruptionem, & hoc æternaliter generando & corrumpendo. Vnde ſequitur quod fines entium ſint generale corrumpere, & priuari: & quia ſunt magis in priuatione quam in eſſe, eſt priuatio finis rerum quæ ſunt, & eſſe ſe habet ad illum finem,quæ eſt ſuum contrarium,& in illo quietem habet. Et hoc eſt impoſſibile, & contra curſum naturalem, quæ quidem impoſſibilitas eſſet poſſibilitas,ſi Deus non eſt. Sed quia Deus eſt, contrarium eſt, videlicet operatio eſt, vt ſit operatum:videlicet accidens eſt,vt ſubſtantia ſit quæ eſt finis, & complementum accidentis, quod in illa habet quietem. Sicut forfices & martellus, qui quietem habent in clauo,& clauus in poſtibus, quas coniungit, & poſtes ſuum finem habent in naui. Et idem eſt de igne in quo calor habet quietem in calefacto, & vegetare in vegetato, & ſentire in ſubſtantia ſenſata,& imaginari in imaginato & intelligere,recolere,& amare in ſubſtantia recolita, intellecta & amata: & virtuificare in homine virtuoſo, & iudicare in iuſtitia,& iuſtitia in pace, & pax in eſſendo inſtrumentum hominibus ad cognoſcendum Deum,recolendum & amandum,& ad eundum de iſta vita ad aliam, & ad remanendum cum eo æternaliter, &

ad recipiendum ab eo gloriam, Deo existente per hominem recolito, intellecto & amato, quę sunt tres formę, fines, & complementa omnium entium creatorũ. Et ita sequitur, si Deus est, quod principia & media entium se habent ad finem, & illum finem attingunt, & in illo quietem habent. Et si Deus non est, prædicta inconueniẽtia sequuntur, quæ esse non possunt secundum cursum naturalem, nec etiam secundum cursum supranaturalem: cum ita sit, quod si Deus non est, nullum ens est supra cursum naturæ, quod si esset, non esse esset causa essendi, siue illius rei quæ est, & sic esset aliquid, & non esset aliquid, quod est impossibile.

De Vnitate Dei.

SIcut Deus benedictus, bonus est per bonitatem, & magnus per magnitudinem, æternus per æternitatem, & potens per potestatem, &c. ita oportet quod sit vnus per vnitatem: quoniam si non esset vnus per vnitatem, essent aliæ formæ maiores in Deo quam vnitas, & esset vnitas in Deo in minoritate, quæ est ens prope non esse. Et sic vnitas Dei non esset Deus, nec natura illius, quod si sic Deus esset minor per vnitatem, quæ minoritas esset mala contra bonitatem, & parua contra magnitudinem, & priuatio cõtra æternitatem, & fragilitas contra potestatem, & sic de aliis, quod est impossibile, scilicet quod in Deo sit contrarietas, vel defectus cum ipse sit pura concordantia, & complementum. Est ergo Deus vnus per vnitatem completè duobus modis: vnus est ꝙ sit vnus, sicut Martinus qui est vnus, & equus qui est vnus, videlicet vna substantia. Alius modus est, quod non sint plures dij, sed vnus tantummodo, sicut vnus sol, vna luna, vnus ignis. Et per hos duos modos vnitatis est Deus vnus completè, sine quibus vnitas non posset esse ratio Deo, quod esset vnus completè. Est ergo vnus Deus tantummodo, & non plures dij. In Deo potestas, sapientia, & voluntas sunt vnum idem in numero, quod si non oporteret, quod in Deo esset accidens, ita quod potestas non esset per seipsam sapiens, nec amata, vel amans, nec sapientia potens per seipsam, nec amata: nec voluntas per semetipsam potens, nec sapiens: quoniam potestas per sapientiam esset intellecta, vel intelligens, & per voluntatem amata vel amans, & sapientia intelligere posset per potestatem, & amare per voluntatem, & voluntas posset amare per potestatem, & intelligere per sapientiam, non autem per seipsam. Sicut aër qui non potest esse calidus per semetipsum, sed per ignẽ: & sicut ignis qui non potest esse siccus per se, sed per terram. Oportet ergo quod in Deo sua potestas, sapientia, & voluntas sint vnum idem numero, vt in ipso non sit accidens, nec paruitas, magnitudinis, bonitatis, potestatis, sapientiæ, neque voluntatis. Est ergo vnus Deus & non plures: quoniam postquam in Deo potestas, sapientia, & voluntas sunt vnum idem numero, potest esse per potestatem, si voluntas sua vult, & potest scire sua sapientia per voluntatem, & debet voluntas velle, postquam potest esse, quoniam gnitudo est suæ voluntatis, potestatis, & sapiẽtiæ, & suæ bonitatis, si est vnus Deus, & non plures, & si sint plures, & non vnus tantummodo, voluntas est contra magnitudinem suæ bonitatis potestatis, & sapientiæ. Et idem est de sua sapientia, quæ sit contra magnitudinem.

tudinem bonitatis ſuæ, poteſtatis ſuimet,& ſuæ voluntatis. Et idem eſt de poteſtate, quæ poteſt contra magnitudinem bonitatis ſuimet, ſapientiæ & volũtatis:& hoc eſt impoſſibile quod in Deo ſit aliqua forma contra ſeipſam, vel contra aliam: veruntamen non dicimus quod in Deo ſint plures formæ, ſed vna forma, ſed ita nos loqui oportet, inquantum rationes quæ ſunt in Deo, formas vocamus: probatum eſt ergo quod ſit vnus Deus, & non plures dij. Oportet quod bonitas Dei ſit ita magna, quod maior eſse non poteſt: quoniam ſi poſset eſse maior, eſset magna in potentia, & parua in actu, quæ qdẽ paruitas eſset contra magnitudinẽ, & contra bonitatẽ,& contra alias formas, quod eſt impoſſibile: eſt ergo bonitas Dei ita magna, quod maior eſse non poteſt, & maior bonitas, qua poteſt eſſe, eſt quod ſit vna quæ ſit Deus, ita quod alius Deus, aliam bonitatem non habeat, vt bonitas ſit infinita in magnitudine, cuius infinitas eſt, q ſit vna,& nõ plures: verũtamẽ homo bonus eſt,& equus eſt bonus, nec bonitas alicuius illorum eſt contra magnitudinem bonitatis Dei, poſtquam ipſa eſt infinita & eſt Deus, & bonitates extra quæ ſunt creatæ ſunt infinitæ. Eſt ergo vnus Deus tantummodo, & non plures, vt magnitudo ſuæ bonitatis ſit infinita. Et idem eſt de ſua extenſitate, æternitate & poteſtate, quæ non poſſent eſſe infinitæ formæ, ſi eſſent plures dij. Si eſſent plures dij, vnus per ſe ſufficere non poſſet, quod eſſet finis ſuarum formarum: ſicut bonitas vnius Dei, quæ non poſſet habere quietem in ſua magnitudine, quæ eſſet terminata & finita in hoc quod eſſet aliqua magnitudo, quæ eſſet alius Deus: & idem de magnitudine, quæ quietem habere non poſſet in bonitate, poſtquam alia bonitas eſſet Deus, & ita nullus Deus finem ſuum haberet in ſeipſo, nec in alio: quoniam ſi in alio haberet, non eſſet Deus: eſsent ergo formæ cuiuſlibet Dei vacuæ ſine ſuo, quod eſt impoſſibile. Eſt ergo vnus Deus, & non plures dij, in quo quælibet ſuarum formarum quieſcit, qualibet forma in ipſo exiſtente infinita,& ipſo infinito exiſtente,& completo ſine omni defectu. Si ſunt plures dij, plures ſunt æternitates,& quęlibet æternitas eſt Deus, & ſicut quilibet Deus infinitus eſt per æternitatem, oportet quod ſit infinitus per extenſitatem, cum ita ſit quod in Deo extenſitas & æternitas ſunt æquales in ſeipſis, & in magnitudine bonitatis, poteſtatis, & aliarum: ſed hoc eſſe non poſſet, ſi eſsent plures dij: quoniam æternitas eſset maior, quam extenſa magnitudo: quæ magnitudo tangeret magnitudinem alterius Dei, & haberet quilibet Deus rectitudines, quæ ſunt ſurſum & deorſum, antrorſum, retrorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum, in quibus magnitudines contrariarentur ſibiinuicẽ, ſicut rectitudines vnius corporis, quæ obuient ſibi inuicem, cum rectitudinibus alterius corporis, & ita quilibet Deus haberet ſubſtantiam terminatam, vſque ad vnum locum, & non extenderet ſe ad plus, & oporteret, quod vnus Deus eſset in alio, ſicut pars in parte, ita quod totum non ſequeretur, quod eſt impoſſibile, & contra magnitudinem bonitatis, æternitatis & infinitatis, & etiam contra curſum naturalem. Eſt ergo vnus Deus tantummodo, & non plures. Probauimus ergo primum articulum, videlicet vnum Deum eſse, & non plures. Secundus articulus eſt, credere & affirmare Patrem. Tertius articulus eſt credere & affirmare Filium.

lium. Quartus articulus est credere & affirmare Spiritum sanctum. Et hos tres articulos probare volumus probando Trinitatem, quam probare intendimus tribus modis, secundum quod probauimus in libro quinto hominum sapientum. Primus modus est ad probandum Trinitatem, probare in Deo pluralitatem plurium rerum. Secundus modus est probare, quod illæ plures res sint personæ, quæ sunt proprietates, ita quod vna sit paternalis proprietas, alia filialis, & alia passiua spirabilitas. Tertius modus est probare, quod in Deo sint tres personæ, ita quod non sint plures, neque pauciores.

De Pluralitate Dei.

DEus est vnus, & est bonus, magnus, æternus, potens, &c. Vnde sicut Deus se habet ad intelligere per sapientiam, & ad amare per voluntatem, sic se habet ad vnire per vnitatem, & ad bonificare per bonitatem, & ad magnificare per magnitudinem, & ad æternificare per æternitatem, & ad possificare per potestatem. Et hoc ita esse oportet, vt sapientia & voluntas magis se non habeant ad finem, quam vnitas, bonitas, magnitudo, æternitas & potestas. Deus ergo se habet ad vnire per vnitatem ita, quod vnum producat, qui intãtum sit vnus, quod non sit alius, vt vnitas sit ita ratio vni, quod producat vnum: sicut bonitas est ratio bono: quod producat bonum, & voluntas est ratio amanti, quod producat amatum, & sapientia est ratio intelligenti, quod producat intellectum. Deus inquantum est vnus non potest seipsum producere, videlicet suam vnitatem: quoniam nullum ens seipsum producere potest. Et quia oportet, quod producat vnum, vt vnitas sit ratio fini sui ipsius: oportet quod sit vnus Deus, qui producat vnum Deum ita, quod vnus sit producens, & alius sit productus, & quod vnus sit de vno, & quód de ambobus sit vnire: ita quod sub ratione vnitatis sint tria concreta de sua essentia & natura, & omnia tria vna essentia & vna natura, & non plures essentia nec naturæ, vt vnitas sit magna: & alia tria sunt vniens, vnibilis & vnire. Oportet ergo de necessitate, quod inter illa sit distinctio, intantum quod vnum non sit aliud, sine qua distinctione vnitas non posset esse ratio vni quod producat vnum, & esset ociosa, & per illam non sequeretur aliquid in sua essentia, nec de sua essentia & natura, & esset parua in seipsa, & magna in creaturis, in qbus est ratio vni creaturæ, quod producat aliam creaturam per modum generationis & secundum cursum naturalẽ: sicut Martinus, qui est vnus, cui vnitas Dei est ratio, quod Petrum producat, qui est vnus filius suus: oportet ergo quod vnitas Dei quæ non potest esse maior ratio alij, quam in semetipsa sit ratio in suamet essentia vni Deo: quod producat vnum Deum. Probatum est ergo quod in Deo pluralitas sit de necessitate secundum magnitudinem vnitatis & suę bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, & gloriæ. Omnis vnitas maior est in magnitudine bonitatis & potestatis per existere & agere, quam per existere tantum, aut per agere tantum. Sicut ignis qui maior est per suũ esse & per suum calefacere, quàm per suum esse tantùm, aut per suum calefacere tantum: & quod non esset hoc, ꝙ est. Est ergo vnitas Dei maior in magnitudine bonitatis, æternitatis & potestatis per existere, & agere, quã non esset per

vnum.

vnum tantum. Et quia oportet quod in illa ſit maior magnitudo bonitatis, æternitatis & poteſtatis, quæ poſſit eſſe:oportet quod in illa ſit hoc quod eſt,& quod habeat operationem in ſe vnitiui,vnibilis & vnire, quam operationem habere non poſſet ſine diſtinctione plurium,cum ita ſit quod operari vnitatis non poſſit eſſe ſine vnire, ita quod vnus non ſit alius. Sicut faber qui non poteſt agere de ferro nec de vnitate illius abſque vnire, ita videlicet quod de ferro vnum clauum faciat aut vnum cultellum vel plures. Eſt ergo in vnitate Dei pluralitas plurium : ita quod vnus non eſt alius, vt ſua vnitas poſſit eſſe magna per exiſtere & agere. Deus eſt Deus per deitatem:ſicut bonus eſt per bonitatem, & vnus per vnitatem. Et quia ipſe in ſe habet agere : inquantum intelligit ſemetipſum, & diligit ſemetipſum : oportet quod in ſeipſo habeat deificare : ſicut in ſe habet intelligere & amare. Quoniam ſi haberet intelligere & amare, & non deificare, maior eſſet per ſapientiam & voluntatem in bonitate, poteſtate, æternitate & fine quam per deitatem:quod eſt impoſſibile.Eſt ergo in deitate deificare quod in ſe ipſo eſſe non poteſt ſine diſtinctionare deificantis, deificabilis, & deificare,& ſeipſum deificare non poteſt,quoniam iam Deus eſt, & eſt deitas:ſicut ſeipſum æternare non poteſt, cum iam ſit æternus & æternitas. Sed de ſeipſo poteſt deificatum deificare de deificante per deificare. Probatum eſt ergo quod in Deo ſit pluralitas ſuſtentata in deificante, deificabili, & deificare, cum diſtinctionare. Deus eſt Deus per ſuum exiſtere:ſicut martellus, qui martellus eſt per ſuum exiſtere:& panis qui eſt panis,quia eſt de farina & aqua,& ſic de aliis ſubſtātiis. Vnde ſicut martellus eſt, vt ſit clauus : & panis, vt homo ex ipſo viuat : ita & multomelius eſt Deus, vt ſit Deus: quoniam ſi Deus non eſſet ratione finis,ſed ratione exiſtentiæ:eſſet in minori bonitate magnitudinis, æternitatis,poteſtatis,ſapiētiæ,volūtatis, gloriæ,virtutis,& veritatis:& martellus, & panis eſſent in maiori magnitudine bonitatis quam Deus, inquantum eſſent per modum eſſendi hoc quod ſunt, & quod per eorum exiſtere ſequeretur aliquod bonum, & Deus non eſſet niſi tantummodo per ſuū exiſtere, & quod in ſe non ſequeretur aliquod bonū p ſuū exiſtere, ſed in creaturis & diſpoſitus eſſet ad producendū magis parua quā magna, in quibus eſſet finis ſui exiſtere : ſicut finis martelli, qui eſt in fine claui, & finis panis in vita hominis. Et hoc eſt impoſſibile,quod aliquis finis qui non ſit de eſſentia Dei, ſit finis ſuæ exiſtentiæ : nec quod martellus & panis ſint in maiori magnitudine quā Deus, qui eſt cauſa prima. Eſt ergo in Deo exiſtentia & agentia,& oportet quod Deus ſit ita bonus, & ita magnus per agentiā ſicut per exiſtentiā,& per exiſtentiam ſicut per agentiam, Eſt ergo Deus intantum Deus per agere ſicut per exiſtere:vnde cum Deus ſit per exiſtere, oportet quod ſit Deus per agere : videlicet per deificare, ita quod Deus ſit de Deo & quod deificans ſit, vt ſit deificatus, & deificabilis, & deificare, & deificatus, & deificabilis : vt ſit deificans, & deificare:& deificare vt ſit deificans & deificabilis, hoc autem eſſe non poſſet ſine pluralitate plurium. Eſt ergo in Deo pluralitas de neceſſitate,Deus eſt purus actus,& eſt actus purus infinitè,

Dd

oportet ergo quod in illo ſit infinite, quoniam ſi in ſua actualitate infinita non eſſet infinite, ſequeretur in illo contradictio: videlicet quod eſſet actus infinitus & non infinitus, eſſet actus infinitus inquantum per modum exiſtendi, ita quod ſua exiſtentia non haberet terminum in extenſitate, ſicut in æternitate, in qua non eſt terminus principij, medij & finis, & eſſet infinitas finita in infinire, in hoc quod ipſum non haberet, & ſic eſſet infinita & finita, quare nõ poſſet eſſe in actu infinito. Oportet ergo quod infinire ſit de infiniente & infinibili, de quibus non poſſet eſſe abſque pluralitate omnium trium. Et etiam oportet quod ſi in Deo non eſſet infinire bonitatis in bonificare, quod eſt de bonificante & bonificabili, & in æternare quod eſt de æternificante & æternificabili, & in poſſificare, quod eſt de poſſificante & poſſificabili, & intelligere, quod eſt de intelligente & intelligibili, & in velle quod eſt de volitiuo & volibili: & ſic de aliis formis, eſſent bonitas ocioſa in hoc quod non eſſet bonitas, ad infiniendum bonum de bono, cuius ocioſitas ſibi eſſet mala. Et idem eſt de æternitate quæ foret ocioſa ad infiniendum de æternificante & æternificabili, cuius ocioſitas ei eſſet priuatio infinitatis. Et de poteſtate quæ eſſet ocioſa, inquantum non eſſet ratio ad infiniendum. Cuius ocioſitas ei eſſent impoſſibilitas poſſibilis & poſſiti, & idem eſt de aliis formis. Oportet ergo de neceſſitate quod quælibet formatũ de habeat ad infinire, vt in ipſo ſint ita purus actus, ſicut ſunt in infinitate. Oportet etiam quod ſint in infiniente & infinibili ita actus purus, ſicut ſunt in infinitate: ſed hoc eſſe non poſſet, ſi in Deo non eſſet pluralitas, eſt ergo pluralitas in Deo de neceſſitate.

De Diuinis Proprietatibus.

PRobatum eſt ſupra quod in Deo ſit pluralitas, modo probare volumus quod illa pluralitas ſit in proprietatibus perſonalibus, videlicet in proprietate Paternali, Filiali, & Spirituali paſſibili. In bonitate Dei ſunt bonificans, bonificabilis & bonificare, & in magnitudine, magnificans, magnificabilis & magnificare, & in æternitate æternificans, æternificabilis & æternificare, & in ſua poteſtate poſſificans, poſſificabilis & poſſificare, & in ſapientia, intelligens, intelligibilis & intelliger, in voluntate amans, amabilis & amare, & ſic de cæteris dignitatibus Dei. Et hoc oportet eſſe de neceſſitate vt ipſæ dignitates non ſint ocioſæ, & quod in ſeipſis ſuum habeant complementum, ſicut intelligere Dei, quod bonum eſſe oportet per bonitatem, & de bonitate, & de magnitudine ratione cuius oportet quod ſit magnum. Et idem eſt de æternare, ratione cuius eſt æternum, & de æternitate, & idem eſt de intelligere, quod oportet eſſe per ſapientiam & de ſapientia, & ſic de amare, quod oportet eſſe de voluntate. Et ſi hoc ita non eſſet, intelligere Dei non eſſet magnum in bonitate, nec de bonitate, & ſic de magnitudine, & cæteris. Et quia intelligere eſt magnum, oportet quod intelligens ſit magnus & intelligibilis magnus, & quilibet ita magnus, quod non poſſit eſſe maior, neque melior, neque plus æternus, & ſic de aliis. Oportet ergo quod intelligens ſit pater, & intelligibilis ſit filius, ita quod Deus intelligens ſeipſum producat ita magnum intelligere in ſemetipſo, quod ſequatur ex ipſo intellectus, qui ſit de eſſentia intelligentis, & quod intelligens, & intelle

tellectus sint intelligere essentialiter, & quod distinctio remaneat inter intelligentem, & intellectum, & quod sit de patre & filio, & oportet quod sit patris & filij: quia oportet quod intellectus sit de intelligente, vt intelligere sit maius, quoniam si non esset de essentia intelligentis, esset minor, quæ quidem minoritas in Deitate locum non habet. Quia sicut Martinus qui generat filium de seipso vocari debet pater, quia generat de seipso: ita Deus intelligens, qui de seipso intellectum producit, vocari debet pater, & per consequens intellectus vocari debet filius. Et oportet quod quilibet sit suppositum persona & substantia, vt magnitudo sufficiat de seipsa, & de bonitate, æternitate, & de potestate, & de aliis dignitatibus omnibus tribus. Probatum est ergo quod pluralitas sit de paternitate, & de filiatione. Oportet quod pluralitas Dei sit amantis, amabilis, & amare, & in amante, amabili, & amare, & per amantem, amabilem, & amare. Quoniam si aliqua istarum formarum deficeret, esset vacua vna aut duabus, aut omnibus tribus. Est ergo pluralitas de amare, & in amare, & per amare, & in amante, amabili, & de amante, amabili, & per amantem, & amabilem, & ita sufficit magnitudo bonitatis, & cæterarum formarum omnibus tribus. Oportet ergo quod amans sit pater, & amatus sit filius, cum ita sit quod inter patrem & filium possit esse maior bonitas, & magnitudo amoris (quia filius est de patre) quam inter aliqua alia supposita, quæ non sunt de essentia amoris, nec sunt pater & filius. Et quia pater amat filium, & filius amat patrem, oportet quod magnitudo sufficiat ita fortiter de se ipsa, & de bonitate, æternitate, potestate, & de aliis ipsi amare, quod est inter patrem & filium, quod illud amare sit ita magnum in omnibus dignitatibus, & per omnes dignitates, & de omnibus dignitatibus: sicut sunt pater & filius. Oportet ergo quod amare sit persona, & proprietas spirabilis, per quam oportet quod vocetur Spiritus sanctus, qui exit & producitur de patre & filio, patre amante filium & filio patrem, & quolibet amante alium quantum semetipsum. Et si ille exitus qui exit de amore patris & filij (quam quidem amorem habent ambo) non esset Spiritus sanctus, non sufficeret ei magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis, & aliarum dignitatum, & esset ille exitus subiectum minoritati, & paruitati, quæ est contra magnitudinem, & non esset hoc quod est in aliqua forma, quod est impossibile. Est ergo ille exitus Spiritus sanctus, videlicet persona passiua spirabilis, & spirata ab amore, qui est spiratiuitas actiua, & pater & filius, vno alium diligente. Oportet quod pluralitas diuina (quam probauimus) in maiori sit relatione quę potest esse bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & aliarum: sicut in amore, in quo amans, amabilis, & amare, qui sunt de sua essentia, sunt in maiori relatione, quam amans, amabilis, & amare, quæ non sunt de sua essentia. Sicut Martinus qui denarios diligit, & honores, & delitias carnales, & sic de aliis. Postquam ergo in pluralitate Dei sit maior relatio amantis, amabilis, & amare, oportet quod amans sit pater, & amabilis filius, & amare Spiritus sanctus, & quod omnes tres sint amor & relatio vnius ad alium, existentibus amore & relatione sustentatis in ipsis: sicut essentia in suis concretis, quæ sunt ex illa essentialiter: est ergo sustentatio proprietatum personalium, quæ sunt

paternitas, filiatio, & ſpiratio, vt relatio ſit magna in magnitudine bonitatis, & amoris, & aliarum: ſicut amor in quo non poteſt eſſe amans ſine amabili, nec amans, & amatus ſine amare. Naturaliter maior concordantia bonitatis, magnitudinis, æternitatis, poteſtatis, ſapientiæ, & voluntatis, & aliarum quæ poſſit eſſe in pluralitate, videlicet in proprietatibus diſtinctis, & perſonalibus, poteſt eſſe inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: quoniam in hoc quod pater de ſeipſo, & de toto hoc quod habet producit filium, & filius non eſt ex alio niſi ex patre: ſicut Petrus filius Martini, & ſuæ matris, qui non eſt tantummodo de Martino, imo eſt de ſua matre, nec eſt de toto Martino, quoniam non eſt de eſſentia ſuæ animæ rationalis, nec eſt Martinus, quoniam Martinus eſt in vno loco, & Petrus ſuus filius in alio: ſed in Deo non eſt ita, quoniam filius eſt de toto patre, & in patre, & pater in filio, & pater de toto ſuo amare amat ſuum filium, & filius de toto ſeipſo amat patrem, & amare eſt de ambobus, & de vna amatiuitate, quæ eſt ambo, & illa remanet vna amabilitas. Et ideo maior concordantia quæ poſſit eſſe, eſt illorum trium in magnitudine bonitatis & aliarum: ſed hoc eſſe non poſſet, ſi pluralitas non eſſet paternitatis, filiationis, & ſpirationis. Oportet quod diuina pluralitas ſit in maiori æqualitate quæ poſſit eſſe inter vnum & aliud, vt illa maior æqualitas ſufficientiam habeat magnitudinis, bonitatis, æternitatis, & aliarum. Eſt ergo maior æqualitas, quæ poſſit eſſe inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: ſicut filius qui eſt ex tota bonitate patris, & ex tota magnitudine illius, & ſic de tota æternitate, & de tota poteſtate, ſapientia, & voluntate. Hæc ita magna æqualitas non poſſet eſſe niſi inter patrem & filium, patre generante filium de toto ſeipſo, & de tota ſua bonitate, magnitudine, æternitate, & aliis, & patre cum filio ſpirante Spiritum ſanctum exeuntem ſiue ſpiratum de tota bonitate amborum, & de tota eorum magnitudine, & cæteris, & exiſtente æquali medio amborum in hoc, quod exit ex ambobus. Oportet ergo quod pluralitas diuina quæ requirit ſecundum ſuam bonitatem, & naturam maiorem æqualitatem ſuppoſitorum, ſit in æqualitate paternitatis, filiationis, & paſſiuæ ſpirationis.

De Numero diuinali, æternali.

PRobatum eſt quod in Deo ſit pluralitas perſonarum, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, modo volumus probare, quod perſonæ pauciores eſſe non poſſunt, nec plures tribus ſecundum magnitudinem bonitatis, æternitatis, poteſtatis, & aliarum. Magnitudo bonitatis eſt, quod habeat in ſeipſa & de ſeipſa bonificatiuum, bonificabile, & bonificare: & magnitudo æternitatis eſt, quod habeat in ſeipſa & de ſeipſa æternificatiuum, æternificabile, & æternificare, & idem eſt de aliis formis. Et ideo ſignificatum eſt, quod perſonæ diuinæ ſunt tres, & nō plures neque pauciores: quoniam ſi eſſent plures oporteret quod in formis illud plus eſſet ſuperfluum. Sicut in bonitate, in qua oporteret, quod duos haberet bonificatiuos aut plures, & duos bonificabiles aut plures, & duo bonificare aut plura. Et non ſufficeret vnus bonificatiuus, vnus bonificabilis, & vnum bonificare, & ita deficeret magnitudo cuiuſlibet, qui defectus eſſet malus, & paruitas cuiuſlibet. Et ſi in bonitate non eſſet niſi vnus bonificatiuus, & quod

non

non esset bonificabilis, qui esset de eius essentia, & bonificare quod esset de essentia amborum, non posset esse relatio in magnitudine bonitatis, & ei deficeret magnitudo, & hoc esset malum. Sunt ergo in bonitate tres, & non plus, neque minus, & hoc idem in æternitate, & in aliis formis. Et est bonificatiuus, magnificatiuus, æternificatiuus, possificatiuus, & intellectiuus, & in amore amatiuus, qui est Pater. Et bonificabilis, magnificabilis, æternificabilis, & intelligibilis: & in amore amabilis, qui est filius, in quo amore, amare est Spiritus sanctus, qui est bonificare, magnificare, æternificare, possificare & intelligere. Et est distinctio inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ita quod in amore, Pater, & Filius sunt generare, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt in amore spirare, existente spirare distincto, inquantum Pater, & Filius sunt spiratiui, & Spiritus Sanctus spirabilis. Sunt ergo tres personæ & non plures, neque pauciores. Si in diuinis sit vnus Pater & non plures, vnus Filius & non plures, vnus Spiritus sanctus & non plures, magnitudo sufficit cuilibet personarū in singularitate cuiuslibet. Et idem est de bonitate, quæ sufficit singularitati cuiuslibet. Et idem faciunt æternitas, potestas, sapientia, & voluntas. Sicut in vno regno, in quo sufficit vnus Rex, bonus, magnus, potens, sapiens & virtuosus: & in cœlo, in quo sufficit vnus Sol, & vna Luna, & in elementatis, vnus ignis, vnus aër, vna aqua, & vna terra, & in anima vnus intellectus, vna memoria, & vna voluntas, & in argumento duæ maximę & vna conclusio, & in corpore, vnum longum, vnum latum, & vnum profundum: & sic de aliis similibus istis. Oportet ergo quod in Deo sufficiat vnus Pater, vnus Filius, & vnus Spiritus sanctus, qui sunt vnus Deus, & non plures. Sicut in amore Dei, in quo amans, amabilis & amare sunt vnus amor, vnus Deus: amabilis vero & amatus sunt vnum, idem numero, qui est filius: quoniam si amatus esset vnus, & amabilis esset alter, amatus esset ductus de potentia in actū, & amabilis esset in potētia & in futuro. Et pater est amans, & est amatus per filiū, & est idē numero, quod amās & amatus. Et est distinctio in hoc, quod inquantum ipse est amans, est pater, & inquantum ipse est amatus, est amatus per filium, & hoc idem est de filio, qui inquantum pater ipsum intelligit, est filius, qui est amans, inquantum amat patrem. Et idem est de Spiritu sancto, qui inquantum est amans, est Spiritus sanctus, & amatus sunt Pater, & Filius amati per Spiritum sanctum ex ambobus spiratum, Patre & Filio existentibus vno amante, qui amant, scilicet Spiritum sanctum producendo ipsum. Est vnus alius modus amandi, de quo non sequitur productio, sicut Pater qui amat seipsum, in quo amore sunt amans, & amatus, & amare vna eadem persona in numero. Et idem est de Filio, qui amat semetipsum, & est vna eadem persona in amando semetipsum, vt de Patre dictum est. Et idem est de Spiritu sancto. Et amare cuiuslibet est vna essentia, & vnus amor ita: sicut est vna bonitas, cuiuslibet siue omnium trium, & vna magnitudo, vna æternitas, vna potestas, vna sapientia, vna volūtas, vna Deïtas, & vnus Deus. Et hoc oportet esse de necessitate, vt magnitudo bonitatis, & suæmet æternitatis, & aliarum formarum sufficiat proprietati cuiuslibet personę, & communitati omnium trium. Et iste passus est multum vtilis ad sciendum, & ne-

ceſſarius illis, qui de ſancta Trinitate deſiderant habere cognitionem. Maior concordantia quæ ſit in aliquo numero, in numero ternario conſiſtit, ſic in bonitate, concordantia, bonificatiui, bonificabilis & bonificare: & in magnitudine, concordantia, magnificatiui, magnificabilis & magnificare: & ſic de aliis. Et quia oportet quod maior concordantia numeri, quæ poſſit eſſe, ſit in Deo, & non minor, oportet ergo quod ſit ex tribus tantum, & non de pluribus, nec paucioribus. Ex paucioribus non poteſt eſſe: quoniam concordantia eſſet minor, quoniam concordãtia maior eſt ex tribus, quàm ex duobus. Ex quatuor non poteſt eſſe, quoniam quartus eſſet in concordantia ſuperfluus, ſicut in bonitate, in qua ſufficit concordantia trium, videlicet concordantia bonificatiui, bonificabilis, & bonificare. Eſt ergo concordantia maior ex tribus, & eſt maior ex tribus, quam ex alio numero: quoniam vnus naſcitur ex alio vno, & vnus exit de duobus, & omnes tres remanent, vna eſſentia, vna natura, vnus Deus in numero, ita quod non ſequitur quartus numerus, qui ſequitur in creaturis: ſicut homo qui eſt de corpore, & anima, & ex coniunctione amborum, & tranſit in tertium numerum, qui non eſt aliqua de ſuis partibus, nec aliqua de ſuis partibus eſt homo, ſed in Deo, Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus, & omnes tres ſunt vnus Deus, & ille Deus qui eſt Pater, & qui eſt Filius, & qui eſt Spiritus ſanctus. Et ita remanet numerus in tribus perſonis, & in vno Deo, & vnus non eſt aliud niſi tres perſonæ, nec perſonæ ſunt aliud, niſi ille vnus. Et ita oportet eſſe de neceſſitate, vt in Deo non ſint partes, nec compoſitio, & quod magnitudo de ſeipſa, & de bonitate, æternitate, poteſtate, & aliis numero ternario ſufficiat, de quo dictum eſt ſupra. Maior æqualitas quæ poſſit eſſe inter plura, poteſt eſſe in numero ternario: ſicut vnum, quod æqualiter poteſt eſſe inter duo, & magis æqualiter, quam inter tria aut quatuor, aut inter plura: quoniam ſecundum eſſet longius, ſiue remotius à quarto, quam à primo, vel à tertio, & primum propinquius eſſet ſecundo quàm tertio & quarto, & tertium propinquius eſſet quarto quàm primo. Etiam ſi æqualitas fiat de ſex, ita quod duo ſint in medio, & duo ſint primi, & duo in fine, non poteſt eſſe magna æqualitas de ſex: ſicut de tres tantummodo, quoniam vnum de duobus quæ ſunt in medio, propinquius eſt duobus quæ ſunt in principio, quam aliud quod eſt ſuum conſocium, quod eſt propinquius illis duobus qui ſunt in fine. Oportet ergo conſiderare de neceſſitate numerum ternarium in Deo, vt poſſit eſſe in numero diuinarũ pſonarũ ęqualitas maior & ꝓpinquitas, quę poſſit eſſe, ſicut Spiritus ſanctus qui eſt in medio Patris, & Filij, inquantum exit ex ambobus: ſicut amare quod eſt in medio amantis & amabilis, inquantum eſt ex ambobus, & Filius qui eſt in medio Patris, & Spiritus ſancti, & in hoc quod tantum exit Spiritus ſanctus ex Filio ſicut ex Patre, qui eſt in medio Filij, & Spiritus ſancti: quoniam in tantum Pater Spiritum ſanctum ſpirat, ſicut Filium generat. Omnis perfectio poteſt eſſe in principio medio & fine, & extra iſta non poteſt eſſe, nec ſine iſtis tribus poteſt eſſe. Et quia numerus diuinarum perſonarum debet eſſe perfectus, ſe perficit in tribus, videlicet quod ſit vnum principium quod non ſit principiatum, & quod ſit princi-

principians, & iſte eſt Pater. Et oportet quod aliud ſit principiũ ꝙ ſit principiatũ,& iſtud eſt Filius qui principiat Spiritum ſanctũ,& eſt principiatus per Patrem. Eſt & aliud principiũ quod eſt principiatum, quod eſt ſanctus Spiritus, & non principiat aliud principium, vt numerum compleat,& finem principij, & vt principiare poſſit eſſe in medio. Quoniam ſi ſanctus Spiritus alium principiaret, & ille alium principiaret, & ſic in infinitum non poſſet numerus eſſe completus, & ſemper vnum in potentia principiabile non principiatum remaneret, vnde principiare in medio principiantis & principiabilis principiati ſtare non poſſet. Et ita numerus non eſſet ex tribus, ſed ex pluribus, in quibus quies in fine non eſſet, quoniam finis non eſſet, & principium & medium eſſent vacua, inquantum finem nõ haberent actualem, ſed potentialem, ad quam ſe haberent æternaliter, & illum habere non poſſent, & ſic deficeret magnitudo bonitatis, & aliarum principio, medio & fini, qui defectus eſt impoſſibilis: per quam impoſſibilitatem probatum eſt, quod numerus perſonarum tantummodo in Trinitate conſiſtit, quam probauimus de neceſſitate cum auxilio Domini ſuperioris, cui placeat, quod homines de ipſa cognitionem habeant, vt per cognitionem melius ipſam poſſint recolere & amare, etiam quod de ipſa infidelibus, qui ipſam non credunt, cognitio dari poſſit, per quam cognitionem ad ſuam gloriam valeant peruenire. Probauimus ſupra beatam Dei Trinitatem quam Saraceni & Iudæi ignorant, & credunt quod Chriſtiani credant in aliam Trinitatem, quæ ſit ex partibus ex quibus ſequerentur quatuor dij. Quoniam dicunt, quod Chriſtiani credunt, quod tunc quando Incarnatio Filij Dei fiebat, diuina eſſentia, & natura ſe in tres partes diuidebat, quarum vna eſt Pater, alia Filius, alia Spiritus ſanctus. Et aliqui dicunt quod ſancta Maria eſt alia pars, & ſic arguunt, quod Chriſtiani ſunt in errore, cum ita ſit, quod eſſentia Dei ſit infinita, & indiuiſibilis, & immutabilis. Etiam dicũt quod Pater ſit antequam Filius, & Pater, & Filius antequam Spiritus ſanctus, & quod vna perſona ſit in vno loco, & alia in alio. Et plura alia inconuenientia, & impoſsibilia opponunt contra Chriſtianos, quas oppoſitiones & poſitiones non facerent, ſi beatam Dei Trinitatem ſcirent, quam Chriſtiani credunt. Et ideo Dominus Papa, & eius fratres Cardinales bene facerent, ſi tractarent & ordinarent, quod eſſent homines ſancti & deuoti ad moriendum pro Ieſu Chriſto, & edocti in lingua Arabica, ſiue Saracenica, qui irent ad prædicandum Saracenis, & diſputandum cum eis, oſtendendo beatam Dei Trinitatem, quam Chriſtiani credunt, & negando illam Trinitatem, quam Saraceni credunt & dicunt, quod Chriſtiani credunt. Et per hũc modum poſſet Dominus Papa & eius fratres plus fidem catholicam exaltare quam per gladium, ſcutum vel cultellum.

De Creatione.

QVintus articulus eſt credere & affirmare, quod Deus ſit creator mũdi, vt in tabula generali, per quinq; rationes probauimus, & adhuc in hoc libro per rationes quinque probabimus. Et primo ſic: ſi mundus eſt æternus, ſunt duæ æternitates, æternitas Dei & æternitas mundi, vnde ſequeretur minoritas magnitudinis, bonitatis,

nitatis, in æternitate Dei, quæ nobilior est & maior, si sit singularis, quam si sint plures æternitates: sicut vnus Deus qui nobilior est & maior si sit vnus, quam si plures essent. Et idem est de sole, singularitas cuius est ratio magnitudini suæ bonitatis & suæ perfectionis. Et hoc idem est de luna, quæ singularis est, & de igne similiter, & sic de aliis: sicut est singularitas regis in vno regno, & intellectus in anima, & visitiuitas in corpore Martini, sui equi, & sui falconis. Est ergo diuina æternitas contra magnitudinem suæ bonitatis, si sunt plures æternitates: quoniam priuat singularitatem suæ æternitatis, quæ priuatio est mala & patuitas magnitudinis. Et quia homini contrarietas est impossibilis, vt Deus non sit contra seipsum, oportet de necessitate quod Deus tantummodo sit æternus. Est ergo mundus principiatus in tempore, quia principiat tempus in illo, nec aliquis alius ipsum posset principiare, quoniam seipsum principiaret siue principiasset: sed hoc est impossibile, quod aliquod ens principiet seipsum Est ergo Deus creator mundi. Si mundus æternus, sua æternitas est finis & complementum suarum partium, cum ita sit, quod infinitum sit finis & complementum finiti. Æternitas mundi est infinita, inquantum in tempore non est principiata, neque habet principium, medium, neque finem, & sua bonitas est finita, inquantum se non extendit infinitè, & inquantum mundus est subiectus malitiæ quæ est contra bonitatem. Et idē est de magnitudine, quæ finita est in seipsa, inquantum mundus finitus est circulariter, cum ita sit omne corpus finitum esse oportet. Est etiam potestas mundi finita, inquantū se non extēdit in infinitum, quod sit de sua essentia. Et idem est de aliis formis & partibus mundi, quæ omnes in se sunt finitæ, & ita intra quantitates: sicut linea intra duo puncta. Veruntamen inquantum æternitas mundi est infinita, sunt omnes partes generales substantiæ mundi infinitę in æternitate, inquantum durant sine principio, medio & fine. Et sic sequitur, quod bonitas maior est in alio, quam in seipsa, & magnitudo similiter, & sic de potestate & aliis formis, quod est impossibile secundum cursum naturalem, videlicet quod aliquod ens sit maius & nobilius in alio, quam in seipso. Est ergo probatum quod sicut formæ mundi sunt terminatę, & intra quātitates comprehensę, ita duratio mundi terminata est in principio & fine in tempore. Est ergo mundus creatus & non æternus, & ipsum creatum vocamus, quia non est productus ex alio, sed ex nihilo. Si mundus sit æternus, magnitudo maiorem habet concordantiam cum malitia, quam cum bonitate, cum ita sit, quod magis sit de malo quam de bono, & semper fuit & erit, postquam mūdus non fuit principiatus: quoniā si vnus homo sit bonus, mille alij homines sunt mali, & si vnus homo viuat centum annis, mille millia erūt in priuatione & plus. Et si in hac vita habeat vnum placitum & vnum bonum, centum mala & displicita sustinet, & nunquam fuit primus homo, nec erit vltimus. Et sic extenditur magnitudo plus in malo, quam in possibilitate mali quam boni, & vitij quam virtutis, & falsitatis quam veritatis, & contrarietatis quàm bonę concordantiæ, & priuationis finis quam esse. Et sic æternitas mundi, magis subiecta est malo quam bono, & minori bono quam maiori, & maiori malo quam minori. Et est suus finis priuatio rerum,

rum, quæ ſunt generabiles & corruptibiles, quæ ſe habent per ſecundam intentionem ad eſſe, & principaliter ad non eſſe. Et ſequitur ſecundum curſum naturalem, quod minora bona ſint magis amabilia quam maiora, & maiora mala, minus timibilia quam minora, & hoc eſt inconueniens. Eſt ergo mundus creatus de nihilo, vt inconuenientia antedicta non ſint, & quod magnitudo habeat concordantiam maiorem cum bonitate, quam cum malitia, & inquantum mundus erit melior ſecundũ vitam æuiternalem, quam in ſua arbore probabimus. Probauimus beatam Dei Trinitatem, in qua Pater producit æternaliter Filium, & Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum æternaliter. Et ſi mundus ſit æternus, æqualis eſt productio diuinæ æternitatis, cum æternitate mundi ſecundum durationẽ, ita quod in æternitate ſunt duæ productiones æquales, videlicet diuina productio, & productio mundi. Et ita ſequitur quod operatio intra non comprehendit in omnibus modis operationem, quæ eſt extra, quæ operatio exterior eſt mundus, qui æqualis eſt operationi interiori in duratione, quæ æqualitas eſt impoſſibilis ita in duratione, ſicut in bonitate, magnitudine & cæteris, vt æternitas Dei ſit ita æqualiter ante mundum in tempore creatum: ſicut bonitas Dei ante bonitatem mundi, & ante alias ſuas formas ipſis exiſtentibus per quantitatem in quantitate & bonitate Dei, ſine quantitate exiſtente. Eſt ergo mundus creatus & nouus. Si mundus ſit æternus in ſuis partibus non eſt generale principium quod ſit de ſua eſſentia, quoniam ſua æternitas non eſt principiata, nec ſua poteſtas, nec aliqua de ſuis formis generalibus quæ ſunt de ſua eſſentia, eſt principiata, & ideo non poſſunt eſſe principium generale ad principia particularia, quæ ſint de ſua eſſentia. Nec poteſt eſſe finis vniuerſalis in mundo, quoniã vniuerſalis non poteſt eſſe ſine principio vniuerſali, principio & fine exiſtentibus de eſſentia ſubſtãtiæ. Nec poteſt eſſe mediũ generale in ſubſtantia mundi, quoniam medium generale non poteſt eſſe ſine principio generali & fine generali. Non ſunt ergo principium, medium, & finis, formæ generales, quæ ſint de eſſentia mundi. Quare ſequitur de neceſſitate quod in mundo non ſunt formæ particulares exiſtentes ſub principio, medio & fine generalibus, quod eſt impoſſibile & contra experiẽtiam, quam ſentimus. Sicut Petrus, qui habet principium, mediũ & finem, & eius equus, & falco ſimiliter, & idem eſt de pomo & de piſce, & de omnibus rebus exiſtentibus in generatione & corruptione. Oportet ergo quod ſint formæ generales naturales, ſub quibus ſtant particularia inferiora, exiſtentia de eſſentia & natura ſuperiori, ſicut partes exiſtentes ſub toto, quæ reguntur per ſuum totum. Probatum eſt ergo, quod mundus ſit creatus ratione experientiæ, quam habemus de principiis mediis, & finibus particularibus, quæ ſunt de eſſentia mundi & partibus illius, quæ eſſe non poſſent, ſi mundus eſſet æternus. Probauimus quod mundus ſit de nouo, & quod Deus ſit creator & mundus creatus. Et ideo Dominus Papa, & ſui fratres Domini Cardinales benefacerent, ſi niterentur opinionem deſtruere, quam habent Saraceni, Tartari, & plures Schiſmatici Chriſtiani, quod mundus ſit æternus, in qua opinione moriuntur, & vadunt ad pœnas perpetuas infernales, quæ finem non habebunt. Et ſit præiudicium Deo &

suę æternitati in opinione illorum qui negāt quod Deus sit Creator. Fit etiam præiudicium Deo, & suæ æternitati ab illis, qui illam opinionem destruere possent, & sunt negligentes ad illam destruendum. Præterea illa opinio est valdè periculosa, quoniam fortiter multiplicatur in mundo, quoniam eius multiplicatio fidem diminuit, & spem alterius vitæ, quoniam si mundus sit æternus, quicquid credimus de veteri Testamento, & nouo Testamento, contra veritatem credimus. Bonum est ergo etiam optimum probare, quod mundus à Deo sit creatus.

De Recreatione.

Recreatio est sextus articulus. Et istum in quatuor partes diuidimus. Prima pars est, quod primus homo peccauit. Secunda pars est, quod eius peccatum fuit generale sensualiter. Tertia pars est, quod illud peccatum generale fuit spiritualiter. Quarta pars est, quod recreatio facta est.

Quod primus Homo peccauit.

Deus creauit mundum, vt probauimus, homo est pars mundi, Deus ergo creauit hominem. Et creauit ipsum cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, concordantiæ, principij, medij & finis. Cum ita sit, quod omnes istæ formæ sint in Deo, & fuerunt in creatione hominis. Oportet ergo quod homo fuerit creatus in magnitudine bonitatis, durationis & cæterarum, vt inter formas agētes & patientes sit concordantia magnitudinis, & magnitudinis, bonitatis & bonitatis, & sic de aliis. Sicut sol, qui in quantitate magnus est, & in luce, in virtute, & in motu: fuit ergo creatus cum magnitudine bonitatis, durationis, potestat.s & aliarum. Similimodo homo magnus est, & maior quam sol in magnitudine bonitatis, potestatis & virtutis secundum cursum naturalem, quoniam naturaliter plures bonitates participant cum homine quam cum sole, quoniam homo sentit & imaginatur, & potest recolere, intelligere, & diligere Deum, & hoc non facit sol. Et quia homo quando natus est primò incipit sentire malum quam bonum, & facere vanitates & praua, & peccata, antequam virtutes, incipit contra finem, quare creatus est, tale principium non habet sol, quoniam semper est in statu, quare creatus est. Et idem est de elementis, plātis, & animatis brutis. Oportet ergo quod homo habuerit in principio peruersionē de bono in malum, & de magnitudine in paruitatem, & de duratione in priuationem, & de potestate in debilitatem, & de virtute in vitium in generali hom ne primo creato, per quem homo cecidit in peruersionem, quæ est per peccatum mortale. Peccauit ergo primus homo. Olea quæ inserta est in oleastro, ad se trahit materiam ex oleastro, & ab eo suscipit augmentum, & fructum facit in sua specie, & non in illa quæ est species oleastri, nec oleaster habet vnde fructum faciat in sua specie, quoniam olea conuertit speciem oleastri in seipsa. Similimodo arbor rationalis est inserta in sensuali, & secundum naturam magnitudinis, bonitatis, & virtutis deberet trahere sensuale ad bonum & non ad malum, & ad virtutem & non ad vitium. Et secundum quod homo incipit in sua iuuentute, est contrarium: sicut si oleaster attraheret sibi naturam oleæ, quæ est superius, & quod oleaster

fructum

fructum faceret in ſua ſpecie, & olea non, ita corpus trahit animam rationalem infectius ad diligendum vanitates & peccatam magis quàm virtutes & finem, propter quem homo creatus eſt. Sed hoc eſſe non poſſet, niſi primus homo peccauiſſet, quoniam iſte vſus generalis eſt in omnibus hominibus in principio, cum incipiunt venire in hunc mundum, nec poteſt principiari ab homine, qui non ſit generalis nec primus: ſicut nec piper nec alleum eſſent de complexione calida & ſicca, ſi ignis in principio non foret calidus & ſiccus, & vnus ignis generalis calidus & ſiccus ex quo omnia calida & ſicca deſcenderent, quæ non poſſent deſcendere ab igne qui exit de lapide & ferro qui generalis non eſt ad generationem piperis vel allei. Peccauit ergo primus homo, ratione cuius peccati corpus inclinat animam leuius ad vitia, quam anima corpus ad virtutes. Secundum quod dictum eſt in arbore elementali, bonitas eſt ratio bono quod agat bonum, & magnitudo eſt id, ratione cuius bonitas eſt magna, & duratio eſt id, ratione cuius bonitas durat magna, & magnitudo bona, & ſic de aliis, ſed hoc non eſt in ſtatu hominis, quoniam poſtquam mundus creatus fuit vſque nunc, eſt magis de malo quam de bono, & maius malum quàm bonum, & ſemper durauit magnitudo mali. Et de hoc experientiam habemus ſucceſſiuè, videlicet quod vnus homo habet ex alio, non ſequitur ergo quod bonitas ſit ratio bono, quod agat bonum magnum, quoniam deficit magnitudo bonitati, & bonitas magnitudini, & duratio deficit ambobus, & conſentit magnitudo, quod malitia ſit ratio malo, quod agat magnum malum, & conſentit duratio magnitudini mali, & remanet bonitas parua ratio bono, quod agat bonum, & hoc ſecundum ſtatum mundi, ſed hoc eſſe non poſſet, niſi primus homo peccauiſſet, quoniam ſecundus homo, aut tertius, aut quartus, & ſic de vno in alium non ſufficeret huic generalitati peruerſę de bono in malum, & de magna bonitate in magnam malitiam, & de magna duratione bonitatis, & magnitudinis in duratione malitiæ, & paruitatis. Peccauit ergo primus homo, ratione peccati, ſequitur iſta generalitas magnitudinis mali, & quæ tantum durauit, & adhuc durat. Contrarietas eſt forma accidentalis, & concordantia ſubſtantialis per vnum modum, & accidentalis per alium, ſecundum quod in arbore elementali, dictum eſt. Eſt ergo concordātia propinquior magnitudini, quam contrarietas, & ideo magis poteſt concordantia naturaliter in bono, quam contrarietas in malo, cum ita ſit, quod poteſtas quæ eſt maior, plus poteſt quam poteſtas, quæ eſt minor. Sicut poteſtas piperis, quæ plus calefacere poteſt, quam poteſtas aniſij, & vna libra glaciei plus infrigidat, quam vna vncia. Et quia contrarietas deuiauit mundum in homine à fine, propter quem creatus eſt, in maiori quantitate deuiationis, quam retentionis, quam concordantia retinuit in homine, vt mundus remaneat in fine, propter quem creatus eſt: in hoc eſt ſignificatum, quod primus homo peccauit, vnde ſequitur quod contrarietas quæ naturaliter eſt forma minor quam concordantia, deuicerit concordantiam. Quoniam niſi primus homo peccauiſſet, contrarietas non potuiſſet, ita generaliter deuiciſſe concordantiam, & etiam quia concordantia bona eſt ſecundum curſum naturalem, & ſecundum quod eſt creatura. Sed nos loqui-

mur de contrarietate, quæ priuatio est concordantiæ, sicut malitia quæ est peccatum, & priuatio bonitatis. Esse & priuatio contraria sunt, & virtutes, & vitia, bonum & malum, magnum & paruum, veritas & falsitas, & sic de aliis contrarietatibus. Et ideo malum quod est peccatum non conuenit cum esse, cum ita sit, quod bonum quod est virtus, conueniat cum esse, sicut falsitas quæ non conuenit cum esse, postquam veritas cum esse habet concordantiam: & idem est de magnitudine mali & de falsitate, quæ non concordant cum esse, postquam magnitudo boni, & veritatis cum esse habet concordantiam. Et hoc est secundum cursum naturalem, qui peruersus est in innaturalem: sicut calor naturalis hominis peruersus in innaturalem, per aliquam occasionem nimiæ comestionis, aut potus, aut alicuius excessus, vel læsionis complexionum. Sicut homo qui propter nimiam coleram habet febrem, aut per corruptionem alicuius humoris, aut habet dolorem in capite, cum nimis comederit, aut potauerit, quoniam sine aliqua occasione non posset fieri peruersio caloris naturalis in innaturalem, nec sanitatis in infirmitatem. Oportet ergo quod hæc infirmitas in qua sunt homines, inquantum magis sunt parati ad faciendum malũ, quam ad faciendum bonum, & ad magnum malum, quam ad magnum bonum, & plures sunt homines, qui malum faciunt, & sunt in falsitate sine fide, quam illi qui bonum faciunt, & fidem habent, & plura mala facta sunt quam bona, & plures homines sunt in errore, quam in veritate in hominibus: sic per primum hominem, qui peccauerit, ex cuius peccato fit nostra infirmitas, quæ generalis non posset esse sine peccato primi hominis generalis ad omnes homines, inquantũ omnes ex illo sunt deriuati, peccauit ergo primus homo. Probauimus ergo ꝙ primus homo peccauit, possent tamen aliqui homines dicere, ꝙ quilibet homo peccat, tunc cũ peccat per suam libertatem & actualitatem, & non per primum hominem, & in hoc non contradicimus secundum modum peccati actualis particularis: sicut Petrus, qui est peccator, & Martinus similiter, & poterit esse, quod Guillelmus, & Iacobus sint homines iusti: quare peccatum actuale non extenditur ad omnes, sed est particulare tantum. Præterea homo non peccat per libertatem, quam habet: sicut faber qui non peccat faciendo cultellum, quem non benefacit propter martellum, sed quia ipsum nescit facere bene, aut quia ipsum bonum non vult facere. Et ratio quam nos induximus ad probandum, quod primus homo peccauerit, est de generalibus principiis, videlicet de maiori apparatu, siue promptitudine, quam habemus ad faciendum malum, quàm ad faciendum bonum, & libentius facimus, & plus de malo facimus quam de bono, & prius facimus malũ quam bonum, & prius sentimus malum pœnæ quàm bonum quietis. Et per hanc generalitatem talem quæ non potest esse sine occasione, & occasio non potest esse in homine particulari principiata, probauimus quod peccatum principiatum est de homine generali, qui vocatur Adam, de quo nos omnes processimus.

Quod peccatum Adæ sit generale sensualiter.

PRobauimus, quod primus homo peccauerit, modò probare volumus

mus, quod illud peccatum ſit originale & generale ad omnes homines naturaliter, ſecundum corpus cuiuſlibet hominis. Ita tamen naturale, ſicut naturaliter quædam puella nutrita fuit de veneno, quod naturaliter homines occidit, ita dicimus quod peccatum originale eſt naturale, inquantum extenſum eſt, & ſeminatum in omnibus hominibus contra curſum naturalem virtutum, ad quas habendum ſunt creati omnes homines : ſicut ſi vna puella nutrita eſſet cum tyriaca, cum qua vixiſſet naturaliter contra venenum. Deus eſt iuſtus, ideo quicquid facit, cum iuſtitia facit, & eſt bonus, & ideo quicquid facit, cum ſua bonitate facit, & eſt vita, & ideo hominem creauit ad viuendum: ſequitur ergo quod Deus creauit hominem ad viuendum, & non ad moriendum. Vnde cum homo ſit mortalis naturaliter, oportet quod illa natura mortalitatis euenerit per originale peccatum, ita generale ad mortalitatem, ſicut mortalitas generalis eſt, ad omnes homines exiſtentes aliqui iuſti, & boni, & alij iniuſti & mali, exiſtente mortalitate tantum in iuſtis & bonis, quantum in iniuſtis & malis. Eſt ergo peccatũ originale extenſum in mortalitate corporali omnium hominum. Quoniam ſi non eſſet generale peccatum, Deus eſſet iniuſtus, & malus hominibus bonis & iuſtis, inquantum ipſos priuaret à fine vitæ, & in mortalitate ipſos poneret, & pluribus laboribus corporalibus famis, ſitis, caloris & frigiditatis, & infirmitatis puniret, & tantum homines iuſtos, & bonos, ſicut homines iniuſtos & malos, hoc eſſe non poteſt, quia Deus eſt bonus & iuſtus. Eſt ergo probatum peccatum originale eſſe in omnibus, ratione cuius ſunt in mortalitate & in pœna generali corporaliter & ſenſualiter. Anima rationalis eſt forma corporis, cum quo coniuncta eſt, cui dat eſſe inquantum ipſum ſuſtinet in eſſe vitali, intantum quod de natura animæ eſt, quod ſemper teneret corpus viuum, cum quo coniuncta eſt, & cum quo eſt pars, quod de illa & de corpore ſit homo, ad quem partes habent appetitum naturalem, ſicut plures partes ad ſuum totum, quod eſt finis cuiuſlibet. Et quia corpus ſe inclinat ad corruptionem contra naturam animæ, & contra inſtinctum & appetitum naturalem plurium rerum ad vnum totum, oportet quod illa inclinatio ad quam corpus ſe habet contra ſuum inſtinctum & appetitum naturalem (qui ſunt propter finem) & ſit ratione originalis peccati, ꝙ corpus deuiat à fine ꝓpter quẽ creatum fuit, cum ita ſit quod peccatum & virtus ſint contraria, & cum virtute corpus fuerit creatum, & cum vitio ſit deuiatum à fine. Sed hoc principiari non potuit in medio, videlicet in quolibet homine, quoniam principium non incipit in medio, cum ita ſit, quod principium ſit ante medium, ſicut poſt medium eſt finis. Eſt ergo peccatum originale in omnibus hominibus, poſtquam omnes homines ſunt mortales. Bonitas eſt ratio bono, quod agat bonum, & quia malitia eſt contra bonitatem, non eſt ratio bono quod agat malum, & idem eſt de malitia, quæ eſt ratio malo, quod agat malum. Quare ſicut bonitas eſt ratio productioni eſſendi, ita malitia eſt ratio priuationi eſſendi. Eſt ergo malitia ratio mortalitati, vt homines non habeant eſſe; & quod illorum corpora deueniant in terram, & in puluerem, & in priuationem motus audiẽdi & videndi, & ſic de aliis, quæ ad corpus viuum pertinent, quæ habet per productio-

nem boni eſſe, cui bonitas fuit ratio. Eſt ergo ſignificatum eſſe originale peccatum in omnibus hominibus, ratione cuius eſt mortalitas illorum corporaliter, quoniam ſi ipſum non eſſet, non poſſet eſſe malitia generalis contra bonitatem generalem. Veruntamen poſſent aliqui dicere quod animalia bruta moriuntur, licèt non ſint in pecato originali. Et ad hoc poteſt rationabiliter reſponderi, quod animalia bruta creata ſunt ratione rationalium, quare ſicut in pipere ignis eſt Dominus, & alia elementa ſuas ſequuntur conditiones, hoc idem in bello, in quo Rex eſt Dominus, & milites ſequuntur conditiones illius, ita in curſu naturali elementali, in quo corpus hominis eſt Dominus conditiones aliorum corporum animatorum, ſequuntur conditiones corporis hominis, quod requirit vti illis, vt cum illis viuere poſſit, & de illis, ſicut lumen in lampade viuit de oleo, quod quidem oleum diſpoſitũ ita eſſe oporret, quod lumen ex ipſo viuat. Corpus hominis eſt de bonitate, magnitudine, duratione, & ſic de aliis formis ſubſtantialibus, eſt etiam de formis accidentalibus, videlicet de cõtrarietate, quãtitate, qualitate, & cæteris, idcirco ſi peccatum non eſſet originale in corpore hominum extenſum, contrarietas formas ſubſtantiales deſtruere non poſſet, quæ contrarietas eſt forma accidentalis, contra quam ſunt omnes formæ ſubſtantiales & accidẽtales naturales, veruntamen contrarietas vincit, ratione cuius corpus tendit ad corruptionem & ad mortalitatem, & hoc facit contrarietas cum iuuamine peccati originalis, ſine quo tantum non haberet de poteſtate. Eſt ergo peccatum originale in corpore cuiuſlibet hominis, inquantum quodlibet corpus ratione illius eſt mortale. Veruntamen poſſent aliqui dicere, quod corpus moritur, quia compoſitum eſt ex quatuor elementis, quæ ſunt contraria, ſicut ignis, & aqua per calorem & frigiditatem, & aër, & terra per humiditatem & ſiccitatem. Quare ad hoc rationabiliter poteſt reſponderi, & ſecundum veritatem, quod in quolibet corpore eſt maior concordantia, quam contrarietas: ſicut in quolibet triangulo corporis, in quo duæ lineæ ſunt cõcordantes, & tertia contrarians, ſicut ignis & aër concordant in calore, & ignis & terra in ſiccitate, & terra & aër contrariantur per humiditatem & ſiccitatem: eſt ergo maior concordantia naturaliter ſi non eſſet, peccatum originale ſuſtineret corpus cõtra mortalitatem cum iuuamine illius, quod venit de extra comedendo & bibendo, contra contrarietatem, quæ eſt intra quod iuuat maiorem concordantiam. Sed quia peccatum originale eſt, perdita eſt iuſtitia in hominibus naturaliter, qui temperatè non comedunt, quam non perdidiſſent, ſi Adam & eius ſucceſſores iuſtè vixiſſent. Veruntamen poſſent aliqui dicere quod inter ignem & aërem eſt contrarietas, quia ignis eſt ſiccus & aër humidus, quare oporret maiorem eſſe contrarietatem quam concordantiam. Et ad hoc veraciter poteſt reſponderi, quod maior eſt concordantia inter calefacientem & calefactum, inquantum vnum alteri non reſiſtit, imo quodlibet appetitum habet ad alium, quam contrarietas ignis & aëris, cui contrarietati cuilibet alij reſiſtit per modum diſiunctionis, & concordantia ſtat per modum coniunctionis. Etiã quia ignis maiorem habet poteſtatem cum qualitate propria in concordantia, quam cum qualitate appropriata in contrarietate.

rietate. Idcirco ratio adhuc vera remanet, videlicet quod in corpore plus est de concordantia, quam de contrarietate secundum cursum naturalem.

Quod peccatũ originale sit in anima.

SEcundum processum quem tenuimus in arboribus naturalibus, respõdemus quod arbor vegetalis inserta est in arbore elementali, & sensualis in vegetali, & rationalis in sensuali. Et arborem rationalem vocamus animam hominis insertam in corpore cõiunctam cum illo. Quare sicut ignis qui est insertus in aëre, inquantum stat supra ipsum per modum actionis, & aër insertus in aqua, inquantum ei dat calorem quem recipit ab igne, sic potentia elementalis descendit per potentiam vegetatiuam in planta ad elementandum, & vegetatiua in equo trahit inferius sensitiuam ad vegetandum, & in homine sensitiua trahit inferius rationatiuam ad sentiendum. Et sic formæ superiores agunt de formis inferioribus, & formæ inferiores ratione appetitus quem habent in seipsis passiuè, attrahunt formas superiores, sicut materia formam. Et ideo vegetatiua mouet elemẽtatiuam in planta, & sensitiua mouet vegetatiuam in equo, & rationatiua mouet sensitiuã in homine. Et in hoc passu significatum est quod peccatum originale se extendit ad animam rationalem, cuiuslibet hominis secundum inclinationem quam diximus, quoniam corpus hominis infectum est & corruptum, & ita corruptum sicut est, anima rationalis ipsum mouet ad elementandum, vegetandum & sentiendum, & mouet ipsum ad necessitates illius, videlicet ad comedendum, bibendum, habitandum & ad induendum, & sic de aliis, quæ sunt extra, quę sunt creaturæ Dei, quibus vti corpus non est dignum inquantum Adam cõtra suum fuit creatorem: & per hunc modum anima rationali Petri & Martini est instrumentum ad peccandum propter originale peccatum, per quam instrumentalitatem habet culpam generalem. Duo modi sunt peccandi, videlicet peccatum originale, & peccatum actuale. Peccatum actuale diuiditur in peccatum mortale, & veniale, sicut Saracenus, aut Iudæus, aut aliquis alius, qui non sit Christianus, in quo extenditur peccatum originale corporaliter, secundum quod probauimus. Et idem est in Christianis secũdum naturam mortalitatis & pœnæ, non tamen secundum redemptionem quæ facta est per passionẽ Christi, ratione cuius passionis & recreationis mundata est anima Christiani à culpa, & corpus de peccato originali, & remanet anima Saraceni infecta quamuis non sit de essentia animæ Adæ, & illa infectio & culpa est ei peccatum veniale, sed ratione corporis est ei peccatum mortale. Sicut cristallum, quod est in se album, & ipso posito in subiecto nigro accipit colorem nigrum, in quo colore iudicatur accidentaliter nigrum. Sicut homo existens in iniuria est iniuriosus, & in luxuria est luxuriosus. Et in hoc passu potest homo cognoscere, quod anima Saraceni aut Iudæi, qui credit esse in veritate, & qui non peccat mortaliter in peccato actuali, pœnam non habebit spiritualem, sed habebit pœnam per corpus, inquantum per ipsum perdiderit gloriã spiritualem. Est ergo in animab' infid liũ peccatũ originale, & est in illis moraliter p corpus ꝑpter similitudinem, quam accipit: sicut homo qui est iniustus in iniuria, inductus

tus est de habitu illius. In Adam fuit species humana tota exaltata super omnes alias species corporales, quæ omnes creatæ sunt ad seruiendum homini, & peccauit Adam, secundum quod probauimus, quare secundum iustitiam Dei quæ est magna, oportet, quod sicut per gratiam tota species humana in Adam fuit exaltata in magnitudine bonitatis, ita postmodum tota fuit dirupta in magnitudine malitiæ ratione iustitiæ, in tantum quod fuit peioris conditionis quam aliqua alia creatura, ratione peccati & culpæ, & maiori pœnæ subiugata: sed hoc esse non posset, si anima cuiuslibet hominis non fuisset infecta per peccatum originale, & posset Deus plus per gratiam homini dare sine aliquo merito illius quam iustitia Dei hominem punire per culpam. Et quia gratia Dei, & sua iustitia sunt vna & eadem bonitas, & magnitudo in numero, oportet quod tantum Deus punire possit propter culpam quam dare per gratiam. Est ergo species hominis in peiori cõditione propter peccatum originale quam species pomerij, equi, piscis, & gruis, quoniam ista indiuidua post eorum mortem pœnam non habent, & ita non sunt de tam vili conditione: sicut sunt homines, qui moriuntur in peccato originali, & esset iniuriatum iustitiæ Dei, quæ non posset tantum punire sicut gratia Dei dare. Si non esset peccatum originale hominis non recreati, corpus illius post resurrectionem non esset tormentatum, quoniam non haberet cum quo tormentum sentiret: aut oporteret quod anima illius haberet gloriam, & quod ipsum corpus haberet pœnam, & esset corpus in inferno, & anima in paradiso, & hoc est impossibile. Oportet ergo quod anima sit subiecta peccato originali, vt sit instrumentum cum quo corpus infidelis mortui in peccato originali post resurrectionem possit tormentari, & puniri de illo peccato. Peccauit Adam, vt probatum est, & remansit peccatum originale corporaliter in omnibus hominibus, secundum quod probauimus, & perseuerantia peccati remanere non posset generalis sine subiecto, & corpus hominis non recreati non posset esse per seipsum tantummodo subiectum perseuerantię peccati, quæ requirit subiectum, q̃ sit homo, qui nõ potest esse sine anima & corpore. Oportuit ergo, q̃ anima intrasset in subiectione perseuerantiæ peccati, vt homo esset subiectũ illi perseuerantiæ. Et ideo indirectè, & obliquè peccatum originale cadit in anima hominum infidelium, & directè, & sine medio in corpore ipsorum. Quare sicut vnus homo esset deamatus per alium & non per semetipsum, ita anima infecta est per peccatum originale & non per semetipsam, & hoc est ratione magnæ coniunctionis & participationis, quæ est inter illam & corpus. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo sanctitas est magnum quid, & quomodo peccatum est graue. Quartus modus probationis est de recreatione, probatio cuius non cadit in hoc loco postquam habemus probare, quod filius Dei sit incarnatus, & inquantum homo crucifixus. Quare probato quod sit incarnatus, & propter recreare hominem crucifixus, est iste articulus de recreatione probatus in probatione illorum duorum articulorum.

Quod Deus sit glorificator.

ARticulus iste qui est septimus, facit testimonium, quod Deus est glorificator, videlicet quod ipse dat gloriam,

gloriam ſanctis gloriæ. Et probatio iſtius articuli fit tribus modis. Primus modus eſt probare reſurrectionem, vt glorificentur corpora hominum iuſtorum. Secundus modus eſt probare, quod animæ hominum ſint immortales, videlicet naturaliter incorruptibiles, vt ex ipſis, & ex corporibus reſuſcitatis ſint homines, vt prius, qui vadant ad gloriam. Tertius modus eſt probare quod gloria datur per Deum.

Quod ſit Reſurrectio.

DEus creauit hominem cum magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis, & aliarum, & ideo naturaliter eſt in homine magna bonitas, & ſua bonitas eſt maior per durationem animæ corporis, quam per durationem vnius tantummodo, & idem eſt de magnitudine poteſtatis: oportet ergo quod ſit reſurrectio, poſtquam creatio eſt de magnitudine bonitatis per agens in patiente, in quo patiente non poſſet eſſe, ſi non eſſet reſurrectio, in qua duraret magnitudo bonitatis corporaliter & ſpiritualiter in æuiternitate. Si ſit reſurrectio, poteſt poteſtas Dei æuiternaliter in homine, & ſi nõ ſit reſurrectio nõ poteſt in homine niſi in iſta vita, in qua ſumus, vnde cum homo ſit plus quam anima, ſicut totum quod eſt maius ſua parte, eſt in hac vita maius ſubiectum poteſtati Dei quam in alia: & iſta vita melior eſt, & nobilior quam alia, cum ita ſit, quod illud ſubiectum eſt nobilius, in quo poteſtas Dei poſſificare poteſt maiorem magnitudinem bonitatis: & quoniam impoſſibile eſt, quod iſta vita ſit nobilior quam alia, oportet quod ſit reſurrectio, vt poteſtas in homine vti poſſit magnitudine bonitatis, durationis, & aliarum. Erit ergo reſurrectio de neceſſitate, videlicet ſecundum magnitudinem diuinæ bonitatis, & magnum vſum, quem requirit in ſuo effectu, ſecundum magnitudinem bonitatis iuſtitiæ, gratiæ, & voluntatis. Si non ſit reſurrectio, in alio ſæculo recolitur Deus, intelligitur, & amatur, per animam, & non per hominem, & per animam iniuſtam recolitur, intelligitur & oditur, & non per hominem, & ita iuſtitia Dei deficit, quoniam in hac vita Deus fuit per hominem recolitus, intellectus, & amatus. Et per hominem malum recolitus, intellectus & oditus, & ſic iuſtitia retribuit alij, & non illi qui dilexit, & punit alium, & non illum qui odit. Eſt ergo reſurrectio, videlicet vt iuſtitia Dei retribuat illi, qui Deum dilexit, & puniat illum, qui Deum odit. Et in hoc mundo ſunt plures homines iuſti qui multum laborant propter Deum Dominum noſtrum corporaliter, & qui mortui ſunt propter amorem ſuum. Et ſi non eſſet reſurrectio, non eſſet corpus remuneratum de laboribus, quos ſuſtinuit in hoc mundo ad ſeruiendum Deo, & idem eſt de pluribus hominibus iniuſtis, qui in hoc mundo plures habuerunt proſperitates, & puniti non ſunt in hoc mundo de malis, quæ fecerunt in hac vita contra Deum: & ſic corpus illorum, ſiue corpora non punirentur, ſi non eſſet reſurrectio, & deficeret iuſtitia Dei in iudicando, quod eſt impoſſibile, & contra magnitudinem iuſtitiæ. Erit ergo reſurrectio, vt poſt hanc vitam corpus habeat mercedem, vt bono faciat bonum, & malo faciat malum. Omnia corporalia creata ſunt propter corpus hominis ei ſeruiendo, & ideo corpus hominis eſt ſicut centrum & finis, ad quem ſe ha-

bent aliæ creaturæ corporales, sicut elementa se habent ad elementata, & sicut branchæ arboris vegetalis ad vegetatum, & sicut branchæ arboris sensualis se habent ad sensatum: vnde si non esset resurrectio corporum hominum, post finem mundi omnes substantiæ corporales essent vacuæ fine, cum ita sit, quod post finem mundi nō sit generatio, nec corruptio, nec operatio elemētalis naturę. Et si sit resurrectio, remanēt plenæ fine in glorificatione corporum Sanctorum, cum natura quorum participant corpora elementata, & illa participatio exit æuiterna, & idem est de corporibus cælestibus. Erit ergo resurrectio, vt corpora remaneant plena, & habeant centrum, ad quod completè se habeant. Et in hoc passu cognoscitur, quod homines peccatores, qui moriuntur in peccato mortali, magnam faciunt iniuriam creaturis corporalibus, qui eis seruierunt in hac vita, comedendo, bibendo, videndo, audiendo, tangendo, loquendo & illuminando, & pluribus aliis modis, quod quidem seruitium perditur totū in homine peccatore, in quo suæ partes corporales sunt vacuæ fine, & vacuant fines aliarum partium exteriorum. Et ideo sunt homines, qui moriuntur in mortali peccato, magna pœna digni.

Quod anima rationalis sit immortalis.

IN homine sūt quinq; potētię generales, videlicet potētia elemētatiua, vegetatiua, sēsitiua, imaginatiua, ratiocinatiua. Et p quatuor primas est corpus, & p rationatiuā est anima, q̄ nō est de natura corporis, quod si esset, esset elementalis, & de conditionibus elementorum, nec esset contra sentire: sicut homo qui resistit cum temperantia contra nimis comedere, & contradicit imaginationi cum ratione, quæ attingit veritatem superius, quam imaginatio non attingit: sicut nos qui sumus in hac terra superiori, qui imaginamur quod antipodes cadant inferius. Etiam imaginatur imaginatio, quod pomum dulce sit amarum cum per infirmum gustare tangatur. Et intellectus attingit, quod antipodes non cadunt inferius, quoniam sic ascenderent supra, nec quod pomum dulce sit amarum, sed quod gustus in gustando sit infirmus, qui loco dulcedinis amaritudinem attingit. Est ergo intellectus alterius naturæ & essentiæ quæ non est corpus, & ideo sicut qui poneret vnam sagittam in igne combureretur lignum & non ferrum, ita moritur corpus, & remanet anima. Est ergo probatum, quod anima rationalis est immortalis secundum cursum naturalem, & corpore mortuo remanet anima. Corpus humanum duobus modis moritur, vnus est ratione peccati originalis, vt probatum est, propter quod anima naturaliter non moritur, cum ita sit, quod illud peccatum sit sibi veniale vt probatum est. Alius modus est, quia est compositum ex quatuor elementis, quorum quodlibet alij contrariatur, & quia de formis corruptibilibus est generatum, & de nouis indutum. Sed anima non est elementalis, nec de natura corporali, nec etiam est generata, sed simpliciter est sine successione creata, & ideo non habet in seipsa naturam ratione cuius sit mortalis. Est ergo immortalis sicut flos albus, qui in quantum est albus nullam habet naturam quod sit niger, quoniam anima rationalis ita est per vitam contraria morti sicut flos albus contra nigredinem per albedinem,

nem,& sicut substantia calida, quæ est contraria per calorem substantiæ frigidæ. Deus benedictus creauit animam ad recolendum, intelligendum & diligendum seipsum, etiam ita bene ipsam creauit, vt Deum ita fortiter recoleret, intelligeret, & amaret cum magnitudine durationis: sicut cum magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, & veritatis, cum ita sit, quod Deus sit tantum recolibilis, intelligibilis, & amabilis per suam æternitatem: sicut per magnitudinem suæ bonitatis, potestatis, & aliarum. Est ergo anima immortalis & æuiterna, postquam Deus æuiternaliter est recolibilis, intelligibilis, & amabilis: etiam est immortalis vt magnitudo Dei satisfaciat magnitudini memorabilitatis, intelligibilitatis, & amabilitatis Dei in æuiternitate. Si anima esset mortalis, cum ita sit, quod non sit de natura elementali nec etiam corporali (vt probatum est) post mortem suam non esset aliquod subiectum, in quo esset sustentata. Et idem est de suis partibus quæ radices sunt suæ arboris, & non esset aliquid, & sic esset Deus iniustus, si animam malam non puniret, & non retribueret animæ iustæ, & si ipsam alia vice crearet, ipsam recreare non posset in illo numero primo, quoniam suæ partes nouæ essent, & aliæ: cum ita sit, quod in duabus creationibus oportet quod sint duo numeri in sua pluralitate distincti sicut duæ creationes. Et iste passus subtilis est ad intelligendum. Non est ergo anima creata alia vice, remanet ergo immortalis, vt suus numerus subiectum remaneat iustitiæ Dei & gloriæ, si bona sit, & pœnæ si sit mala. Anima iusta in hoc mundo non est remunerata, quoniam in hoc mundo quietem non habet, quoniam totus mundus ipsam saturare non potest, nec complere: quoniam cum homo vnam rē affectauerit, statim desiderat aliam, & quia Deus est iustus, oportet quod anima rationalis sit immortalis, vt quietem habeat in qua assequatur meritum ex bonis, quæ fecerit recolendo, intelligendo, & amando Deum. Et idem est de anima hominis iniusti, qui in hoc mundo puniri non potest in illis hominibus qui habent prosperitates, & paruos habent labores in hoc mundo, oportet ergo quod puniatur in alia vita cum magnitudine iustitiæ, videlicet in æuiternitate, quam probare volumus.

Quod Deus dabit gloriam Sanctis in gloria.

CReauit Deus mundum cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, gloriæ, & veritatis. Et ideò sua magnitudo est ita ratio, quod Deus creauerit mundū ratione gloriæ sicut ratione bonitatis. Est ergo finis mūdi ita magnus p gloriā sicut per bonitatē. Sufficit ergo veritas adgloriādū homines in gloria: vt magnitudo tātū sufficere possit fini gloriæ, sicut fini bonitatis. Est ergo probatum, quod Deus qui creauit mundum, dabit gloriam hominibus bonis. Et iste passus est placens ad intelligēdum: quoniam intellectus gaudet in attingendo veritatem gloriæ: quam expectat, gaudet etiam in nouo modo probationis: quam damus secundum tabulam generalem. In Deo est gloria, & ipse est sua gloria, & si nō daret gloriam, illisqui suam gloriam diligunt, iniuriam faceret amabilitati suæ gloriæ, & amatiuitati illorum, qui suam gloriam diligūt. Et sic esset iniustus & auarus amabilitati suæ, & amatiuitati

hominum. Et idem sequeretur de sua memorabilitate, & de intelligibilitate,& de memoratiuitate & intellectiuitate hominum, quæ iniuria est impossibilis. Dabit ergo Deus gloriam omnibus illis, qui motiuntur in statu bonitatis, virtutis & veritatis, & qui ipsum diligunt, & suam gloriam sperant. Articulus dicit: quod Deus est glorificator, & magnitudo gloriç Dei hoc significat cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis,sapientiæ,voluntatis,virtutis,veritatis. Magnitudo gloriæ hoc significat cum magnitudine bonitatis, inquantum est magnum bonum dare gloriam & magnam durationem, magnam potestatem,magnam sapientiam, magnam voluntatem, & magnam virtutem in æuiternitate: & si Deus homines sanctos non glorificaret,esset significatum contrarium, videlicet ꝙ gloria non significaret cum magnitudine bonitatis dare se hominibus, sed cum paruitate bonitatis. Et sic esset contra suam magnitudinem, quam habet in bonitate,duratione, & cæteris, quod est impossibile:oportet ergo quod contrarium sit verum, videlicet concordantiam magnitudinis gloriæ, bonitatis,æternitatis,& cæterarum.Inquantum articulus dicit, quod Deus glorificabit, inquirimus, vtrum Deus glorificabit hominem, aut non.Si teneamus negationem & sit vera,articulus est falsus,& deficit gloria cum magnitudine bonitatis,ęternitatis,&c.suę amabilitati.Et si affirmationem teneamus, sufficit gloria cum magnitudine suæ bonitatis,æternitatis & cæterarum suę amabilitati. Est ergo veritas completa sufficientia,quam gloria habet in sua amabilitate. Est ergo articulus verus & affirmabilis, & non negabilis. Veruntamen inquirere volumus, si Deus glorificabit sanctos cum medio vel sine medio.Si dicamus sine medio, affirmamus, quod Deus sit visibilis oculis corporalibus, sed hoc est impossibile: oportet ergo quod glorificet corpora hominum cum gloria, quæ sit medium, quod sit visibile, quod est corpus Christi glorificatum,quod probare intendimus. Etiam inquirimus, vtrum angelos & animas sanctorum glorificabit cum specie multiplicata ex sua similitudine, aut sine specie. Si intelligamus cum specie, affirmamus,ꝙ gloria est in minoritate contra maioritatem gloriæ magnitudinis,bonitatis,durationis,potestatis,sapientiæ, voluntatis,virtutis, veritatis, concordantiæ, principij,medij,finis,& æqualitatis. Oportet ergo tenere contrariũ, videlicet quod Deus glorificat sine medio & non cum medio:sicut ignis, qui calefacit aquam cum medio:& faber, qui cum medio facit clauum igne calefaciente aërem & postmodum aquam,& fabro tangẽte clauum cum martello moto per manum. Qui siquidem clauus siue cultellus sine medio fieret: si clauum fabro facere volẽte,factus esset sine tactu martelli. Et in hoc passu cognoscitur quomodo diuina voluntas volendo sufficit glorificationi animarum & angelorum, quam habent fixè, siue perseueranter in obiecto,quod est gloria Dei Illã vero gloriam quam habent,nemo ipsam dicere vel scribere posset. Deus est glorificator sine contrarietate & cum pura cõcordantia quam bonitas, æternitas, potestas,sapientia,voluntas,gloria,virtus,& veritas habent in magnitudine contra paruitatem. Et idem est de concordantia, quam habent magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, voluntas, virtus,gloria,& veritas cum bonitate contra malitiam. Et idem est

de

de concordantia,quam bonitas & magnitudo, poteſtas,ſapientia, voluntas, gloria, virtus & veritas habent in æternitate contra priuationem.Et idem eſt de fine & aliis formis. Et iſte paſſus eſt multum placens ad intelligendum, & ſignificat magnam gloriam propter concordantiam omnium formarum diuinarum, quam habent ad glorificandum ſanctos in patria. Dictũ eſt de ſeptem articulis, qui pertinent ad deitatem. Modo oportet dicere de ſeptem articulis qui ſpectant ad humanitatem.

Quod Dominus Ieſus Chriſtus de Spiritu ſancto ſit conceptus.

ARticulus iſte requirit tres probationes. Prima eſt,quod ſit incarnatio. Secunda eſt,quod Dominus Ieſus Chriſtus per Spiritum ſanctum ſit conceptus, & non per hominem. Tertia eſt,quod ipſe ſit incarnatus, & non ad incarnandum.

Quod Deus ſit Incarnatus.

CVm Deus creauit mundum,fuerunt in illa creatione ſua bonitas, ſua magnitudo, ſua ſapientia, & ſua voluntas. Sapientia intellexit magnitudinem finis, ratione cuius ipſe creauit mundum.Et illum finem magnum intellexit ratione magnitudinis Dei, quæ erat in creatione, & bonum ratione bonitatis, & amabilem ratione voluntatis. Fuit ergo mundus creatus ad magnum finem, bonum,intelligibilem & amabilem. Sequitur ergo quod ſi Deus ſit incarnatus quod finis propter quem mundus creatus eſt, ſit in ita magna bonificabilitate, magnificabilitate, & intelligibilitate. & amabilitate, quod non poſſit eſſe in maiori, quod ſi in maiori poſſet eſſe, deficeret maiori finis diuina bonificatiuitas, magnificatiuitas, intellectiuitas, & amatiuitas, quod eſt impoſſibile:eſt ergo Deus incarnatus,cum ſit maior finis propter quem mundus poſſit eſſe creatus, quod in vna parte mundi Deus ſit incarnatus, videlicet in homine, in quo plures naturæ participant, quam in aliqua alia creatura, qui quidem homo in Deo ſit perſonatus, & cum illo coniunctus, & quod de diuina natura & humana ſit vna perſona, vnũ ſuppoſitum, vnus Deus, vnus homo,non duo dij, neque duo homines,ſed vnus homo deificatus,& filius Dei hominificatus. Deus carnẽ humanam aſſumere voluit, vt ſicut ſuę dignitates quietem habent intra ſe in operatione,quæ eſt ita magna,quod maior eſſe non poſſit, ita quietem haberent in operationibus exterioribus, videlicet in creaturis,ſed homo eſſe nõ poſſet, ſi incarnatus non fuiſſet, & creaturam non deificaſſet, quoniam ſicut ſua bonitas non poteſt eſſe maior ratio bono quod agat bonum:ſicut ſi ſit ratio bono Deo, quod producat Deum,& idem eſt de magnitudine & aliis,ita bonitas diuina non poteſt eſſe maior ratio bono creatori, quod producat bonam creaturam:ſicut eſt quod ſit ei ratio:quod ipſam ad Deum producat, de qua Deus ſit ita inductus, quod ipſe ſit illa creatura, & quod ipſe & illa creatura ſint vna perſona, quæ ſit homo Deus. Et ſic bonitas habet quietem in maioritate creaturæ & ſapientia ſimiliter, quoniam non poteſt ſcire nobiliorem creaturam. Et ſic de poteſtate,quæ quietem habet,quoniam ipſam nobiliorem facere non poteſt. Et voluntas ſimiliter quietem habet, quoniam nobiliorem creaturam diligere non poteſt. Et idem eſt de

magnitudine, quæ ipsam plus magnificare non potest. Est ergo Deus incarnatus, vt suæ dignitates quietem habeât in operibus extra. Et si Deus non sit incarnatus, nec ad incarnandum bonitas foret ratio bono creatori, quod crearet magnum bonum cum magnitudine, & Deus non crearet ita magnum, sicut bonitas, & magnitudo essent rationes creationi, & hoc sciret sapientia, inquantum sciret maiorem creabilitatem, magnitudinis & bonitatis, & sic bonitas & magnitudo quietem non haberent, nec sapientia, nec aliæ formæ in creatione, & Deus crearet creaturas bonas & magnas infinitè, & nullo tempore ad finem, nec ad complementum veniret, quod est impossibile. Inter causam, & suum effectum est concordantia, per quam concordantiam, omne efficiens suam operationem diligit naturaliter, Deus est causa prima, & mundus est suus effectus, videlicet sua operatio, est ergo inter ipsum, & mundum concordantia, subiectum cuius concordantiæ est participatio Dei & creaturarum, quam participationem voluntas vult esse ita magnam, quod maior esse non possit: maior esse non potest, si Deus sit incarnatus, quoniam in illa incarnatione participat cum omnibus creaturis, inquantum homo in se continet naturam omnium creaturarum: quod si non sit incarnatus, voluntas diuina non diligit magnam participationem nec concordantiam inter Deũ & creaturam, sed habet concordantiã cum paruitate & contrarietate contra magnitudinem & concordantiam, per quam concordãtiam quam habet cum paruitate & cum contrarietate, est contra operationem magnitudinis, bonitatis, æternitatis, & potestatis, & sic de aliis, quæ contrarietas est impossibilis, est ergo Deus incarnatus. Deus creauit mundum ratione bonitatis, & ideo ipsum creauit bonum, & ipsum creauit ratione magnitudinis, & ideo ipsum creauit magnum. Deus est deitas: sicut est bonitas & magnitudo, oportet ergo quod mundum creauisset ratione deitatis, oportuit ergo quod mundus fuisset deificatus postquã fuit bonificatus & magnificatus. Quoniã si deificatus nõ fuisset, fuissent bonitas & magnitudo in creatione, & non deitas, quæ esset ociosa in creatione, quod impossibile est, cum ita sit, quod illa bonitas & magnitudo sunt vnum idem numero, & cum Deo similiter, qui creauit mundum. Est ergo mundus deificatus in vno homine, qui est Deus: quoniam totus mundus non est totus bonus, in vnitate bonitatis, nec totus magnus, in vnitate magnitudinis, quæ vnitates sũt in homine deificato, qui est pars mundi, in quo deitas fuit ratio Deo quod hominem deificaret, in quo foret incarnatus & homificatus. Quia Deus est incarnatus, potest esse finis & complementum omnium rerum corporalium in æuiternitate, sed hoc esse non posset, si Deus incarnatus non esset: quoniam si Deus non esset corpori vnitus, nulla natura elementalis, vegetalis & sensualis ipsum attingere posset, nec cum illo participare, & sic essent vacuæ fine, ad quem finem se haberent in æternitate naturaliter principium & medium illorum, & nullo tempore ipsum attingerent, quæ vacuitas esset mala contra bonitatem, & parua contra magnitudinem. Est ergo Deus incarnatus, vt illud gloriosum corpus quod sumpsit, sit visibile & eius sermo audibilis. in quo corpore glorioso sunt naturæ arboris elementalis, vegetalis, sensualis, & sic est plenum principium & medium

dium creaturam corporalium in illo corpore glorioso, quod est finis omnium corporalium, quoniam omnia corporalia quiescunt in illo secundum naturam corporalitatis, ad quorum quietem nulla creatura sufficeret, quæ non esset deificata.

Quod Dominus Iesus Christus de Spiritu sancto sit conceptus.

POtentia & obiectum concordantiam habent in operatione, sicut visitiuum & visibile, quæ concordantiam habent in videre, & intellectiuum & intelligibile in intelligere, & bonificatiuum, & bonificabile, in bonificare, & sic de alijs. Et quanto maior est concordantia, magis est actus simplex, & magis propinquus potentiæ & obiecto. Oportet ergo quod Christus sit conceptus de Spiritu sancto in Domina nostra sancta Maria Virgine Gloriosa: quoniam si per hominem conceptus fuisset, actus non fuisset ita purus, nec ita simplex inter Deum & Dominam nostram sanctam Mariam, & Christus haberet duos patres, videlicet vnum Deum & alium hominem, & domina nostra non habuisset tunc ita puram conceptionem in concipiendo Deum; sicut habuit sine copula hominis, & foret conceptio minor, & potētiæ similiter, ratione cuius minoritatis non posset esse incarnatio quam in maiori maioritate concordantiæ esse oportet quæ possit esse inter potentiam & obiectum. Fuit ergo Iesus Christus conceptus de Spiritu sancto sine copula viri. Sicut Iesus Christus fuerit conceptus per carnalem copulam viri, Filius Dei duos patres habuisset & vnam matrem, videlicet Deum patrem & hominem patrem, qui homo pater ita foret suus pater sicut natura sua mater. Sed hoc non oportet secundum magnitudinē Filij Dei, quoniam postquam sufficit vnus Deus pater, non oportet quod habeat hominem patrem, etiam naturalior est filiatio vnius patris & vnius matris, quam duorum patrum & vnius matris. Et quia maiorem concordantiam patris & matris & filij oportet esse in incarnatione, oportet de necessitate, quod per Spiritum sanctum fuisset Christus conceptus & non per hominem. Si Christus fuisset conceptus de homine, foret in conceptione hominis patris & fœminę matris, ita homo sicut alius homo, & non posset esse incarnatio, quam oportet esse de necessitate, vt homo esset homificatus in Deitate; & non in seipso, vt vna posset esse persona ex ambabus naturis, videlicet ex diuina natura & humana, quæ quidem persona non posset esse vna, si Christus inquantum homo fuisset in seipso homo, & non in Deitate homificatus, quoniam iam esset conceptus ex homine patre & fœmina. Est ergo Christus homo per sanctum Spiritum, & non per hominem generatus, sed de matre productus in Deitate. Si Christus per hominem conceptus fuisset, domina nostra sancta Maria non potuit esse Virgo in conceptione, sed per hominem corrupta fuisset, per cuius corruptionem sanctitas & intentio fuissent in minoritate puritatis, bonitatis, magnitudinis, voluntatis, potestatis, in Incarnatione, & sic de aliis formis, & ita conceptio digna non fuisset coniungere naturam diuinam, & humanam in vna persona, & supposito Deo homine. Oportet ergo quod Domina nostra Virgo fuisset, vt in conceptione exaltaret suam dignitatem, & potestatem ad maioritatem magnitudinis, bonitatis

tis, virtutis, &c. Deus hominem fecit de terra, & fœminam fecit ex homine secundum ordinem, oportuit ergo quod hominem ex fœmina fecisset, & si Christus fuisset Filius hominis & fœminæ, tertius modus defecisset, videlicet in producendo hominem ex fœmina, absque homine. Qui quidem defectus fuisset, vacuitas ordinis & magnitudinis, bonitatis, & aliarum, quæ vacuitas est impossibilis, postquam est contra bonitatem magnitudinis & aliarum.

Quod Deus sit iam Incarnatus.

OPortet quod incarnatio sit cum magnitudine veritatis, vt in illa possit esse magnitudo bonitatis, quæ in ipsa esse non posset, si esset cum paruitate veritatis, cui paruitati veritatis resisteret magnitudo falsitatis & malitiæ, & sic non posset esse incarnatio. Et quia probatum est, quod incarnatio sit, est ergo cum magnitudine veritatis, si Deus sit iam incarnatus. Quoniam si esset ad incarnandum omnes homines qui credunt, aut crediderũt, quod iam sit incarnatus sunt in falsitate, & contra veritatem credentes vnam, & eandem incarnationem, & sic sunt in malitia, & in peccato, & ad ignem vadunt infernalem, & sequitur paruitas veritatis, & priuatio magnitudinis, bonitatis, in diuina voluntate, potestate, & sapientia, quod est impossibile. Est ergo Deus iam incarnatus, vt restauret magnitudinem bonitatis, & veritatis in hominibus, qui crediderunt & credunt, & credẽt: quod ille sit iam incarnatus. Si Deus non sit incarnatus, est ad incarnandum, & cum foret incarnatus in sua incarnatione, homines locum non haberent ad credendum ipsam: quoniam eorum opinio foret, quod falsa esset illa incarnatio: sicut illa, quæ præterita est, quem homines credebant esse veram, & ita libertatem non haberent ad credendum, & esset credulitas impossibilis secundum magnitudinem bonitatis, sapientiæ, voluntatis, veritatis, & virtutis, ratione cuius impossibilitatis esset incarnatio impossibilis. Est ergo Deus iam incarnatus, vt non sequatur impossibilitas antedicta. Si Deus iam sit incarnatus, iustum est, quod reuerentia & honor fiat Domino Iesu Christo, & Apostolis, Martyribus & Cõfessoribus: qui authenticati sunt, & qui habentur pro sanctis. Et si Deus non sit iam incarnatus, Christus fuit in Bethleem natus, & in Ierusalem crucifixus: homo falsus, & omnes in ipsum credentes sunt per ipsum falsificati. Et sic Deus est contra iustitiam, & contra modum incarnationis, & sequitur minoritas in Deo misericordiæ & pietatis: quoniam omnes Christiani, Iudæi, Saraceni & Pagani vadunt ad Infernum, intãtum quod de illis Deus misericordiam non habet, nec pietatem. Est ergo iam incarnatus, vt Deus magnam misericordiam habeat & pietatem, & quod sancti qui credunt incarnationem, remunerati sint de doloribus, quos per fidem sustinuerunt. Oportet quod incarnatio sit cum magnitudine finis in duratione, sicut est cum magnitudine finis in bonitate, sapientia, potestate & voluntate. Et si Deus non sit iam incarnatus, est finis incarnationis contra maiorem magnitudinem durationis subiectæ magnitudini, bonitatis, potestatis, sapientiæ & voluntatis, inquantum tempus quod præteritum est, vsque ad tempus quo erit incarnatus, non fuit subiectum magnitudini, bonitatis.

nitatis in duratione poteſtatis, ſapientiæ,& voluntatis. Deficit ergo duratio formis, & è conuerſo deficiunt formæ durationi,quod eſt impoſſibile.Eſt ergo Deus iam incarnatus, cui placeat, quod ipſum Deum hominem in ſua gloria, per ſuam magnam pietatem videre valeamus.Si Deus ſit incarnatus, eſt ordo poſitus inter primam intentionem & ſecundam. Primam intentionem nouum Teſtamentum vocamus, & ſecundam intentionem vetus Teſtamentum, quod concordantiam habet cum nouo ſucceſſiuè,& in continua quantitate temporis. Et ſi Deus non ſit incarnatus,ſequitur cōtrarium, & eſt concordantia quantitatis continuæ in priuatione, & eſt in quantitate diſcreta,& hæc credentia quam Chriſtiani habent, eſt falſum medium, ſi Deus non ſit iam incarnatus. Quæ ſiquidem diſcreta quantitas contrarietatem ædificat inter primam intentionem, & ſecundam, contra maiorem concordantiam, quæ eſt in continua quātitate & in diſcreta.Eſt ergo Deus iam incarnatus, vt ſit maior concordantia quantitatis, inter primam intentionem & ſecundam.

Quod Dominus Ieſus Chriſtus ſit natus.

PRobatum eſt, quod Deus ſit incarnatus,& conſequentia incarnationis ſecundum medium,& finem ſequitur principium incarnationis, quæ continua eſt,quod ſit natus. Quoniam ſi natus non eſſet, & eſſet incarnatus, principium incarnationis,medium, & finis non conſequerentur, & deficeret magnitudo veritati incarnationis & humanitatis, qui defectus eſſet malus contra bonitatem, & virium contra virtutem,& ſic de aliis. Eſt ergo Ieſus Chriſtus natus homo Deus, poſtquam homo Deus, poſtquam homo Deus fuit incarnatus. Ieſus Chriſtus fuit natus naturaliter, vt eius natiuitas eſſet modus curſus naturalis, qui ad natiuitatem hominis pertinet. Et natus fuit in humana ſpecie, quia fuit homo & Filius Dei:inquantum fuit homo, natus eſt homo, & in ſpecie hominis,& homo deificatus natus eſt Deus in deitate, & ita natus eſt Deus in humanitate, & homo in deitate, & ſic oportuit eſſe ratione vnitatis perſonalis ambarum naturarum, videlicet diuinæ naturæ & humanæ. Natiuitas Chriſti ita oportuit eſſe per locum naturalē quantū ad naturā hominis,ſicut oportuit,quod fuerit ſupra curſum naturalem quantum ad naturam diuinam, quæ coniuncta fuit cum natura humana ſupra curſum naturalem, & ideo natus fuit Ieſus Chriſtus ſupra curſum naturalem, in quantum Domina noſtra poſt partum Virgo permanſit, ſicut prius Virgo fuit in conceptione. Quoniam ſicut Deitas modum curſus naturalis non requirebat in accipiendo humanitatem, videlicet quod tranſiret per locum, ita non requirebat exire de corpore Virginis locum corrumpendo & medium tranſitus. Et talis tranſitus ſupranaturalis ſimilitudinem habuit cum conceptione, quæ fuit ſupra curſum naturalem, in quantum Ieſus Chriſtus non fuit homo homificatus in ſuppoſito humano, ſed in diuino ſuppoſito, in quo homificatio fuit producta & ſuſtentata. Oportet natiuitatem Chriſti conſeruare intentionem Matris ſuæ Domina noſtræ & amatiuitatem Virginitatis ſuæ, vt magnitudo bonitatis diuinæ ſufficeret magnitudini voluntatis Dominæ noſtræ, quæ intentionem habuit, quod Virgo permaneret in

principio,medio,& fine Incarnationis, & Natiuitatis filij sui, quæ sufficientia bonitatis non fuisset, si Christus de Virgine non nasceretur, de qua Virgine natus est, vt permaneret magnitudo bonitatis,in intentione virginitatis. Si Iesus Christus natus sit de Virgine, & conceptus fuerit de Virgine, eius virginitas, puritas, & sanctitas fuerunt in maiori concordantia bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis, sapientiæ,voluntatis, gloriæ, virtutis, & veritatis. Et si Dominus Iesus Christus non sit natus de Virgine, esset concordantia in minoritate magnitudinis, bonitatis, & aliarum, quæ concordantia minoritatis est impossibilis. Est ergo Iesus Christus natus in maiori concordantia Virginitatis.

Quod Iesus Christus fuerit mortuus.

DEitas honorauit, quantum potuit humanitatem Iesu Christi, quoniam ipsam magis honorare non potuit, quantum quod ipsam in Deitate crearet, in qua fuit coniuncta cum Filio Dei. Oportuit ergo quod humanitas honoraret, quantum potuit Deitatem, cum prosperitatibus & deliciis temporalibus ipsam non potuit honorare,quoniam Deitas non requirit honores prosperitatum, neque delitiarum, sed requirit, quod homo sit pauper in hoc mundo, & quod sustineat labores & mortem ad honorandum ipsam.Oportuit ergo quod Christus in quantum homo moreretur, vt humanitas Deitatem honoraret, & vt esset exemplum aliis ipsam honorandi. Iesus Christus fuit mortuus ad dandum exemplum, quod ipse erat homo mortalis propter originale peccatum,erat tamen immortalis, in quãtum sustentatus fuit in Deitate. Et mortalis fuit, vt cum sua speciali mortalitate generalis mors moreretur.Quę siquidem mors generalis deuicta fuit quia ille per quem totus mundus creatus fuit, sustulit passionem, vt mundus esset recreatus. Quæ quidem specialis passio ad auferendum culpam generalem sufficit: sicut sufficit finis generalitati mundi, qui fuit creatus ad finem Christi & propter illum. Et in hoc passu probatum est, quod mundus recreatus est per mortem Christi, quam esse oportuit, vt mundus per ipsam recreatus fuisset, & vt ad finem propter quem fuit creatus, rediret. Quoniam si mundus in æuiternitate deuiatus fuisset à fine, propter quem creatus fuerit, magnitudo, bonitas & cæteræ formæ diuinæ fini creationis deficerẽt,quod est impossibile. Probatum est, quod mundus à fine deuiatus existit propter originale peccatum, voluit ergo Iesus Christus mori,vt sua mors esset ratio suo populo, pro quo mortuus fuit, vt ipsum diligeret, quæ quidem ratio non posset esse in ita magna magnitudine amabilitatis:sicut fuit per mortem, quoniam pastor magis diligere non potest suas oues:sicut cum moritur propter bonum illarum. Et quoniam Iesus Christus suum populum dilexit in magnitudine amatiuitatis, mori voluit ratione magnitudinis, amabilitatis. Et in hoc passu potest homo cognoscere, quod Iesus Christus sustinet, quod in mundo sint Saraceni, & Pagani, vt Christiani habeant magnam materiam amabilitatis,etiam vt in illa vtantur magna amatiuitate, ita quod ipsi sustineant labores & mortem, vt infideles ad Deum conuertere possint, & terram sanctam recuperare. Et ideo Dominus Papa & eius fratres Domini Cardinales malefaciunt,

lesaciunt, & alij Prælati, qui non nutriunt Christianos ad moriendum pro Domino nostro Iesu Christo, & ad vtendum magna amatiuitate. Iesus Christus principiatus fuit homo ad honorandum Deum amandum, & ei seruiendum, & in medio stetit Deum honorando, & amando, in quantum fuit homo, & hoc tantum, quantum potuit. Oportuit ergo, quod in fine compleret magnum honorem, & magnam amatiuitatem, & amabilitatem: sed hoc esse in fine non potuit, si non moreretur ad honorandum Deitatem: quoniam finis non esset similis principio & medio cum magnitudine amatiuitatis, & amabilitatis, quem finem oportet esse, vt respondeat naturæ principij, & medij secundum quantitatem continuam magnitudinis humanæ amatiuitatis, & amabilitatis. Est ergo probatum, quod Iesus Christus crucifixus fuit & mortuus. Iesus Christus mortuus fuit in quantum homo, non in quantum Deus. Sicut sanctus Petrus qui fuit mortuus in quantum corpus, non autem in quantum anima. Et etiam corpus Christi existens in cruce mortuum fuit, in quantum anima ipsum dimisit, & non mortuum, in quantum Deitas ab ipso non recessit. Nec coniunctio diuinæ naturæ, & humanæ dissoluta fuit. Remansit ergo Iesus viuus & mortuus sine contradictione, quoniam mortuus fuit secundum mortalitatem humanam, viuus fuit, secundum quod fuit deificatus in viua Deitate, à qua vita discedere non potest. Et idem sequitur, quod in cruce Deus mortuus fuit, & non fuit mortuus sine contradictione; mortuus fuit, in quantum homo Deus qui in quantum homo fuit mortuus, non fuit mortuus in quantum Deus homo, qui in quantum Deus non fuit mortuus. Idcirco mors Christi extitit secundum cursum naturalem, & remansit viuus supra cursum naturalem. Et ita sibi inuicem respondent articuli Incarnationis, natiuitatis, & passionis secundum naturam humanam, & supra cursum naturalem illius. Et hæc consideratio delectabilis est ad considerandum.

Quod Iesus Christus descendit ad inferos.

Anima Iesu Christi descendit ad inferos, vbi erant Adam & sancti Patres, qui de hac vita præterierunt quos per suam mortem redemit, & ad illos descendere voluit, vt eis maius gaudium de eorum redemptione exhiberet. Quoniam maius gaudium fuit per Dominum quam per nũcium, & quia redemptio fuit magna, oportuit quod manifestaretur cum maiori hilaritate, & cum maiori veritate, quæ quidem maior veritas multo melius manifestata fuit per illum, qui redemptionem fecit, quam per aliquem aliũ. In hoc quod anima Christi ad inferos descendit, quæ erat cum Deitate vnita, Adam & Prophetæ Deum viderunt & cognouerunt in anima Christi, quẽ cognoscere nec videre poterant per alium, cum quo Deitas coniuncta non erat. Et ita partem hominis viderunt, videlicet animam, & filium Dei viderunt in illa. Per quam visionem maior constantia siue certitudo de eorum redemptione fuit multiplicata, propter quam maiorem certitudinem, oportuit quod anima Christi ad inferos descenderet, & quod ab illis locis Sanctos auferret. Anima Christi ad inferos descendit ad significandum, & ostendendum victoriam, quam Christus habuit in cruce, in qua genus humanum suo

proprio sanguine redemit. Et significabat quod in inferno afflictionem non habuit de pœnis, qui in inferno erant, & huius significatio fuit signum & manifestatio Prophetis & Sanctis, quod culpa peccati originalis consumpta erat, postquam anima (quæ erat eis similis) in loco vbi erant passionem non habuit. Vt damnati maiorem pœnam haberent, descendit anima Christi ad inferos, quoniam in illa manifestata fuit victoria, quam habuit in saluando illos, qui in Iesu Christo credebant, remanentibus in inferno perpetuè illis, qui suum aduentum negauerant. Quare sicut iustis fuit maior gloria eius repræsentatio, ita oportuit quod iniustis fuisset maior pœna. Sicut Iesus descendere voluit de vita ad mortem in cruce, ita descendere voluit de vita acquisita in cruce per mortem suam ad mortem Sanctorum, qui propter originale peccatum in tenebris extiterunt. Et hoc ita esse oportuit, vt eius descensus esset in magnitudine bonitatis, charitatis, & humilitatis. Sed hoc esse non potuit, si Iesus Christus ad inferos non descendisset.

Quod Iesus Christus à mortuis resurrexit.

Maior finis bonitatis, magnitudinis, & aliarum consistit in homine, quam in aliqua suarum partium cantum, idcirco oportuit, quod Dominus noster Iesus Christus resurrexisset, vt maior finis veniret. Quoniam si non resurrexisset, oporteret quod in illo esset aliqua culpa, quæ maiorem finem impediret. Quæ quidem culpa in Christo esse non potuit, quia coniunctus & personatus est homo in Deitate & in illa sustentatus. Iesus Christus resurrexit, vt esset homo ex anima & corpore, sicut fuit antequam moreretur. Et quando mortuus fuit, homo fuit, inquantum filius Dei erat homo, sed non erat homo, in quantum anima non erat in corpore. Et quia filius Dei voluit esse homo de anima & corpore constitutus, Iesus Christus resurrexit, vt diuina voluntas assecuta fuisset hoc quod volebat, quod assecuta non fuisset, si Iesus Christus non resurrexisset de morte ad vitam. Quia Iesus surrexit à mortuis, significatum fuit, quod compleuerat in cruce victoriam contra originale peccatum. Et si Iesus Christus non resurrexisset, significatum fuisset quod victoria non erat completa. Quare oportuit, quod Dominus Iesus Christus à mortuis resurrexisset, non tamen per alium sed per seipsum: quoniam sicut filius Dei per se incarnatus fuit, ita per se anima Christi rediit in suo corpore de quo exiuit. Iesus Christus resurrexit, vt esset exemplum & signum generalis resurrectionis hominum, quæ ventura est. Idcirco posuit homines in maiori spe resurrectionis per suam resurrectionem, contra quam maiorem spem fuisset, si non resurrexisset contra maiorem spem, Iesus Christus non potuit esse secundum magnitudinem bonitatis, iustitiæ & charitatis. Si Iesus Christus à mortuis non resurrexisset, fuisset suum corpus in terra & anima in cœlo, & suum corpus priuilegiũ non habuisset in magnitudine bonitatis, gloriæ, & voluntatis supra corpora aliorum hominum. Quod quidem priuilegium necessariũ est, quod Iesus Christus habeat ratione coniunctionis, diuinæ naturæ, & humanæ, in qua coniunctione est natura humana Domini nostri Iesu Christi exaltata in maiori magnitudine bonitatis, gloriæ, finis

finis & voluntatis, quam aliquam aliarum creaturarum. Reſurrexit ergo à mortuis Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Quod Ieſus Chriſtus ad cœlos aſcendit.

IN cœlo empireo ſunt animæ Sanctorum, ibi Deum contemplantur & vident facie ad faciem, & oculo ſpirituali ad oculum, & in hac vita mortali, nulla anima Deum contemplari, neque videre poteſt ſine medio, videlicet ſine ſpecie fantaſtica. Eſt ergo nobilior ille locus ſuperior quam locus iſtius vitæ mortalis. Oportuit ergo quod Ieſus Chriſtus ſuum corpus aſcenderet ad illas ſummitates ſiue altitudines, in quibus eſt nobilior locus. Sed hoc eſſe non potuit, ſi Ieſus Chriſtus ad cœlos non aſcendiſſet. Aſcendit Ieſus Chriſtus ad cœlos, vt gloriam daret Sanctis, quoniam per ſuam viſionem maiorem habent gloriam, & ſi ad cœlos non aſcendiſſet, haberent minorem, & ſic Dominus noſter Ieſus Chriſtus foret contra maiorem gloriam, & haberet magnam concordantiam cum minori gloria, quod eſt impoſſibile, cum ita ſit, quod gloria & maioritas habeant concordantiam in magnitudine bonitatis & aliarum: quoniam Dominus Ieſus ad cœlos aſcendit, animas Sáctorum poſuit in maiori ſpecie reſurrectionis. Quoniam in hoc quod viderunt Dominum Ieſum Chriſtum qui à mortuis reſurrexit melius eis reuelata fuit & ſignificata generalis reſurrectio, per quam maiorem reuelationem & ſignificationem Sancti maiorem gloriam habuerunt, & maiorem ſpem reſurrectionis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus genus humanum recreauit, & traxit animas Sanctorum de inferno, quæ iuerunt in Paradiſum. Cum ita ſit, quod Paradiſus ſit locus, vbi attingitur finis, propter quem mundus fuit creatus. Ideirco iſta vita in qua ſumus, eſt in principio & in medio, & alia vita eſt in fine. Vnde ſi animæ Sanctorum irent ad Paradiſum, bene oportuit quod anima Ieſu Chriſti iuiſſet, & ſuum corpus aſcendiſſet, cum ita ſit, quod ipſe ſit finiſ & complementum reſtaurationis illarum animarum. Dominus Ieſus nobilior eſt ratione diuinæ naturæ quam ratione humanæ, & ideo ſi ad cœlos non aſcendiſſet, diuina natura iniuriata fuiſſet in humana. Et idem eſt de anima & corpore, cum ita ſit quod anima ſit nobilior quam corpus. Sicut ſi olea quæ inſerta eſt in oleaſtro, mitteret ſuam naturam inferius, & natura oleaſtri ſupra aſcenderet, ita ꝙ oliua faceret in ſpecie oleæ, quæ ſiquidem oliuæ eſſent de ſpecie oleaſtri & nó de olea. Ieſus Chriſtus ergo aſcendit ad cœlos, vt in ipſo incóuenientia ante dicta nó fuiſſent. Deus eſt bonus, & ſua bonitas eſt ei ratio, quod agat bonum, & Deus eſt magnus, eſt ergo ſua bonitas ratio Deo, quod agat magnum bonum: ſua bonitas ergo non eſt ei ratio, quod agat paruum bonum & non magnum, poſtquam eſt magna Deitas, bene facere non potuit humanitati quam aſſumpſit: ſi ipſam in locis in quibus non attinguntur magna, ſed parua, tenuiſſet. Aſcendit ergo ipſa glorioſa humanitas Ieſu Chriſti ad loca: vbi magna bona attinguntur.

Quod Ieſus Chriſtus ſit Iudex in die iudicij.

OPortet quod dies iudicij ſit de hominibus bonis & malis, vt ſequatur finis entium, quæ creata ſunt.

Quod siquidem iudicium intelligi oportet videri & auditi, quoniam sine intelligere, videre & audire non esset finis in magnitudine bonitatis, veritatis & aliarũ: oportet ergo ꝙ iudex sit Deus & homo. Oportet quod sit Deus, vt iudicium intelligatur in magnitudine veritatis, oportet quod sit homo, vt iudex videatur, & quod eius iudicium audiatur. Idcirco oportet quod gentes congregentur in vno loco, vt iudicem videre possint & audire, sed hoc esse non posset, si Iesus Christus non esset iudex. Iudicabit ergo Dominus Iesus bonos & malos in die iudicij. Oportet quod iudicium sit in quantitate continua principij, medij & finis. Et quia quantitas in diuersis remanet quantitatibus distinctis sustentata per differentiam, quæ est inter principium, medium & finem, oportet esse iudicium, secundum quod pertinet ad principium, medium & finem. Vnde si Dominus noster Iesus Christus sit iudex, est eius iudicium de principiis, videlicet de hoc quod spectat ad honorandum Deitatem & humanitatem cum illa coniunctam. Et idem est de medio, cum ita sit, quod Iesus Christus in quantum homo est medium inter Deum & suum populum. Et idem est de fine, cum ita sit, quod omnia entia creata sint ad honorandum Deum & humanitatem Christi. Erit ergo Iesus Christus iudex in die iudicij. Dominus Iesus Christus erit iudex, vt sit maior gloria bonorum, & maior pœna malorum. Quoniam magna gloria est bonis, quod ipsi videant, quod ille qui erit eis similis, dabit iudicium & vocabit ipsos ad gloriam perpetuam. Et magna pœna erit malis, qui videbunt ita magnam potestatem hominis, quæ ipsos iudicabit ad pœnam perpetuam, & quia iudicium oportet esse in magnitudine veritatis, maior erit, in quantum dabit maiorem gloriam bonis, & maiorem pœnam malis. Oportet ergo quod Dominus Iesus Christus sit iudex. Vnus idem calor magnus est in vno subiecto, & paruus in alio: sicut calor ignis qui est magnus in pipere, & paruus in aniso, magnus est in pipere, quia recipere potest magnum calorem, paruus est in aniso, quoniam non est de suis conditionibus, quod possit esse subiectum magno calori. Modo simili erit de maiori iudicio, quod erit in fine mundi. Quod siquidem iudicium non posset esse magnum, si non esset aliquod magnum subiectum, in quo sustentatum esset. Magnum subiectum non posset esse: si ille qui dabit iudicium, non esset primus iudex & maior, qui possit esse, vnde cum Deus non sit corpus: si ipse iudicium daret per vocem, & vox de ipso non esset, & vox non esset pars illius, ille qui loqueretur, non esset iudex primus, imo esset medium, & sic iudicium non posset esse magnum, quoniam subiectum non haberet, in quo posset esse magnum. Oportet ergo quod ille iudex qui iudicabit bonos & malos: sit ille idem qui loquetur, in quantum dabit iudicium, sed hoc esse non posset, si Deus non esset homo. Iesus Christus ergo iudicabit, qui in quantum homo erit ille idem, qui loquetur, & in quantum Deus erit primus iudex, & sic iudicium erit magnum. De magnitudine iudicij est, quod ille qui iudicat, sit finis iudicij, & quod ille qui iudicatus est, se habeat ad illum finem secundum magnitudinem bonitatis, & concordantiæ iudicis, & iudicati. Et idem sequitur secũdum magnitudinem malitiæ, & contrarietatis illorum, qui deliquerunt contra iudicem. Oportet ergo

go quod Dominus noster Iesus Christus sit iudex, cum ipse sit finis, in quantum Deus & homo omnium entium creatorum, ad quem finem se habent iusti cum magnitudine bonitatis, & concordantiæ, & mali qui ipsam ostendunt, cum magnitudine malitiæ, & contrarietatis.

De Fructu arboris Apostolicalis.

FRVCTVS arboris Apostolicalis est ille, in quo colliguntur omnes fructus aliarum arborum, de quibus dictum est. Quoniam omnia quotquot sunt in hac vita præsenti secundum diuinam ordinationem, quã Deus posuit in creaturis istius vitæ, in qua sumus, se ita dirigunt ad arborem Apostolicalem & generalem: sicut plures lineæ ad vnum punctum ex illis constitutum & cẽtrum, in quo sibi inuicem obuiant, & suum habent complementum: sicut plures partes in suo toto. Fructus apostolicalis est saluatio gentium & ordinatum ministerium, vt Deus recolatur, intelligatur & ametur, honoretur, & ei seruiatur plusquam alicui alij. Et iste fructus apostolicalis est ita nobilis, & de ita nobilibus conditionibus, quod requirit vnam personam communem, qui sit eius cultor, & habeat dominium super omnes homines. Inter quem cultorem & fructum, oportet esse ita magnam concordantiam in magnitudine bonitatis, sanctitatis, virtutis, & veritatis, quod maior esse non possit, vt maioritas non deficiat magnæ concordantiæ, & quod concordantia non sit in maioritate magnitudinis, bonitatis, sanctitatis, virtutis, & veritatis, quod si esset, iniuriati essent omnes fructus aliarum arborum in minori concordantia, quæ iniuria esset contra magnitudinem bonitatis, &c. Fructus arboris elementalis est res elementata: sicut opera, pomum, equus, piscis, grus, homo, aurum, ferrum, & sal, & sic de aliis metallis. Et omnes isti subijciuntur fructui apostolicali ita, quod omnia elementa ordinãt per rectam lineam res elementatas, quæ seruiunt Domino apostolico, quod per illas tractare possit saluationem gentium, & ad euitandum damnationem illarum, & ad faciendum Deo honorem. Per pettam intelligimus ædificia camerarum, turris, castri, & ciuitatis: per equum instrumentum, vt milites sint brachia Ecclesię sanctę: per gruem omnia volatilia ad vsum Domini Papę submissa, & idem de piscibus, etiam de auro & ferro, per quod intelliguntur artes mechanicæ, & per sal saporem cibariorum. Et idem intelligitur in fructu arboris vegetalis, & sensualis: sicut pomum, quod est necessarium ad habendum saporem, vt appetibile sit ad comedendum, ex quo vita sequi possit & sensatum, quod est fructus, per quem possint esse scientię, mechanicæ, & liberales. Et idem est de imaginabili, humanali, & de morali arboribus, vt cum virtutibus colligatur fructus: in fructu apostolicali, & etiam imperiali, vt Imperator pacem tenere possit in mũdo, & destruere infideles, rebelles, mandatis sancti Patris Apostolici, vt fructus colligatur sub sua administratione. Etiam quinta essentia est eius fructus, vt sit fructus apostolicalis. Quis ergo cogitare posset vel scribere nobilitatem fructus arboris apostolicalis? Idcirco oportet, quod huiusmodi fructus nobilem habeat pastorem. Quare quando Cardinales Papam eligunt, pro suo posse deberent

propor

proportionare cultorem fructui, & Papa electus in illa proportione seipsum conseruare.

De Arbore Cœlestiali.

SVMMARIVM.

ARBOR Cœlestialis similiter diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt principia generalia excepta contrarietate.

Truncus sunt cœli.


Branchæ sunt duodecim signa.

Rami sunt planetæ.

Folia sunt accidentia cœlestia.

Flores sunt actus cœlestes.

Fructus sunt res creatæ inferiores.



De arbore Cœleſtiali.

HÆc arbor cœleſtialis diuiditur in ſeptem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

De radicibus arboris Cœleſtialis.

CVm Deus creauit mundum, creauit vnam bonitatem generalem de natura corporali, & idem eſt de magnitudine, duratione, poteſtate, vno inſtinctu, & vno appetitu, & ſic de aliis principiis primis & generalibus, quæ ſunt de corporali natura. Et quodlibet principium diuiſit in duas partes, vna pars eſt de quinta eſſentia, alia eſt de quatuor ſubſtantiis mundi, ex quibus arbor elementalis conſiſtit. Et ſic vna bonitas generalis diuiſa eſt in plures bonitates, vna bonitas eſt de quinta eſſentia, & alia eſt de eſſentiis infe-

proportionare cultorem fructui, & Papa electus in illa proportione ſeipſum conſeruare.

De Arbore Cœleſtiali.

SVMMARIVM.

ARBOR Cœleſtialis ſimiliter diuiditur in ſeptem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices ſunt principia generalia excepta contrarietate.

Truncus ſunt cœli.

Branchæ ſunt duodecim ſigna.


Rami ſunt planetæ.

Folia ſunt accidentia cœleſtia.

Flores ſunt actus cœleſtes.

Fructus ſunt res creatæ inferiores.

De Arbore



De arbore Cœlestiali.

HÆc arbor cœlestialis diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

De radicibus arboris Cœlestialis.

CVm Deus creauit mundum, creauit vnam bonitatem generalem de natura corporali, & idem est de magnitudine, duratione, potestate, vno instinctu, & vno appetitu, & sic de aliis principiis primis & generalibus, quæ sunt de corporali natura. Et quodlibet principium diuisit in duas partes, vna pars est de quinta essentia, alia est de quatuor substantiis mundi, ex quibus arbor elementalis consistit. Et sic vna bonitas generalis diuisa est in plures bonitates, vna bonitas est de quinta essentia, & alia est de essentiis infe-

rioribus. Et hæc talis corporalitas ita generalis fuit, vt bonitas superior, & bonitas inferior haberent naturaliter maiorem concordantiam. Et idem est de magnitudine, & magnitudine, & cæteris formis primariis, contrarietate excepta: quoniam contrarietas generalis posita non fuit in principiis superioribus, vt non essent contraria inuicem quædam cum aliis, nec quod in ipsis esset generatio, nec corruptio, nec priuatio formarum antiquarum, & renouatio formarum nouarũ. Et ideo contrarietas generalis est sustentata in istis quatuor substantiis mundi, quæ sunt branchæ arboris elementalis, ratione cuius, scilicet contrarietatis elementa sunt contraria inuicem quædam cum aliis, vt sit generatio, & renouatio nouarum formarum, & hoc secundum quod in illa dictum est. Sunt ergo radices arboris cœlestialis, bonitas, magnitudo, duratio, potestas, instinctus naturalis, & appetitus, virtus, veritas, delectatio, differentia, concordantia, principium, medium, finis, maioritas, æqualitas, & minoritas. Per bonitatem arbor cœlestialis est bona, & per bonitatem habet rationem ad bonum motum, & habet operationem bonam, influentiam, impressionem, & restaurationem. Et per magnitudinem est magna in extensitate & corporalitate, & per durationem durabilis est, & per potestatem potens, & per sapientiam suæ partes instinctus habent naturales ad finem, propter quem sũt, & per appetitum illos fines desiderãt, & per virtutem ipsos perficiunt, & attingunt cum iuuamine motus, qui est instrumentum ad illam attinctionem, & per veritatem sunt suæ influentiæ veræ naturaliter; & per delectationem delectantur superiores formæ, ad dũdum similitudines suas istis formis inferioribus, & per differentiam sunt differentes radices, & quædam radices quasdam faciũt operationes & influentias, & aliæ radices, alias habent operationes, & per concordantiam est cõcordantia inter radices, & per principiũ sunt radices primæ causæ istis inferioribus, & per mediũ, habent medium in seipsis: sicut in bonitate solis, in quo est bonificare medium inter bonificatiuum & bonificabile, & sol qui est mediũ inter Saturnũ & Lunam. Et per finẽ causæ superiores se habent ad obiectũ quod est secũdum corporalitatem, generationem & corruptionem istarum rerum inferiorum, quæ necessariæ sunt ad vitam hominis, & sciẽtiam ipsius, & ad cognoscendum Deum recolendum, honorandum, & ei seruiendum. Et per maioritatem sunt quædam radices principia maiora in quibusdam regionibus quam in aliis, & in quibusdam elementatis quam in aliis, sicut Saturnus, qui maiorem habet virtutem in autumno quam in vere. Et per æqualitatem principia superiora sunt æqualia simpliciter in bonitate duratione, potestate & cæteris. Et per minoritatem est influentia aliquorum minor quam alia, alicuius quam alterius: sicut in Anglia, in quo sol non habet ita magnam virtutem in luna, sicut in India. Est ergo quælibet formarum quæ sunt superius, ratio secundum suum proprium esse ad causas inferiores, & secũdum quod causæ superius miscentur ad inuicem, miscetur influentia earum, & illarum virtus, in istis causis inferioribus motis. Quando principia generalia in principio creationis mundi fuerunt diuisa, & quædam partes supra positæ fuerunt, & quædam hũc inferius, vt dictum

dictum est, fuerunt partes superiores denudatæ de multis naturis & proprietatibus, quas habent partes inferiores. Sicut bonitas firmamenti, quæ depurata fuit, & denudata de ponderositate, calore, humiditate, frigiditate, & siccitate, duritie, & mollicie, asperitate, & lenitate: amaritudine, & dulcedine, alteratione, generatione, & corruptione, Et idem est de aliis partibus firmamenti.

De Trunco arboris cœlestialis.

Truncus arboris cęlestialis est sicut pellis extensa circulariter, & est corpus, quod tenet à sphæra ignis, vsque ad superficié, quæ superior est quam aliqua alia, intra quam omnia corporalia continentur, quæ siquidem superficies terminus est, in quo truncus cœlestialis terminatur, & est de suis partibus, videlicet de suis radicibus, & nõ participat cum alio corpore superiori. Truncus compositus est, & confusus de suis radicibus & ita animatus est anima motiua, sicut truncus arboris elementalis elementatiua, & vegetalis vegetatiua, & sensualis de sensitiua, & ideo suus finis est mouens, mobile & motum, quare suus motus est ratio omnibus corporalibus motibus inferioribus, & suæ partes sunt omnes obliquæ, scilicet circulares: sicut sua bonitas, quæ facit arcum ex bonificatiuo bonificabili, & bonificare, & sicut sol, qui facit arcum in die, qui est supra terram de oriente, meridie & occidente, quare successiuè fit motus continuè: sicut sua bonitas in magnitudine, & magnitudo in bonitate, & sic de aliis partibus trunci. Et ideo bonitas quæ est in rectitudine orientis, habet appetitum ad magnitudinem quæ est in occidente, quæ est bonificabilis, est motus in bonificare extensus de oriente ad occidenté, qui quidem oriens & occidens indicantur secundum diuisiones dici & noctis, & intantum sicut sunt rectitudines trunci elementalis: secundum respectum, sunt plura orientia & occidentia, & plures meridies: sicut oriens quod est vnum, inquantum sol oritur in Hierusalem, & est aliud, inquantum oritur in Sicilia, & est aliud, inquantum oritur in Noruegia, & sic de aliis partibus trunci elementalis. Et idem sequitur de meridie & occidente. Et in hoc passu cognoscitur quod firmamentum habet quietem in motu: sicut lapis in statione, & in suo centro. Quoniam sicut pluuia quæ cadit per aërem, se mouet ad existendum in loco vbi non se mouet, nec mouetur, ita omnes partes firmamenti se mouent ad mouendum, vt sit mouens, mobilis, & motus, & ideo suus motus non cessat. Truncus cœlestialis se mouet in circuitu, & truncus elementalis stat in medio, & secundum rectitudines trunci elementalis, & trunci cœlestialis partes amborum truncorũ se respõdent: quemadmodum si truncus elementalis habeat indigentiam in aliqua suarũ partium, truncus cœlestialis in contiguatione, quam habet cum elementali, influit & complet, & satisfacit elementali: sicut bonitas superior bonitati inferiori, & magnitudo supra magnitudini inferiori. Etiam si truncus elementalis habeat indigentiam de calore secundum regionem orientis cõtra frigiditatem, quæ est in regione occidentis, sol qui est instrumentum & brancha multiplicat cum suo splendore, ita calorem illius regionis: sicut ignis cum suo calore calorem, qui est in aqua, tunc quando illam calefacit in olla, aut in ventre equi, qui aquam

aquam potauit, aut in folio cucurbitæ, ꝙ recipit roré de nocte, & sic de aliis rebus similibus istis. Et hoc facit Sol ratione suæ bonitatis, magnitudinis & aliarum. Secundum quod exemplum dedimus in branchis arboris sensualis, quomodo potentiæ se habent ad obiecta per lineam continuam elementatam, quamuis potentia ad obiectum non vadit, nec obiectum venit ad potentiam: inquantum sunt in discreta quantitate, & actus fit per naturam ambarum quantitatum, videlicet per continuam & discretam, ita truncus cœlestialis, & truncus elementalis se respiciunt secundum continuam quãtitatem & discretam, quamuis superior truncus in inferiorem non intrat, nec truncus inferior intrat in superiorem, inquantum habent discretam quantitatem, sed influentia superior venit inferius ratione continuæ quantitatis generalis, in qua sunt ambo trunci: sicut in vna bonitate generali & corporali, & vna magnitudine corporali generali, & sic de aliis. Et in illa linea generalitatis fit operatio in impressione, secundum quod dedimus exemplum in branchis arboris sensualis. Et in hoc passu cognoscitur, quod lux Solis hîc inferius non descendit, sed eius similitudo accipitur in superficie arboris elementalis, quæ ipsam hîc inferius repræsentat per continuam quantitatem lucis Et idem est de bonitate tauri, & de eius motiuitate, quæ accipiuntur in bonitate ignis, & in motiuitate illius. Et eius similitudo apparet in bonitate piperis, & in motiuitate flãmæ, & sic de aliis similibus istis. Et hæc philosophia multũ delectabilis est ad intelligẽdum, & est via ad cognoscẽdum multa secreta naturalia. Truncus arboris cœlestialis sentiri non potest, quia confusus est, & eius color sentitur in stellis fixis & erraticis, & eius figura circularis est, & est causa ad omnes circularitates, siue circulares figuras corporales: sed illa figura non potest videri, & consistit de partibus triangularibus existentibus in linea obliqua, vt dictum est. Et ideo est causa ad triangulos inferiores: sicut ad triangulum, qui est de igne, aëre, & de terra, & secundum respectum rectitudinum trunci elementalis, respondet ad figuram quadrangularem: sicut meridies & media nox, quæ se respiciunt per lineam corporalem generalem, & oriens & occidens similiter. Et ideo sunt quatuor impressiones regionum: quæ respondent ad quatuor quadratos, ex quibus causantur quadranguli inferiores, & ex illis exeunt trianguli, quia quadrati generales in situatione triangulari sunt assituati. Truncus cœlestialis non est leuis, nec ponderosus, quoniam est de lineis obliquis & rotundis, quæ simpliciter secundum se non habẽt superius, nec inferius: sicut circulus, qui non habet principium, neque finem, secũdum assituationem. Nec truncus cœlestialis est corruptibilis, nec generabilis, veruntamen est causa generationi & corruptioni in inferioribus, quia iuuat quibusdã plus in vno loco, & minus aliis in alio loco. Nec truncus cœlestialis crescit, nec diminuitur in semetipso, quoniam alium locũ non appetit, sed illum tantum in quo est, & idem est de suis partibus. Et plures alias proprietates possemus dicere, quas habet truncus cœlestialis, quas non habet truncus hic inferior: & sicut truncus inferior, qui multas proprietates habet, quas non habet truncus superior, videlicet calorem, ponderositatem & alia: sed quia prolixitatem euitamus, de pluribus proprietatibus trunci superioris non facimus mentionem,

mentionem, & tranſimus ad branchas illius.

De Branchis arboris Cæleſtialis.

BRANCHÆ trunci cœleſtialis ſunt duodecim ſigna, quæ ſiquidem reſpondere debent branchis arboris elementalis, ſecundum ordinationem corporum inferiorum, & corporum ſuperiorum. Veruntamen ſecundum poſitionem poſitam à philoſophis aliquas contrarietates videmus ſecundum ordinem neceſſarium: ſicut aries qui iudicatur eſſe de complexione ignis, & taurus de complexione terræ, & gemini de complexione aëris: quoniam ſecundum rationem naturalem, & aſſituationem ſupra quam oportet reſpondere ſituationi brancharum arboris elementalis, tria ſigna deberent eſſe de complexione aëris in vere, & tria de complexione ignis in æſtate, & tria de complexione terræ in autumno, & tria de complexione aquæ in hyeme. Tria ſigna quæ ſunt de vere ſunt aries, taurus, & gemini, & tria quæ ſunt de æſtate, ſunt cancer, leo, & virgo, & tria quæ ſunt de autumno, ſunt libra, ſcorpio, & ſagittarius, & tria quæ ſunt de hyeme, ſunt capricornus, aquarius, & piſcis. Veruntamen ſicut quatuor tempora anni vadunt in circuitu terræ, ita ſigna vadunt in circuitu terræ ſecundum aſſituationem veris, æſtatis, autumni, & hyemis. Et ſi philoſophi hunc curſum errauerunt, non eſt mirandum, ſi eorum ſequaces deficiunt in ſuis experimentis & iudiciis, quæ dant in arte Aſtronomiæ. Si aries ſit bonus, & taurus bonus, & gemini bonus, totus quadratus veris eſt bonus. Et ſicut concordant in bonitate, concordare debent in mobilitate, & in maſculinitate. Et ratione concordantię quam habent, debent concordare in Marte, qui datur arieti, & in Venere, quæ datur tauro, & Mercurio, qui datur gemini. Et ad hoc contradicit fœminitas, quam attribuerunt tauro, & mediocritas, quam attribuerunt gemini: & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis, quæ ducunt plura inconuenientia ſecundum poſitiones antiquas. Sicut Saturnus, cui attribuunt complexionem terræ, quæ eſt infimum elementum, & habet tardiorem motum & minorem circulum, & Saturnus, qui eſt altior planeta, & qui maiorem curſum facit quam omnes alij planetæ. Et ideo Dominus Papa & ſui fratres Domini Cardinales benefacerent, quod ſecundum neceſſarium ordinem impreſſionum ſuperiorum, & inferiorum ordinari facerent ſcientiam Aſtronomiæ in debitis ſituationibus inquirendo experientias, quæ ex illa ordinatione ſequerentur. Et hæc inueſtigatio fieri poſſet ſecundum proceſſum iſtius libri cum iuuamine proceſſus artis inuentiuæ & tabulæ generalis. Branchæ arboris cœleſtialis reſpondere debent branchis arboris vegetalis: ſicut aries, taurus, gemini, quæ mouere debent appetitiuam ad obiecta complexionis humidæ & calidæ ratione veris: & cancer, leo, virgo ad obiecta calidæ, & ſiccæ complexionis in æſtate: libra, ſcorpius, & ſagittarius ad obiecta complexionis ſiccæ, & frigidæ in autumno: capricornus, aquarius, & piſcis mouere debent appetitiuam ad obiecta frigidæ, & humidæ complexionis in hyeme. Veruntamen ſi leo in æſtate appetitiuam mouet ad obiectum, frigidum, & humidum, facit hoc, vt plus de materia habeant ad calefaciendum, & ad deſiccandum, & quia materia nimis calefacta, & deſiccata appetitum habet, quod

humefiat, & frigefiat, & sic de aliis regionibus. Branchæ arboris, cœlestialis respondere debent branchis arboris sensualis: sic aries qui maiorem habet concordantiam cum visu per humiditatem & calorem, quam leo per calorem & siccitatem. Et leo maiorem habet concordantiam cum auditu per caliditatem, & siccitatem quam piscis per frigiditatem, & humiditatem, & sic de aliis similibus istis. Idem sequitur in branchis spiritualibus Et quia aries maiorem habere debet concordantiam propter cor cum voluntate per humiditatem & calorem quam piscis per frigiditatem & humiditatem, vel sagittarius per siccitatem & frigiditatem. Et leo maiorem debet habere concordantiam propter cerebrum in anticipite cum intellectu per calorem & siccitatem, quam piscis per frigiditatem & humiditatem. Et scorpio maiorē debet habere concordantiam per cerebrum cum memoria in occipite retto per frigiditatem & siccitatem, quam gemini per humiditatem & calorem. Et idem sequitur de branchis tibiis & cæteris membris hominis. Et in hoc passu cognoscitur quo tempore anni, & qua hora diei & noctis, medici dare debent suis patientibus medicinas, & quomodo vnum signum concordat ad daudum medicinam vni membro, & aliud signum ad dandum medicinam alij membro. Quia terra est in medio octauę sphęrę, stant semper sex signa super superficiem terræ superius, & alia sex stant inferius, sicut per lineam rectam de oriente ad occidentem, & de meridie ad septentrionem. Idcirco quod libet signum ascendit secundùm respectum rectitudinis terræ. Vt ponamus, quod oriens sit A. & occidens sit C. & meridies sit B. & septentrio sit D. Ascendunt ergo aries, taurus, & gemini de A. vsque ad B. & cancer, leo & virgo de B. vsque ad C. & libra, scorpio & sagittarius de C. vsque ad D. & capricornus, aquarius & piscis de D. vsque ad A. Et propter hoc experientiā habemus, quod sol calidior est, quando descendit de B. vsque ad C. quam quando ascendit de A. vsque ad B. quia plus recipit de virtute à cancro, leone & virgine, quā ex ariete, tauro & ex geminis. Ariete ascendēte de A. vsque ad B. est eius ascensus caput, & eius descensus est de B. vsque ad C. quod est eius cauda, B. vero est eius medium. Idcirco per vnum modum influit ad branchas arboris elementalis secundum caput, & per alium secundū medium, & per alium modum secundum caudā. Idcirco astronomus vnum iudicium facit in capite, aliud in medio, & aliud in cauda. Et idem facit de aliis signis. Faciunt etiam iudicium de cancro, ariete, libra, & capricorno, qui sunt mobiles: videlicet quod res quæ fiunt in eorum dominio. non durant, & quod illæ res durant, quæ fiunt de dominatione tauri, leonis, scorpionis, & aquarij, qui non sunt mobiles, & quod illæ res durant, & non durant multū, quæ fiunt in dominatione geminis, virginis & sagitarij & piscis, qui mobiles sunt in parte & non in toto. Descendit aries de B. vsque ad C. secundum assituationem circuli superioris, qui est de A. vsque ad C. Et prius gemini descendit quam ipse, & taurus similiter. Idcirco astronomus prius iudicium facit de gemini in quadrangulo de B. & de C. quàm de tauro vel de ariete, & sic de aliis signis idcirco sunt vingintiquatuor horæ in die naturali, vt astronomus iudicare sciat signum secundum suam horam. Et idem de duodecim mensibus & quatuor temporibus,

poribus anni, de quibus dictum est. Masculinitas ratione formæ vni signo attribuitur, & fœmininitas ratione materiæ attribuitur alij signo, & hoc vt vnum signum habeat actionem, & aliud passionem, & vt de illo quod habet actionem, sequatur masculus & dies, & de illo quod habet passionem, sequatur fœmina & nox. Veruntamen in vna eadem regione & hora generantur masculus & fœmina, & hoc est ratione conceptionis corporum inferiorum, quæ recipiunt impressiones à superioribus, secundum quod disposita sunt ad recipiendum. Sicut ignis, qui semper habet naturam calefaciendi illam substantiam, quam tangit, veruntamen non calefacit pellem salamandræ quæ viuit in igne, & hoc est, quia nata est & nutrita in igne, & est plus ex ipso quam ex alio elemento. Consimili modo quamuis vnum signum sit masculus, eius masculinitas non est ratio, quod sui regio masculum producat in illa materia, quæ plus disposita est ad fœminam secundum dispositionem brancharum arboris elementalis. Et in hoc passu cognoscitur, quod grauia sunt iudicia astronomiæ ad intelligendum. Ratio quare attribuitur vni signo mobilitas, & alij statio, est quoniam oportet, quod res quæ per generationem producuntur, per motum producantur, qui est augmentalis & de causis alterabilibus, de quo motu instrumenta fatigantur: sicut equus qui fatigatur ad currendum & cor ad cogitandum, & os ad loquendum, & manus ad operandum. Idcirco natura requirit quietem, secundum quod experientiam habemus in dormiendo, & in plantis, quæ fructus non reddunt in hyeme, & equus qui fatigatus est ad currendum, & balista quæ fessa est ad trahendum, quæ non facit magnum ictum, cum sæpius traxerit. Dicitur ergo propter hoc, quod illud signum quod est stabile sicut leo (vt dicitur) quod non est mobile. Et illa quæ non sunt mobilia, officium habent, ex quo sequitur quies in substantiis fessis, & illa quæ mobilia sunt, sicut aries qui habet officium, vt substantiæ sint mobiles, & mouentes, & motæ post earum quietem. Dicitur etiam, quod aliqua signa non sunt mobilia sed mediocria: sicut virgo, & ratio est hæc, quia motiuitas, mobilitas, & stabilitas sibi inuicem obuiant. Et omnia ista fiunt secundum impressiones inferiores, cum ita sit, quod signa continuè fixa stant in firmamento, & in partibus illius, secundum iudicium quod fit de mobilitate in vno, & de immobilitate in alio, & de mediocritate in alio, fit ratione respectus inferius. Sicut sol cum vna eadem virtute tegulam desiccat & ceram fundit. Quod bonum est esse, & malum est non esse, dictum est, quod esse est bonum, & non esse est malum, & ideo dicitur, quod aliqua signa quæ causant esse, sunt bona, & aliqua signa quæ non causant esse, sunt mala. Et in hoc Astronomi iudicium accipiunt, quod aries est bonus, quia ex ipso sequitur bonum, & leo est malus, quia ex eo sequuntur guerræ, & prælia. Etiam dicitur quod bona signa fortunant homines ad bonam prosperitatem, & longam vitam, & sanitatem, & placita, & mala faciunt contrarium. Et hoc intendunt dicere secundum impressiones naturales, quibus anima ratione suæ libertatis non semper consentit, etiam quia Deus secundum suam bonitatem aut iustitiam vtitur suo effectu ad voluntatem suam in omni tempore, & in omni loco. Idcirco malefaciunt Astronomi, qui tantum confidunt in iudicio impressionum

num corporum ſuperiorum, factarum hic inferius, quæ ita deſtrui poſſunt ſupra curſum illarum impreſſionum per Deum, & per liberam voluntatem hominis ſecundum arborem moralem. Sicut homo deſtruere poteſt literas in cera impreſſas per grafium aut per ſigillum.

De Ramis arboris Cœleſtialis.

RAMI arboris Cœleſtialis ſunt ſeptem planetæ. Et dicunt antiqui philoſophi, quod Saturnus eſt ſuperior, & Iupiter poſtmodum, & ſic per ordinem de aliis vſque ad lunam. Et dicunt quod Saturnus eſt malus, & quod cauſat plumbum, & diem ſabbati. Et dicunt ipſum eſſe de complexione terræ. Dicunt etiam, quod Iupiter eſt bonus, & quod cauſat ſtagnum, & diem Iouis, & quod ſit de complexione aëris. Dicunt etiam, quod Mars ſit malus, & ꝙ cauſat ferrũ & diem Martis, & quod ſit de cõplexione ignis. Itẽ dicunt, ꝙ Sol ſit bonus, & ꝙ cauſat aurũ & diẽ dominicũ, & ꝙ ſit de cõplexione ignis. Præterea dicunt, quod Venus ſit bonus, & quod cauſat cuprum & diẽ Veneris, & quod ſit de complexione aquæ. Dicunt etiam quod Mercurius ſit neutrum, & quod cauſat argentum viuum & diẽ Mercurij. Dicunt, quod luna ſit bona bonis, & mala malis, & quod cauſat argentum & diem lunæ, & quod ſit de complexione aquæ. Secundum aſſituationem elementorum, oportet quod planetæ ſint aſſituati vt aſſituationes ordinatæ ſibi inuicem correſpondeant. Sphæræ elementorum ordinatæ ſunt hoc modo, ſphæra ignis eſt ſuperior, & ſphæra aëris cõtingatur cum ſphæra ignis, vt ignis inclinationem habeat ad aërem: & aër eſt ſupra ſphæram aquæ vt inclinationẽ habeat ad illã, & aqua eſt ſupra ſphæram terræ, vt ad illam inclinationem habeat. Et ſic ratione inclinationis quæ fit de ſuperius ad inferius, venit influẽtia inferius: ſed hoc non eſt ordinatum ſecundum aſſituationes, quos philoſophi in planetis ordinauerant, quoniam poſuerunt Saturnum ſupra, qui eſt ſiccus, & aërem inferius, qui eſt humidus. Et poſuerunt Martem & Solem qui ſunt calidi, ſub aëre, & ſic vno participante cum alio ſequitur nimia ſimilitudo caloris, & deſtruitur ordo aſſituationis, quæ pertinet ad illam, quæ eſt in ſphæris elemẽtorum. Poſuerunt etiam complexionem aquæ ſub Mercurio qui eſt ſiccus. Multa etiam inconuenientia edocet ars noſtra in aſſituatione planetarum ſecundum opinionem antiquorum: veruntamen ſuſtinet, quod per contrariam aſſituationem Saturnus eſſet ſuperius per ſiccitatem, & Iupiter poſtmodum per humiditatem, vt ſequatur vna linea de contrariis, ita de ſiccitate ſupra ad humiditatem inferius: ſicut fit in ſphæris elementorum, vnde ſequitur concordantia inter calorem, qui eſt ſupra, & humiditatem, quæ eſt inferius, videlicet inter calorem ignis, & humiditatem aëris. Suſtinet etiam ars, quod calor aëris, quem habet Iupiter, ad calorem ignis deſcendat, qui eſt de Marte. Suſtinet etiam ars: quod ſiccitas Martis deſcendat ad ſiccitatem Solis, & humiditas Veneris deſcendat ad ſiccitatẽ Mercurij, & ſic ſiccitas Mercurij ad humiditatem lunæ. Et hoc ſuſtinet ars vt fiat mixtio influentiarum planetarum & compreſſionum elementorum. Planetæ ſe mouent de occidẽte ad orientem contra motum ſignorum quæ ſe mouent de oriente ad occidentem. Et ideo fit obuiatio

tio virtutum & influentiarum firmamenti & planetarum in facie: sicut facies arietis cum facie Saturni, qui se obuiant facie ad faciem: quorum obuiatio fieri non posset, si Saturnus se moueret de oriente ad occidentem. Et quia obuiatio fit facie ad faciem, est maior influentia, quæ venit ex illa obuiatione hîc inferius: vnde sequitur maior mixtio & virtus hîc inferius. Et in hoc passu cognoscitur, quare planetæ sunt errantes, & diuersas habent operationes siue ordinationes. Sol suum motum habet perfectũ in trecẽtis sexaginta quinque diebus & sex horis, ex qbus annus cõpositus est. Et motus lunæ fit in vno mense. Et in hoc passu cognoscitur, ꝙ sol ad duodecim mẽses respondet, qui diuidũtur in quatuor tempora anni, quæ sunt ver, æstas, autũnus, & hyems, & quodlibet istorum tres menses requirit, quia duæ lineæ fortiores sunt per concordantiam, quam vna per contrarietatem: sicut in æstate, in quo fortior est cõcordantia in calido & sicco, quam contrarietas, quæ est inter humidũ & siccum, ex quibus fit triangulus, qui est ex tribus lineis & de tribus angulis, & quælibet linea & angulus indiget vno mense. Et oportet, quod luna correspõdeat cuilibet mensi, vt concordantiam habeat cum triangulo cuiuslibet, videlicet veris, æstatis, autũni & hyemis. Et hoc sic esse oportet, vt in sphęra lunę influentias accipiant & colligant per frigiditatem & humiditatem, sicut in æstate fructus colliguntur per caliditatem & siccitatem. Et in hoc passu cognoscitur, per quam necessitatem annus habet trecẽtos sexaginta quinq; dies & sex horas, quas habet, vt continuari possit cũ alio, & quod sequatur bissextus. Oportet quod sint septem planetæ, vt sufficiant concordantiæ quadranguli, & trianguli: quatuor sunt, vt hîc in inferioribus quadrangulus consistat, tres sunt, vt in inferioribus sit triangulus. Et mixti sunt trianguli & quadranguli per mixtionem respectus planetarum, vno planeta existẽte in respectu alterius in vno tẽpore, & in alio tẽpore in alio respectu. Et sic lineæ illorum respectuum se miscuunt, & perficiunt influentiam & virtutem, quæ plena venit in inferioribus, multiplicando in inferioribus suam similitudinem: sicut plura lumina, quæ vnam lucem generalem multiplicant, & plures motus vnum motum generalem, & plures voces vnum sonũ generalem, & plures guttę aquæ, mare generale: & sic de aliis rebus similibus istis. Sol est in medio, vt sit terminus triangulorum & quadrangulorum. Quoniam inquantum participat cum Saturno, Ioue & Marte, sequitur ex omnibus quatuor planetis quadrangulus. Vt ponamus, quod Saturnus sit A. Iupiter B. Mars C. Sol D. est ergo quadrangulus de A. ad B. & de B. ad C. & de C. ad D. & de D. ad A. In quo quadrangulo sunt duo trianguli generales, vnus est de A. ad C. & alius est de B. ad D. Et in quolibet istorum sunt duo, vnus est de A. & de B. & de centro quadranguli. Alius est de B. & de C. & de centro quadranguli. Alius est de C. & de D. & de centro quadranguli. Et alius est de A. & de D. & de centro quadranguli. Et hoc idem sequitur de Sole, vsque ad Lunam. Et ratione h[illegible]s habet, sol maiorem virtutem in inferioribus, quam aliquis alius planeta. Et in hoc passu cognoscitur, quod virtus est maior in medio quam in extremis. Rami huius arboris respondent ramis arboris elementalis, vegetalis, sensualis, imaginalis, & humanalis. Ramis arboris elementalis

reſpondent, inquantum ab eis cauſati ſunt, quod componantur & miſceantur. Quoniam illorum mixtio & impreſſio effectiuè ſunt de mixtione, quam habent planetæ in eorum reſpectu, & in dando ſibiinuicem ſuas ſimilitudines, ſecundum quod ſe inuicem reſpiciunt. Ramis arboris vegetalis reſpondent, inquãtum fit generatio, corruptio & priuatio, & renouatio per influentiam ſupra, quæ datur in ſphæra lunæ ad ſuperficiem, quæ eſt contigua cum ſuperficie ignis. Sicut piper & alleum, quæ generari non poſſent ſine ſole, & plumbum & dies Sabbati, quæ cauſãtur à Saturno: & ſic de aliis. Ramis arboris ſenſualis reſpondent, ſicut ſol, qui eſt inſtrumentum viſui ad videndum, & ſicut Saturnus, qui eſt inſtrumentum auditui ad audiendum: & ſic de aliis. Ramis arboris imaginalis reſpõdent, inquantum planetæ ſuas influunt ſimilitudines hîc inferius, ita quod de ſe nullam partem afferunt ſubſtantialem, nec accidentalem, nec ponunt aliquid poſitiuè hîc inferius de eorum eſſentia, ſed tantum ſuas ſimilitudines: ſicut litteræ ſigilli, quæ nihil dimittunt de earum eſſentia in cera, ſed tantum ſuam ſimilitudinem. Et ideo imaginatiua per impreſſiones ſupra narutam habet quod ſimilitudines accipiat in ſimilitudinibus ſubſtantiarum. Idem ſequitur in ramis arboris humanalis: ſicut in viſu, cui ſol ſuam influit ſimilitudinem, vt dictum eſt, & memoria quæ virtutem accipit in cerebro per Saturnum, & voluntas in Ioue, & intellectus in ſole. Secundum hoc quod dictum eſt, & ſecundum plures alias rationes, quas dicere poſſemus, ſignificatur aſſituatio planetarum, & maneries quam habent in influẽdo inferius ſuas ſimilitudines, quas habent in bonitate, magnitudine & cæteris: & etiam ſecundum formas primarias, quæ in arbore elementali ponuntur. Ratione cuius aſſituationis haberi poteſt ars, & modus ad cognoſcendum, vtrum ars aſtronomię ab antiquis Philoſophis compilata veritatem contineat, vel etiam iudicia quæ faciunt aſtronomi, in quibus ſæpius deficiunt.

De Foliis arboris cœleſtialis.

FOlia arboris cœleſtialis comparamus accidentibus generalibus arboris, quæ ſunt rationes accidentibus inferioribus. Ita videlicet, quod quantitas regionis arietis, tauri & gemini eſt ratio, & cauſa quantitatis orientis vſque ad meridiem. Et ſic de aliis accidentibus, de quibus breuiter tractare volumus.

De Quantitate arboris cœleſtialis.

QVantitas arboris cœleſtialis, duobus modis conſideratur, continua ſcilicet & diſcreta: & iſtos duos modos in tribus figuris conſideramus, videlicet in figura circulari, quadrangulari & triangulari. Quantitas continua conſideratur, vt de ariete & tauro, & ſic de aliis vſque ad piſcem: & de Saturno & Ioue, vſque ad Lunam, & de ariete & tauro, & ſic de aliis: & de Saturno vſque ad Lunam. Hæc quantitas continua per totum firmamentum eſt extenſa, & eſt vna de pluribus, videlicet de quantitatibus primis radicum: & quia radices ſunt differentes, eſt quantitas continua ex diſcretis quantitatibus: ſicut communis quantitas ſubſtãtiæ, quæ eſt ex diſcreteis quãtitatibus, videlicet de forma & de materia, quæ ſunt quantæ. Et hæc diſcreta quantitas radicum apparet in diuerſi

uerſitatibus ſignorum & planetarum. Eſt vnus alius modus quantitatis continuæ, quæ eſt de ariete vſque ad libram, & de cancro vſque ad ſcorpionem, & de Saturno vſque ad Lunam. Et hæc comprehendit omnia loca quæ ſunt intra octauam ſphæram,& ſuſtentata eſt in formis generalibus quintæ eſſentiæ, & etiam quatuor ſubſtantiis mundi Et quantitas diſcreta conſiſtit in bonitate,quæ eſt vna in quinta eſſentia,& eſt alia in quatuor ſubſtantiis mundi. Sicut ferrum,quod eſt ſub vna figura in cultello,& ſub alia figura in martello:& idem de magnitudine & cæteris formis:quare ſicut in carne digiti conſiſtit vna quantitas continua, ita tota ſubſtantia vniuerſalis mundi extenſa eſt in vna quantitate bonitatis continuæ, & quantitas continua ita habet partes, quæ ſunt de ſua natura, ſicut habet quantitas continua digiti partes diſcretas, quæ ſunt oſſiũ Et in hoc paſſu cognoſcitur quomodo reſpondent quantitates diſcretæ quintæ eſſentiæ, & quatuor ſubſtantiarum, quæ ita recipiunt influentiam ex quantitate continua ſuperiori:ſicut quantitas oſſium digiti ex quantitate carnis. Et ſicut quantitas carnis nihil ponit poſitiuum,quod ſit de ſua eſſentia, ſed tantummodo de ſua natura in quantitate diſcreta oſſium, ita quantitas quintæ eſſentiæ non ponit aliquid de ſe in quantitatibus inferioribus inquantum ſua eſſentia: ſed in quantum ſua natura,cum qua participat, ſecundùm continuitatem cum quantitatibus inferioribus. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quomodo Sol multiplicat quantitatem in cremento, quod facit planta, & in calore piperis, quamuis eius quantitas hîc inferius non deſcendat nec à ſe recedat, licet quantitates inferiores de ipſa recipiant influentiam & impreſſiones. Et hæc philoſophia delectabilis eſt ad intelligendum,& eſt via ad cognoſcendum plura principia & ſecreta naturalia. Quantitas quintæ eſſentiæ conſiſtit in figura circulari ſecundum aſſituationem,quæ eſt de ariete vſque ad piſcem, & de Saturno vſque ad Lunam, & de ariete vſque ad Lunam, & eſt in figura quadrangulari, in quantum eſt in quatuor regionibus:vna eſt de ariete, & tauro, & gemini: & alia eſt de cancro,leone, & virgine: & alia eſt de libra,ſcorpione,& ſagittario:& alia eſt de capricorno,aquario,& piſce. Et figura triangularis conſiſtit in planetis. Et idem eſt de quadrangulari, ſecundum quod faciunt triangulum,& quadrangulum. Et de hac materia dictum eſt in ramis huius arboris. Et in hoc paſſu cognoſcitur quomodo quantitas ſuperior aſſituata eſt,& cauſa aſſituationi quantitatis inferioris ſecundum circulum, quadrangulum, & triangulum.

De Qualitate arboris Cœleſtialis.

SOl eſt qualis per differentiam, quã habet cum aliis planetis, & qualis eſt,quia bonus eſt & lucens. Et hæc qualitas eſt ei propria, licet luna ſit bona: ſicut ignis qui bonus eſt & aër bonus: ſed quia ignis & aër diſtincti ſunt per calidum & humidum, eſt bonitas ignis ſub vna qualitate, & bonitas aëris ſub alia. Idem eſt de bonitate ſolis & lunæ, quoniam ſub vna ſpecie & proprietate eſt in ſole, & ſub alia ſpecie & proprietate eſt in luna. Eſt alius modus qualitatis, quæ eſt appropriata: ſicut calor ſolis, qui eſt ei qualitas appropriata, & frigiditas lunæ ſimiliter, & hoc eſt ratione operationis quam habent diuerſimodè: quoniam ſol eſt cauſa igni multiplicando

calorem ratione suæ lucis, quæ concordat cum luce ignis, qui calidus est propriè. Et idem est de luna, quæ in aqua multiplicat frigiditatem ratione suæ vmbrositatis, quæ concordat cum vmbrositate aquæ. Et ex duabus vmbris sequitur nox, quæ est fons frigiditatis & vmbræ. Et idem est de claritate lunę, quæ est ei qualitas appropriata per Solem. Et idem est de aliis qualitatibus aliorum planetarum, qui imprimunt suas similitudines in qualitatibus propriis, & appropriatis hic inferius consistentibus. Idcirco dicitur, quod Saturnus est malus & de complexione terræ, & sic de aliis: quoniam causa est inferius ad multiplicandum siccitatem, frigiditatem, & melancholiam hominum ratione cuius multas malas habent cogitationes: & sic de aliis.

De Relatione arboris Cœlestialis.

SOl est de magnitudine, bonitate, & cæteris: & in bonitate est bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, in quibus stat relatio, quæ est pars solis, & per quam sol habet naturam bonificandi in relationibus inferioribus, quæ sunt in specie bonitatis. Quare sicut lux solis est ratio multiplicandi calorem ignis, quia cum illo habet concordantiam in luce, ita est ratio eius relatio ad multiplicandum relationem ignis in calefactiuo, calefactibili, & calefacere, & in bonificatiuo, bonificabili, & bonificare. Et in hoc passu cognoscitur modus, secundum quem accidentia superiora imprimunt suas similitudines in accidentibus inferius. Cui intentioni est instrumentum motus firmamenti & suarum partium, qui maior est superius quam hic inferius, ratione cuius maioritatis fiunt impressiones in inferioribus per superiores.

De Action e & Passione arboris Cœlestialis.

SOl est de bonitate, magnitudine, & cæteris radicibus, & eius bonitas magna non esset, si non esset ratio bono, quod bonum faceret: verùm quia bonum facere bonum non potest sine actione & passione: idcirco Sol habet actionem, in quantum est bonificatiuus, & suum bonificabile essentiale est passiuus, sicut materia sub forma, & bonificare est ex ambobus. Et idem de actione & passione in Sole sub ratione bonitatis: & subiectum operationis est magnitudo, quæ est bonificabilis, & duratio similiter, & potestas, & cæteræ partes Solis de sua bonitate similitudines accipiunt, in quantum sunt bonæ partes & essentiæ sub ratione bonitatis. Et ex hac actione & passione quæ sunt intra substantiam Solis, sequitur vna passio extra: sicut Sol, qui actionem habet super Venus, in quantum ei dat suam similitudinem, & Venus est passiuus, inquantum illam similitudinem accipit. Et Venus qui est planeta actiuus, in quantum actionem habet super Mercurium, & Mercurius passiuus, in quantum ipsam accipit. Et idem est de Mercurio qui actionem habet supra Lunam, & Luna, quæ passiua est, in quantum ipsam accipit. Idcirco dicitur, quod Luna plus habet de materia, quam aliquis aliorum planetarum, vt sua materia disposita sit ad recipiendum plures & magnas passiones, quæ sibi veniunt à superioribus planetis. Idcirco Luna significat fortius suas proprietates in inferioribus quam aliquis alius planeta. Vnde marinarij Lunam respiciunt: & ho

& homines quando volunt sanguinem minuere, plantare, & scindere arbores: & fœminæ quando volunt concipere pueros, & sic de aliis similibus istis: sicut cancer maris, qui sub vna Luna plenior est quam sub alia. Et in hoc passu cognoscitur, quod actiones & passiones superiores rationes sunt actionibus, & passionibus inferioribus secundum cursum naturalem. Et de hoc accipitur opinio, quam habent homines circa eufortunium, & infortunium: qui ignorant libertates, quæ sunt in inferioribus in animabus rationalibus, super quas corpora superiora actionem non habent, quæ siquidem animæ maiorem habent actionem super corpora, cum quibus coniunctæ sunt, quam corpora superiora. Et illi sapientes qui hoc cognoscunt, dicunt quod eufortunium, & infortunium non sunt aliquid secundum realitatem rerum spiritualium.

De Habitu arboris cœlestialis.

Sol habet in habitu desiccandi tegulam, & mollificandi ceram: & sicut ignis habet in habitu desiccandi tegulam ratione siccitatis quam accipit à terra, ita Sol habet in habitu desiccandi tegulam ratione siccitatis, quam accipit à Saturno. Et sicut ignis qui habet in habitu mollificandi ceram per suum proprium calorem, ita Sol per suam propriã lucem habet in habitu, ad mouendum & multiplicandum lucem ignis, cum qua in specie concordat, & cum qua calorem ignis mouet ad mollificandum ceram fortius, inquantum ei multiplicat calorem. Et sic indirectè Sol habet in habitu mollificandi ceram ratione caloris, quam mouet ita cum igne, sicut manus mouet litteram cum penna. Et habitus superiores sunt ita rationes habitibus inferioribus: sicut habitus figurales litterarum sigilli habitibus motis & productis in litteris ceræ. Et in hoc passu cognoscitur, quod quidam habitus sunt ex aliis in similitudine, & non materialiter. Et hæc cognitio est passus, in quo intellectus humanus exaltatur ad intelligendũm pulchra secreta naturalia.

De Assituatione arboris cœlestialis.

Situs arboris cœlestialis est significatus secundum hoc quod diximus de sua quantitate, & etiam secundum suas radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructum. Et assituatio ista, siue situs qui est superius, causa est istis sitibus inferioribus: sicut Sol, qui situatus est in suo circulo mouens & motus: mouens inquantum per seipsum mouetur de occidente ad orientem: motus inquantum firmamẽtum ipsum mouet de oriente ad occidentem; & idem est de eius assituatione, quæ stat inter Saturnum & Lunam. Et ideo epar consistit in medio loco corporis, & fel in ipso, in quo Sol maiorem habet actioné, quam aliquis alius planeta. Et in hoc passu cognoscitur, quod situs superior imprimit suam similitudinem in assituationibus substantiarum elementatarum.

De Tempore Arboris cœlestialis.

Arbor cœlestialis assituata est in circulo, qui secundum figuram non habet principium, neque finem, similimodo motus qui est in firmamento de ariete vsque ad taurum, & sic vsque ad piscem, etiam de motu Saturni vsque ad Lunam, & de Saturno vsque ad arietem, & taurum, & pis-

cem nullam habent vmbram, ex qua ſequatur tempus dierum & noctium ſuper ſuperficiem ſphæræ ignis. Tempus ergo ſupra non multiplicat diem, neque noctem, ſed hic inferius ratione vmbræ terræ. Quoniam totum hoc quod eſt ſupra illuminatum eſt, ſiue lucidum per ſolem, & per ſtellas ſine vmbra noctis. Veruntamen multiplicatur tempus in alio, non in ſeipſo: ſicut Saturnus, qui habet vnum motum, & Iupiter qui habet alium, & ſic vſque ad Lunam. Quare in illis ſtat tempus in diſcretis quantitatibus, & in ſeipſo ſtat vnum: ſicut vnus dies, qui ſtat in pluribus momentis ſine vmbra & multiplicatione plurium dierum. Et in hoc paſſu eſt tempus reuelatum intellectui, ſecundum quod eſt in ſe & in alio. Stat ergo tempus ita in ſeipſo ſine motu, ſicut circulus ſine principio & fine. Sicut homo peccator indiget miſericordia Dei, & homo iniuriatus ſua iuſtitia, ſic ſubſtantiæ inferiores neceſſitatem habent, quod tempus ſit variatum in ſubſtantiis ſuperioribus. Sicut Saturnus qui in vno tempore eſt in vno loco, & in alio tempore in alio, & in vno tempore eſt in rectitudine arietis, & in alio tempore tauri, & ideo requirit tempus inferius ſecundum ſuam aſſituationem naturalem, ordinem, & aſſituationem temporis ſuperioris, vt tempus ſuperius hic inferius tranſmittat ſuam ſimilitudinem ad tempus, quod eſt hic inferius, quam accipit in ſubſtantiis elementatis, quæ in vno tempore ſunt in vno loco, & in alio tempore in alio loco, etiam quod in eodem tempore, vna eadem ſubſtantia operatur diuerſa: ſicut ignis qui calefacit, illuminat, & deſiccat, & mollificat: & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis, quæ longum eſſet narrare.

De Loco arboris cœleſtialis.

Locus eſt vna pars arboris cœleſtialis, quia ſicut firmamentum ſtat in tempore per ſeipſum, ita ſtat collocatum in ſeipſo, & intra ſeipſum continet omnia quæ cum loco participãt. Et extra ſe ſecundum curſum naturalem locus ſubiectum non habet: quoniam octaua ſphæra continet omnia collocata. Idcirco dicunt aliqui quod extra firmamentum naturaliter non poteſt eſſe aliquod corpus, vt non ſit dare locum infinitũ, nec quod natura loci ſit infinita, etiam vt locus appetitum non habeat vltra terminũ, in quo ſubſtantia corporalis terminata ſit & collocata. Quoniã ſicut ſi lapis ſe moueret de inferius vſq; ad arietẽ, ei eſſet aſcẽdere, qui ſiquidẽ motus ei eſſet innaturalis: ſic Saturno eſſet appetitus innaturalis, ſi vellet eſſe ſupra arietẽ vel aries ſupra taurũ, vel taurus ſupra arietem. Eſt ergo locus terminatus ſecundum curſum naturalem intra octauam ſphæram. Veruntamen ſecundum fidem tenemus, quod eſt cœlum criſtallinum, & empireum ſupra octauam ſphæram. De cœlo empireo loqui intendimus in arbore æuiternali.

De Floribus arboris Cœleſtialis.

FLORES arboris Cœleſtialis ſunt actus exiſtentes inter potentias & obiecta induta de motu extenſo in illis, & è conuerſo. Sicut flos arietis, qui eſt in Marte, & flos tauri in Venere, & flos geminis in Mercurio, & cancri in Luna, & leonis in Sole, & virginis in Mercurio, & flos libræ in Venere, & ſcorpionis in Marte, & ſagittarij in Ioue, & capricorni in Saturno, & aquarij in Saturno, & piſcis in Ioue, & iſti flores ſic conſiderantur ſecun

secũdum opiniones antiquorum, quorum assituationi totaliter scientia nostra non consentit, quoniam ordinem non sequuntur, & est impossibile, quod experientia non sit secundum ordinem naturalem. Est etiam elementare flos: sicut ignis qui est in aëre producit motum calefaciendi, vnde elementare est indutum: sicut aurum, & dies Dominicus per Solem. Et vegetare quod est flos arboris vegetalis, & dies Iouis, qui est flos Iouis, & sentire, quod est flos arboris sensualis, & dies sabbati, qui est flos Saturni. Et imaginari flos arboris imaginalis, & argentum & dies Lunæ, qui sunt flos Lunæ. Et ex istis floribus superioribus influentiam accipiunt flores inferiores. Sicut leo qui producit florem ex elementare in leonissa, & pomerium ex vegetare in pomo, & gustus ex sentire in comedendo, & imaginatiua ex imaginari in fantasia: & sic de cæteris floribus: sicut ex rosa, ex lilio, & ex scribere. Ex floribus vero superioribus flores qui sunt hic inferius, non sunt essentialiter nec materialiter: sicut nota viellæ, quæ non est ex essentia notæ interioris, quam habet ioculator in fantasia. Sed flores qui sunt inferius, sunt moti per agentia naturalia inferiora cum iuuamine florum superiorum agentibus naturalibus mouentibus, quæ se mouent ad producendum flores inferiores secundum cursum naturalem ex essentiis agentium: sicut sonus viellæ, qui multiplicatus est ex essentiis accidentalibus per tactus factos in chordis, & leo qui ex sua substantia producit elementare, & vegetare, sentire, & imaginari, quando generat alium leonem.

De Fructu arboris Cœlestialis.

FRVCTVS arboris Cœlestialis duobus modis consistit, vnus est de sua natura, & alius est supra suam naturam, qui colligitur in cœlo empireo. Fructus qui est de natura arboris cœlestialis, est ex causis motis, ad quas se mouent formæ motiuæ in mouendo mobilia, vt producant substantias motas de potentia in actu, & idem de accidentibus: sicut aurum, pomum, equum, & corpus Martini, & eius castrum, & cultellus, & suus liber: & sic de aliis rebus motis per agentia naturalia aut artificialia cum iuuamine formarum superiorum. Fructus qui est superior, est ratione finis: sicut homo qui est fructus, in quo colliguntur fructus arboris elementalis plantarum, & irrationalium, si tamen ille homo Deo seruit in hac vita. Et in tali homine colliguntur fructus arietis, & tauri, Saturni, & Iouis, & sic de aliis. Et si homo sit peccator, illi fructus perduntur in illo: sicut aurum quod perditur in perditione nauis, quæ perditur in mari profundo. Et ideo propter peccatum est contra omnes fructus corporales quos Deus creauit, & virtutes acquisitæ cum omnibus illis fructibus habent concordantiam. Est ergo fructus superior homo motus in sua substantia, & supra hominem est alius fructus superior, ad quem se habent omnes fructus ratione finis, videlicet ad cognoscendum, recolendum & amandum Deum, honorandum, & ei seruiendum. Quem fructum placeat ei, quod suus populus colligere possit.

De

De Arbore Angelicali.

SVMMARIVM.

ARBOR *ista Angelicalis versatur circa naturam Angelicam. Et similiter vt aliæ arbores diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.*

Radices sunt bonitas, magnitudo, & cætera principia generalia, contrarietate excepta.

Truncus est substantia spiritualis.

Branchæ sunt tres virtutes, scilicet memoria, intellectus, & voluntas.


Rami sunt correlatiua dictarum virtutum.

Folia sunt accidentia spiritualia.

Flores sunt actus Angelici.

Fructus est amare & laudare Deum, & illi famulari.

De Arbore



De Arbore Angelicali.

ARBOR Angelicalis diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. Et est arbor spiritualis, quæ videri non potest neque tangi, & quæ figuram corporalem non habet, neque producta est de alio, sed de nihilo. Et plures alias conditiones habet, quas non habent arbores, quæ sunt de natura corporali.

De Radicibus arboris Angelicalis.

Bonitas, magnitudo, duratio, & aliæ formæ, contrarietate excepta, sunt radices arboris Angelicalis, de quibus arbor Angelicalis constituta est, sicut homo qui constitutus est ex anima & corpore. Et sic arbor in tertium numerum transit supra radices, quæ re-

maneat suæ partes: sicut homo qui est in tertio numero, vt dictum est. Bonitas Angeli producta est de nihilo, & est producta in specialitate, & non de generalitate, videlicet de generali bonitate. Idcirco Angelus est suamet species, cum sit de vna bonitate, quæ non est ex alia bonitate. Idem est de sua magnitudine, & cæteris suis partibus, quæ ita multiplicant vnam speciem & constituunt, sicut vnam substantiam, vnam essentiam, & vnum suppositum, quæ sunt Angelus. Idcirco Angelus est simplicior creatura quã alia. Bonitas Angeli producta est in magnitudine, idcirco est magna: & in duratione, idcirco durat, & in potestate, idcirco habet potestatem: & in sapientia, & ideo est ratio, quod sapientia sit bona: & in voluntate, idcirco est amabilis: & in virtute, & ideo est virtuosa: & in veritate, idcirco est vera, & in gloria, & ideo habet quietem Angelus in bonitate: & in concordantia sine contrarietate, idcirco est bonus & incorruptibilis: & in principio, idcirco principiata est in tempore: & in medio, idcirco suum bonificare est in medio, quod est inter bonificatiuũ & bonificabile, qui sunt de sua essentia: & quia producta est in differentia, remanẽt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare differentia: & quia bonitas in fine producta est, est ratio ad bonificandum: & quia producta est in maioritate, est producta substantialiter, cum ita sit, quod substantia maior sit, & plus habet de entitate quam accidens, & quia producta est in æqualitate, sua concreta sunt æqualia per essentiam: & quia producta in minoritate, continet in se accidentia, quæ sunt eius instrumenta & indumenta. Et hoc quod diximus de bonitate, dici potest de magnitudine, duratione, & aliis. Angelus productus est ex istis radicibus, quas diximus, & ipsę productæ sunt de nihilo, & quia quædam productæ sunt in aliis, est Angelus ex ipsis constitutus. Idcirco Angelus est occasionatus naturaliter, quod faciat operationes similes suis radicibus, videlicet operationes bonas ratione bonitatis, & magnas ratione magnitudinis, & durabiles ratione durationis: & sic de aliis. Et quod operationes sint plures, quoniam Angelus est constitutus ex pluribus rebus, quæ sunt ei rationes ad plures operationes, quas facit Angelus bonus. Et angelus malignus facit per contrarium, ita quod suam bonitatem naturalem peruertit, vt sit ratio accidentaliter malo, & eius magnitudo magno malo. Sicut Rex iniuriosus & malus, qui suam magnam potestatem peruertit in faciendo magna mala, magnas iniurias, magnas vanitates, & plura alia vitia. Et huiusmodi contrarietas formarum interiorum, & operationum exteriorum est vinculum, cum quo angelus malus, obstinatus est, captus & ligatus, quod bonum facere non potest, & licentiatus est ad faciendum malum.

De trunco arboris Angelicalis.

SVbstantia spiritualis quæ ad corpus inclinationem non habet, truncus est arboris angelicalis. Truncus namque dicitur aggregatio radicum quæ tertium multiplicant, existente qualibet radice extensa in alia: sicut bonitas, quæ extensa est in magnitudine & in duratione, inquantum magnitudo est tota bona, & duratio similiter. Et idem de magnitudine in bonitate extensa, & in duratione, inquantum sunt per magnitudinem magnæ. Et idem est de

duratio

duratione, inquantum magnitudo & bonitas durabiles sunt per durationem. Et per has extensiones & mixtiones fit multiplicatio, quæ est truncus, qui per bonitatem bonus est, per magnidinem magnus, per durationem durans, & sic de cæteris. Quia bonitas ad truncum venit bonificatiua, & bonificabilis, & magnitudo magnificatiua, & magnificabilis: & sic de cæteris radicibus, est truncus substantia de formis spiritualibus & materiis spiritualibus composita, & sub vna forma generali & materia generali, quoniam forma generalis constituta est de bonificatiuitate, magnificatiuitate, & cæteris formis: & materia generalis constituta est de bonificabilitate, magnificabilitate, & cæteris. Et coniunctio formæ generalis & materiæ generalis constituta est de reali & essentiali bonificare, magnificare, & cæteris actibus quæ sunt partes substantiæ. Truncus est substantia, quia est sub qualibet suarum partium, quæ in ipso substentantur. Sicut corpus Martini, quod dicitur substantia, quia stat sub accidentibus. Et secundum quod truncus angeli tangitur, ita respondet cum suis partibus, quæ ei sunt rationes secundum responsionem. Sicut si voluntas amat aliquam amabilitatem, bonitas respondet cum bonificare, vt amare sit bonum, & magnitudo respondet cum magnificare, vt sit magnum, & duratio cum durare, vt amare sit durans: & sic de aliis. Huiusmodi tactus tangunt diuinæ dignitates, vt Angelus tāgat seipsum & suas partes, & vt respondeat tangenti extra secundum magnitudinem bonitatis, durationis, & sic de aliis in amando diuinas dignitates. Et hoc facit Angelus bonus, & Angelus malignus facit in contrarium. Truncus Angeli non habet longum, amplum, nec profundum, quia non est de natura corporali, nec figuram habet circularem, quadrangularem, neque triangularem: quoniam sicut à superficie corporali separatus est, ita separatus est à longo, amplo, & profundo, & à contrarietate naturali, & à duritie, mollitie, colore, calore, humiditate, frigiditate, & siccitate, etiam à ponderositate & leuitate, etiā separatus est à vegetatione, sensu & imaginatione. Et extensio suarum partium ita sine loco se extendit realiter quibusdam partibus in aliis existentibus, sicut fantasticè se extendit imaginatio in imaginando vnam paruam figuram, & in imaginando aliam magnā: sicut Martinus qui equum imaginatur, & postmodum imaginatur vnum magnum montem. Et idem est de amare quod spiritualiter se extendit in amando plus vnum hominem quam alium, aut vnam fœminam plusquam aliam: & sic de aliis rebus similibus istis.

De Branchis arboris Angelicalis.

MEmoria, intellectus, & voluntas sunt branchę arboris Angelicalis, quæ sunt ex radicibus. Sicut memoria, quæ est ex bonitate, magnitudine, duratione, virtute, & cæteris, quæ sunt suæ partes. Sicut ignis qui est ex bonitate, magnitudine, & cæteris radicibus arboris elementalis. Et sicut ignis in tertium numerū transit, inquātum est substantia & totum supra suas partes existens, sic memoria transit & ascendit supra suas partes, inquantum est totum ex ipsis, & centrum, & finis illarum. Quoniam omnes se habent ad constituendum illam: sicut forma & materia, quæ se habent ad substan-

tiam, vt constituatur ex ipsis & ædificetur. Idcirco substantia supra suas partes ascendit, vt sit in tertio numero: quoniam est vna, & est ex pluribus. Et quia memoria est de bonitate, magnitudine, & cæteris, vtitur in suo recolere ita bonitate, magnitudine, & cæteris: sicut sensitiua facit in sentire, videlicet vtendo suis potentiis, quæ sunt sensus particulares. Intellectus Angelicus est de bonitate, magnitudine, duratione, potestate, virtute, & cæteris, & idem est de voluntate. Et ita transeunt & ascendunt in tertio numero: sicut memoria. Vnde bonitas quæ est vna secundum vnum modum consistit in memoria, & secundum alium sub intellectu, & secundum alium sub voluntate. Et idem de magnitudine, duratione, potestate, virtute, veritate, gloria, differẽtia, & cæteris. Et hoc est, quia Deus recolibilis est, intelligibilis, & amabilis, non tamen per creaturam bonificabilis, magnificabilis, &c. quoniam nulla istarum formarum realiter Deum bonificare potest, nec magnificare: vnde bonitas quæ Deum bonificare non potest, consistit sub memoria intellectu & voluntate, quibus Deus potest esse obiectum recolendo, intelligendo & amando. Et actus bonitatis consistit in recolere, intelligere & amare, de quo quidem actu induti sunt: vt sint boni & digni, ꝙ Deus sit per illos obiectatus, videlicet recolitus, intellectus, & amatus. Et hoc quod dicimus de bonitate, intelligitur de magnitudine, duratione & cæteris. Sicut diuinę personę distinctæ sunt in vna eadem bonitate per proprietates personales, quæ sunt paternitas, filiatio, & passiua spiratio: sic branchę angeli distinctę sunt sub vna eadem bonitate, & vna essentia Angelicali ratione distinctarum proprietatum potentialium, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas. Et distinctio fit per differẽtiam, quæ ita est vna pars essentiæ Angelicæ, sicut bonitas & concordantia quam habent potentiæ in accipiendo obiecta, stat per cõcordantiã, quæ est vna pars substantiæ angelicæ. Et potestas quam habent in accipiendo obiecta, est ratione potestatis, quæ est vna pars substantiæ Angelicæ, inquantum accipiunt obiecta cum magnitudine recolendi, intelligendi & amandi, per magnitudinem accipiunt, quæ est vna pars substantiæ Angelicæ. Et inquantum obiecta accipiunt cum maioritate, aut cum minoritate recolendi, intelligendi & amandi: illa accipiunt cum maioritate aut cum minoritate, quæ sunt partes substantiæ Angelicæ. Et idem est de aliis formis & partibus substãtię Angelicę. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angelus benignus obiecta accipit per vnum modum cum speciebus innatis, & per alium cum speciebus natis. Quando accipit obiectum cum specie innata: tunc accipit illud cum maiori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, &c. Sicut cera quæ sine medio similitudinem accipit ex literis sigilli, quamuis aliquã speciẽ non multiplicet, quæ sit extra suam naturã, nec de parte, de qua substantia ceræ non sit constituta. Et in hoc passu cognoscitur quomodo Angeli attingunt fixè obiecta & illorum veritates. Sicut ignis qui fixè, & cum specie innata cum calore attingit substantiam ferri calefacti, & vegetatiua substantiam vegetatam. Quia Angelus bonitatem acquirit & sanctitatem, tunc cum bene vtitur suis potentiis, attingit cum speciebus acquisitis quas producit de potentia in actu, quæ non sunt de essentia suppositi: & istæ sunt accidentales,

& per

& per minoritatem minores quã species innatæ, quæ per maioritatem sunt maiores, de quibus dictum est. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli acquirunt meritum in accipiendo obiecta, & fiũt iusti, charitatiui, sancti, & virtuosi. Et maligni Angeli fiunt per contrarium, quia accipiunt obiecta contra naturas suorum primorum principiorum. Angelus benignus intellectum non habet inuestigatiuum cum dubitatione, sed cum affirmatione aut negatione. Sicut sanctus Michaël qui non dubitat, si Martinus sit iustus vel non iniustus: quoniam in conditionibus Martini attingit ita cito veritatem suæ bonitatis, & malitiæ: sicut impressiones ceræ attingunt similitudines literarum sigilli: sed hoc non faciunt dæmones, quia intellectus eorum est infirmus, & deuiatus à fine, idcirco prius incipit dubitare, quam affirmare aut negare, si Martinus bonus sit aut malus.

De Ramis arboris Angelicalis.

Memoratiuum, memorabile, & memorari sunt vnus ramus memoriæ: intellectiuum, intelligibile, & intelligere sunt alius ramus, qui est de intellectu: & volitiuum, volibile, & velle sunt alius ramus, qui est de voluntate. Et sic rami sunt tres: sicut potentiæ sunt tres: & sic branchæ se miscent in accipiendo obiecta: sicut rami se miscent in illis obiectationibus: sicut memoria, intellectus, & voluntas sancti Michaëlis, qui se miscent accipiendo aliquod obiectum, recolitum, intellectum, & amatum, ratione cuius mixtionis se miscét memoratiuum, intellectiuum, & volitiuum, memorabile, intelligibile, & amabile, recolere, intelligere, & amare. Sicut memoratiuum, memorabile, & memorari sunt vnus ramus memoriæ: sic bonificatiuum, bonificabile, & bonificare sunt alius ramus bonitatis, quæ continetur in ramo memoriæ. Et idem de magnificatiuo, magnificabili, & magnificare, quæ sunt vnus ramus magnitudinis, qui continetur in memoria. Et idem est de ramo durationis, potestatis, virtutis, &c. Etiam bonificatiuũ, bonificabile, & bonificare sunt ramus bonitatis, qui continetur in intellectu, cuius ramus continet in se ramum bonitatis, vt eius ramus sit bonus. Et idem ramus bonitatis consistit in ramo voluntatis, ita quod vnus est ramus bonitatis in seipso, & distinctus est in ramis per proprietates distinctas, videlicet per memoriam, intellectum, & voluntatem. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo vnus ramus est per essentiam, & plures per operationes distinctas ab inuicem. Ramus memoriæ est de essentia memoriæ, & memorabile, quod est de essentia rami intellectus est differens à memorabili, quod est de ramo memoriæ. Et ambæ memorabilitates differentes sunt, in quantum differentia brancharum participant in vnitate essentiæ, in quãtum sunt de vna eadem bonitate, vna eadem magnitudine. Et idem est de amabilitate rami voluntatis, & de amabilitate rami memoriæ, & intellectus, & idem de intelligibilitate. Et in hoc passu cognoscitur, quod Angelus creatus est ad similitudinem summæ Trinitatis, & vnitatis essentiæ. Angelus bonus intelligit seipsum, & se intelligit in sua intelligibilitate, quæ appellatur intellectus possibilis. Et intelligit cum sua intellectiuitate, quæ appellatur intellectus agens, & intelligere est ex

tionem, quæ duratio quanta est inquãtum habet principium, sed quanta nõ est, inquantum substantia Angelica æuiternaliter durabit: est ergo quantitas in principio mensura temporis, quoniam in tẽpore fuit principiata, & in hac mensura mensuratæ sunt partes Angeli & eius substantia sine subiecto corporali & non extensa in longum, amplum & profundum, sicut duratio substantiæ: quæ se non extendit in æuiternitate corporaliter. Et in hoc passu cognoscitur extensio spiritualis quantitatis: sicut bonitas, quę se extendit ita in magnitudine æuiternaliter: sicut se extendit in duratione æuiternali. Secundum quantitatem numeralem sunt plures Angeli, & est significatũ, q̃ plures sunt quam homines, inquãtum sunt magis similes Deo eorum substantiæ q̃ substantiæ hominum, cum Deus substantia sit spiritualis, & Angelus similiter, & homo sit compositus de substantia corporali & spirituali. Vnde cum in Deo sit magnitudo, & in Angelo & in homine similiter: oportet quod magnitudo Dei maiorem habeat concordantiam cum magnitudine Angeli quam cum magnitudine hominis: cum maior concordantia sit inter vnam substantiam spiritualem & aliam, quam inter vnam substantiam spiritualem & aliam corporalem, quare ratione maioris concordantiæ (de qua dictum est) significatum est, quod Angeli sunt in maiori numero quàm homines, etiã quod numerus illorum sit impar: vt similior sit Beatissimæ Trinitati Dei. Oportet quod quantitas Angelorum sit in numero ternario, videlicet in maioritate, æqualitate & minoritate, sine quibus eorum quantitas numeralis non esset perfecta. Sunt ergo aliqui Angeli qui sunt maiores in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, quam alij Angeli. Et hi sunt Deo propinquiores, nec habent officium, sed tantummodo Deum contemplantur. Et sunt alij Angeli, qui sunt minores in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, qui habent officium in administrando hominibus inferius, vt eos custodiãt à dęmonibus, & ipsos inducant ad virtutes, & ipsos à vitiis elongent. Est vnus alius modus ordinũ Angelorum, qui sunt in medio: qui æqualiter officium habent in administrando Angelis inferioribus per influentiam, quam accipiunt ab Angelis superioribus. Et hi sunt illi, qui faciunt legationes, & reuelationes, & prophetias. Et ex istis tribus hierarchiis Angelorum multiplicantur nouem ordines ad significationem septem planetarum & octauæ sphærę, & trunci arboris elementalis. Quoniam si Deus posuit in ordine substantias corporales, bene oportet quod posuerit in ordine substantias spirituales, & in illo numero, in quo substantiæ corporales, & spirituales habeant maiorem concordantiam. Etiam subiecta ordinis sunt nouem, scilicet Deus, Angeli, cœlum, anima, imaginatiua, sensitiua, vegetatiua, elementatiua, & potentia artificiatiua.

De Qualitate arboris Angelicalis.

SAnctus Michaël est bonus per bonitatem, & est magnus per magnitudinem, & sic qualis est per suas formas speciales, ratione quarum indiuiduatus est in seipso, & non de alio: sicut cultellus & clauus, qui indiuiduati sunt in seipsis, veruntamen indiuiduati sunt de aliis, videlicet de massa ferri: sed istud in Angelis non est, quoniam

niam quilibet qualis est per suam propriam indiuiduitatem non indiuiduatam ab alia substantia. Etiam duas habet qualitates à bonitate: vna est innata, & alia nata. Illa quæ est innata, est sua pars, ex qua constitutus est. Nata est sua bonitas acquisita ratione cuius habet meritum, & hæc est qualitas ei appropriata, quam Deus in illo confirmauit, quia ei gratis seruit. Ignis calorem suum habet in diuersis substantiis, videlicet in substantia piperis, allei, & fœniculi, & calor est vna qualitas in se, & est plures qualitates in aliis: sicut vna est qualitas piperis, alia allei, & alia fœniculi. Est ergo vna eadem qualitas distincta per aliud & non per seipsam, videlicet per distinctionem substantiarum, quæ sunt differentes. Secundum hunc modum qualitas sancti Michaelis, & idem de quolibet alio Angelo distincta non est, sed per alium modum ita, videlicet quod sanctus Michael est bonus, in quantum Deum diligit, & in quantum ipsum intelligit, & in quantum ipsum recolit, & idem in quantum recolit, intelligit, & diligit sanctum Gabrielem aut seipsum: & sic de aliis, & secundum quod suum recolere, intelligere, & diligere, nobiliora habent obiecta, se extendit bonitas ita recolere, intelligere, & amare: sicut calor ignis qui se plus extendit in calefaciendo aërem, quam aquam. Ignis qui calefacit plus piper quam fœniculum, in illo maiori calefacere plus ponit de calore quam in minori: quia piper plus recipere potest quam fœniculus. Et idem est de recolere, intelligere, & amare, quæ habent Angeli in obiectis, quæ accipiũt, in quibus maius ponunt aut minus, secundum quod quædam obiecta plus disposita sunt, quod recolantur, intelligantur & amentur, quam alia. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli non vtuntur eorum qualitatibus secundum quod homines suis qualitatibus vtuntur in hac vita: sicut homo auarus qui recolit plus & sæpius magnitudinem thesauri, quam magnitudinem boni intelligere, boni amare, & boni recolere, quæ bonificata sunt per charitatem, iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam, spem, & fidem. Sanctus Michaël Archangelus frustra non vtitur suis qualitatibus, quibus vtuntur homines in vanum in hac vita. Quoniam sanctus Michaël intelligit, quod sanctus Gabriel est, nec dicit, quod sanctus Gabriel non est sanctus Raphaël, nec dicit, quòd equus Martini non est equus Petri, quoniam obiectum non accipit nisi secundum quod est, sed postquam intelligit, quod sanctus Gabriël est, & sanctus Raphaël similiter, superfluum esset ei, si diceret, quod sanctus Gabriel non est sanctus Raphael, quod siquidem superfluum esset sibi vitium contra virtutem, & paruitas contra magnitudinem bonitatis, intellectus, memoriæ, voluntatis, veritatis, & gloriæ. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli quietem habent in veritatibus, quas attingunt. Sol non lucet plus in vno tempore quam in alio in seipso: sed sua lux multiplicat plus suam similitudinem in vno tempore quam in alio: sicut dies qui clarior est in tertia quam in mane, & in meridie quam in tertia: modo simili Angelus non est melior nec sapientior in vno tempore quam in alio, sed suum scire & sua bonitas sunt in maiori magnitudine bonitatis accipiendo vnum obiectum quam aliud, & hoc contingit per maioritatem magnitudinis, bonitatis, quæ est in aliquibus obiectis, & per minoritatem magnitu-

De Arbore Angelicali.

SVMMARIVM.

ARBOR ista Angelicalis versatur circa naturam Angelicam. Et similiter vt aliæ arbores diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt bonitas, magnitudo, & cætera principia generalia, contrarietate excepta.

Truncus est substantia spiritualis.

Branchæ sunt tres virtutes, scilicet memoria, intellectus, & voluntas.


Rami sunt correlatiua dictarum virtutum.

Folia sunt accidentia spiritualia.

Flores sunt actus Angelici.

Fructus est amare & laudare Deum, & illi famulari.

De Arbore



De Arbore Angelicali.

ARBOR Angelicalis diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. Et est arbor spiritualis, quæ videri non potest neque tangi, & quæ figuram corporalem non habet, neque producta est de alio, sed de nihilo. Et plures alias conditiones habet, quas non habent arbores, quæ sunt de natura corporali.

De Radicibus arboris Angelicalis.

BOnitas, magnitudo, duratio, & aliæ formæ, contrarietate excepta, sunt radices arboris Angelicalis, de quibus arbor Angelicalis constituta est, sicut homo qui constitutus est ex anima & corpore. Et sic arbor in tertium numerum transit supra radices, quæ re-

maneņt suæ partes: sicut homo qui est in tertio numero, vt dictum est. Bonitas Angeli producta est de nihilo, & est producta in specialitate, & non de generalitate, videlicet de generali bonitate. Idcirco Angelus est suamet species, cum sit de vna bonitate, quæ non est ex alia bonitate. Idem est de sua magnitudine, & cæteris suis partibus, quæ ita multiplicant vnam speciem & constituunt, sicut vnam substantiam, vnam essentiam, & vnum suppositum, quæ sunt Angelus. Idcirco Angelus est simplicior creatura quã alia. Bonitas Angeli producta est in magnitudine, idcirco est magna: & in duratione, idcirco durat, & in potestate, idcirco habet potestatem: & in sapientia, & ideo est ratio, quod sapientia sit bona: & in voluntate, idcirco est amabilis: & in virtute, & ideo est virtuosa: & in veritate, idcirco est vera, & in gloria, & ideo habet quietem Angelus in bonitate: & in concordantia sine contrarietate, idcirco est bonus & incorruptibilis: & in principio, idcirco principiata est in tempore: & in medio, idcirco suum bonificare est in medio, quod est inter bonificatiuũ & bonificabile, qui sunt de sua essentia: & quia producta est in differentia, remanet bonificatiuum, bonificabile, & bonificare differentia: & quia bonitas in fine producta est, est ratio ad bonificandum: & quia producta est in maioritate, est producta substantialiter, cum ita sit, quod substantia maior sit, & plus habet de entitate quam accidens, & quia producta est in æqualitate, sua concreta sunt æqualia per essentiam: & quia producta in minoritate, continet in se accidentia, quæ sunt eius instrumenta & indumenta. Et hoc quod diximus de bonitate, dici potest de magnitudine, duratione, & aliis. Angelus productus est ex istis radicibus, quas diximus, & ipsę productæ sunt de nihilo, & quia quædam productæ sunt in aliis, est Angelus ex ipsis constitutus. Idcirco Angelus est occasionatus naturaliter, quod faciat operationes similes suis radicibus, videlicet operationes bonas ratione bonitatis, & magnas ratione magnitudinis, & durabiles ratione durationis: & sic de aliis. Et quod operationes sint plures, quoniam Angelus est constitutus ex pluribus rebus, quæ sunt ei rationes ad plures operationes, quas facit Angelus bonus. Et angelus malignus facit per contrarium, ita quod suam bonitatem naturalem peruertit, vt sit ratio accidentaliter malo, & eius magnitudo magno malo. Sicut Rex iniuriosus & malus, qui suam magnam potestatem peruertit in faciendo magna mala, magnas iniurias, magnas vanitates, & plura alia vitia. Et huiusmodi contrarietas formarum interiorum, & operationum exteriorum est vinculum, cum quo angelus malus, obstinatus est, captus & ligatus, quod bonum facere non potest, & licentiatus est ad faciendum malum.

De trunco arboris Angelicalis.

SVbstantia spiritualis quæ ad corpus inclinationem non habet, truncus est arboris angelicalis. Truncus namque dicitur aggregatio radicum quæ tertium multiplicant, existente qualibet radice extensa in alia: sicut bonitas, quæ extensa est in magnitudine & in duratione, inquantum magnitudo est tota bona, & duratio similiter. Et idem de magnitudine in bonitate extensa, & in duratione, inquantum sunt per magnitudinem magnæ. Et idem est de

duratio

duratione, inquantum magnitudo & bonitas durabiles sunt per durationem. Et per has extensiones & mixtiones fit multiplicatio, quæ est truncus, qui per bonitatem bonus est, per magnitudinem magnus, per durationem durans, & sic de cæteris. Quia bonitas ad truncum venit bonificatiua, & bonificabilis, & magnitudo magnificatiua, & magnificabilis: & sic de cæteris radicibus, est truncus substantia de formis spiritualibus & materiis spiritualibus composita, & sub vna forma generali & materia generali, quoniam forma generalis constituta est de bonificatiuitate, magnificatiuitate, & cæteris formis: & materia generalis constituta est de bonificabilitate, magnificabilitate, & cæteris. Et coniunctio formæ generalis & materiæ generalis constituta est de reali & essentiali bonificare, magnificare, & cæteris actibus quæ sunt partes substantiæ. Truncus est substantia, quia est sub qualibet suarum partium, quæ in ipso substentantur. Sicut corpus Martini, quod dicitur substantia, quia stat sub accidentibus. Et secundum quod truncus angeli tangitur, ita respondet cum suis partibus, quæ ei sunt rationes secundum responsionem. Sicut si voluntas amat aliquam amabilitatem, bonitas respondet cum bonificare, vt amare sit bonum, & magnitudo respondet cum magnificare, vt sit magnum, & duratio cum durare, vt amare sit durans: & sic de aliis. Huiusmodi tactus tangunt diuinæ dignitates, vt Angelus tāgat seipsum & suas partes, & vt respondeat tangenti extra secundum magnitudinem bonitatis, durationis, & sic de aliis in amando diuinas dignitates. Et hoc facit Angelus bonus, & Angelus malignus facit in contrarium. Truncus Angeli non habet longum, amplum, nec profundum, quia non est de natura corporali, nec figuram habet circularem, quadrangularem, neque triangularem: quoniam sicut à superficie corporali separatus est, ita separatus est à longo, amplo, & profundo, & à contrarietate naturali, & à duritie, mollitie, colore, calore, humiditate, frigiditate, & siccitate, etiam à ponderositate & leuitate, etiā separatus est à vegetatione, sensu & imaginatione. Et extensio suarum partium ita sine loco se extendit realiter quibusdam partibus in aliis existentibus, sicut fantastiéè se extendit imaginatio in imaginando vnam paruam figuram, & in imaginando aliam magnā: sicut Martinus qui equum imaginatur, & postmodum imaginatur vnum magnum montem. Et idem est de amare quod spiritualiter se extendit in amando plus vnum hominem quam alium, aut vnam fœminam plusquam aliam: & sic de aliis rebus similibus istis.

De Branchis arboris Angelicalis.

MEmoria, intellectus, & voluntas sunt branchę arboris Angelicalis, quæ sunt ex radicibus. Sicut memoria, quæ est ex bonitate, magnitudine, duratione, virtute, & cæteris, quæ sunt suæ partes. Sicut ignis qui est ex bonitate, magnitudine, & cæteris radicibus arboris elementalis. Et sicut ignis in tertium numerū transit, inquātum est substantia & totum supra suas partes existens, sic memoria transit & ascendit supra suas partes, inquantum est totum ex ipsis, & centrum, & finis illarum. Quoniam omnes se habent ad constituendum illam: sicut forma & materia, quæ se habent ad substan-

tiam, vt constituatur ex ipsis & ædificetur. Id ideo substantia supra suas partes ascendit, vt sit in tertio numero: quoniam est vna, & est ex pluribus. Et quia memoria est de bonitate, magnitudine, & cæteris, vtitur in suo recolere ita bonitate, magnitudine, & cæteris: sicut sensitiua facit in sentire, videlicet vtendo suis potentiis, quæ sunt sensus particulares. Intellectus Angelicus est de bonitate, magnitudine, duratione, potestate, virtute, & cæteris, & idem est de voluntate. Et ita transeunt & ascendunt in tertio numero: sicut memoria. Vnde bonitas quæ est vna secundum vnum modum consistit in memoria, & secundum alium sub intellectu, & secundum alium sub voluntate. Et idem de magnitudine, duratione, potestate, virtute, veritate, gloria, differētia, & cæteris. Et hoc est, quia Deus recolibilis est, intelligibilis, & amabilis, non tamen per creaturam bonificabilis, magnificabilis, &c. quoniam nulla istarum formarum realiter Deum bonificare potest, nec magnificare: vnde bonitas quæ Deum bonificare non potest, consistit sub memoria intellectu & voluntate, quibus Deus potest esse obiectum recolendo, intelligendo & amando. Et actus bonitatis consistit in recolere, intelligere & amare, de quo quidem actu induti sunt: vt sint boni & digni, ꝙ Deus sit per illos obiectatus, videlicet recolitus, intellectus, & amatus. Et hoc quod dicimus de bonitate, intelligitur de magnitudine, duratione & cæteris. Sicut diuinę personę distinctæ sunt in vna eadem bonitate per proprietates personales, quæ sunt paternitas, filiatio, & passiua spiratio: sic branchę Angeli distinctę sunt sub vna eadem bonitate, & vna essentia Angelicali ratione distinctarum proprietarum potentialium, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas. Et distinctio fit per differētiam, quæ ita est vna pars essentiæ Angelicæ, sicut bonitas & concordantia quam habent potentiæ in accipiendo obiecta, stat per cōcordantiā, quæ est vna pars substantiæ angelica. Et potestas quam habent in accipiendo obiecta, est ratione potestatis, quæ est vna pars substantiæ Angelicæ, inquantum accipiunt obiecta cum magnitudine recolendi, intelligendi & amandi, per magnitudinem accipiunt, quæ est vna pars substantiæ Angelicæ. Et inquantum obiecta accipiunt cum maioritate, aut cum minoritate recolendi, intelligendi & amandi: illa accipiunt cum maioritate aut cum minoritate, quæ sunt partes substantiæ Angelicæ. Et idem est de aliis formis & partibus substātię Angelicę. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angelus benignus obiecta accipit per vnum modum cum speciebus innatis, & per alium cum speciebus natis. Quando accipit obiectum cum specie innata: tunc accipit illud cum maiori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, &c. Sicut cera quæ sine medio similitudinem accipit ex literis sigilli, quamuis aliquā speciē non multiplicet, quæ sit extra suam naturā nec de parte, de qua substantia ceræ non sit constituta. Et in hoc passu cognoscitur quomodo Angeli attingunt fixè obiecta & illorum veritates. Sicut ignis qui fixè, & cum specie innata cum calore attingit substantiam ferri calefacti, & vegetatiua substantiam vegetatam. Quia Angelus bonitatem acquirit & sanctitatem, tunc cum bene vtitur suis potentiis, attingit cum speciebus acquisitis quas producit de potentia in actu, quæ non sunt de essentia suppositi: & istæ sunt accidentales,

& per

& per minoritatem minores quã species innatæ, quæ per maioritatem sunt maiores, de quibus dictum est. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli acquirunt meritum in accipiendo obiecta, & fiūt iusti, charitatiui, sancti, & virtuosi. Et maligni Angeli fiunt per contrarium, quia accipiunt obiecta contra naturas suorum primorum principiorum. Angelus benignus intellectum non habet inuestigatiuum cum dubitatione, sed cum affirmatione aut negatione. Sicut sanctus Michaël qui non dubitat, si Martinus sit iustus vel non iustus: quoniam in conditionibus Martini attingit ita certo veritatem suæ bonitatis, & malitiæ: sicut impressiones ceræ attingunt similitudines literarum sigilli: sed hoc non faciunt dæmones, quia intellectus eorum est infirmus, & deuiatus à fine, idcirco prius incipit dubitare, quam affirmare aut negare, si Martinus bonus sit aut malus.

De Ramis arboris Angelicalis.

MEmoratiuum, memorabile, & memorari sunt vnus ramus memoriæ: intellectiuum, intelligibile, & intelligere sunt alius ramus, qui est de intellectu: & volitiuum, volibile, & velle sunt alius ramus, qui est de voluntate. Et sic rami sunt tres: sicut potentiæ sunt tres: & sic branchæ se miscent in accipiendo obiecta: sicut rami se miscent in illis obiectationibus: sicut memoria, intellectus, & voluntas sancti Michaëlis, qui se miscent accipiendo aliquod obiectum, recolitum, intellectum, & amatum, ratione cuius mixtionis se miscēt memoratiuum, intellectiuum, & volitiuum, memorabile, intelligibile, & amabile, recolere, intelligere, & amare. Sicut memoratiuum, memorabile, & memorari sunt vnus ramus memoriæ: sic bonificatiuum, bonificabile, & bonificare sunt alius ramus bonitatis, quæ continetur in ramo memoriæ. Et idem de magnificatiuo, magnificabili, & magnificare, quæ sunt vnus ramus magnitudinis, qui continetur in memoria. Et idem est de ramo durationis, potestatis, virtutis, &c. Etiam bonificatiuũ, bonificabile, & bonificate sunt ramus bonitatis, qui continetur in intellectu, cuius ramus continet in se ramum bonitatis, vt eius ramus sit bonus. Et idem ramus bonitatis consistit in ramo voluntatis, ita quod vnus est ramus bonitatis in seipso, & distinctus est in ramis per proprietates distinctas, videlicet per memoriam, intellectum, & voluntatem. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo vnus ramus est per essentiam, & plures per operationes distinctas ab inuicem. Ramus memoriæ est de essentia memoriæ, & memorabile, quod est de essentia rami intellectus est differens à memorabili, quod est de ramo memoriæ. Et ambæ memorabilitates differentes sunt, in quantum differentia brancharum participant in vnitate essentiæ, in quãtum sunt de vna eadem bonitate, vna eadem magnitudine. Et idem est de amabilitate rami voluntatis, & de amabilitate rami memoriæ, & intellectus, & idem de intelligibilitate. Et in hoc passu cognoscitur, quod Angelus creatus est ad similitudinem summæ Trinitatis, & vnitatis essentiæ. Angelus bonus intelligit seipsum, & se intelligit in sua intelligibilitate, quæ appellatur intellectus possibilis. Et intelligit cum sua intellectiuitate, quæ appellatur intellectus agens, & intelligere est ex

ambobus. Et in quantum intelligit intelligibitatem, & intellectiuitatem, & intelligere, aliam speciem intelligibiliatis, nec intellectiuitatis, neque intelligere non multiplicat. Quoniam si faceret, non intelligeret seipsum cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, finis, & maioritatis, imo intelligeret seipsum cum contrario magnitudinis, bonitatis, &c. Intelligit ergo seipsum cum seipso, & cum suis partibus, de quibus constitutus est. Sicut Sol qui seipsum illuminat cum suamet luce, & ignis qui seipsum calefacit cum suomet calore. Et iste passus multum est placens ad intelligendum, & edocet, quod sicut intelligit seipsum cum seipso, ita intelligit alium cum seipso: sicut cultellus, qui cum seipso scindit carnem: & sicut clauus, qui cum seipso postem perforat, & equus, qui cum suis pedibus currit. Ratione ramorum Angeli, qui participant in vna eadem bonitate, magnitudine, &c. etiam quia in illa participatione non est contrarietas naturalis, se conuertit totus Angelus in suo intelligere, recolere, & amare: quoniam in suis partibus nullam habet resistentiam, per quam sit contrarietas inter vnum ramum, & alium. Et in hoc passu cognoscitur magnitudo simplicitatis, & libertatis, quæ est in Angelis, qui sunt boni: & magnitudo simplicitatis, & obstinationis, quæ est in Angelis malis, qui sunt ita simpliciter peruersi ad malum recolendum, intelligendum, & amandum, quod in illis nulla potentia malo remanet vacua, nec plena bono, in qua possit habere deliberationem, quod ad bonum conuertere possit suum recolere, intelligere, & amare. Martinus equum videt cum suis oculis. Beatus Michaël intelligit sanctum Gabrielem cum suo intellectu, & quia sanctus Gabriel intelligibilis est cum magnitudine bonitatis, virtutis, veritatis, potestatis, & voluntatis, sanctus Michaël intelligit sanctum Gabrielem secundum magnitudinem suæ intellectiuitatis, & secundum magnitudinem intelligibiliatis sancti Gabrielis, & sic transit magnitudo cuiuslibet in magnum intelligere. Et in hoc passu cognoscitur, quod Angeli Beati naturaliter priuilegium habent in intelligendo supra homines: quoniam Martinus compositus est ex anima & corpore, & corpus non est de essentia intellectus, nec corpus & anima participant in vna eadem simplici bonitate, quia vna est bonitas corporalis, alia spiritualis: sed sanctus Michaël non est ita, quoniam vna eadem bonitas est illa, quæ est de suo intellectu, sua memoria, & sua voluntate, & sic multomelius seipsum intelligit cum suomet intellectu quam Martinus, qui ita bene seipsum intelligere non potest, sicut facit sanctus Gabriel, vel sanctus Michaël, qui cum corpore non participat: etiam sanctus Michaël melius potest intelligere sanctum Gabrielem esse bonum quam Martinus, cum bonitas sancti Michaëlis sit spiritualis, & sancti Gabrielis similiter. Martinus equum videt per colorem, & audit per vocem, & sanctus Michaël, sanctum Gabrielem intelligit bonum per bonitatem, & magnum per magnitudinem, & quando sua voluntas quietem habet in fine, propter quem intelligit sanctum Gabrielem, intelligit quod sanctus Gabriel bonus est & magnus. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo partes substantiæ vnius Angeli dispositiones sunt ad intelligendum, recolendum, & amandum alium Angelum. Et cum sanctus Michaël malum Angelum

gelum intelligit, quia bonitas, & malitia sibi inuicem non correspondent in concordantia bonitatis, & bonitatis, intelligit sanctus Michaël Angelum malum secundum contrarietatem bonitatis, & malitiæ, & sic de aliis formis. Et idem est, quando sanctus Michaël intelligit Martinum peccatorem, aut Petrum virtuosum. Sanctus Michaël oculos habere non indiget ad videndum colorem, vt ipsum intelligat, quoniam magnitudo sui intelligere sufficit ad intelligendum colorem, per quem intelligit coloratum, ita & multo melius sicut Martinus equum intelligit coloratum, quia videt colorem. Nec etiam sanctus Michaël necessitatem habet ad imaginandum, vt corporalia intelligere possit, quoniam magnitudo sui intellectus perficit actum intelligendo corporalia, ita quod necessitatem non habet habendi instrumentum, quod sit de natura corporali. Sicut Deus qui antequam mundus fuisset creatus, suus intellectus intelligebat colorem album & nigrum, ita quod necessitatem non habuit habendi oculos corporales & imaginationem, quoniam sufficit ei magnitudo potestatis, sapientiæ, virtutis, voluntatis, gloriæ, veritatis, & bonitatis. Dictum est de naturis, & de modis ramorum Angeli, & de modo quem habet ad intelligendum naturaliter, quem modum naturaliter habet secundum suum amare, & recolere. Et in floribus intendimus loqui de modo, quem habent Angeli in recolendo, intelligendo, & amando Deum secundum modum naturalem, & secundum modum supernaturalem.

* * *

De Foliis arboris Angelicalis.

Et primo de Quantitate.

PER folia arboris Angelicalis accidentia intelligimus, quæ pertinent ad substantiam Angelicam. Et primo dicemus de quantitate. Quantitatem spiritualem in Angelo duobus modis consideramus, videlicet discretam & continuam. Continua est sicut vna bonitas, in qua sunt bonitates brancharum arboris. Discreta est, in quantum branchæ differentes sunt in bonitate. Quoniam vna est bonitas memoriæ, alia intellectus, & alia voluntatis. Et sic quantitas bonitatis est vna & continua, in quantum se ipsa, & est diuisa in plures quantitates discretas pluribus partibus arboris existentibus bonis per bonitatem sub certis quantitatibus terminatis. Et illud idem quod de bonitate dicimus, dici potest de magnitudine, duratione, & cæteris. In radicibus discretæ sunt quantitates, sicut vna quantitas est bonitatis, alia est magnitudinis, & sic de cæteris. Et de omnibus est vna quantitas continua in trunco, in branchis, & in ramis extensa. Etiam quælibet radix suas habet quantitates discretas, sicut bonitas in qua bonificatiuus suam propriam habet quantitatem, & bonificabilis similiter. Et idem de bonificare, & sic de magnitudine, & cæteris. Etiam est vna quantitas bonitatis in magnitudine, & alia est illa quam habet duratio ratione bonitatis, & alia quam habet potestas, cum ita sit, quod magnitudo, duratio, potestas, & c. bonæ sint per bonitatem. Substantia Angelica incorruptibilis est per durationem,

tionem, quæ duratio quanta est inquātum habet principium, sed quanta nō est, inquantum substantia Angelica æuiternaliter durabit: est ergo quantitas in principio mensura temporis, quoniam in tēpore fuit principiata, & in hac mensura mensuratæ sunt partes Angeli & eius substantia sine subiecto corporali & non extensa in longum, amplum & profundum, sicut duratio substantiæ: quæ se non extendit in æuiternitate corporaliter. Et in hoc passu cognoscitur extensio spiritualis quantitatis: sicut bonitas, quę se extendit ita in magnitudine æuiternaliter: sicut se extendit in duratione æuiternali. Secundum quantitatem numeralem sunt plures Angeli, & est significatū, ꝙ plures sunt quam homines, inquātum sunt magis similes Deo eorum substantiæ q̄ substantiæ hominum, cum Deus substantia sit spiritualis, & Angelus similiter, & homo sit compositus de substantia corporali & spirituali. Vnde cum in Deo sit magnitudo, & in Angelo & in homine similiter: oportet quod magnitudo Dei maiorem habeat concordantiam cum magnitudine Angeli quam cum magnitudine hominis: cum maior concordantia sit inter vnam substantiam spiritualem & aliam, quam inter vnam substantiam spiritualem & aliam corporalem, quare ratione maioris concordantiæ (de qua dictum est) significatum est, quod Angeli sunt in maiori numero quàm homines, etiā quod numerus illorum sit impar: vt similior sit Beatissimæ Trinitati Dei. Oportet quod quantitas Angelorum sit in numero ternario, videlicet in maioritate, æqualitate & minoritate, sine quibus eorum quantitas numeralis non esset perfecta. Sunt ergo aliqui Angeli qui sunt maiores in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, quam alij Angeli. Et hi sunt Deo propinquiores, nec habent officium, sed tantummodo Deum contemplantur. Et sunt alij Angeli, qui sunt minores in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, qui habent officium in administrando hominibus inferius, vt eos custodiāt à dęmonibus, & ipsos inducant ad virtutes, & ipsos à vitiis elongent. Est vnus alius modus ordinū Angelorum, qui sunt in medio: qui æqualiter officium habent in administrando Angelis inferioribus per influentiam, quam accipiunt ab Angelis superioribus. Et hi sunt illi, qui faciunt legationes, & reuelationes, & prophetias. Et ex istis tribus hierarchiis Angelorum multiplicantur nouem ordines ad significationem septem planetarum & octauæ sphæræ, & trunci arboris elementalis. Quoniam si Deus posuit in ordine substantias corporales, bene oportet quod posuerit in ordine substantias spirituales, & in illo numero, in quo substantiæ corporales, & spirituales habeant maiorem concordantiam. Etiam subiecta ordinis sunt nouem, scilicet Deus, Angeli, cœlum, anima, imaginatiua, sensitiua, vegetatiua, elementatiua, & potentia artificiatiua.

De Qualitate arboris Angelicalis.

SAnctus Michaël est bonus per bonitatem, & est magnus per magnitudinem, & sic qualis est per suas formas speciales, ratione quarum indiuiduatus est in seipso, & non de alio: sicut cultellus & clauus, qui indiuiduati sunt in seipsis, veruntamen indiuiduati sunt de aliis, videlicet de massa ferri: sed istud in Angelis non est, quoniam

niam quilibet qualis est per suam propriam indiuiduitatem non indiuiduatam ab alia substantia. Etiam duas habet qualitates à bonitate: vna est innata, & alia nata. Illa quæ est innata, est sua pars, ex qua constitutus est. Nata est sua bonitas acquisita ratione cuius habet meritum, & hæc est qualitas ei appropriata, quam Deus in illo confirmauit, quia ei gratis seruit. Ignis calorem suum habet in diuersis substantiis, videlicet in substantia piperis, allei, & fœniculi, & calor est vna qualitas in se, & est plures qualitates in aliis: sicut vna est qualitas piperis, alia allei, & alia fœniculi. Est ergo vna eadem qualitas distincta per aliud & non per seipsam, videlicet per distinctionem substantiarum, quæ sunt differentes. Secundum hunc modum qualitas sancti Michaelis, & idem de quolibet alio Angelo distincta non est, sed per alium modum ita, videlicet quod sanctus Michael est bonus, in quantum Deum diligit, & in quantum ipsum intelligit, & in quantum ipsum recolit, & idem in quantum recolit, intelligit, & diligit sanctum Gabrielem aut seipsum: & sic de aliis, & secundum quod suum recolere, intelligere, & diligere, nobiliora habent obiecta, se extendit bonitas ita recolere, intelligere, & amare: sicut calor ignis qui se plus extendit in calefaciendo aërem, quam aquam. Ignis qui calefacit plus piper quam fœniculum, in illo maiori calefacere plus ponit de calore quam in minori: quia piper plus recipere potest quam fœniculus. Et idem est de recolere, intelligere, & amare, quæ habent Angeli in obiectis, quæ accipiũt, in quibus maius ponunt aut minus, secundum quod quædam obiecta plus disposita sunt, quod recolantur, intelligantur & amentur, quam alia. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli non vtuntur eorum qualitatibus secundum quod homines suis qualitatibus vtuntur in hac vita: sicut homo auarus qui recolit plus & sæpius magnitudinem thesauri, quam magnitudinem boni intelligere, boni amare, & boni recolere, quæ bonificata sunt per charitatem, iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam, spem, & fidem. Sanctus Michaël Archangelus frustra non vtitur suis qualitatibus, quibus vtuntur homines in vanum in hac vita. Quoniam sanctus Michaël intelligit, quod sanctus Gabriel est, nec dicit, quod sanctus Gabriel non est sanctus Raphaël, nec dicit, quòd equus Martini non est equus Petri, quoniam obiectum non accipit nisi secundum quod est, sed postquam intelligit, quod sanctus Gabriël est, & sanctus Raphaël similiter, superfluum esset ei, si diceret, quod sanctus Gabriel non est sanctus Raphael, quod siquidem superfluum esset sibi vitium contra virtutem, & paruitas contra magnitudinem bonitatis, intellectus, memoriæ, voluntatis, veritatis, & gloriæ. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli quietem habent in veritatibus, quas attingunt. Sol non lucet plus in vno tempore quam in alio in seipso: sed sua lux multiplicat plus suam similitudinem in vno tempore quam in alio: sicut dies qui clarior est in tertia quam in mane, & in meridie quam in tertia: modo simili Angelus non est melior nec sapientior in vno tempore quam in alio, sed suum scire & sua bonitas sunt in maiori magnitudine bonitatis accipiendo vnum obiectum quam aliud, & hoc contingit per maioritatem magnitudinis, bonitatis, quæ est in aliquibus obiectis, & per minoritatem magnitu-

dinis & bonitatis, quæ eſt in aliis obiectis. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quomodo Angelus cum vna eadem qualitate poterit eſſe maior aut minor in bonitate per alium, ſua bonitate ſemper remanente ſub certa quantitate terminata. Et iſte paſſus eſt via ad cognoſcendum plura ſecreta naturalia qualitatum propriatum, & appropriatarum, quæ in quantum ſunt propriæ qualitates non plus ponunt, nec minus de ſeipſis in accipiendo obiecta: ſed in quantum ſunt qualitates appropriatæ. Idcirco differentia eſt inter ſpecies innatas & natas, quæ quidem natæ attractæ ſunt ex obiectis, & ex ipſis multiplicatæ.

De Relatione Angelorum.

IN Angelis eſt relatio interior & exterior, & ex rebus interioribus, & exterioribus. Relatio quæ eſt interior, eſt ſicut in bonitate, in qua ſunt relatiuæ bonificatiuus, bonificabilis, & bonificare, & in ſua magnitudine, magnificatiuus, magnificabilis, & magnificare. Et magnificatiuus magnificat ſuum magnificabile, propriam magnificando bonitatem, quæ eſt magnificabilis: ſicut magnitudo, quæ eſt bonificabilis. Et idem de duratione & cæteris. quæ relatiuè ſibi inuicem ſuas dant ſimilitudines. Hæc relatio eſt intra ſubſtantiam Angeli, & eſt vna de ſuis partibus. Eſt & alia relatio, quæ eſt intra & extra, ſecundum quã Angeli obiecta attingunt. Sicut ſanctus Michaël qui eſt intelligens, & ſanctus Gabriel intelligibilis. Idcirco oportet quod ſi intelligens eſt, quod ſit intelligibilis, & intelligere, & è conuerſo. Et hæc relatio neceſſaria eſt in Angelis, vt ſit in magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis, &c. Et in hoc paſſu cognoſcitur priuilegium, & excellens virtus, & nobilitas quas habent Angeli ſupra homines, quoniam plura ſunt intelligibilia Martino, quæ ipſe non intelligit. Cognoſcitur etiam quomodo Angeli attingunt veritates ſubſtantiarum corporalium, quamuis oculos non habeant, nec aliquem aliorum ſenſuum, ſed illas veritates per intellectum attingunt, quia ſunt intelligibiles, & quia Angeli benigni ſunt intelligentes cum magnitudine bonitatis, durationis, &c.

De Actione, & Paſsione Angelorum.

ACtio, & Paſſio ſunt in Angelis duobus modis: vnus modus eſt intra, & alius extra. Ille qui eſt intra per vnum modum ſubſtantialis eſt, & per alium accidẽtalis: ſubſtãtialis eſt ex parte formæ, & materiæ, ex qbus ſubſtãtia Angeli cõſtituta eſt, vt in trũco dictũ eſt. Accidẽtalis eſt, inquãtũ vna forma ſuã dat ſimilitudinem alteri formæ: ſicut bonitas ſancti Michaelis, quæ ſuam ſimilitudinem dat ſuæ magnatudini. Et inquantum ei dat, eſt forma actiua, & inquantum magnitudo ipſam accipit, eſt forma paſſiua. Actio & paſſio quæ ſunt intra & extra, ſunt, inquantum ſanctus Gabriel intellectus eſt, per ſanctum Michaelem amatus & recolitus, & inquantum ſanctus Michael placitum accipit in recolendo, intelligendo & amando ſanctum Gabrielem. Et idẽ eſt in Angelis malignis, qui actionem habent in tormentando homines, & in tentando illos, ſecundum quod eis licentiatum eſt per iuſtitiam diuinam, etiam paſſionem habent in tormentando & tentando illos.

De

De Habitibus Angelorum.

IN quolibet Angelo ſunt tres habitus generales,qui ſunt ſuę branchę. Quare ſicut ſi in Martino eſſet habitus grammaticæ, logicæ,& rhetoricæ : ita quilibet Angelus habitum habet recolendi, intelligendi , & amandi : verũtamẽ Angelus habet nobiliores habitus quam Martinus, quoniam continuè vtitur ſuis particularibus, quæ ſunt ſub habitus ad hoc,quod habitus ſint in magnitudine bonitatis,durationis,poteſtatis,&c. Et Martinus ſi vtatur grammatica, non vtitur logica,neque rhetorica, nec in vno tempore vtitur omnibus particularibus, quæ ſtant ſub habitu grammaticę.Et in hoc paſſu cognoſcitur , quod habitus Angelorum magni ſunt, & ſibi inuicem in eodem tempore correſpondent quilibet habitus & ſuæ partes. Cognoſcitur ergo quod Angeli boni magnam habent gloriam , & per conſequens pœnam , quam habent Angeli maligni,quorum habitus ſe reſpondẽt cum eorum particularibus ita in contrarietate naturæ , ſicut faciunt habitus Angelorum bonorum cum eorum particularibus in concordantia naturali.Sunt etiam alij habitus acquiſiti meritorij : ſicut habitus iuſtitiæ & charitatis in ſancto Michaele, quæ ſiquidem iuſtitia habituata eſt bonitate, inquantum eſt bona , & de charitate, inquantum eſt amabilis:Et idem eſt de habitibus malorum Angelorum : ſicut eſt Lucifer habituatus de iniuria & de crudelitate, & ſicut eſt eius iniuria de malitia.Et ſic de aliis habitibus per culpas & peccata acquiſitis.

De Aſsituatione Angelorum.

SVbſtantia Angeli aſſituata eſt ſecundum arboris aſſituationem, vilicet ſecundum aſſituationem, radicũ, trunci,branchatum , ramorum, foliorum , florum,& fructuum. Et radices aſſituatæ ſunt quædam in aliis , ſicut bonitas induta magnitudine, quæ inquantum magna eſt per magnitudinem , in magnitudine conſiſtit , & è conuerſo inquantum magnitudo eſt in bonitate,quia eſt bona per bonitatem, Et idem eſt de aſſituatione trunci,qui aſſituatus eſt in ſuis partibus. Et branchæ ſimiliter, & ſic de aliis aſſituationibus naturalibus arboris. In cœlo empirco ſunt Angeli aſſituati, vt dictum eſt in capitulo de quantitate. Et modo ſimili aſſituati ſunt de aſſituatione obiecti & actus, exiſtente vno Angelo obiecto alij Angelo cum magnitudine bonitatis, durationis, poteſtatis,ſapientiæ,voluntatis,& aliorum. Et in hoc paſſu cognoſcitur , quod magna eſt gloria Angelorum bonorum , & pœna malorum, aſſituatio quorum in inferno eſt in maioritate magnitudinis malitiæ , iræ vitiorum & inſtinctuum naturalium. Et idem eſt in æqualitate & minoritate.

De Tempore Angelorum.

ANgelus principiatus eſt, inquantum eſt creatus,& inquantum principiatus eſt extra æternitatẽ:principiatus eſt in tempore , cum ita ſit, quod omne quod eſt , oportet eſſe in æternitate aut in tempore,& tẽpus in quo Angelus principiatus eſt , quod ſiquidem tempus requirit motum corporalem, non eſt pars Angeli , qui eſt ſubſtantia ſpiritualis,ſed in tempore eſt ita principiatus,ſicut collocatus eſt in

aliquo loco sine occupatione loci. Idcirco Angelus non requirit successiuè motum in tempore secundum suam naturam, sed tempus accipit secundũ naturam suam motum Angeli, qui moueretur in diuersis temporibus de vno loco in alium. Sicut sanctus Grabriel motus de cœlo empireo, qui venit ad annunciandum Dominam nostram ad Nazareth. Et hoc tempus sustinere non posset, quod sanctus Gabriel in vno tempore sit in locis diuersis. Est ergo sanctus Gabriel in tempore super naturam temporis, ita in principio sicut in æuiternitate, in quo tempus nõ habebit motum extensum. Et iste passus valde grauis est, & subtilis est ad intelligendum, & dat placitum intellectui, qui ipsum intelligere potest, & ostendit altitudines & nobilitates, quas substantiæ spirituales habent supra substantias corporales.

De Locis Angelorum.

Locum in Angelis duobus modis consideramus, est vnus locus qui est intra, & alius extra. Ille qui est intra est sicut sanctus Michael, qui est in seipso spiritualiter collocatus, sicut totum in suis partibus, & partes in suo toto, & vna pars in alia: sicut bonitas sancti Michaelis in sua magnitudine, & magnitudo in bonitate, & radices in trunco, & truncus in radicibus. Et huiusmodi collocatio quæ est intra, non requirit superficiem extra, qui sit de conditionibus loci, qui in se continet substantias corporales. Idcirco substantia Angeli est in loco supra naturam loci, inquantum non occupat illũ locum, in quo est. Sicut substãtia Angeli mota de vno loco in alium, qui non dimittit in motu successionem primi nec vltimi, nec temporis futuri & preteriti, quę distincta sint à præsenti, idcirco plures substantiæ Angelicæ possunt esse in eodem loco sine occupatione loci: sicut possunt esse in tempore & in motu sine successione primarum partiũ & vltimarum, quæ sunt in motu gruis, in quo suum caput est primum in motu, & eius pedes sunt vltimi. Et in hoc passu cognoscitur, q Angeli sunt in loco supra naturam loci, qui siquidem locus est extra eorum essentiam, & qui non est pars eorum. Est alius locus Angelorum qui est extra, sicut est cœlum empireum, in quo quidam Angeli sunt in vno loco, alij vero in alio secundum quod propinquiores sunt Domino nostro Iesu Christo. Et idem in inferno, secundum quod quidem Angeli maligni sunt in maiori abysso quàm alij. Est etiam alius modus loci, qui est extra & intra obiectiuè, sicut obiectum, quod sanctus Michael accipit, in quo suum habet recolere, intelligere & diligere, & ille locus exterius est, inquantum non est de essentia sancti Michaelis, sed de essentia sancti Gabrielis aut alterius Angeli, & suam præsentiam habet sanctus Michael in seipso. Et in hoc passu cognoscitur, quod sicut in potẽtia nec in obiecto non fit occupatio loci: ita substãtiæ spirituales non occupant inuicem alias substantias spirituales in essendo in vno eodem loco, nec in accipiendo vnum idem obiectum, nec in recolendo, intelligendo & amando idem obiectum.

De Floribus arboris Angelicalis.

Flores arboris Angelicalis sunt duobus modis: quidam sunt particulares, & alij vniuersales. Particulares sunt acquisita & additamenta radicum, sicut bonificare acquisitam, magnificare, durare, possi

possificare, intelligere, amare, verificare, glorificare, differentiare, concordare, principiare, mediare, complere maiorificare, & æqualificare, omnes isti infinitiui sunt flores acquisiri: sicut homo iustus qui acquirit iustitiã: & homo castus castitatem. Et subiecta istorum florum sunt infinitiui naturales & essentiales ramorum, scilicet naturale recolere, intelligere & amare ornati & induti de illis floribus, qui sunt instrumenta ad acquirendum flores generales, qui sunt acquisitum & productum recolere, intelligere & amare in bonitate, magnitudine, duratione, potestate, &c. Hoc est dictum, quod infinitiui ramorum implicantur, & induuntur in floribus acquisitis & productis, vt Angeli sint digni ad recolendum intelligendum & amandum Deum & eius operationes, etiam vt sint digni, vt recolantur, intelligãtur & amentur per Dominum Deum nostrum, & per ipsum glorificentur. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Angeli benigni facie ad faciem attingunt Deum fixè & sine medio, ipsum recolendo intelligendo, & amando, laudando, & benedicendo, & ab ipso benedicto, gloriam recipiendo. Seraphin Deum intelligit, & suo intelligere iuuant flores, & inquantum Deum bonum, & intelligit, flos facit suum intelligere bonum, & inquantum ipsum intelligit magnum flos maguitudinis facit intelligere magnum, & quia intelligere durat, iuuat flos durationis perseuerantiam intelligere, & vt possit Deum intelligere sine medio, iuuat potestas data ad iuuandum intelligere, & voluntas illud iuuamen diligit, quod fit intelligere de Seraphin, cum acquisito bonificare, magnificare, durificare, possificare, & idem de aliis floribus, idcirco quiescit voluntas in intelligere. Quoniam quantum intelligere supra ascendit per iuuamen florum, tantum ascendit amare voluntatis, & stat fixè in amato. Et sicut intelligere iuuatur ad ascendendum per flores: sic amare iuuatur ad ascẽdendũ per flores. Et in ascensu ipsius amare habet intelligere quietem, quoniam æqualiter ad obiectum ascendunt, & æqualiter induta sunt & ornata de floribus. Et idem sequitur de recolere, quod ad recolitum ascendit cum iuuamine florum, in tãtum, quod Deus recolitur, intelligitur, & amatur cum omnibus floribus per branchas Angeli. Et sicut Sol attrahit supra calorem roris, qui supra ascendit cum iuuamine solis: sic bonitas Dei attrahit & ascendere facit superius bonitatem memorię, intellectus & voluntatis de Seraphin, videlicet in recolendo, intelligendo, & amando. Et idem est de magnitudine Dei, & de suis dignitatibus, & sic sibi respondent inuicem dignitates superiores & flores inferiores in ascensionibus actuum brãcharum. Et huiusmodi responsio & ascensio multum est placens ad intelligendum, & si ille qui ipsum bene intelligit contra Deum facit aliquam offensam, dignus est magna pœna. Seraphin intelligente Deum, ita alte dignitates Dei sunt exemplar ipsi intelligere de Seraphin. Et idem est de recolere & diligere de Seraphin & de aliis suis floribus. Et sic Deum attingit duobus modis, naturaliter videlicet, & supra naturam. Naturaliter secundum principia sua primaria, de quibus est eius truncus, suæ branchæ & sui rami: sicut ignis qui naturaliter calefacit aërem, & sol qui naturaliter lunam illuminat, & huiusmodi natura licentiata est per meritum florum. Et attingit supra suam naturam, inquantum Deus ascendere facit actus brancharum &

florum: quoniam sicut voluntas de Seraphin plus Deum diligit quam seipsum, ita intellectus de Seraphin Deum plus intelligit quam seipsum, & sic ascendit ad intelligendum supra seipsum, & plus intelligit, quam sua natura sufficere possit ad intelligendum. Et de hoc quod accipit supra suam naturam, reuelat Angelis inferioribus, qui ita magnum intelligere non habent, secundum quod ipse est licentiatus per Dominum nostrum.

De Fructu arboris Angelicalis.

FRVCTVS arboris Angelicalis est naturalis & super naturalis. Naturalis inquantum quilibet actus suarum brancharum venit ad complementum, sicut sanctus Michaël Archangelus qui intelligit intellectum, amatum, & recolitum sub ratione bonitatis, magnitudinis, &c. quod siquidem recolitum, intellectũ, & amatum sunt fructus naturales brancharum & ramorum, vt radices non sint ociosæ nec vacuæ, vt finis sit centrum quietis. Fructus qui est supra naturam arboris, est suprema recolibilitas, intelligibilitas, & amabilitas Dei, & quæ sunt Deus, & è conuerso. Et hæ tres obiectabilitates supremæ sunt fructus arboris Angelicalis, centrum & quies illius. Et quia fructus sunt superius, & arbor est inferius, non possunt omnes fructus comprehendi per branchas arboris, quod si comprehenderentur, branchæ forent ita magnæ sicut fructus: & idem est de actibus brancharum. Sunt ergo fructus magis supra, sicut amabilitas Dei, quæ maior est in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, quam Angelus amare possit: & idem de intelligibilitate, & recolibilitate Dei: quare sicut vnum vas quod sit in mare, plenum est aqua, ita actus brancharum pleni sunt fructibus superioribus, & sicut totum mare in illo paruo vase intrare nõ potest, ita fructus superiores comprehendi non possunt per actus brancharum: cum ita sit, quod fructus sint infiniti, & actus brancharum finiti. Recolibilitas Dei, & idem de sua intelligibilitate & amabilitate, est fructus recolitiuitatis Angeli, cum tota essentia diuina, & cum tribus personis diuinis, & cum omnibus dignitatibus diuinis, & idẽ de tota natura diuina. Habet se ergo obiectum superius infinitè, & in tota sua totalitate ad potentiam inferiorem, quæ siquidem potentia se habet ad obiectum, cum tota sua totalitate, essentia, & natura, & cum omnibus suis floribus, intantum quod tota se implet ex obiecto, & omnes suæ partes sunt plenę ex ipso: sicut camera plena aëre & Sol luce. Etiam potentia plenior est obiecto, quam ferrum in fornace calore: quoniam in ferro est aqua, quæ resistit calori cum sua frigiditate, aqua existente parte ferri compositi & elementati: sed in potentia Angeli non est aliqua cõtrarietas, quæ suo complemento resistat. Est ergo recolitiuitas Angeli plenior recolibilitate Dei, quam aliquod dolium vino, vel camera aëre, vel ferrum calidum calore, vel Sol luce: quoniam lux Solis quę est accidens, tantum complere non potest substantiam Solis, quę maior est quam accidens: sicut facit substantia Dei, quæ est recolibilitas, in implendo recolitiuitatem Angeli. Est ergo istud complementum ita magnum, quod recolitiuitas obliuisci non potest supremam recolibilitatem superiorem, quæ ipsam implet, nec voluntas Angeli se habere vult ad odiendum recolibilitatem, quoniam plena est summa

ama

amabilitate, de qua non esset plena, si memoria se habere posset ad obliuiscendum fructum. Et idem est de intellectiuitate Angeli, quæ ita est plena intelligibilitate superiori, quod se habere non potest ad ignorãdum ipsam. Et omnia tria complementa vident quidam Angeli in aliis. Gloriam ergo eorum, quis est, qui posset cogitare, narrare, vel scribere.

De Arbore Æuiternali.

SVMMARIVM.

ARBOR æuiternalis diuiditur in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt merita de principiis generalibus.

Truncus est duratio.

Brancha sunt Paradisus, & infernus.


Rami sunt retributiones.

Folia sunt accidentia.

Flores sunt actus glorificatorum, siue condemnatorum.

Fructus sunt complementa finium.

De Arbore



De Arbore Aeuiternali.

PEr aliam vitam arborem æuiternalem consideramus, quæ diuiditur in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. Per radices intelligimus merita, quæ veniunt per secundarias intentiones, quæ fiunt per opera artificialia sub ratione primorum principiorum, quæ sunt radices: sicut merita acquisita per bonitatem, magnitudinem, perseuerantiam, potestatem, &c. etiam per branchas arboris humanalis, & Angelicalis, & per arborem moralem: quoniam de omnibus istis iudicium dare oportet & rationes, vt finis esse possit in primis principiis. Beatus Petrus qui est iustus, & idem de Seraphin, est bonus per suam

ſuam iuſtitiam, quæ eſt bona ſub ratione bonitatis. Idcirco oportet, quod ſit remuneratus cum bono: & quia ſua iuſtitia eſt magna, oportet quod remuneratus ſit cum magno bono: & quia ſua iuſtitia durabilis fuit in hac vita, oportet quod durabilis ſit in alia: & ſic de aliis formis, videlicet quod per bonam poteſtatem remuneratus ſit bono poſſito, & per bonum intelligere remuneratus ſit bono intellecto, & propter bonum amare bono amato, & per virtuoſum amare virtuoſo amato, & propter bonum verum vero bono, & propter glorioſum amare glorioſo amaro, & idem de concordantia, differentia, principio, medio, & fine, maioritate & æqualitate. Et iſtæ formæ ac quiſitæ ſunt radices arboris, & ſunt formæ meritoriæ, videlicet meritum boni cum bono, & meritum magni cum magno, & ſic de cæteris. Machometus & idem de lucifero, fuit iniuſtus & falſus Saracenus, & quia ſua iniuria, luxuria, & ſecta fuerunt malę, oportet quod remuneratus ſit malo propter malum, & quia fecit magnum malum in hoc, quod plures homines poſuit in errorre, oportet quod eius merces ſit magna in pœna, & quia malum illorum durauit & durat, oportet quod remuneratio in pœna duret, & idem eſt de cæteris formis. Et iſtæ culpæ acquiſitæ ſunt radices & mala merita. Hoc idem ſequitur de mechanico, qui malum opus facit, cum quo gentes decipit. Et idem eſt de malo iudice, qui dat falſum iudicium, & de homine auaro diuite, qui finem ſuarum diuitiarum impedit, quas aufert pauperibus, qui ipſis diuitiis indigent: & ſic de aliis ſimilibus iſtis. Sicut ſubſtantia pomerij & equi, & idem eſt de aliis ſubſtantiis naturalibus: ſunt plenæ formis realibus, & natura non ſuſtinet, quod ſint vacuæ: ſic iuſtitia Dei non ſuſtinet, quod aliqua opera facta per homines, & per angelos in operando, in cogitando, & in aliis modis, in quibus opera fieri poſſunt: in fine iudicij obliuiſcantur: quia iuſtitia Dei eſt magna ratione, cuius oportet ſiue neceſſarium eſt, quod ſubiectum iudicandi ſit magnum. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod homines peccatores qui diu perſeuerauerunt in peccato, ſiue peccatis, de quibus plura mala in eorum ſequacibus ſecuta ſunt, habebunt reddere in die iudicij de pluribus rationem. Et iſtum paſſum conſiderare eſt multum terribile hominibus peccatoribus.

De Trunco arboris æuiternalis.

PEr Truncum æuiternalem intelligimus durationem bonorum meritorum, & malorum, & magnorum, & paruorum, & illorum: qui habiti ſũper magnam poteſtatem bonitatis, aut mali magni, aut parui intelligere, magnæ amatiuitatis, aut paruæ, & magnæ odiuitatis, aut paruæ, & magnæ virtutis, aut paruæ, magni vitij, aut parui: & ſic de cæteris. Quare omnes formæ trunci quæ ſunt ſuæ radices, conſtituẽt vnam durationem meritorum & culparum, quæ finem non habebit, quam durationem truncum æuiternalem appellamus, qui ſemper durabit, vt iuſtitia Dei ſubiectum habeat, in quo iudicare poſſit. In hac vita ſunt opera hominum: Primò in principio, poſtmodum in medio, & vltimò in fine, cum moriuntur: & poſt finem non poſſunt eſſe, quoniam finis non eſſet hoc, quod eſt: ſicut Martinus qui non foret hoc, quod eſt ſine capite, remanent ergo opera in fine æuiternata ita:

quod non sunt post finem. Et in hoc punctum finis: videlicet qui est vltimus finis, qui est in morte extensus, veniunt illa quæ sunt æuiternata: sicut fructus arborum, qui eueniunt maturi in æstate. Et in hac æuiternitate durant merita & culpæ, quoniam in illo fine colliguntur omnia opera, quæ homines fecerunt in hac vita, & quæ posita sunt in vna linea æuiternali, quæ habet principium in fine mortis, & nō potest habere finem priuationis, quia est in fine iudicij. Et iste passus est placens iustis ad considerandum, & horribilis peccatoribus. Secundum quod dictum est in arbore Angelicali, videlicet quod sicut branchæ sunt ex radicibus, ita truncus æuiternalis sub forma durationis est ex meritis & culpis, videlicet quod culpæ & merita sustentata sunt in æuiternitate, vt iudicium durare possit, & quod finis meritorum sit quies æuiternaliter, & finis culparū labor, qui finis est vacuitas virtutum & primarum formarum realium, quæ æuiternaliter se habebunt ad suum centrum, & nunquam illud attingent nec habebunt.

De Branchis arboris æuiternalis.

Duobus modis consideramus branchas arboris æuiternalis, vno modo intelligimus paradisum, alio modo intelligimus infernum. Et paradisum intelligimus in cœlo empireo quod est supra firmamentum, quod est luce plenum, de qua luce induta erunt corpora glorificata, quæ tantum lucebunt, sicut est illa lux & plus etiam, quam est lux solis, quæ plus lucet in sole quam in luna, & sic erit lux de luce. Et illa lux æuiternaliter durabit & maior erit in quibusdam corporibus, quam in aliis, secundum quod merita erunt maiora aut minora in hominibus iustis: quare sicut æuiternaliter erit lux de luce, ita erit paradisus æuiternaliter sanctorum secūdum eorum merita, & erit ad gloriam Dei ipsum recolendo, intelligēdo, amando & laudando, ipso benedicto dante se obiectiue ad æuiternam glorificationē per bonitatem bene, & per magnitudinem magnifice, & per durationem æuiternaliter, & per potestatem potenter, per intelligere intelligibiliter, per amorem amabiliter, per virtutem virtuosè, & per veritatem verè, & per gloriam gloriosè, & per finem complerè. Infernus erit secunda brancha arboris æuiternalis, & erit in abysso terræ, & in maiori contrario lucis & bonitatis, veritatis, finis gloriæ & amabilitatis. Et secundum quod culpæ erunt maiores, maiores erunt pœnæ, magnificè, malè, æuiternaliter, intelligibiliter, odibiliter & desperanter, & in vacuitate totius complementi. Et erit in inferno tantum æuiternalis, sicut brancha paradisi in cœlo empireo.

De Ramis arboris æuiternalis.

Duo sunt rami arboris æuiternalis, vnus est de brancha paradisi, alius est brancha inferni. Ramus paradisi multiplicatus est in tribus ramis. Vnus ramus est iustitiæ, alius verò gratiæ, alius est passionum. Ramus qui est iustitiæ est ille, qui reddit bonum pro bono, & magnum pro magno, & durabile pro durabili, & sic de aliis. Et ramus qui est per gratiam est ille qui dat plus de bono quam meritum habitum propter bonum, & magis de magno bono, & dat per durationem æuiternalem durationem, & sic de

sic de aliis formis quæ dona multiplicant sine quibus Sancti acquirere non possent gloriam æuiternalem. Tertius ramus est passionum, videlicet retributionum in gloria receptarum. In gloria iustè pet iustitiam, & æuiternaliter per gratiam, quas remunerationes Sancti recipiunt ex supremo iudice liberali fine omnium complementorum. Ramus infernalis multiplicatus est in duobus ramis, vnus est iustitiæ & alius est passionum. Ramus iustitiæ dat malum pro malo, & magnum malum pœnæ pro magno malo culpæ, & dat malum æuiternale, vt æuiternaliter punire possit peccatores, qui contra æternitatem errauerunt, quæ infinita est in duratione, & quę suâ similitudinem producit in æuiternitate cum magnitudine bonitatis in bonis, & cum magnitudine mali in malis, & cum magnitudine durationis in bonis, & cum magnitudine durationis in malis, quæ magnitudo durationis est æuiternitas, quæ est aliqua similitudo in duratione æternitatis, inquantum est sine fine. Quam æuiternitatem oportet esse de necessitate, vt æternitas producere possit in tantum suam similitudinem, sicut diuina bonitas in bonitate & diuina magnitudo in magnitudine, & sic de aliis.

De Foliis arboris æuiternalis. Et primo de quantitate.

ÆVETERNITAS ita est quantitate: sicut linea quæ esset in principio terminata & non in fine: sicut in forma ignis, qui virtutem habet multiplicatiuam, secundum quod materia combustibilis & calefactibilis sufficere possit, quoniam ignis semper cresceret & duraret in comburendo, si lignum esset semper multiplicatum. Est ergo quantitas æuiternitatis in tępore incepta ratione meritorũ & culparũ, quæ in tẽpore principium habuerũt, & nõ est terminata in fine, qa merces iustorũ durat, & pœna iniustorũ, & virt⁹ iustificatiuitatis iudicis superioris: hãc virturẽ non habet ignis, quoniã nõ potest facere durare lignum in sua virtute, quia est contra lignum quod comburit, sed iustificatiuitas superior durare facit in sua virtute iustificabilitatem iustorum in continua quantitate æuiternali, quia cum illis habet concordantiam in magnitudine bonitatis, & æternitatis, & durare facit punibilitatem iniustorum, quia iudicare suum concordantiam habet cum magnitudine bonitatis, æternitatis, &c. Sicut continua quantitas bonitatis sustentata est in quantitatibus discretis, quæ sunt de essentia continuæ, videlicet bonificatiui, bonificabilis, & bonificare, qui sunt de essentia bonitatis, ita quantitas continua æuiternitatis discretas habet quantitates, in quibus est sustentata, videlicet quantitates hominum & Angelorum, in quibus est sustentata æuiterna quantitas continua gloriabilitatis, in gloriosis, & tormentabilitatis in damnatis, ratione cuius sustentationis oportet quod sint quantitates discretæ æuiternabiles, vt continua quantitas æuiternalis habere possit subiecta æuiternalia, in quibus sustentari possit: sicut magnitudo bonitatis, cuius quantitas continua necessitatem habet, quod discretas habeat quantitates, in quibus possit sustentari, vt essentia bonitatis sit durabilis.

De Qualitatibus arboris Aeuiternalis.

QValitates arboris æuiternalis sunt similitudines acquisitæ, & similitudines formarum realium in bonis,

& dissimilitudines formarum realium in malis: sicut Beatus Petrus qui bonus est per bonitatem iustitiæ, & Iudas qui malus est per malitiam perditionis. Bonitas sancti Petri est qualitas appropriata per iustitiam, & malitia Iudę est qualitas contra bonitatem appropriata per traditionem, quæ fuit, quando tradidit Dominum Iesum Christum, & istæ qualitates appropriatæ sunt æuiternaliter appropriatæ: quoniam sicut igni est appropriata siccitas, vt cum illa aërem mortificet & compellat ad recipiendum suum calorem, sine qua siccitate ignis aërem calefacere non posset, quoniam sua magna simplicitas compositionem illius, & ignis vitaret: ita oportet quod Beato Petro sit appropriata qualitas bonitatis in æuiternitate, vt merces durare possit, quam Beatus Petrus acquisiuit cum iustificatiuitate, cui oportet quod respōdeat superior iustificatiuitas quæ causat suam similitudinem in æuiternitate, quam causare non posset si qualitas acquisita per sanctum Petrum non esset appropriata in æuiternitate: & maior esset causabilitas inferior quam causatiuitas superior, quod est impossibile: oportet ergo quod bonificatiuitas beati Petri sit qualitas æuiterna, & idem est de qualitate Iudæ, quam per traditionem acquisiuit, & quæ est malefactibilitas: vt superior punitiuitas subiectum habeat æuiternum, quod non haberet, si malefactibilitas in priuationem deueniret, & foret maior in dispositione & ordine punibilitas quam iustificatiuitas superior, & hoc est impossibile. Deus creauit sanctum Michaëlem, & ipsum creauit in tempore, quoniam sine tempore nulla creatura creata potest esse, quod si creata foret sine tempore, non esset principiata, & sine principio creatura esse non posset, cum ita sit, quod creatura sit res producta de nihilo. Et quia sanctus Michaël creatus fuit in tempore, & in illo tempore se liberè conuertit ad recolendum, intelligendum & amandum Deum, cum tota magnitudine suæ bonitatis, durationis, memoriæ, intellectus, & voluntatis, virtutis, & veritatis, fuerunt ei qualitates appropriatæ in æuiternitate ratione totalitatis conuersionis. Et si fuissent appropriatæ extra æuiternitatem, non esset tota conuersio in actu: quoniam de ipsa aliquid remansisset in potentia, ratione cuius deliberationem habere posset ad odiendum Deum, ignorandum, & obliuiscendum: quia sicut Sol, ita citò sicut Deus ipsum creauerit, se totum conuertit in motum circularem, & luce totus fuit illuminatus sine aliqua obscuritate, ita beatus Michaël & multomelius (quia est substantia spiritualis) se totum conuertit ad recolendum, intelligendum, & amandum Deum, & in illo non remāsit aliqua possibilitas, ratione cuius Deum posset obliuisci, ignorare, nec odire. Idcirco oportuit, quod meritū acquisiuisset in æuiternitate, & idē est de magnitudine, duratione, & cæteris. Est ergo sanctus Michaël qualificatus, & qualitatibus æuiternalibus indutus, cum iuuamine tamen gratiæ superioris. Et idem sequitur de Lucifero per contrarium, qui totum se conuertit in malis qualitatibus contra bonas, in tantum quod in illo non remansit aliqua possibilitas, quomodo ad bonum se conuertere posset. Vnde sicut lapis qui cadit inferius per aërē, qui ratione suæ ponderositatis nullam habet possibilitatem ascendendi superius, ita Lucifer totus conuersus in malitiam nullam habet possibilitatem se conuertendi in bonam qualitatem. Idcirco

circo oportet, quod in eius mala qualitate sit æuiternitas.

De Relatione arboris Aeuiternalis.

SEcundum cursum naturalem durante substantia sẽper durat relatio formæ & materiæ, ita quod forma sit agens & materia patiens. Simili modo est de relationibus æuiternalibus, quoniam durante beato Petro bono per iustitiam, durant remuneratiuum, remunerabile,& remunerare in bonificare, in quo se habent relatiuæ ratione boni subiecti, quod est beatus Petrus. Et si relatio deficeret, iniuriatum esset subiecto, & in illo duraret relatio contrariorum, videlicet iniuriatiuum,& per bonitatem remunerabile,& bonificabile, & glorificabile. Et hoc est impossibile,quod huiusmodi duratio esset in æuiternitate, nec extra æuiternitatem, cum iustificatiuum supra sit in magnitudine bonitatis, æternitatis, &c. Est ergo relatio superior æuiterna inter iustificatiuum, iustificabile, & in bono remuneratiuum, remunerabile. Iudas Iscarioth fuit malus per malitiam, in qua malitia incepit relatio malificatiui, & malificabilis, in malificare, quod fuit peccare Iudæ,& subiectum relationis, vnde Iuda mortuo in malitia remansit subiectum relationis,videlicet peccare conuersum in malificare. Oportuit ergo quod post mortem Iudæ remansisset in æuiternare subiectum relationi punitiui, & punibilis sustentatæ in punire. Quicquid Deus creauit, creatum est propter finem supremum, vt creatum sit cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, & finis. Est ergo totus mundus creatus ratione supremæ recolibilitatis, intelligibilitatis, & amabilitatis. Oportet ergo quod creata quæ sunt memoratiuum, intellectiuum,& amatiuum,respondeant in æuiternitate supremis obiectabilitatibus, ita quod se habeant relatiuè in recolere, intelligere, & amare in æuiternare,sustentatis,sine quo deficerent obiectabilitates superiori magnitudini bonitatis creatarum obiectatiuitatum, quibus deficeret magnitudo finis, ratione cuius creatæ sunt, & sic esset contrarietas in relatione formarum actiuarum & passiuarum, quæ contrarietas impossibilis est. Oportet ergo quod concordantia sit in æuiternitate relationum, quæ sunt antedictæ. Et idem sequitur de relationibus contrariis: sicut Lucifer contrarius supremis obiectabilitatibus cum malo recolitiuo, intellectiuo, & amatiuo.

De Actionibus,& Passionibus arboris Aeuiternalis.

IN corpore beati Petri glorificati stabunt actiones, & passiones in concordantia sine contrarietate: sicut ignis qui calefaciet aërem, aquam, & terram, ita in naturali concordantia: sicut est concordantia formæ, & materiæ, quæ se habent ad constituendum substantiam, in qua quiescunt. Idcirco actio & passio quæ erunt in corpore beati Petri, erunt sine corruptione,& generatione, & erunt ita æuiternæ sicut circulus, qui est sine discreta quantitate. Et idem erit de actionibus, & passionibus spiritualibus in iustis:sicut voluntas beati Petri,quæ æuiternaliter erit remunerata in sua amatiuitate, & amabilitate cum magnitudine bonitatis, & amare. Corpus Iudæ Iscarioth æuiternaliter erit infernatum & subiectum plurium a-

ctionum,& paſſionum cum contrarietate qualitatum ſine aliqua concordantia : ſicut ignis qui calefacit aërem, de qua calefactione aër habebit paſſionem, quoniam remota erit concordantia, quam habere ſolebant in hac vita. Item ignis calefaciet aquam, & aqua ignem infrigidabit, cum contrarietate amborum calore durante in igne & in aqua:& in igne, & aqua durabit frigiditas ratione iudicij, & ſui ſubiecti, & idem de contrarietate aliorum elementorum,& ſic in illis durare non poteſt concordantia, vt punitio ſit ſimplex, & durabit contrarietas in æuiternitate, vt iudicium ſubiectum habeat, in quo durare valeat. Et iſtud ſubiectum quod habet æuiternales actiones, & paſſiones non eſt generabile nec corruptibile. Quoniam ſicut lapis contra ſuam ponderoſitatem ſuperius aſcendit artificialiter, ita ſupra curſum naturalem durabunt in corporibus damnatorum contrarietates æuiternæ actionum, & paſſionum. Et idem erit in ſpiritualibus actionibus,& paſſionibus: ſicut voluntas Iudæ Iſcarioth,quæ paſſionem habebit in amando & in odiendo ratione actionis, quam ſuus intellectus habebit intelligendo, quod nunquam voluntas habebit hoc, quod deſiderabit,& æuiternaliter habebit hoc quod nolet. Et idem ſequitur de paſſione, quam intellectus habebit in hoc,quod voluntas volet,& odiet quietem cuius intellectus nolet, & priuationem finis illius diliget. Et iſtę actiones & paſſiones ſunt ita magnæ, quod cogitare nec narrare poſſet aliquis,

De Habitibus arboris Aeuiternalis.

HAbitus æuiterni ſunt duo ſecundum branchas arboris, videlicet quod quidam ſunt habitus, quos habent & habebunt ſancti de gloria: & alij ſunt, quos habent & habebunt damnati de triſtitia. Habent ſancti habitus lætitiæ,& damnati habent habitus triſtitiæ, ſicut beatus Petrus habet in habitu ita lætitiam, ſicut iuſtitiam & ſanctitatem: & ſicut Iudas Iſcarioth qui habet in habitu ita æuiternaliter triſtitiam, ſicut iniuriam & pœnam. Intelligere beati Petri habituatum eſt in æuiternitate, quam ita intelligit, ſicut intelligit ſuam intellectiuitatem, quæ intelligit intelligibilitatem æuiternitatis, & ipſam intelligit ſub habitu bonitatis gloriæ & charitatis. Et idem eſt de intelligere Iudæ, quod in contrarium habituatum eſt in æuiternitate ſua, intellectiuitate intelligente intelligibilitatem æuiternitatis ſub ratione malitiæ,pœnæ & odibilitatis, & idem ſequitur de habitu memoriæ. Et iſti habitus ſunt inſtrumenta, per quæ Sancti habent gloriam æuiternaliter,& damnati pœnam. Iudas habet habitum conſcientiæ & deſperantiæ cum habitu triſtitiæ, & cum habitu intelligentiæ æuiternæ,& memoriæ ſimiliter,intantum quod omnes habitus erunt ita appropriati æuiternitati, ſicut lux ſoli ſine corruptione lucis & ſubſtantiæ. Et iſte paſſus eſt valdè horribilis peccatoribus ad conſiderandum, & per contrarium eſt Sanctis valdè placens & delectabilis ſub ratione ſanctę conſiderationis habituatę de charitate,gloria,iuſtitia & bonitate.

De Aſſituatione arboris æuiternalis.

IN cœlo empireo ſunt Angeli ante Dominum Ieſum Chriſtum,ſecundum magnitudinem bonitatis,iuſtitiæ & charitatis aſſituati & ordinati, & idem eſt de ſanctis hominibus. Et huiuſmodi

iusmodi assituatio erit æuiterna. Et in inferno assituati sunt demones æuiternaliter, & idem erit de hominibus damnatis, qui stabunt ita assituati in igne quidam supra alios, sicut in montibus altis quidam lapides supra alios. Et idem erit de illis, qui stabunt assituati in aqua feruenti, sicut pisces in mari. Et huiusmodi assituatio erit realis, inquantum substantiæ ei subiectę, quæ erit æuiternaliter intellecta, ita necessario, sicut erit realis assituatio. Et iste passus est valdè horribilis & timibilis, quem homines sæpius considerare deberent, vt timorem haberēt, & peccatis resisterent.

De Tempore arboris æuiternalis.

QVando Deus creauit mundum, illum creauit cum magnitudine bonitatis, sapientiæ, voluntatis, & sua sapientia comprehendit certum numerum hominum creabilium. Et eius voluntas illam comprehensionem numeri dilexit, & bonitas ipsum numerum bonificauit. Fuerunt ergo homines creati sub certo numero præuiso, antequam creati fuissent per sapientiam Dei. Oportet ergo quod motus firmamenti qui est, vt sit generatio, & corruptio in inferioribus ad generandum & producendum corpora hominum, habeat finem & stationem, vltra quem finem non sit motus elementorum nec firmamenti. Erit ergo completa productio numeri hominum, in tantum quod non erit aliquis naturalis motus corporalis in firmamento nec in elementis. Idcirco tempus subiectum non habebit, in quo possit esse multiplicatio annorum & mensium, dierum, & horarum, & momentorum. Non erit ergo tempus in successione substantiarum motarum de vno tempore in aliud. Erit ergo tempus æuiternum sine motu. Piscis motus in aqua mouetur ex vno loco in alium: sed non de vna aqua in aliam, cum aqua vna sit in seipsa per essentiam, ita quod piscis de essentia aquæ nullam facit differentiam. Similimodo corpora glorificata in gloria mouebuntur in tempore de vno loco in alium, quolibet corpore se mouente ad suam voluntatem sub ratione bonitatis & placiti, ita quod in tempore non erit differentiare in se per aliquam successionem motus: quia hora, nec motus se non multiplicabunt de vno tempore in aliud. Erit ergo motus illorum in tempore æuiterno sine successione temporis: quamuis successio sit secundum motum loci, corpore Sancti se mouēte de oriente ad occidentem, & de occidente ad Cœlum empireum, & sic de aliis locis. Sicut motus glorificati corporis, non multiplicabit horam, neque momentum, diem, neque annum in tempore, ita obiectatio potentiarum quæ se habebunt ad glorificationem in recolendo, intelligendo, & amando, audiendo, & videndo non multiplicabunt horam, momentum, diem, neque annum in tempore, & successio erit de vno obiecto in aliud secundum magnitudinem bonitatis, gloriæ, & veritatis: sicut erit successio motus de quo dictum est. Et iste passus placens est ad considerandum, & in illo diuina gloria significatur esse æuiterna.

De Loco arboris æuiternalis.

SAncti gloriæ se mouebunt ad placitum de vno loco in alium, & in quocunque loco sint, gloriam habebūt, vt differētia vnius loci, & alterius gloriam non consumat æuiternam: quæ

quæ erit in Cœlo empireo, & etiam intra firmamentum, secundum quod Sancti placitum in motu habebunt. Vnde sicut motus corporis glorificati aliquam realitatem non ponit successiuam in tempore æuiterno, ita motus corporis glorificati aliquam realitatem successiuam non ponit glorificationis distinctè, per motum de vno loco in alium, vt duritia locorum quæ est, vt possit esse motus corporum glorificatorum æuiternam gloriam non consumat. Et iste passus subtilis est ad intelligendum. Locus damnatorum est infernus, qui est æuiternus, & vno corpore damnati moto de vno loco in alium, in quocumque sit motum: habebit pœnam: sicut piscis in mari, qui mouetur de vno loco in alium, semper cum aqua participat, ita quod mutatio vnius loci in alium piscem ab aqua non diuidit, neque aquam à pisce. Idcirco locus inferni erit subiectum æuiterno tormento, ita, quod corpus damnatum stabit ita fixè in igne, sicut lapis in annulo, aut aries in firmamento, siue illud corpus sit motum per flammam ignis, aut per aquam de vno loco in alium.

De Floribus arboris Aeuiternalis.

FLORES arboris æuiternalis sunt gloriationes æternæ: sicut gloriatio, bonificare, durare, possificare, intelligere, amare, virtuificare, omnibus istis ornatis glorificari & indutis.

De Glorificatione bonificare.

GLoriatio quæ est de bonificare in æuiternare erit in Sanctis sub ratione bonitatis, existente bonitate ratione bonificare, & gloria gloriari illud bonificare, ita videlicet quod bonificatiuum, bonificabile, & bonificare erunt plena gloriari, & essentia bonitatis similiter, cum ita sit, quod eius complementum sunt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, quod complementum habebit in æuiternate. Gloriari quod est de bonificare, iuuabit magnificare, vt sit magnum, quod siquidem magnificare erit extensum per totum bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, quod siquidem magnificare non posset esse extensum sine extensione gloriari & æuiternare: quoniam si deficeret æuiternare & gloriari, in illo esset minorificare; & non posset esse magnificare quod cum maiorificare habet concordantiam. Gloriari quod est de bonificare, iuuat durare, quod se extendit in bonificatiuum, bonificabile, & bonificare cum gloriari, vt sint in æuiternitate: quoniam in quantum bonificatiuum durat, oportet quod durent bonificabile, & bonificare, & è conuerso. Et per hanc durationem gloriari durat: quoniam magna gloria est bonificatiui, quod in æuiternare, & gloriari habere possit suum bonificabile, & bonificare, & idem est de magnitudine gloriæ in bonificabile, & bonificare. Gloriari quod est de bonificare, iuuat possificare in quantum bonificatiuum potest esse bonificans; & bonificabilis potest esse in æuiternare, & idem est de bonificare, quod potest esse in æuiternare, & ex ambobus posse potest esse bonificare, & ex bonificare, & possificate quæ sunt in æuiternate, sequitur æternum gloriari: idcirco remanent in æuiternitate productum bonificatum, bonificabile, gloriatum, & gloriabile. Et iste passus est placens ad considerandum. Intelligere iuuat gloriari, quod est de bonificare, quoniam in-

tellectus

tellectus ſancti intelliger in ſua bonitate æuiternaliter gloriatum, bonificantem, bonificabilem, & bonificare, de quo intelligere ſequetur gloriari in ſuo intelligere. Et ex gloriari quod erit in intelligere æuiternaliter accipietur lumen ex bonificare intellectum in gloriari, & in æuiternare. Et iſte paſſus ſubtilis eſt ad intelligendum. Amare iuuabit gloriati, quod eſt de bonificare: quoniam voluntas beati volet, quod in ſua bonitate ſint æuiternaliter bonificans, bonificabile, & bonificate, & ita erit ſicut volet. Et quia in bonitate ſequetur hoc quod voluntas volet, ſequetur in ſuo amare gloriari, de quo gloriari erit intellectui lumen in bonificare. Et ſic erunt duo lumina æuiternaliter in gloriari vno lumine ab alio lumine accepto. Et iſte paſſus eſt valde placens ad conſiderandum. Virtuificare iuuabit gloriari, quod eſt de bonificare: quoniam virtutis bonitas æuiternaliter ſtabit in eſſentialibus concretis bonitatis: vnde ſequetur in bonificare æuiternum gloriari, quoniam magna gloria bonitatis erit, quod æuiternaliter habeat in ſe virtuoſum bonificans, virtuoſum bonificabile, & virtuoſum bonificare. Verificare iuuabit gloriari, quod erit de bonificare: quoniam veritas Dei ponet in vero æuiternaliter bonificans, bonificabile & bonificare bonitatis. Et ex hoc ſequetur gloriari in bonificare, quoniã magna gloria erit bonitati, quod æuiternaliter, & verè ſint ſua concreta in verificare bonificantis, bonificabilis & bonificare. Secundum quod oſtenſum eſt, quomodo florem bonitatis iuuant alij flores, data eſt doctrina, quomodo vnus flos iuuat ad habendũ gloriari in æuiternare: ſicut gloriari quod erit de magnificare, cui iuuat flos bonitatis, inquantum ipſum bonum facit: & idem eſt de duratione, inquantum ipſum durare facit, & ſic de poteſtate, inquantum poteſt per ipſam poteſtatem. Et ſicut de bonitate exempla poſuimus, ſic de aliis exẽplã poni poſſunt. In arbore æuiternali ſunt flores, qui ſunt contrarij illis floribus, de quibus dictum eſt. Qui ſiquidem flores contrarij ſunt æuiternalia tormenta in damnatis ſuſtentata, ſicut tormentare reale, bonitatis, magnitudinis, poteſtatis, intellectus, voluntatis, virtutis, & veritatis, quæ ſunt reales partes & naturales ſubſtantiæ damnati. Et iſti flores inuicem tormentare iuuant, vt tormentum ſit magnum.

De Tormento quod eſt ipſius amare.

TORMENTVM quod eſt de amare, iuuabit malificare, vt amare ſit malum intantum quod malitia ſe extendet in amatiuũ, amabile & amare voluntatis, vt amatiuus, amabilis, & amare ſint mali. Malus erit amatiuus, inquantũ malũ amabit, & amabit hoc ꝙ habere nõ poteſt, & odiet hoc quod æuiternaliter habebit. Et ſuum amabile erit malum, quoniam amabile quod amabit de ſui natura erit odibile. Idcirco amare erit malum productum ex amante & amabili in æuiternare & tormentare, quoniam magnum tormentum erit de amante, amabili & amare æuiternaliter exiſtentibus in malificare. Magnitudo iuuabit tormẽtare, quod erit de amare, quoniam amatiuum erit magnum in amare iniurioſa & magna, & in odiendo magna digna ad amandum. Idcirco magnum erit tormentum ipſius amare in æuiternare, in quo odiet Deum, qui eſt obiectum magis amabile, & maius in inamabilitate bonitatis, æternitatis,

infinitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, gloriæ, & veritatis. Durare iuuabit tormentum, quod erit de amare, inquantum ipsum existere facit in æuiternare contra amatiuum, & amabile, quæ ex illo amare tormentare habebunt in æuiternare extensũ ex ambobus. Et iste passus grauis est ad cogitãdum, veruntamen spiritualem sanitatẽ habere possunt peccatores, si bene ipsum passum considerare volunt. Potestas iuuabit tormentare, quod erit de amare, inquantum existere poterit in æuiternare contra amatiuum amabile & odibile, & amatiuum amabile & odibile existere possunt contra amare, & amatiuum contra amabile, & amabile contra ipsum, & idẽ est de odibili. Et hæc contrarietas stare poterit per potestatem, vt amare possit esse in magno tormentare. Intellectus damnati iuuabit tormentare, quod erit de amare: quoniam intellectus intelliget, quod voluntas æuiternaliter voluerit, quod non habebit, & hoc quod odiet habebit, quod intelligere quod intellectus æuiternaliter habebit, voluntas æuiternaliter odiet & blasphemabit. Erit ergo amare tormentatum per hoc quod intellectus intelliget. Quoniam si intellectus æuiternaliter tormentum voluntatis non intelligeret, voluntas in suo amare habere posset aliquam quietem, & aliquam spem de hoc, quod desideraret. Sed quietem nec spem habere potest, postquam intellectus verè intelligit & æuiternaliter tormentum ipsius amare, de quo tormentatur voluntas ita fortiter, quod non est aliquis in hac vita, qui cogitare posset, narrare vel scribere: nec etiam omnes homines qui viuunt, inuicem cogitare possent, posito quod ex omnibus multiplicaretur vna cogitatio, quæ illud tormentum cogitaret. Quoniam huiusmodi cogitatio stare non posset in æuiternare, in quo erit illud tormentum, quod erit de amare hominis peccatoris damnati. Et iste passus ducit tristitiam hominibus peccatoribus, si bene cogitare vellent. Virtus iuuabit tormentare, quod erit de amare, inquantum erit ratio vitio, quod est suum contrarium, sicut gustare hominis infirmi, quod est contra saporem pomi, quod ipse infirmus comedit in quo amaritudinem inuenit contra dulcem saporem, qui est in pomo. Erit ergo virtus realis occasio vitij moralis, quæ siquidem occasio tormentabit amare æuiternaliter, existente virtute occasio vitio in amante amabili & amare, per quam occasionem iustitia Dei tormentabit voluntatem peccatoris, qui contra virtutẽ suum habebit amare, & suum amans, & suum amabile. Realis veritas peccatoris iuuabit tormentare, quod erit in amare: quoniam verè ostendet intellectui delictum voluntatis, vnde nascetur conscientia, de qua erit odire extensum: quoniam voluntas odiet illam conscientiam, quam monstrabit veritas intellectui, quam deamabit, quia ei dabit tormentum. Et appetitum habebit ad ignorandum illam conscientiam, & ad intelligendum contrarium illius, quod veritas ei monstrabit, quod esse non potest. Idcirco tormentabitur in æuiternitate. Et si ignorare posset conscientiam, aliquod refrigerium tunc haberet in suo intelligere, in quo similiter illud haberet amare voluntatis, quod erit in tormento: quia intellectus ignorare non potest manifestationem, quam dabit voluntas de conscientia. Erit ergo tormentatum amare in verificare & in intelligere, quæ siquidem verificare & intelligere deamabit voluntas, vnde inclinabit veritatem

titatem realem ad habendum appetitum ad falsificandum contra suum verificare: sicut intellectus qui appetitum habebit ad ignorandum contra suum intelligere. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo quædam formæ tormentabunt alias eorum actibus floribus appellatis tormentorum æuiternorum, quæ homines peccatores valdè timerent, si ipsa considerarẽt secundum doctrinam, quam de ipsis dedimus in hac arbore.

De Fructu arboris æuiternalis.

FRuctus arboris æuiternalis sunt complementa finium partium realium, ex quibus sunt substantiæ Sanctorum. Sicut est fructus bonitatis, & fructus magnitudinis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, gloriæ, & veritatis. Et fructus damnatorum sunt priuationes fructuum saluatorum: sicut priuatio finis bonitatis, & finis magnitudinis, & finis durationis, & sic de aliis priuationibus. Et omnes isti fructus, & fructus saluatorum sunt æuiterni, ita in æuiternitate constitui, sicut fructus arborum, qui in æstate colliguntur. Et isti fructus æuiterni, ita sunt in hac vita seminati, sicut fructus plantarum qui in hyeme seminantur, vt in æstate ex eis alius fructus colligatur & multiplicetur, quæ collectio & multiplicatio significant collectionem & multiplicationem fructuum æuiternorum.

De Fructu bonitatis.

FRuctus bonitatis consistit in complemento bonificatiui, bonificabilis & bonificare, quod siquidem complementum esse non posset, sine æuiternitate: quoniam si actus bonitatis in priuationem deueniret, non posset esse complementum bonificatiui, bonificabilis & bonificare: est ergo collectus fructus in æuiternitate, in quo non sit cessatio, nec ociositas bonificatiui, bonificabilis & bonificare. Fructus magnitudinis est complementum magnificatiui, magnificabilis & magnificare, videlicet vt magnificatiuum semper sit magnum in magnificando magna. Et idem de magnificabili, magnificato in magno magnificare, quod siquidem magnificare sit ita magnum; quod in se non contineat aliquam vmbram paruitatis, quod si contineret, non posset esse complementum magnificatiui, magnificabilis, & magnificare. Oportet ergo, quod sit complementum eorum in æuiternitate, & quod in illa colligatur, intantum quod nullo tempore in magnificare sit vmbra minorificandi, nec paruitatis. Fructus durationis non potest esse collectus in priuatione suiipsius, nec sui durificatiui, durificabilis, nec sui durificare: oportet ergo quod colligatur in fine omnium trium suorum concretorum & suimet. Hęc collectio esse non potest de duratione partiali substantiæ gloriatæ, nisi in æuiternitate, in qua finis substãtię glorificatę colligatur & sustineatur: sicut color in substantia, & calor in igne, & lux in sole. Fructus potestatis est quod æuiternaliter habere possit in seipsa realia concreta, & quod ipsa sit ratio, quod bonitas possit esse, & magnitudo similiter: & sic de aliis partibus substantiæ glorificatę. Etiam quod per ipsam quęlibet primarum partium in seipsa habere possit essentialia concreta: sicut bonitas, quæ per rationem potestatis habere potest in seipsa essentialia bonificatiuum, bonificabile, & bonificare. Colligitur ergo fructus potestatis

in ęuiternitate, extra quam colligi non posset: quoniam extra æuiternitatem nullus finis creatus posset habere complementum: cum ita sit, quod omnis finis creatus, qui non colligitur in æuiternitate, deueniat in defectu: sicut finis equi, gruis, piscis, pometij, & auri, quæ in æuiternitate transitum non habent: cum ita sit, quod omnes in corruptionem deueniant, & non in resuscitationem. Finis sapientiæ in æuiternitate colligitur, in qua colligitur & æuiternaliter colligetur: sicut fructus sapientiæ, qui consistit in intelligente, intellecto, & intelligibile: inquantum intelligitur & colligitur. Et inquantum est intelligibilitas Dei in æuiternitate, colligetur fructus in æuiternitate, in qua intellectiuus creatus æuiternaliter Deum intelliget facie ad faciem, vt iam dictum est in arbore angelicali. Et ille qui fructum colliget, erit intellectiuus, & ipsum colliger in suo proprio intelligere. Et sic colligetur fructus in omnibus tribus, & remanebit ad colligendum in obiecto, & sic erit complementum in intellectu sine aliquo defectu sine ociositate & cessatione. Fructus voluntatis colligetur in æuiternitate, in qua æuiternaliter colligetur. Idcirco suum colligere duas conditiones requirit, vna est, quod colligetur completè sine aliquo defectu, & quod amatiuum colligat in seipso, & in suo proprio amabili & amare. Alia conditio est, quod fructus æuiternaliter sit ad colligendum, vt amatiuum colligere non cesset, quod si cessaret in colligendo, cessaret amare, & fructus esset collectus & non colligendus, & esset possessus in ociositate sine amare. Et sic non esset collectus, in maioritate finis amatiui, amabilis & amare. Oportet ergo quod remaneat ad colligendum. Et istę duæ conditiones quas diximus significant conditiones æuiternitatis, & gloriam sanctorum, quam habebunt in colligendo obiectum in amando ipsum, quod siquidem obiectum est Deus benedictus, qui amabilis remanet amatiuo creato in æuiternitate, ita completè, sicut in illa remanet amatus. Et nobilitas quam habet iste fructus ita collectus & colligendus, non posset ab aliquo viuente cogitari. Fructus virtutis in suo merito colligetur, & cum æuiternitate colligetur: sicut amatiuus qui æuiternaliter erit virtuosus in amando virtuosum amatum & amabilem, ex quibus exibit virtuosum amare in æuiternare sine cessare. Huiusmodi fructum ita colligendum & collectum est bonum desiderare, & omnes fructus corporales huius vite parum appreciate qui colligi non possunt cum nimio potare & comedere, nec in viuendo cum delectationibus & honoribus. Veritas suum fructum colliget in suo fine cum æuiternare, veritate creata attingente veritatem increatam in generando & spirando, vt dictum est in arbore apostolicali, & dicendũ est in arbore diuinali. Et sic colligetur fructus verificare in verificate & veritatis in veritate. Et ipsum colliget verificatiuum ex verificante, & verificabile ex verificabili. Quare fructus colligetur in ita magna veritate, & de ita magna veritate quod illi collectioni necessaria erit æuiternitas, sine qua non posset esse magna collectio, & maturatio fructus, & separatio falsitatis. Materialiter in flamma ignis vnum lumen colligitur ex alio lumine, sicut vnus cereus incensus ex alio cereo incenso, & colligitur in luce, calore, & in conditionibus luminis, de quo colligitur & incenditur. Et hæc materialis collectio est figura, & significatio

ficatio collectioni fructus gloriosi, qui in æuiternitate colligetur: sicut lumen ex lumine, etiam in nobiliori conditione, & tanto nobiliori, quanto fructus spiritualis est nobilior lumine materiali. Erit ergo finis gloriosi sancti collectus ex gloria in gloria æuiternaliter, & gloriosè, & sine aliquo tormento, & cum conditionibus quę spectant ad valde completam gloriam. Secundum modum quem dedimus de fructibus, quos colligent æuiternaliter beati, haberi potest cognitio de modo, secundum quem æuiternaliter damnati colligent. Veruntamen quia bonum est considerare sæpius pœnas infernales, æuiternales, breuiter significare volumus collectiones æuiternorum tormentorum.

De Fructu malitiæ.

FRuctus malitiæ est priuatio bonitatis: sicut in voluntate damnati, in qua bonitas realis, & naturalis est vna de suis partibus, ratione cuius naturaliter amatiuum, amabile, & amare, quæ sunt essentialia concreta voluntatis, requirunt esse bona: quoniam ad bonum finem creata fuerunt. Idcirco habent in natura secundum creationem, quod sint bona. Sed quia bonitas suum finem perdidit, concreta voluntatis, & bonitatis artificialis remanent vacua, ad quem quidem finem se habent æuiternaliter, & nullo tempore ipsum attingent: quoniam ad illum finem se habebunt cum malitia artificiali, & hoc ita simpliciter, quod in malitia artificiali non est aliquid de bonitate artificiali, imo sunt ita contrariæ, & multo magis quam bonitas naturalis, & malitia artificialis: sicut calor & frigiditas, albedo, & nigredo. Idcirco bonitas naturalis tota erit plena malitia artificiali in pœna æuiterna, quam quidem pœnam æuiternam colligent amatiuum, amabile, quæ sunt concreta voluntatis. Et quia colligentur in æuiternitate, tormenta cuiuslibet remanebunt ad colligendum in æuiternate, cum amare & odire. Secundum tormentum collectionis fructus spiritualis significatur collectio fructus corporalis in tormento æuiterno: sicut corpus damnati in igne tormentatum, ita quod ignis ignē tormentabit, & aqua aquam, & aër aërem, & terra terram, & ignis tormentabit aërem, aquam, & terram, & è conuerso, ita quod tormentum nullo tempore finem habebit, medium, nec principium, quia tormentum erit æuiternaliter. Erit ergo ignis partialis, qui erit pars corporis tormentati per ignem exteriorem: sicut ignis partialis ferri in fornace, qui per ignem fornacis multiplicatus est in calore. Erit ergo ignis intra damnatum partialis per generalem ignem, qui erit extra tormentatus, & idem erit de aliis partibus partialibus, quæ omnes erunt in contrarietate & vacuæ concordantia & fine illarum. Et hoc erit mirabile, quod ignis erit contra ignem, & vniuersale contra particulare suum. De hac pœna ita magna plus narrare nolo: quoniam modicum est illud, quod dicere possem secundum respectum magnitudinis pœnæ, quæ est in æuiternate, quæ colligetur in corpore materialiter, & in anima spiritualiter, & quæ colligetur in anima per corpus, inquantum corpus quod plenum finibus ad animam venit ratione gloriationis, ad animam venit vacuum finibus cum tormentis. Et in hoc passu cognoscitur ignis materialis, per quem anima habet tormentum, in corpore cum illa coniuncto.

De Arbore Maternali.

SVMMARIVM.

ARBOR maternalis versatur circa Dominam nostram virginem Mariam. Et diuiditur vt aliæ arbores in septē partes: scilicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt fines hominum recreatorum.

Truncus est habitus plurium tactuum.

Branchæ sunt duæ, scilicet natura diuina, & natura humana.


Rami sunt spes, pietas, aduocatio, &c.

Folia sunt nouem accidentia generalia.

Flores sunt actus dignitatum Dominæ nostræ.

Fructus est Dominus Iesus Christus.

De Arbore



De Arbore maternali.

HANC arborem attribuimus Dominæ nostræ sanctæ Mariæ matri iustorum & peccatorum, idcirco eam appellamus arborem maternalem. Et ipsam diuidimus in septem partes, sicut alias arbores.

De Radicibus arboris maternalis.

RAdices arboris maternalis sunt plures, inter quas sunt fines hominum recreatorum, qui perditi erant ratione peccati originalis, qui erant restaurati per mortem Iesu Christi, per quam originale peccatum fuit consummatum, vt supra in arbore apostolicali dictum est. Adam & eius sequaces

ſequaces creati ſunt ad gloriam,& propter originale peccatum ab illa gloria fuerunt deuiati: ſed filio Dei placuit humanam carnem aſſumere,& fuit filius Deus homo Dominæ noſtræ, vt Adam & ſuos conſequentes reſtitueret ad finem,ad quem eos creauit. Idcirco Domina noſtra Mater eſt finis illorum. Mater eſt inquantum materia, quoniam filius Dei ex ipſa carnem humanam aſſumpſit, vt primorum hominum fines in primo ſtatu reſtitueret. Idcirco Domina noſtra eſt mater finis Adam, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſis,beati Petri & Pauli etiam omnium mundatorum ab originali peccato, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium ſuum. Finis hominis eſt recolere, intelligere, & amare, Deum honorare,laudare, benedicere, & ei ſeruire, & in illo habere gloriam æuiternam.Eſt ergo finis hominis valdè magnus in bonitate, magnitudine, & in aliis formis primis. Et quia plures homines ſunt recreati, eſt Domina noſtra Mater plurium finium,qui ſunt radices ſuæ maternitatis. Et in qualibet radice hominis eſt Domina noſtra Mater plurium finium: ſicut eſt in radice Adam, in quo ſunt plures fines partiales:ſicut finis ſuæ bonitatis & finis ſuæ magnitudinis,& ſic de aliis finibus corporalibus & ſpiritualibus.Eſt ergo magna maternitas Dominæ noſtræ, poſtquā fines ſint tot & tanti in tot & tantis hominibus, quare talis mater ita nobis & ita magna digna eſt, quod diligatur, recolatur, laudetur, intelligatur,honoretur, & ei ſeruiatur. Secundum quod dictum eſt in pluribus locis, homo eſt finis omnium rerum corporalium,quarum finis perditus fuit per peccatum originale,& eius perditio fuit in deuiatione finis hominum. Et quia finis hominum ad primum ſtatum rediit per recreationem factam per filium Dominæ noſtræ redierunt fines corporum cœleſtium, & omnium elementorum, & elementatorum, per illam recreationem ad finem, quare creati fuerunt. Eſt ergo Domina noſtra Mater omnium finium illorum:quoniam ſi ipſa non eſſet,nullus finium illorum rediiſſet, nec rediret ad primum ſtatum,& Sol & Luna, ſtellæ, & ignis, & alia elementa, pomerium,& aliæ plantæ,ferrum, & alia metalla, equus, & alia animalia ſeruirent homini fruſtra,inquantum homo foret peccator,& ſuo Creatori inobediens. Idcirco fines illorum perditi fuerant, qui ſunt, vt ſeruiant homini iuſto, amico,& ſeruitori Dei.Sed quia Domina noſtra eſt Mater recreationis materialiter,eſt Mater omnium illorū finium,qui ſunt ad ſeruiendum homini. Eſt ergo Domina noſtra mater magnæ maternitatis,ſecūdum quod fines ſunt plures & magnæ neceſſitatis,vtilitatis & virtutis.

De Trunco Arboris maternalis.

TRVNCVS arboris maternalis eſt maternitas radicum, vt dictum eſt. Et eſt truncus conſtitutus ex pluribus,inquantum eſt habitus generalis, ratione cuius omnes fines corporales redire poſſunt ad priſtinum ſtatum. Idcirco cum Domina noſtra ab aliquo fine particulari tāgitur truncus qui vniuerſalis eſt, reſpondet illi tactui particulari,ſicut totum quod reſpondet ſuis partibus.Eſt ergo truncus habitus pluriū tactuū & reſponſionum, quæ ſunt naturales ſecundum naturam tactuum:ſicut Martinus qui vt filius ſpei tangit Dominam noſtrā, reſpondet ei Domina noſtra, vt mater ſpei. Et ſi ipſam tangat cum pietate, reſpon

respondet ei Domina nostra, vt mater pietatis, & sic de aliis formis. Quare ratione naturæ tactuum & responsionum peccatores inueniunt in Domina nostra in suis necessitatibus iuuamina & restaurationes. Huiusmodi namque truncus qui tantum generalis est ad tantos & tot tactus, & qui incontinenti ad omnes cum complemento respondet, valde chare teneri debet & deberet, ipsum diligendo, recolẽdo, intelligendo, honorando, & ei seruiendo. Est etiam magis generalis in magnitudine bonitatis, potestatis, & virtutum, quam splendor solis, vel calor ignis: quoniam neque sol, neque ignis, respondet tactui, spei, & pietatis, charitatis, misericordiæ, & veniæ, quibus respondet maternitas Dominę nostræ. Et propter hoc Christiani malefaciunt, qui nobilitatem talis trunci non ostendunt infidelibus, qui in Domina nostra spem non habent nec cognitionem de sua bonitate, immò negant & vilipendunt & discredunt virtutem excellentem & nobilitatem, in quibus ipsam Deus posuit vt mater omnium corporalium creaturaum, inquantum suus filius cum ipsa omnes corporales creaturas (vt dictum est) sua benignitate recreauit.

De Branchis arboris maternalis.

BRANCHÆ arboris maternalis sunt duæ, videlicet natura diuina Iesu Christi, & natura humana. Et Domina nostra mater est illarum brancharum inquantum exierunt in filiatione quæ in ipsa facta fuit ex ambabus prędictis naturis, quæ siquidem filiatio est Filius Deus homo, qui est Filius Deus per Deitatem, & Filius homo per humanitatem: & quia ambæ filiationes coniunctæ sunt in vno Filio, maternitas Dominæ nostræ attingit ambas branchas natas ex ipsa, in hoc quod vnus Filius Deus homo ex ipsa natus est. Exijt de Domina nostra brancha humana cum brancha diuina, quæ ipsam generauit ex carne & sanguine Dominę nostræ, & ipsam generauit cum conceptione Dominæ nostræ, quæ generationi cõsentiit. Idcirco Domina nostra mater est in incarnatione materialiter quantum ad corpus Domini nostri Iesu Christi, quæ materia fuit corporalis, & formaliter fuit mater, inquantum dilexit & credidit conceptionem, & ita fuit mater corporaliter & specialiter, & materialiter, & formaliter. Fuit etiam mater per formam superiorem diuinam, quæ mouit suam conceptionem spiritualem & materiam corporalem ad filiationem. Exiuerunt ergo branchæ ex Domina nostra in magna filiatione magnæ maternitatis, & ita magnæ in magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, & veritatis, quæ non potest nec potuit esse maior per Deitatem in humanitate, nec per humanitatem in Deitate, nec per creatorem in creatura. Idcirco magnitudo brancharum correspõdet magnitudini maternitatis, & magnitudo maternitatis eis correspondet intantum quòd responsio maior esse non potest. Magnæ arbores magnas habent branchas, & secundum quod branchę sunt magnę, vmbræ quas faciunt, sunt magnæ: in quibus se obumbrant homines quando fit magnus calor. Obumbrant se ergo homines quotquot nati sunt & nascentur, qui sunt in statu saluationis, sub branchis maternitatis inquantum defenduntur à pœna, quæ cecidit in humana specie ratione originalis peccati. Sit ergo truncus laudatus,

& benedictus, à quo ita magnæ branchæ exeunt, ſub quarum vmbra tot & tanti homines quieſcunt.

De Ramis arboris maternalis.

Miſericordia, ſpes, pietas, aduocatio, humilitas, & virginitas, ſunt rami arboris maternalis. Miſericordia ramus eſt arboris maternalis, in quantum peccatores miſericordiam inueniunt per Dominam noſtram in ſuo filio qui peccata remittit: quia Domina noſtra mater eſt miſericordiæ, in quantum ſuus Filius Deus homo eſt miſericordia. Vnde in quantum eſt magna miſericordia filij, & maternitas miſericordiæ, ſatisfacit miſericordia magnæ veniæ, gratiæ, & doni illis, qui miſericordiam quærunt. Domina noſtra eſt refugium peccatorum, & illorum, qui indigent habere virtutes & bona temporalia, & qui ſunt in tribulationibus, & periculis, & eſt refugium illorum, in quantum habent in ſeipſa ſpem, quod ipſos in neceſſitatibus ſuis iuuet: ſicut homo peccator qui eſt in peccato luxuriæ aut auaritiæ, aut in alio peccato, qui habet ſpem in Domina noſtra, quod eum iuuet ad habendum caſtitatem, charitatem, aut aliam virtutem, quam deſiderat. Idcirco ſpes quam Domina noſtra habet in ſuo filio, vt det peccatoribus hoc, quod ab ipſo petunt, ſpei peccatorum reſpondet, & ita ſibiinuicem ambæ ſpes reſpondent cum concordantia magnitudinis, bonitatis, virtutis, & charitatis, ratione cuius reſponſionis nullus fatigare ſe debet de Domina noſtra, ex quo in ipſa eſt ſpes: quoniam ſi ſe fatigaret, fatigaret ſe Domina noſtra in ſuo filio cum magnitudine ſpei, quod eſt impoſſibile: & idem de aliis, qui pauperes ſunt in bonis temporalibus, qui ſpem habent in Domina noſtra, vt eos iuuet ad viuendum, vt ſuo filio & ſibi ſeruire poſſint. Etiam bona fœmina, quæ filium ſuum habet infirmum ſpem habet in Domina noſtra, quod ipſum curet. Item marinarius, qui eſt in mari in periculo mortis, habet ſpem in Domina noſtra, vt ad bonum portum venire poſſit. Pietas quam Domina noſtra habet de peccatoribus, eſt vnus ramus arboris, & eſt magnus ramus: magnus eſt, in quantum habet magnam pietatem. Cum ita ſit, quod omnia opera Dominæ noſtræ ſint magna in magnitudine bonitatis, ſapientiæ, voluntatis, virtutis, & veritatis. Eſt etiam magnus ramus propter magnam neceſſitatem hominum, de quibus Domina noſtra pietatem habet, & qui quærunt à Domina noſtra auxiliũ per pietatem, & qui propter amorem ipſius pietatem habent, & ſic ambæ pietates ſibi inuicem correſpondent, videlicet pietas Dominæ noſtræ, & pietas hominum, ratione cuius reſponſionis peccatores attingunt per Dominam noſtram hoc, quod deſiderant. Item Angeli computant lachrymas quas faciunt homines tunc, cum rogant Dominam noſtram, quod de ipſis habeat pietatem. Aduocatio eſt ramus huius arboris, videlicet aduocatio quam Domina noſtra facit pro peccatoribus, cum ipſos punire vult iuſtitia filij ſui, & Domina noſtra aduocat cum miſericordia, ſpe, & pietate, & cum amore, quem habet in filio ſuo, & quem habet ad peccatores, & cum amore, quem illi habent ad illam, & ad ſuum filium, etiam cum contritione, quam habent de eorum peccatis, & cum confeſſione, quam faciunt, etiam cum ſatisfactione, quam promittunt, & cum pluribus aliis formis format Domina noſtra ſuam aduocatio

uocationem,& libellum, quem dat filio suo pro peccatoribus. Et iustitia filij se defendit accusando peccatores de magnis peccatis, quæ fecerunt contra Deitatem, quæ ipsos creauit, quæ fecerunt etiam contra humanitatem, quæ ipsos recreauit. Etiam secundum naturam iustitiæ, & iudicij: quoniam sic est naturale iustitiæ iudicare: sicut naturale est intellectui intelligere, & igni calefacere,& soli lucere. Sed quoniam filius homo, & Domina nostra sunt ad vnam partem aduocationis, iustitia Filij Dei ad preces filij hominis & suæ matris se defendere non potest. Est ergo bona aduocata talis, quæ dicit aduocando, quod ita naturale est misericordiæ misereri: sicut est iustitiæ iudicare,& punire, etiam plus inquantum per misericordiam sequitur magnitudo bonitatis in gloriando pœnitentes saluatos,& per iustitiam in puniendo sequitur magnitudo pœnæ in damnatis. Etiam Domina nostra dicit & allegat, quod contradicere non potest iustitia contra suam similitudinem, quæ est pœnitentia iusta, quam peccatores habent cum contritione, confessione, satisfactione, & cum spe aduocationis suæ. Humilitas & virginitas sunt rami arboris maternalis, videlicet humilitas Dominæ nostræ est ramus, in quantum est exemplum ad plures humilitates. Et est ramus sua virginitas in quantum exemplum est ad plures virginitates: quoniam plures homines, & plures fœminæ quia Domina nostra humilis fuit & virgo, habere volunt humilitatem, & virginitatem: sicut sunt homines,& fœminæ, qui diligunt religionem, vt habere possint habitum humilitatis in verbis, & in suis vestimentis, lectis, ædificiis,& cibariis. Et idem est de virginitate, cuius habitum in religione conseruát.

De Foliis arboris maternalis.

FOLIA arboris maternalis nouem accidentia generalia appellamus. Et primo de quantitate dicemus: quæ quidem quantitas respondet magnitudini bonitatis arboris maternalis: quoniam magnitudo bonitatis arboris maternalis extensa est cum quantitate in tantum: sicut est bonitas arboris, quæ quanta est per quantitatem. Vnde cum magnitudo se tantum extendat in bonitate, quod maternitas arboris melior est quam aliqua alia maternitas, vel quam omnes aliæ maternitates. Est ergo magna quantitas in bonitate supra omnes quantitates aliarum maternitatum: quoniam nulla alia maternitas filiationem habet, de qua sit Deus filius & homo: sed solummodo maternitas Dominæ nostræ. Etiam est quantitas maternitatis maior in bonitate quam omnes quantitates aliarum maternitatum, cum ita sit, quod omnes homines recreati & saluati sint filij Dominæ nostræ per recreationem: ratione cuius filiationis, & maternitatis æternaliter glorientur. Quæ quidem gloria est in ita magna quantitate durationis, quod non habet finem. Idcirco magnitudo bonitatis, potestatis, &c. quam habet quantitas continua & discreta, quæ est huius arboris maternalis ab aliquo viuente dici non posset nec scribi.

De Qualitatibus arboris maternalis.

BOnitas acquisita & data est qualitas maternitatis, & hoc est de magnitudine bonitatis, & de bonitate magnitudinis: & sic de aliis qualitatibus arboris. Sicut virtus maternitatis

quæ est ita magna sicut bonitas arboris, & quæ extensa est per omnes qualitates arboris. Et quamlibet istarum qualitatum arboris appropriauit Deus maternitati cum tanta magnitudine virtutis & bonitatis, quod ipsas facit matres per recreationem omnibus bonitatibus, & virtuosis qualitatibus hominum recreatorum, & saluatorum: sicut bonitas Sancti Petri & sua virtus, quæ sunt qualitates acquisitæ, & per gratiam Dei datæ, quæ sunt folia per recreationem qualitatum acquisitarum, & datarum ex arbore maternali. Et ideo correspondent qualitates arboris maternalis qualitatibus hominum saluatorũ: sicut qualitates generales, quæ respondent qualitatibus specialibus: sicut bonitas Dominæ nostræ quæ generalis est ad bonitates hominum saluatorum. Et in hoc passu cognoscitur, quod Domina nostra digna est omni laude, & quod multum laudetur, & ei seruiatur per suum populum, cum ita sit, quod ipsa sit ita bona, ita magna, & ita completa omnibus complementis quod ad eam spectat complere omnia complementa, quæ requirunt qualitates hominum saluatorum, recreatorum.

De Relationibus arboris maternalis.

MAter & filius relatiuè se habent in creaturis: quoniam si mater est, oportet quod sit filius, & si sit filius creatus, oportet quod sit mater, sed extra creaturas potest esse filius quamuis mater non sit, sicut filius Dei matrem non habet, inquantum est Deus, & ponit se in relatione cum matre, inquantum est filius homo, quæ siquidem filiatio & maternitas sibi inuicem respondent ita bene, magnificè, & vitiosè, sicut sibi inuicem respondent relatiuè. Est ergo responsio relationis in ita alto gradu, quod nullus alius gradus relationis potest esse ita magnus in bonitate, potestate, gloria, virtute, amore, & veritate existente gradu relationis creatæ & increatæ: Est alius gradus relationis, quæ est inter creaturam & creaturam in maiori magnitudine bonitatis quam aliquis alius gradus creatus: sicut relatio quæ est inter Dominam nostram & filium suum hominem, qui est maior in bonitate quam omnes creaturæ: quoniam omnes creaturæ sunt propter ipsum, qui est finis & complementum omnium. Est ergo relatio ipsius & Dominæ nostræ supra omnes relationes creatas: sicut filius melior est quam alius filius creatus, etiam quam omnes filij creati. Vnde sequitur, quod mater sit maior postquam maiorem habet filium quam omnes aliæ matres. Et sicut suus filius est finis & complementum omnium filiorum creatorum, ita mater sua est finis & complementum omnium matrum creatarum.

De Actione & Passione arboris maternalis.

DOmina nostra habet actionem supra dæmones, quoniam nullus eorũ nocere potest filiis suis, qui sunt filij ipsius per spem, quam habent in ipsa: & sunt ipsius filij per charitatem, inquantum ipsam diligunt: etiam sunt filij sui per custodiam, quoniam ipsos custodit & defendit, sicut bonus pastor & fortis, qui custodit suas oues & defendit. Vnde cum potestas dæmonium sit magna, quam habent in faciendo malum, est ergo magna actio, quam Domina nostra habet in dæmonibus

nibus supra passionem, quam habent inquantum facere non possunt aliquã rem contra potestatem Dominæ nostrę, nec etiam contra eius volũtatem. Est etiam vna alia actio, quam Domina nostra habet, quæ est magis supra, & in maiori magnitudine bonitatis, quoniam habet actionem in voluntate filij sui, qui est Deus homo, qui fortior est quam omnes Angeli, & quàm omnes homines: vnde sicut in bonitate passio est magna, oportet quod magna sit in bonitate actio quam habet Domina nostra in voluntate filij sui, qui vult omne illud, quod Domina nostra vult: quoniam si Domina nostra saluationem vult alicuius hominis, aut sanitatẽ, aut virtutem, suus filius vult, & sic factum est, sicut Domina nostra vult siue petit: quoniam suus filius in omnibus ei obedit, & eius voluntatem facit, vt ei correspondeat in amore naturali, qui est inter filium & matrem, & maxime inter maiorem filium & maiorem matrem.

De Habitu arboris maternalis.

Domina nostra habet memoriam, intellectum & voluntatem: per memoriam in habitu habet recolere, & per intellectum intelligere, & per voluntatem amare. In habitu habet recolere, vt peccatores recolat, qui ipsam recolunt in suis necessitatibus, tribulationibus, & timoribus, & qui ipsam clamant, quod ipsos iuuet: quoniã si ipsa ipsos non iuuat, mortui sunt & perditi, & in pluribus verecundiis positi. Quare sicut sol habet in habitu, quod illuminet terram, quam circuit secundum dispositionem sui motus, ita & multo melius cum ita sit, quod Domina nostra maior sit in bonitate quam sol, & plus habeat de virtute, habet in habitu ad recolendum, cum tacta sit cum recolere hominis peccatoris, qui ipsam in suis necessitatibus recolit, & qui ab ea iuuamen quærit: sicut ignis qui habet in habitu calefacere hominem, qui sibi appropinquat, quia frigidus est. Et si ignis qui non habet ita magnum habitum in calefaciendo sicut Domina nostra habet in recolendo, cum ita sit, quod memoria est nobilior habitus & altior quam calor, ita fortiter calefacit elementarum, quod ei appropinquatur, quantomagis ergo Domina nostra in habitu habet ad recolendum peccatorem qui sibi cum pœnitentia, spe & recolere appropinquatur. Et quod dictum est de habitu memoriæ, est dicendum suo modo de intellectu & voluntate.

De Assituatione arboris maternalis.

Domina nostra est in cœlo empireo coram filio suo Domino Iesu Christo, & propinquior est suo filio quam aliqua alia creatura, & sub ipsa sunt Angeli & homines stantes per ordinem, quilibet iuxta alium, qui cantando ipsam laudant & benedicunt, & ei reuerentiam faciunt & honorem, cuius corpus gloriosum in maiori splendore assituatum est quam Sol, cuius etiam caput virginitate & maiori sanctitate coronatum est quam aliquod aliud caput capite filij sui excepto. Est ergo assituatio gloriosi corporis Dominæ nostræ valde pulchra & formosa ad viuendum & multum amabile, quod videatur. Est etiam alia assituatio Dominæ nostræ, quæ est spiritualis, sicut sua memoria in bono recolere assituata, & eius intellectus in bono intelligere, & sua voluntas in bono amare. Et secundum quod ob-

iecta quæ Domina nostra accipit recolendo, intelligendo, & amando, sunt in magnitudine bonitatis assituata, recolere, intelligere, & amare ipsius sunt in magnitudine bonitatis assituata, est ergo magna assituatio quam Domina nostra habet in recolēdo filium suum Deum & hominem, & peccatores qui ipsam reclamant, & illos qui ponunt suam bonitatem, nobilitatem & charitatem in eorum recolere, intelligere, & amare.

De Tempore arboris maternalis.

A Principio mundi vsquequo filius Dei fuit incarnatus & crucifixus, nullus homo fuit, qui paradisum intraret. Expectabant ergo Prophetæ & Sancti, qui erant in inferno, tempus, in quo Domina nostra nascitura erat, & etiam tempus in quo filius suus foret incarnatus, vt fructus beatorum in illo tempore colligerentur, sicut colliguntur fructus plantarum in æstate. Quare illud tempus fuit valde nobile, & ita centrum & finis omnium aliorū: sicut punctus in medio loco circuli, ad quem se habet vnio & aggregatio plurium linearum. Præterea ad illud tempus se habuerunt omnia alia tempora corporum cælestium & terrestrium, & eorum motus, vt essent recreata, quia omnia hominibus Deo inobedientibus seruierunt, in quorum seruitio finem seruitij non attinxerunt, nec finem, propter quem creata fuerunt, quem finem perdiderūt propter originale peccatum. Fuit ergo tempus in quo Domina nostra nascebatur in valde magna exaltatione, & in magnitudine bonitatis, & in magna desiderabilitate sanctorum & vtilitate illorum & in magna amabilitate corporū cælestium & terrestriū,

De Loco arboris maternalis.

DOmina nostra est in paradiso & mater in filio Deo homine, in qua Deus homo est filius, ita quod mater est mater per filium, & filius est filius per matrem. Et idem suomodo de peccatoribus, qui in Domina nostra habent spem, qui sunt filij spei in quantum sunt filij Dominæ nostræ in spe, in qua sunt. Et hoc est magnū mirabile, quod sint filij spei, & quod sint in spe, & q̄ per spem sint filij Dominæ nostræ, in qua sint cum spe: veruntamē secundū magnū localitatē maternitatis magnum mirabile non est: quoniam sicut firmamentum in se plura continet ratione suæ magnæ quantitatis & localitatis, ita Domina nostra in se cōtinet plures spes peccatorum, cum quibus peccatores sunt in illa collocati & obumbrati: ita sicut pulli sub alis gallinæ matris illorum in suo calore calefactorum significantium calefactionem hominum peccatorum, quam habent in amādo Dominam nostram. Qui siquidem peccatores calefacti sunt per amorem Dominæ nostræ, quę ipsos spe induit & inuitat ad locum beatum, in quo stat, in quo æuiternaliter collocentur.

De Floribus arboris maternalis.

FLORES arboris maternalis sunt actus dignitatum Dominæ nostræ, cum quibus fructus colligitur, sicut bonificare quod est actus bonitatis Dominæ nostræ, & magnificare, quod est actus suæ magnitudinis, & perseuerare. bonificare, & magnificare, quod est actus suæ durationis, in quantum durare facit suum bonum & magnum recolere, intelligere, & amare

amare, bonificare, & magnificare. Et idem est de actu potestatis, quod est possificare, cum quo possificatur bonum & magnum recolere, intelligere, & amare. Et idem est de actu virtutis, ratione cuius recolere, intelligere, & amare Dominæ nostræ sunt virtuosa. Et idem est de actu veritatis, qui est verificare, per quod sunt in veritate alij flores. Et idem est de actu gloriæ, per quem sunt alij actus in gloria. Sicut plures voces secundum artem musicæ aut soni corporum cœlestium multiplicant vnum tertium sonum communem & placentem ad audiendum: ita actus bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis, virtutis, veritatis, & gloriæ tres flores multiplicant, quæ sunt generales, qui sunt recolere, intelligere, & diligere Dominæ nostræ, vt cum illis fructus magnus, & valdè excellentes in bonitate, duratione, potestate gloria, virtute, & veritate, colligere possit, sine qua excellẽtia & magnitudine florum non possent actus excellentes colligi. Recolere, intelligere, & diligere Dominæ nostræ sunt flores sublimes, & alti, ita & multomelius quam flos lilij, stat altè in albedine, & odore, & sicut rosa in rubedine & odore, & flos sarmẽti, qui ascendit supra florem cuiuslibet alterius arboris, cum quo participat, & flos aloë, qui superior est in vtilitate, quam flos pruni. Et ita sunt alti flores Dominæ nostræ: quod omnes flores hominum peccatorum qui in ipsa spem habent, obumbrati sunt sub vmbris florum superiorum, qui de ipsis saporem, vtilitatem, colorem, & odorem accipiunt. Ad quam vmbram venire valeamus propter eius amorem.

De Fructu arboris maternalis.

IEsvs Christus fructus est Dominæ nostræ virginis, & matris gloriosæ. Et sicut pomum fructus est qui colligitur in tempore caloris, ita Domina nostra suum fructum colligit cum amore, & illum colligit tempore misericordiæ, videlicet cum suus Filius Dominus Iesus Christus remittit peccatam peccatoris propter amorem ipsius. Et sicut pomum colligitur ad dandum saporem, & odorem, & rosa ad dandum placentem colorem, ita Domina nostra suum fructum colligit cum placito recolendi, intelligendi, & amandi, quod habet in suo filio, & in suis operibus. Colligitur fructus Dominæ nostræ ad dandum vitam hominibus, qui mortui erant propter peccatum originale, & in illo qui est fructus vnitas ex natura diuina, & humana, colligit Domina nostra fructus peccatorum qui in illa spem habent, qui siquidem fructus sunt fines, de quibus dictum est in radicibus huius arboris, & peccatores colligunt spes, contritiones, lachrymas, suspiria, fletus, & amores, vt fructus Dominæ nostræ colligere possunt, & ad suam gloriam venire. Domina nostra suum fructum collegit in natiuitate cum virginitate: quoniam virgo ipsum concepit, & collegit ipsum cum paupertate: quoniam cum humilitate ipsum concepit, & ipsum collegit sine aliqua passione, quia ipsum concepit sine aliqua corruptione, & collegit in suo filio homine filium Deum, qui suus Pater est & Filius, Pater suus est per creationem, & suus Filius per incarnationem, huiusmodi Filium ita collectum Domina nostra collegit cum gratia sancti Spiritus, &

cum

cum bonificare, magnificare, possificare, gloriari, & verificare sui recolere, intelligere, & amare.

De Arbore Iesu Christi.

SVMMARIVM.

ARBOR Christianalis versatur circa Dominum Iesum Christum. Et diuiditur vt aliæ arbores in septem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt principia generalia diuina, & humana.

Truncus est Iesus Christus.

Branchæ sunt duæ, scilicet natura diuina, & humana.

Rami sunt respectus quos habent ambæ naturæ.

Folia sunt accidentia Iesu Christi.

Flores sunt actus radicum.

Fructus est recreatio, &c.

De Arbore



De Arbore Christianali.

HÆc arbor diuiditur in septem partes, quæ sunt radices, truncus, branchæ, rami, folia, flores, & fructus:& est arbor duplex, vna pars est de creatura, alia vero de creatore. Et est arbor in qua creator participat cum omnibus creaturis in quantum ambæ naturæ vnitæ sunt in vnitate vnius personæ.

De Radicibus arboris Iesu Christi.

DVæ naturæ sunt ex radicibus in hac arbore:quædam radices sũt ex parte naturæ humanæ cæteræ vero ex parte Diuinæ naturæ. Radices quæ sunt ex parte humanæ naturæ, sunt sicut humana bonitas realis, elementalis, vegetalis, sensualis, imaginalis, & rationalis, vt dictum est in arboribus naturalibus & primis. Et hæc bonitas

humana Domini Iesu Christi est vnita cum sua bonitate diuina, intantum quod Dominus Iesus Christus bonus est per ambas bonitates. Est homo bonus per bonitatem humanam, & est Deus bonus per bonitatem diuinam. Et est homo bonus Deus per diuinam bonitatem, & bonus Deus est bonus homo per humanam bonitatem, intantum quod duæ sunt bonitates, videlicet bonitas humana, & bonitas diuina, & ambæ naturæ, videlicet natura diuina & natura humana sunt bonæ per quamlibet bonitatem. Et quia vna bonitas transit in aliam, est facta participatio ambarum bonitatum, ita & multo melius quam vinum limphatum, quod in cipho participat cum aqua exeunte vino in aqua, & aqua in vino. Humana bonitas venit ad diuinam cum quinque naturis, quinque primatum arborum, & diuina bonitas venit ad humanam bonitatem in propria persona filiali diuina bonitate communi exeunte, ita Patri & Filio & Spiritui sancto, & multo melius sicut communis bonitas humana Domini Iesu Christi, quæ communis est quinque naturis arborum: & sicut communis bonitas quinque arborum venit spiritualis in homine spirituali, qui est Dominus Iesus Christus, ita diuina bonitas personalis quæ est Deus filius, propriè venit ad humanam bonitatem Domini Iesu Christi qui spiritualis est, & sic participant ambæ bonitates in vno indiuiduo, qui est Iesus Christus. Et quia humana natura spiritualis in Domino Iesu Christo participat cum communi, & filialis bonitas diuina communis est in natura cum bonitate paternali & spiritali, participat diuina natura cum humana Iesu Christi, & per illam cum omni reali natura creata. Et sicut exemplum dedimus de humana bonitate & diuina, dari potest exemplum de humana magnitudine & diuina, & sic de cæteris radicibus arboris. Et in hoc passu cognoscitur modus incarnationis Filij Dei & participatio, quam Deus cum omnibus creaturis per incarnationem, quam probauimus in arbore Apostolicali, & quam iterum probare intendimus in hac arbore, in qua modum incarnationis tractamus, vt de illo cognitio habeatur. Humana bonitas Domini Iesu Christi venit ad diuinam bonitatem, inquantum diuina ipsam sibi attrahit, & suę naturæ, ita & multo melius quam olea in oleastro inserta, quæ ad suam naturam trahit naturam oleastri, quæ venit. Et diuina bonitas venit ad humanam cum sua propria natura, quæ est supra cursum naturalem humanæ bonitatis, ita & multo melius quam natura oleæ, quæ est supra naturam oleastri, & sicut olea facit stare naturam oleastri in seipso, ita & multo melius diuina bonitas in se stare facit humanam bonitatem. Et in hoc passu modus cognoscitur, secundum quem humana natura Domini Iesu Christi in diuina natura sustentatur, & ambæ naturæ distinctæ remanent in vna persona, quæ est Dominus Iesus Christus.

De Trunco arboris Iesu Christi.

TRVNCVS arboris Domini Iesu Christi duplex est, inquantum sunt duæ naturæ, & est vnus, inquantum naturæ sunt vnitæ. Ita & multo melius quam denarius ex auro & argento, qui est ex duobus metallis, & est vna substantia composita ex ambobus, veruntamen exemplum non sufficit, quoniam denarius est in tertio numero, & truncus

in ter

in tertium numerum non transit: quoniam natura diuina semper remanet absque mutatione, augmentatione & diminutione: sed intantum exemplum sufficit, quod sicut denarius est vnus & ex pluribus naturis, ita Dominus Iesus Christus est vna substantia, & est ex pluribus naturis. Adhuc exemplum non sufficit: quoniam in denario aurum & argẽtum intrant cõpositionem, sed diuina natura compositionẽ non intrat cum humana: quoniam, ita magna est eius simplicitas, quod in compositionẽ intrare non potest: quoniam si compositionem intraret, sua simplicitas magna non esset, & in tertium numerum transiret ex duabus naturis compositum. Ad denarium componendum naturaliter veniunt partes inuicem aliæ in aliis, sicut aurum fusum, & argentum fusum artificialiter, quorum partes naturaliter inuicem intrant aliæ in aliis, & vnam substantiam faciunt, quæ est vnus denarius artificialiter factus, ratione artificialis fusionis. Est ergo denarius per artificium, & non per naturam. Sed Dominus Iesus Christus est vnus ex duabus naturis per alium modum, vnus est ex duabus naturis, in quantum est ex natura humana & natura diuina, & natura diuina, & humana remanent distinctæ, & homo factus artificialiter ex Domina nostra, & ex anima rationali in natura diuina. Et quia factus est de natura corporali & anima rationali, est naturaliter homo. Et quia factus est homo in natura diuina, quæ ipsam humanam naturam assumpsit, de qua induta est: est factus artificialiter filius Dominæ nostræ. Et factus est supra cursum naturæ, & filius Dei factus est homo supra cursum naturæ. Et sic Dominus Iesus Christus est vna persona ex duabus naturis, & est naturaliter vna persona, postquam est ex duabus naturis, & ex vna persona artificialiter, postquam incarnatio facta est artificialiter & supra cursum naturæ. Truncus est ex humana bonitate, magnitudine, duratione, & cæteris radicibus humanalibus: est etiam ex diuina bonitate, magnitudine, æternitate, & cæteris diuinis dignitatibus. Et quia radices hominis & dignitates Dei participant in vno trunco, qui est Deus homo vocatus Iesus Christus, cum tangitur truncus cum similitudinibus suarum naturarum, illi tactui respondet secundum suas naturas, cum ita sit, quod inter similitudinem, & similitudinem sit naturalis concordantia. Idcirco si Martinus bonus est, & bonum amare producit, cum quo diligit Dominum Iesum Christum, respondent bonitates Domini Iesu Christi, videlicet diuina bonitas, & humana bonitati Martini, & bonitati sui amare. Et hoc idẽ faciunt duæ voluntates, videlicet diuina, & humana, quæ diligunt Martinum & suum amare, & suam bonitatem, & bonitatem sui amare. Et idem est de aliis naturis & partibus trunci: sicut si Martinus tangit Dominũ Iesum Christum cum suo recolere, intelligere, & amare, potestate, virtute, & sic de aliis, quare & multo melius quam si homo tangeret tympanum in vno loco, omnes partes illius responderent, ita naturæ, & partes Domini Iesu Christi tactui respondent, quem homines sibi faciunt rogando, contemplando, honorando, laudando, obediendo, & in administrando: est ergo talis tactus bonus, & est magnus, postquam magna est responsio. Si Martinus tangit truncum cum modico amare, & tangit illum, vt suum filium infirmum curet, cui portat magnum amorem, trun-

cus secundum quod tangitur à Martino, respondet: quoniam magnus amor Domini Iesu Christi, non respondet cum magno amare modico amare Martini, postquam tangitur cum modico amare, nec respondet magno amare, quod Martinus portat suo filio: quoniam iniuriosè tangitur, in quantum Martinus tangit cum minori amare maiorem bonitatem, & cum maiori amare minorem bonitatem. Et in hoc passu cognoscitur modus, ratione cuius homines qui rogant Dominum Iesum Christum inordinatè, non exaudiuntur, & in suis petitionibus puniuntur, in quibus oportet quod sic per iustitiam puniantur: sicut exaudirentur, si bonum modum habuissent in rogando Dominum Iesum Christum. In pomo sunt quatuor elementa per vnum modum secundum concordantiam, & per alium secundum contrarietatem: secundum concordantiam: sicut ignis & aër, qui habent concordantiam in calore, & in quantum ignis suam dat similitudinem aëri, & aër appetitum habet ad accipiendum suam similitudinem, videlicet calorem ignis. Secundum contrarietatem sicut ignis, & aqua, qui contrariantur per calorem & frigiditatem: quoniam aqua similitudinem ignis accipere non vult: sed ei cum sua frigiditate quantum potest resistit. Iste talis modus contrarietatis qui est in pomo, in trunco non est: quoniam natura diuina & humana concordantiam habent, natura diuina se dante humanæ naturæ, vt Deus fiat homo, & homo fiat Deus, natura diuina accipiente humanam, ipsa natura diuina remanente hoc, quod est sine aliqua mutatione vel alteratione. Et in hoc passu cognoscitur, quod natura diuina non accipit aliquam alterationem vel mutationem sui ipsius in coniunctione, quam facit cum humana: sicut ignis qui nullam accipit alterationem in constitutione, quam facit cum aëre per calorem, & aërem exaltat ad statum nobiliorem, in quantum ipsum induit suo calore cum concordantia; sicut humana natura, quæ exaltationem recipit, in quantum natura diuina est induta cum concordantia. Idcirco malefaciunt Saraceni, & Iudæi, qui negant incarnationem Filij Dei, dicentes, quod Deus alterationem acciperet in coniunctione & vnione, quam faceret cum homine, in quo sunt plures defectus naturales, qui homo vult Deus esse, vt sit cognitum, quod sua bonitas & complementum nullam infirmitatem vel alterationem per aliquam vnionem vel coniunctionem quam facit cum homine, recipere potest: quoniam sua æternitas ipsum durare facit immutabilem, & sine cremento, & decremento. In trunco natura diuina est principium, & humana natura principiata: quoniam Deus principiauit hominem ex Domina nostra, & ipsum principiauit in seipso, videlicet in sua Deitate, idcirco homo principiatæ nõ potest aliquid in Deo, postquã totus principiatus est, & principiatus de principio materiali in principio formali: quare homo per suã naturã nec per aliquã ei pertinẽtẽ substantialiter vel accidẽtaliter vilificare potest diuinam naturam, nec minorificare, nec maiorificare: in qua quidẽ natura diuina nihil principiare potest, multiplicare nec alterare, quamuis cũ illa sit coniuncta. Et in hoc passu cognoscitur, quod cum Deus creauit mundum, in se nullam recepit mutationem, quoniam totum ipsum principiauit, quare mundus stetit totus ex nihilo principiatus, & fuit ex nihilo princi-

principiatus, vt esset totus principiatus: quoniam si esset æternus, non esset totus principiatus, & quoniam mũdus totus fuit principiatus, in Deo aliquid principiare non potest: quia si in illo principiare posset aliquid, totus principiatus non esset, nec Deus foret totum principium formale, & in aliqua parte foret principium materiale, quod est impossibile.

De Branchis arboris Iesu Christi.

DVÆ sunt branchę arboris Iesu Christi, videlicet natura diuina & humana. Et brancha humana est elemẽtalis, vegetalis, sensualis, imaginalis, & rationalis: cum ita sit, quod ipse sit ex istis quinque naturis, & ipsas in se continet, & per has naturas quæ sunt suæ partes sentiebat Iesus Christus in hac vita præsenti obiecta sensibilia. Sentiebat per naturam elementalem, calorem, & frigiditatem: & per vegetalem appetitum habebat ad comedendum & bibendum: & per sensualem attingebat calorem, vocem, saporem, & odorem: per imaginalem species multiplicauit imaginãdo figuras substantiarum corporalium: & per rationalem recolebat, intelligebat, & amabat, & vtebatur ratione. Idcirco erat verus homo, & vtebatur conditionibus naturalibus naturaliter & virtuose. Brancha Domina est filialis, æterna & infinita, & est bonitas, potestas, sapientia, voluntas, virtus, veritas & gloria. Et ideo in hac præsenti vita in qua erat Dominus Iesus Christus, brancha diuina vtebatur miraculis supra cursum naturalem, nec habebat famem sitim, calorem, nec frigiditatem, & attingebat obiecta corporalia sine multiplicatione speciei, & sine potentiis sensualibus. Inquantum vna brancha erat in alia, attingebat vna brancha obiecta secundum naturam illius: sicut brancha diuina, quæ ratione coniunctionis cum humana attingebat famem, sitim, calorem, & frigiditatem, & cum oculis colorem videbat, & cum imaginatione species multiplicabat & similitudines substantiarum corporalium, & recolebat, intelligebat, & amabat sicut homo. Et hoc faciebat, quia diuina brancha erat, & est per humanã homo: sicut substantia alba quæ est alba per calorem, & substantia quæ est corpus per longum, latum, & profundum, & brancha humanalis ratione coniunctionis quam habebat & habet cum diuina, sine speciebus multiplicati obiecta corporalia realiter attingebat, ita quod non indigebat medio nec similitudinibus, nec habebat famem, nec sitim, calorem nec frigiditatem, nec ignorãtiam alicuius rei, & erat & est immortalis. Et in hoc passu cognoscitur modus, quem Dominus Iesus Christus in hac vita habebat in suis operibus secundum naturas brancharum & coniunctionem illarum. Branchæ huius arboris sunt magnæ in bonitate, duratione, potestate, sapientia, voluntate, gloria, virtute, & veritate: quælibet brancha est magna per seipsam, & brancha humana maior est in diuina quam in seipsa, & brancha diuina est maior in humana per humanã quam omnes branchæ creatæ, cum ita sit quod brancha humana maior sit per diuinam quam omnes aliæ branchæ creatæ. Magnæ sunt ergo ambæ branchæ, vnde cum branchæ sint ita magnæ, quos cogitare, dicere vel scribere posset magnitudinem trunci, cuius sunt prædictæ duæ branchæ. Differẽtia est inter duas branchas, quoniam.

vna est natura diuina, & alia natura humana. Et quanto sunt maiores brāchæ, tanto maior est differētia:& quāto maior est differentia, tanto maior est eorum concordantia,quam habent ambæ brāchæ in essendo vna persona, vnus trūcus,vnus Iesus Christus. Sunt ergo branchæ magnæ in differentia & in concordantia, & ita magnæ, quod sicut concordantia est maior quam alia concordantia, quæ est inter creatorem & creaturam, ita oportet quod differentia sit maior inter brancham & brancham quam aliqua alia differentia,quæ sit inter creatorem & creaturam. Quam maiorem differentiam significat maior distinctio, quæ est inter vnam personam diuinam & aliam, & idem est de concordantia. Idcirco malè dicunt illi, qui dicunt, quod inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum non est ita magna distinctio sicut inter Deum & equum:cum ita sit, quod inter diuinas personas sit maior concordantia quam inter Deum & equum, quæ maior concordantia esse non posset sine maiori distinctione personarum. Ambæ branchæ magnæ sunt in fine cum maioritate: in fine sunt magnæ cum maioritate,quoniam finis branchæ diuinæ, vt ita loquar, maior esse non potest,cum ita sit quod ipsa sit infinita & æterna, & finis, & complemētum omnium creaturarum. Et finis branchæ humanæ est ita magnus, quod maior creatura esse non potest:quoniam omnes aliæ creaturæ creatæ sunt propter illam,& ipsa coniuncta est cum fine branchæ diuinæ.

De Ramis arboris Iesu Christi.

RAMI arboris Domini Iesu Christi respectus sunt, quos habent ambæ naturæ: sicut voluntas diuina & voluntas humana, quæ se respiciunt in amare:& intellectus diuinus & humanus qui se respiciunt in intelligere: & æternitas Dei & memoria Domini Iesu Christi quæ se respiciunt in recolere. Vnde cum ambæ naturæ sint ita magnæ,quis cogitare posset, dicere, vel scribere magnitudinem ramorum: quoniam voluntas humana tantum diligit voluntatem diuinam, quod omnes voluntates creatæ vnitæ essent in vna voluntate, illa voluntas tantum diligere non posset,sicut voluntas Domini Iesu Christi diligit diuinam voluntatem, quæ voluntas diuina tantum diligit humanā,quod ipsam plus diligere nō potest: est ergo ita magnum illud amare, quod diuina voluntas habet ad humanā,quod potestas diuina quæ est infinita,in illa est terminata,inquantū multiplicare non potest maius amare inter Deum & creaturam, in quo termino habet quietem, ita sicut voluntas cuiuslibet naturæ, quæ quietem habet in illo maiori amare. Et hæc eadem quies consistit in intelligere & recolere ambarum naturarum:idcirco malefaciūt Saraceni & Iudæi, qui negant maiorem quietem,quæ potest esse inter Deum & creaturam per recolere, intelligere & amare. Respiciens natura humana diuinam naturam recolendo, intelligendo & amando, regratiatur diuinæ excellentiæ, in quā ipsam assumpsit & posuit, & de illo excellenti & alto gradu, ita & multomelius: sicut homo qui de vno alto monte respiceret ad valles & planicies, respicit Dominus Iesus Christus inquantum homo peccatores, rogando patrem suum creatorem filium Deum & hominem,quod pietatem habeat de peccatoribus. Et in hoc fit in vna eadem persona, quæ est Dominus Iesus

Chri

Christus. Oportet ergo quod preces exaudiantur ratione magnæ vnionis ambarum naturarum. Et iste passus est valde placens & delectabilis peccatoribus ad considerandum, qui altitudines Domini Iesu Christi de locis infimis respiciunt, in quibus ceciderunt in peccato, & ex quibus surgunt respiciendo altitudines Domini Iesu Christi, & ramorum, ipsos ramos recolẽdo, intelligendo & amando plusquam aliquid aliud. In respectu intelligere, recolere & amare est ita magna concordantia, quod nulla contrarietas ibi esse potest, quæ contrarietas in illo esset respectu, si diuina natura humanã nõ exaudiret de precibus, quas ei facit pro peccatoribus, quod eis remittat & quod eis det saluationem. Sed quia ambæ naturæ sunt in vna persona, est vnum iudicium, quod siquidem iudicium amatum est per naturam humanam, quæ amat totum hoc, quod diuina diligit, etiam voluntas humana plus diligit voluntatem diuinam quàm seipsam vel saluationem hominum peccatorum, idcirco preces facit cum iustitia, cum qua sequitur misericordia naturæ diuinæ, quæ germana est iustitiæ, quæ iustitia suæ germanæ deficere non potest. Et iste passus est obiectum timoris & spei hominibus peccatoribus.

De Foliis arboris Iesu Christi.

Et primò de Quantitatibus.

IEsvs Christus inquantum homo ornatus est & indutus accidentibus, sine quibus non esset homo: sicut de quantitate, quam habet secundum arborem elementalem, vegetalem, sensualem, imaginalem, & rationalem. Et quia natura diuina assumpsit humanã, assumpsit in illa quantitatem continuam & discretam, & in se remanet sine quantitate: sicut aqua quæ accipit de vino limphato colorem & saporem, & aqua in igne calorem, & homo virtutem in iustitia & prudentia, & sic de aliis similibus istis. Et sic participant infinitas & quantitas: infinitas inquantum natura diuina quæ est infinita, & in hoc quod vnum est suppositum, quod est truncus, habet infinitas in natura humana quantitatem continuæ per omnes arbores, quæ sunt de conditionibus naturæ humanæ. Et quia distinctæ sunt, est illa quantitas continua in quantitatibus discretis sustentata. Et sicut infinitas quantitatem habet in alia natura & non in seipsa, ita quãtitas in alia natura est infinita, & in seipsa terminata remanet, sed hoc esse non posset sine coniunctione ambarum naturarum in vnitate personæ.

De Qualitatibus Iesu Christi.

QValitas duobus modis consideratur. Est enim qualitas propria, & qualitas appropriata. Propria est sicut Martinus qui bonus est naturaliter, inquantũ creatura. Appropriata est sicut Martinus qui bonus est, quia iustus est, & sapiens, charitatiuus, & temperatus, & sic de aliis habitibus virtutum acquisitarum: has qualitates appropriatas sibi ipsi natura diuina appropriat, inquãtum naturam humanam assumpsit: sicut ignis qui sibiipsi siccitatem terræ, inquantum se induit terra appropriat, quæ siquidem terra igni suam siccitatem appropriat: sic natura humana quæ diuinæ suas conditiones appropriat, & hoc facit, quia qualitates substantiales & diuinæ obuiant qualitatibus substantialibus & accidentalibus hominis in vnitate trunci.

trunci. Et in hoc passu cognoscitur hoc, propter quid Dominus Iesus Christus in hoc mundo dilexit virtutes acquisitas, vt natura diuina in natura humana ipsas habere posset.

De Relationibus arboris Iesu Christi.

NAtura diuina & natura humana Domini Iesu Christi distinctæ sunt realiter per essentiam. Et quia ambæ naturæ coniunctæ sunt & distinctæ in vno trunco, sequitur inde relatio: sicut si est Deus homo, oportet quod homo sit Deus, & si homo est Deus, oportet quod Deus sit homo. Et in hoc passu Saraceni cognoscere possunt, & etiam Iudæi eorum errores, qui incarnationem non credunt; quia opinantur, quod Christiani credant, quod Deus ita naturam humanam assumpsit, quod ipse Deus non remansit: sicut materia panis, quam homo comedit, quæ cum transubstantiata est in speciem carnis, formam panis & eius materiam dimittit, & stat induta de forma carnis, & est materia formæ illius, in quibus perditur relatio formæ & materiæ panis. Et idem dicunt, quod Christiani credunt, quod in passione Domini Iesu Christi natura diuina moriebatur, & quod Deus non remansit Deus, & moriebatur homo, & non remansit homo. Sed inquantum Christiani credunt in relatione antedicta, Deus moriebatur in quantum homo, & in suo proprio esse remansit in quantum Deus, & mortuus fuit secundum naturam humanam, & homo remansit Deus, in quãtum Deus remansit homo. Idcirco malefaciunt Christiani qui non dicunt Saracenis relationem incarnationis, & modum, secundum quem credunt in illa: quoniam si Saraceni sapientes modum scirent incarnationis, & relationis cognitionem haberent, supponerent incarnationem esse possibilem, quam modò supponunt esse impossibilem, quia de ipsa cognitionem non habent, & possibilitate supposita cum conditionibus, quas homo eis dare posset, & de incarnatione secundum processum huius libri, plures Saraceni se conuerterent ad fidem Christianam. Cum ita sit, quod plures sapientes Saraceni sint, qui non credunt in Machometum, quia secundum vitam quam ipse fecit, experientiam habent quod non fuit Propheta, nec homo virtuosus, nec verus.

De Actionibus, & Passionibus Iesu Christi.

IN Domino Iesu Christo est natura diuina actiua, & humana passiua, in quantum diuina natura humanam assumpsit, & illam in seipsa sustentat, etiam in seipsa factus fuit homo ex natura humana. Quæ siquidem natura humana actiones habet & passiones, quæ sunt de suis conditionibus: sicut actio, & passio corporis naturalis, & actiones illius secundum naturas arborum, etiam passionem illius, quam habuit in cruce, & actionem illius, quam similiter in cruce habuit tunc, cum vicit peccatum originale. Saraceni dicunt quod Christiani credunt, quod Deus passionem habuit in natura humana per famem, sitim, calorem, & frigiditatem, & in cruce per mortem. Idcirco credere nolunt Saraceni sapientes, quod Deus sit homo. Et propter hoc Christiani malefaciunt, quia Saracenis sapientibus non ostendunt eorum credulitatem, in qua negant & negarent illas passiones, in quantum

quantum natura diuina,& illas passiones affirmant, & affirmarent secundum naturam humanam: sicut aqua quæ passionem habet per calorem ignis in pipere,& non habet passionem per frigiditatem in cucurbita.

De Habitibus Iesu Christi.

DIuina natura accipiens humanam naturam conditiones hominis assumpsit, idcirco assumpsit habitus ita, quod recolit vt homo sub habitu memoriæ, & intelligit vt homo sub habitu intellectus, & diligit vt homo sub habitu voluntatis, & sic de habitibus aliarum arborum, qui sunt de conditione humana. Et in hoc passu cognoscitur quod habitus Domini Iesu Christi sunt magni & actus illorum: quoniam Deus qui comprehendit omnes creaturas sub habitu hominis,vult omnes ipsas comprehendere recolendo, intelligendo, & amando. Et in hoc passu cognoscitur quod magnus est amor, quem Dominus Iesus Christus habet ad populum suum, & magna fuit passio, quam ipse sustinuit in cruce: vnde sicut logicus acquirit habitũ logicæ per scientiam,ita Dominus Iesus Christus in quantum homo habet in memoria omnia in hoc,quod Deitas sub habitu memoriæ creatæ, recolere vult omnia quæ recolit, in quantum est homo,& in quantum est Deus. Et sic attingit,& comprehendit Dominus Iesus omnes creaturas, in quantum est Deus, & in quantum est creatura.

De Assituatione Iesu Christi.

NAtura diuina assituata est in humana: sicut ferrum cultelli in figura illius quæ non est de sua essentia: sed est accidentalis figura assituata in forma & in materia cultelli. Est ergo Deitas in humanitate assituata,in quãtum induta est ex illa, ita tamen quod natura diuina non sit secundum conditiones suas in aliqua figura assituata: quoniam essentia infinita secundum sui naturam habere non potest figuram circularem, quadrangularem, neque triangularem, cum ita sit, quod oporteat omnem figuram esse finitam, & in substãtia corporali esse sustentatã, quæ ex illa figura induta est & terminata. Et quia Saraceni modum incarnationis ignorant ratione assituationis quam credunt, quod Christiani credant in incarnatione supponendo incarnationem esse impossibilem, dicentes, quod si Deus esset incarnatus, oporteret quod diuina infinitas haberet finitam figuram, ex qua tota induta esset,& in illa terminata circulariter, quadrangulariter, & triangulariter. Et sic implicát in incarnatione esse cõtradictionem,videlicet quod Deus sit infinitus, & non infinitus. Et propter hoc Christiani malefaciunt, qui non ostendunt Saracenis modum incarnationis,quam credunt in incarnatione, & in assituatione illius, dicendo eis quod Deitas quæ est Deus Filius, assituata est in humanitate, non in quantum est infinita:sed in quantum Filius Deus est homo terminatus & finitus, & sub certa figura assituatus, ex qua ita est vestitus:sicut pomum colore,& gustare sapore, cum homo comedit pomum, tamen substantia pomi non est de essentia coloris, nec gustare de sapore, nec ferrum de figura cultelli: quoniam si ferrum esset de figura cultelli,ex ipso ferro clauus fieri non valeret.

De Tempore arboris Iesu Christi.

IN Domino Iesu Christo æternitas & tempus participant: quoniam in hoc quod Filius Deus æternitas est & in tempore factus est homo, participant æternitas, & tempus, non tamen quod æternitas sit in tempore, quoniam si esset in tempore, non esset hoc quod est, cum ita sit, quod æternitas sit ens sine principio & fine aliquo motu. Secundum in quantum Deus est homo, est æternitas in tempore: sicut Deus qui est homo in homine. & sicut aqua quæ calida est in calore ignis, & non per suam naturam: quoniam si aqua in olla calefacta, calida esset per suam naturam, sine igne in olla existente super aqua calida foret. Et hunc modum secundum, quem æternitas participat cum tempore in Domino Iesu Christo, Saraceni ignorant, nec est aliquis, qui eis ostendat. Vnde dicunt, quod si Deus sit incarnatus, quod sua æternitas peruersa est in temporalitatem: sicut si aqua frigida suam frigiditatem naturalem dimitteret, & habitum caloris susciperet.

De Loco arboris Iesu Christi.

DOminus Iesus Christus in quantum Deus est, in omni loco est, & in quantum est homo, est in cœlo empireo: vt dictum est supra in arbore apostolicali. Et in quantum Deus est homo, est Deus in vno loco per hominem, & non in alio loco, vbi non sit ille homo, & in quantum ille homo sit Deus, est in omni loco per Deum, ... est secúdum relationem, quam ...us in hac arbore, quam desidero ...d Saraceni scirent: quoniam si ipsi scirent, minimè dicerent, quod ...istiani credant, quod Deitas de ...o recessit, & quod non esset in alio loco, sed tantummodo in sancta Maria, cum incarnatus fuit. Nec etiam dicerent, nec crederent, quod Christiani credant, quod humanitas Christi sit in omni loco, in quantum homo si sit Deus, cum ita sit, quod Deus sit in omni loco, & illud leue est ad sciendum, secundum quod leue est scire relationem quam diximus. Et ideo malefaciunt Christiani, quia non ostendunt Saracenis relationem, quam leuiter intelligere possent.

De Floribus arboris Iesu Christi.

FLores Domini Iesu Christi vocamus actus radicum, videlicet bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis, & sic de cæteris actibus qui spectant ad conditiones Domini Iesu Christi. Qui siquidem actus sunt flores duplices: & quia vnum est bonificare diuinæ bonitatis, & aliud est bonificare humanæ bonitatis, & sic de aliis: & quia radices secundum earum diffinitiones, & naturas flores habent in ramis miscere volumus radices inuicem quasdam in aliis, siue cum aliis secundum naturas earum diffinitionum, vt maximas & conditiones ex ipsis faciamus, cum quibus flores intelligamus, & probationes de incarnatione Filij Dei ostendemus. Etiam artem & modum dabimus secundum quem applicari possunt radices ad probandum illa quæ quæri possent. Processus, quem tenere proponimus, est, videlicet quod vnam cameram faciamus de bonitate, & magnitudine, & aliam de bonitate, & æternitate, & sic per ordinem vsque ad cameram æqualitatis & minoritatis, iuuando tamen cameram cum illis radicibus cum quibus facere possemus maximam de camera per quam significabitur benedicta incarnatio Filij Dei.

De

De Bonitate, magnitudine & Incarnatione.

BOnitas est ratio bono quod agat bonum. Et si bonitas & magnitudo sint vnum idem numero, est bonitas ratio bono, quod agat magnum bonum. Sunt in Deo bonitas & magnitudo idem numero: est ergo bonitas ratio Deo, quod magnam creaturam, quæ sit bona, producat. Et ideo incarnatio filij Dei significatur, quæ producit bonam, & magnam creaturam, secundum quod bonitas est magna ratio illius productionis. Et si fiat quæstio, vtrum Deus sit incarnatus in pluribus hominibus, respondendum est, vt infra in arbore quæstionali dicendum est.

De Bonitate, æternitate & Incarnatione.

BOnitas est ratio bono æterno, cum quo est idem numero, quod bonum æternum producat. Et æternitas est ratio bonitati, quod producens vnus remaneat, alius vero productus. Et sic beata Dei Trinitas significatur, & etiam incarnatio filij Dei. Trinitas sancta significatur, vt dicemus in floribus arboris diuinalis. Incarnatio significatur, inquantum bonitas est ratio æterno, quod creaturam ita æternatam & bonificatam producat, quod ipsa creatura sit æterna, quæ ita sit conditionata conditionibus ipsius æterni, sicut ipse æternus de conditionibus creaturæ. Et in hoc passio necesse est, vt habeatur cognitio de relatione, de qua supra dictum est in hac arbore.

De Bonitate, potestate & Incarnatione.

BOnitas est ratio potenti, cum quo est idem numero, quod bonum possitum producat. Et idem est de bonitate ignis, quæ est ratio potestati ignis, quod bonum producat possitum, calefactum & elementatum, licet bonitas non sit vnum idem numero cum potestate ignis. Veruntamen ignis sub ratione bonitatis vtitur potestate, & producit hoc quod ratio exigit, videlicet instinctum & appetitum naturalem, intantum quod bonum elementatum & possitum producit, sicut sunt piper & cætera substātiæ elementatæ. Vnde si ignis sub ratione bonitatis producit, licet in eo bonitas & potestas vnum idem numero non sint, quanto magis diuina bonitas est ratio potestati diuinæ, cum qua est numero vnum idem, quod bonum magnum, potentem, possitum, creatum, æternatum, & deificatum producat, in quo filius Dei sit hominificatus.

De Bonitate, sapientia & Incarnatione.

BOnitas Dei est ratio suæ sapientiæ cum qua numero est vnum idem, quod bonum creatum, magnum, durabile & possitum intelligat, quod sapientia intelligit, vt sua ratio & ratio bonitatis, magnitudinis æternitatis, & potestatis concordantiam habeant. Idcirco est significata incarnatio benedicta sine qua ratio sapientiæ rationi bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & potestatis non responderet, & hoc esset malum.

De Bonitate, voluntate & Incarnatione.

BOnitas Dei & eius voluntas sunt vnum idem numero, & bonitas est ratio voluntati, quod diligat productum creatum intantum, quantum ipsa potest esse ratio bono, quod magnũ bonum, producat, & ita magnum sicut illud potest producere & sapientia intelligere. Idcirco significata est incarnatio, vt voluntas respondet rationi bonitatis in amando illam magnam productionem & bonam, & ita magnam, sicut sapientia illam intelligere potest.

De Bonitate, virtute & Incarnatione.

CVm virtute bonitas est ratio bono virtuoso, quod bonum virtuosum creatum producat, & est ei ratio cum magnitudine potestatis, sapientiæ, & voluntatis. Et si bonum virtuosum non produceret, productũ bonum creatum & virtuosum secundum illas rationes, quas dat ei bonitas, faceret malum, & esset vitiosum. Idcirco est significata incarnatio esse vera.

De Bonitate, veritate & Incarnatione.

BOnitas est ratio vero bono cum magnitudine durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, & virtutis, quod bonum verificatum producat in ita magna ratione veritatis, sicut bonitas est ratio veritati. Cum ita sit, quod diuina veritas ita magnam habeat concordantiam, sicut bonitas cum magnitudine, duratione, potestate, sapientia, voluntate, & veritate. Idcirco significata est incarnatio in responsione, quam veritas fecit secundum suam rationem diuinæ bonitati.

De Bonitate, gloria & Incarnatione.

GLoria est bonitati, quod ipsa sit ratio bono glorioso, quod bonũ gloriosum producat, & bonum est gloriæ in producendo illud. Et in hoc passu significata est productio boni gloriosi: sicut causa quæ placitum habet in producendo bonum effectum gloriosum, secundum quod requirunt magnitudo, duratio, potestas, sapientia, voluntas, veritas, & virtus, duabus rationibus, quæ sunt ex gloria & bonitate.

De Bonitate, differentia & Incarnatione.

INter creatorem, & creaturam est differentia & illa differentia est bona. Et sicut differẽtia requirit quod sit bona, ita requirit quod sit durabilis, magna & potens, & de magna & sapientia, voluntate, gloria, veritate, & virtute. Idcirco significata est in illa ratione incarnatio, vt sit responsio rationum, de quibus dictum est.

De Bonitate, concordantia & Incarnatione.

INter Deum & creaturam est concordantia, quæ bona est, & sicut concordantia requirit quod sit bona, ita requirit quod sit magna, durabilis & potens, & sic de sapientia, voluntate, virtute, gloria, veritate, & differentia. Quoniam si ipsæ non haberent ita magnum locum in concordantia sicut bonitas, idem sequeretur malitia & paruitas contra magnitudinem, & sic de

de aliis. Est ergo significata incarnatio per responsiones rationum æqualium in concordantia.

De Bonitate, contrarietate & Incarnatione.

NVlla contrarietas contradicere potest rationibus diuinæ bonitatis, cum ita sit, quod ipsa sit ratio bono, quod bonum creatum producat, cui est ratio, cum magna concordantia magnitudinis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, & differentiæ. Non potest ergo contrarietas contradicere rationi incarnationis, oportet ergo quod ratio incarnationis in ratione bonitatis remaneat, in qua ratione significatur sua probabilitas.

De Bonitate, principio & Incarnatione.

BOnitas est ratio bono, quod bonum principiat, & quoniam est ei ratio cum magnitudine, est ratio bono quod principiet magnum bonum. Et idem de duratione, potestate, sapientia, voluntate, virtute, veritate, gloria, differentia, & concordãtia. Est ergo significata incarnatio esse principiata, secundum quod bonitas est ratio cum aliis rationibus bono principio.

De Bonitate, medio & Incarnatione.

BOnus qui est creator est medium rationibus actiuis, vt producat rationes passiuas creatas, quarum productio bona est producente existente. in antum producente ratione magnitudinis magnum productum, quantũ bonum productum, & idem est de duratione, potestate, sapientia, voluntate, virtute, veritate, gloria, differentia, principio, & concordantia. Sed hoc esse non posset, nisi Deus esset incarnatus, iuuante tamen maiori fine rationis inter bonitatem & producentem, & productum creatum.

De Bonitate, fine & Incarnatione.

BOnitas est ratio bono, quod bonũ creatũ producat ratione finis, qui siquidem finis sit bonus, & ita magnus sicut bonus. Et idem de duratione, potestate, sapientia, & voluntate, virtute, gloria, & veritate, differentia, medio, principio, & concordantia. Est ergo significata incarnatio in magna ratione bonitatis & finis.

De Bonitate, maioritate & Incarnatione.

BOnitas maiorem habet concordantiam cum magnitudine, quam cum paruitate: est ergo bonitas ratio bono, quod bonum creatum producat in maiori bonitate creata. Et illã eandem concordantiam habent, duratio, potestas, sapientia, voluntas, virtus, & veritas, gloria, differentia, finis, mediũ, & principium. Ratione cuius concordantiæ significatur incarnatio.

De Bonitate, æqualitate & Incarnatione.

BOnitas æqualiter est ratio bono quod bonum creatum producat cum magnitudine durationis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, differentiæ, concordantiæ, principij, medij, finis, & maioritatis: oportet ergo quod productus sit magnus, & æqualis bono, & durabilis

& æqualis bono, & potens æqualis bono illo bono producto, æquali, magno, durabili, potenti, & sic de aliis. Et hoc in maiori æqualitate quę possit esse inter rationes increatas & rationes creatas. Sed hoc esse non posset, si Deus non esset incarnatus.

De Bonitate, minoritate & Incarnatione.

DIuina bonitas est maior ratio cum maioritate bono, quod bonum creatum producat, quam cum minoritate. Et hoc est; quia magnitudo maiorem habet concordantiam cum maioritate bonitatis quam cum minoritate, & cum maioritate magnitudinis quam cum minoritate, cum ita sit, quod paruitas & minoritas habeant concordantiam. Et idem de maioritate durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, differentiæ, & concordantiæ, principij, medij, finis, & æqualitatis. Est ergo incarnatio significata & per maiorem concordantiam probata. Et si aliquis argumentum faciat quod mundus sit æternus secũdum consequentiam probationis, sit responsio, quod maior duratio creaturæ consistit per Deificationem. Et quod mundus æternus non sit, supra in arbore apostolicali probatum est.

De Magnitudine, duratione & Incarnatione.

MAgnitudo durationis est, quod natura diuina & humana remaneant hoc, quod sunt, & quælibet cum suis conditionibus, & quod insimul sint vnum suppositum, vnus Iesus Christus, est ergo incarnatio, vt magnitudo sit ratio durationi, & duratio magnitudini, secundum relationem creatoris & creaturæ.

De Magnitudine, potestate & Incarnatione.

POtestas est ratio magnitudini, quod possit esse & habere magna opera, & magnitudo est ratio potestati, quod possit esse magna per existentia & agentia. Et istę rationes quę conuertũtur, melius significantur in relatione conuersionis & creationis, si sit incarnatio. Et si non sit incarnatio, significatur minus significatio conuersionis, & vna ratio deficit; alij in conuersione & relatione, quod est impossibile, per quam impossibilitatem consistit incarnationis probabilitas.

De Magnitudine, sapientia & incarnatione.

MAgnitudo est ratio sapientiæ, quod sciat magnã creationem, ita magnam, quod maiorem scire non possit: quoniam si maiorem scire posset, potestas maiorem haberet concordantiã cum sapientia quam magnitudo, quæ quidem magnitudo concordantiã cum paruitate sciendi haberet, & cum magnitudine potestatis, quæ concordantia est impossibilis. Est ergo magnitudo ratio sapientiæ diuinæ, quod sciat maiorẽ creaturam, quam scire potest, ratione cuius maioris creaturæ quam oportet sciri, oportet quod sit incarnatio, ratione cuius sit maior creatura, quoniam si non esset incarnatio frustra sciret sapientia possibilitatem maioris creaturæ.

De Magnitudine, voluntate & Incarnatione.

DIuina magnitudo est ratio diuinæ volũtati, quod magnam creaturam

turam diligat, & ita magnam quod maiorem diligere non potest, quoniã si maiorem diligere posset, & ipsam non diligeret, magnitudo non esset ratio voluntati, quod maiorem creaturam diligeret, & esset ei ratio paruitati, quæ siquidem ratio amabilis non est per voluntatem, nec possibilis per potestate. Est ergo incarnatio, ratione cuius voluntas diligit ita magnam creaturam, quod maiorem diligere non potest.

De Magnitudine, virtute & Incarnatione.

MAgnitudo est ratio virtuti, quod sit magna & virtus magnitudini, quod sit virtuosa. Est ergo magnitudo virtus inter Deum & creaturam, si omnis creatura sit, vt sit incarnatio. Et si incarnatio non est, magnitudo non est ratio virtuti, quod sit magna ratio virtuti creaturæ. Est ergo incarnatio, vt sit responsio inter virtutem & magnitudinem, & inter creatorem & creaturam.

De Magnitudine, veritate & Incarnatione.

SI sit incarnatio, sequitur magna veritas creatoris in creatura, & de creatura in creatore, & ita magna quod maior esse non potest. Et si non sit incarnatio, magnitudo veritatis est in priuatione, & magnitudo & veritas deficiunt magnitudini & veritati creationis, quod est impossibile, ratione cuius impossibilitatis est probata incarnatio, cũ ita sit, quod magna veritas sit, quod creator sit creatura, & creator sine contradictione, & secundum relationem quam diximus in foliis huius arboris.

De Magnitudine, gloria & Incarnatione.

SI sit incarnatio, est magna gloria creaturę: quoniam magna gloria est creaturæ, quod vnita sit cum creatore in vnitate personæ, quæ sit creator, & creatura, & magna gloria est sanctis, qui creaturæ sunt, & qui sunt de naturis illius ita magnæ creaturæ cum creatore vnitæ. Et si non sit incarnatio, magnitudo gloriæ est in priuatione, & paruitas gloriæ est in esse, & sequitur quod magnitudo & gloria concordantiam habeant cum priuatione, & paruitas & gloria cum esse, quæ concordantia est impossibilis, ratione cuius impossibilitatis probata est incarnatio.

De Magnitudine, differentia, & Incarnatione.

INter creatorem & creaturam est differentia, & si sit incarnatio, est magna differentia Dei & creaturæ: quoniam magna differentia est, quod duæ naturæ sint differentes, & quod vna sit persona, & etiam quod illa differentia maior sit in bonitate, duratione, potestate, sapientia, & voluntate, gloria, virtute, & veritate, concordantia, principio, medio, fine, & maioritate, quam aliqua alia differentia, quę sit inter Deum, & creaturam. Et si non sit incarnatio possibilitas magnæ differentiæ est in priuatione, quod est impossibile, vt diuina magnitudo maiori & nobiliori differentiæ quæ possit esse inter creatorem & creaturam, non deficiat.

De Magnitudine, concordantia & Incarnatione.

SI sit incarnatio, est magna concordantia inter creatorem & creaturam,

ram,& ita magna,quod maior esse non potest inter causam & causatum: quoniam magna concordantia est inter illos, inquantum sunt vna persona, & remanent distinctæ & concordantes ambæ naturæ. Et si non sit incarnatio magna concordãtia creatoris & creaturæ est in priuatione quæ maior esse non potest: vnde sequitur, quod magnitudo rebellis est concordantiæ creatoris & creaturæ, & non contrarietati, quod est impossibile. Est ergo incarnatio.

De Magnitudine, principio & Incarnatione.

MAgnitudo principij est, ꝙ principiatum sit per principium non principiatum in tempore nec in quantitate, & quod principium principiatum sit vnũ suppositum cũ principio non principiato in tempore, nec in quanritate,& quod illud principiatum sit principium omni enti creato secundum rationẽ finis. Et istud principium principiatum ita magnum in Deitate principiatum est per incarnationem si sit incarnatio.Et si incarnatio non est, deficit magnitudo magno principio principiato, & maiori principio, quod in tempore & in quantitate potest esse principiatum: quod est impossibile & contra magnitndinem maioris principiantis, & maioris principiabilis. Est ergo incarnatio.

De Magnitudine,medio & incarnatione.

SI sit incarnatio, est magna coniunctio principii & finis: quoniã magna coniunctio est in medio, in quo creator & creatura cõiunguntur. Quod quidem medium inter principium & finem consistit, in quo sit influentia creatoris ad creaturam, & refluentia creaturæ ad creatorem, existente medio subiecto & vna persona. Et vt magnitudo sufficere possit ita magno medio, & ita magno subiecto, oportet ergo quod sit incarnatio.

De Magnitudine,fine & incarnatione.

INcarnatio est, vt sit magnus finis creaturæ:quoniam si sit incarnatio, est vna creatura posita in ita magna magnitudine finis, quod maior esse non potest, illa creatura existente coniuncta cum natura diuina, & cum illa in vnitate personæ, finis est & complementum omnium creatorum. Qui siquidem finis & complementum non posset esse aliqua creatura, nisi vnita esset cum natura diuina & cum illa vna persona foret. Est ergo incarnatio, vt sit maior magnitudo finis in creatura. Et per hunc passum responderi potest ad obiectiones, quæ fieri possunt contra incarnationem singularem vnius personæ, & vnius trunci ex diuina natura & humana existentis. qui non posset esse,si Deus assumpsisset plures humanitates.

De Magnitudine,maioritate & incarnatione.

MAior magnitudo creaturæ est, quod sit coniuncta cum creatorę & vnita. Est ergo incarnatio, vt sit maior magnitudo creaturæ, & maior concordantia magnitudinis & maioritatis in vno supposito,quod sit creator & creatura. Et si non sit incarnatio,est maior magnitudo creaturæ disposita ad esse, & non est qui ipsam in actu producat. Et sic deficit magnitudo

tudo maioritati creaturæ, & sic communicat minoritati creaturæ, quæ minotitas concordantiam habet cum paruitate creaturæ, quod est impossibile: est ergo incarnatio. Et si arguatur quod Deus paruas creaturas producit inquantum producit pomum, equum, & grucm, &c. respondendum est, quod Deus ipsas paruas creaturas producit ad seruitium & vsum maguatum, & magnas creaturas producit, quæ sunt homines ad seruitium maioris creaturæ, quæ est truncus huius arboris.

De Magnitudine, æqualitate & incarnatione.

SI sit incarnatio, magnitudo æqualitatis est inter bonitatem creatam & magnitudinem creatam, & sic de aliis formis, ex quibus est humana natura, quam Deus assumpsit. Et illa magnitudo ęqualitatis magnificata est in magna æqualitate, quæ est inter diuinam bonitatem & diuinam magnitudinem, & sic de æternitate & cæteris diuinis dignitatibus. Est ergo incarnatio, vt sit magnificatio creatæ æqualitatis in actu creato per filiũ increatum subiectum æqualitati bonitatis diuinæ magnitudinis, &c. Et si non sit incarnatio, est magnitudo rebellis suę similitudini ęqualitatis, quod est impossibile.

De Magnitudine, minoritate & incarnatione.

MInoritas secũdum comparationẽ maioritatis est propriè non esse, & paruitas secundum comparationem magnitudinis similiter, idcirco diuina magnitudo quæ infinita ęst & æterna, maiorem concordantiam habet cum maioritate bonitatis creatæ, & magnitudinis creatæ, & idem est de duratione creata & aliis, quàm cum minoritate illarum. Est ergo incarnatio vt sequatur maior concordantia, sine qua incarnatione sequeretur minor concordantia contra magnitudinem bonitatis, &c.

De Aeternitate, potestate & Incarnatione.

POtestas plus potest de creatura in æternitate quã extra æternitatem: potest ergo Deus plus in seipso de creatura, quam extra seipsum, cum ita sit, quod ipse sit æternitas. Potest ergo Deus accipere naturam humanã, quam assumpsit, vt plus vtatur in creatura sua potestate, & creatura in semetipso.

De Aeternitate, sapientia & Incarnatione.

DEus æternaliter intelligit, quod plus potest de creatura in seipso quam extra seipsum: oportet ergo quod hoc quod intelligit sua sapientia de sua potestate, & de sua æternitate, & de sua creatura, compleat, quod si non, frustra sua sapientia intelligeret maiorem potestatem, quam ipse habet de creatura in seipso quam extra seipsum. Est ergo incarnatio, in qua perficitur hoc, quod plus intelligit sua sapientia de sua potestate, & creatura in sua æternitate quam extra suam æternitatem.

De Aeternitate, voluntate & Incarnatione.

ÆTernitas in tantum durare facit amare voluntatis, sicut scire sapientiæ. Et quia voluntas tantum diligit creaturam, sicut ipsam intelligit

ſapientia, & ſapientia plus ipſam intelligit in magnitudine bonitatis, ſi ipſam intelligit vnitam cum æternitate, quam ſi ipſam non intelligat vnitam cum æternitate. Vult ergo voluntas, quod perficiatur hoc, quod ſapientia plus intelligit de creatura in magnitudine bonitatis: oportet ergo quod ſit incarnatio, vt perficiatur hoc, quod diligit diuina voluntas.

De Aeternitate, virtute & incarnatione.

ÆTernitas plus poteſt virtutem creaturæ elongare à vitio in ſeipſa quam extra ſeipſam. Et quia virtus diuina tantum fœcundè ſe habet ad virtutem creaturæ: ſicut æternitas perficit hoc, in quo plus creaturam elongare poteſt à vitio. Eſt ergo incarnatio, ſine qua diuina virtus non poſſet creaturam tantum à vitio elongare, ſicut diuina æternitas ipſam elongare poteſt.

De Aeternitate, veritate & incarnatione.

VEritas plus poteſt verificare creaturam in æternitate quam extra æternitatem, videlicet ipſam vniendo cum æternitate: & æternitas plus durificare poteſt illud verificate in ſeipſa quam extra ſeipſam. Eſt ergo incarnatio: vt poteſtas diuina ſe extendere poſſit maiori verificare, & durare creaturæ.

De Aeternitate, gloria & incarnatione.

IN æternare plus poteſt glorificari creatura, quod ſiquidem æternare eſt filiare in diuino generare, quod ſupra in arbore apoſtolicali probatum eſt, quam extra æternare. Eſt ergo incarnatio, vt diuina gloria ita fœcundè ſe habeat ad glorificandum creaturam: ſicut poteſtas ipſam glorificare poteſt in æternare.

De Aeternitate, differentia & incarnatione.

SI ſit incarnatio, natura diuina, & humana ſunt vna perſona, quæ eſt ex duabus naturis per eſſentiam differentibus, & vna eſt ſubſtantia, in qua æternitas durare facit ambas naturas in differentia ſine multiplicatione, & diminutione ambarum naturarum. Et hæc duratio eſt maior actus quam diuina æternitas habere poſſit in diſtinctione Dei & creaturæ. Eſt ergo incarnatio, vt æternitas maiorem habeat actum, de quo dictum eſt.

De Aeternitate, concordantia, & Incarnatione.

ÆTernitas & diuina concordantia æqualiter ſe habent, & fœcundè ad creaturam, ſi ſit incarnatio: quoniam concordantia concordat in vnitate perſonæ diuinæ vnionem Deitatis, & humanitatis, & æternitas durare facit illud concordare, & vnire. Eſt ergo incarnatio, vt æternitas & concordantia ſe æqualiter habere poſſint, & fœcundè in creatura.

De Aeternitate, principio & incarnatione.

SIcut agens naturale in humana ſpecie principiare poteſt ſubſtantiam nobiliorem quam in ſpecie equi: ita poteſtas diuina principiare poteſt nobilius principium in diuina æternitate

nitate quam in specie hominis, vel alte rius creaturæ: & quia potestas diuina est principium creaturæ, secundum quod est principium se habet ad maius principiatum creatum, vt se habeat ad suam maiorem similitudinem; habet se ergo ad principiatum creatum cum diuina æternitate vnitum, sed hoc esse non posset, si Deus incarnatus non esset.

De Aeternitate, medio & incarnatione.

Sicut creatura in æternitate durabilior est quam extra æternitatem, ita amabilior est in æternitate quam extra æternitatem. Sunt ergo maior durabilitas & maior amabilitas media per quæ oportet, quod creator, & creatura in æternitate diuina coniungantur in tantum, quod ambo sint vna persona, vt sequatur maior durabilitas, & amabilitas creaturæ. Est ergo incarnatio, sine qua esset maior dispositio durabilitatis, & amabilitatis in creatura quam duratiuitatis, & amatiuitatis in creatore.

De Aeternitate, fine & incarnatione.

Finis creaturæ est æternitas, quem melius assequuta est, si sit incarnatio. Est ergo incarnatio, vt finem melius sit assequuta. Et si non sit incarnatio non est finis creaturæ assequuta in maiori actu, quam æternitas habere potest in creatura: sed in minori, quod est contra maiorem actum diuinæ voluntatis, quæ maiorem finem creaturæ diligit, cui maiori amare deficit actus æternitatis, quod est impossibile.

De Aeternitate, maioritate, & incarnatione.

Æternitas melius ostendere potest suam similitudinem cum maioritate quam cum minoritate, cum ita sit, quod æternitas maior sit quam creatura. Est ergo incarnatio, vt creatura sit in maioritate, supra quam maior esse non potest. Et si non sit incarnatio, ostendit æternitas suam similitudinem cum minoritate creaturæ contra suam maioritatem, quod est impossibile: per quam impossibilitatem est probabilitas incarnationis.

De Aeternitate, æqualitate, & incarnatione.

Creatura tantum est amabilis per diuinam voluntatem in magnitudine bonitatis: sicut æternabilis per æternitatem in magnitudine bonitatis. Et hoc est, quia æternitas & diuina voluntas se habent æqualiter ad creaturam: est ergo incarnatio, per quam creatura æternata est, in quantum cum æternitate est vnita in vnitate personæ.

De Aeternitate, minoritate, & incarnatione.

Creatura producta est de nihilo, & quia minoritas est propriè non esse secundum comparationem maioritatis: quæ est longè à non esse, oportet quod sit incarnatio, vt æternitas creaturam elonget à minoritate, & ipsam ponat in maiori maioritate, in qua poni possit, quæ siquidem maior stat per incarnationem, sine qua æternitas nullam creaturam elongare posset ita fortiter à minoritate, nec per consequens à non esse.

Rr 4

De Potestate, sapientia, & Incarnatione.

POtestas Dei tantum potest in creatura per possificare, sicut diuina sapientia per scire: cum ita sit, quod diuina sapientia habere possit suum scire per potestatem, & quia sapientia plus scit de potestate creatoris in creatura, si sit incarnatio, quam si non sit: oportet quod potestas tantum se extendat ad possificandum creaturam: sicut sapientia se extendit ad sciendum. Est ergo incarnatio, vt æqualiter potestas, & sapientia ad actus suos se extendant.

De Potestate, voluntate, & incarnatione.

DIuina voluntas incarnationem amare potest postquam nullum inde sequitur inconueniens. Et postquam voluntas ipsam amare potest, potestas ipsam possificare potest. Et si ipsam possificare non posset, se posset plus amare extendere in amabilitate creaturæ, quam potestas in possibilitate. Et sic sequeretur, quod diuina potestas se haberet plus ad creaturam per voluntatem quam per seipsam, quod est impossibile. Est ergo incarnatio, vt potestas tantum se habere possit ad possificandum creaturam, sicut voluntas ad amandum creaturam. Et si voluntas amare posset incarnationem, & non amaret, potestas plus se habere posset ad possificandum creaturam, quam voluntas ad amandum ipsam, quod est impossibile. Et in hoc passu arguent quidam, & dicent, quod plura potest Dei potestas de creatura quæ voluntas non dilig t. Et ad hoc responderi potest, quod potestas possificare non potest illa, si voluntas ipsa odit: nec potest esse ociosa in illis, si voluntas ipsa diligit, nec propter hoc potestas per voluntatem coacta est, cum ita sit, quod sint vnum idem numero, nec voluntas aliquid diligit sine magnitudine bonitatis. Et per hunc passum respondetur obiectionibus, quas aliqui facere possent secundum consequentiam nostrarum probationum, videlicet quod voluntas non diligit plures incarnationes: quoniam vnitas personæ esse nõ posset, si essent plures incarnationes naturæ diuinæ, & naturarũ humanarũ, nec diuina volũtas diligit quod potestas multiplicare possit gradus creaturarũ contra ordinẽ & proportionem, in quibus oportet quod sint ordinati sub fine, qui est superior, qui est truncus huius arboris. Sicut Deus qui non posset ponere in ordine, quod bonitas nobiliorem finem haberet in specie equi quam hominis, nec color quam substantia. Et hæc responsio sufficit obiectionibus, quæ fieri possent contra nostras consequentias nostrarum probationũ siue conclusionum, veruntamen latius loqui intendimus de hac materia in arbore quæstionali.

De Potestate, virtute & Incarnatione.

POtestas Dei tantum potest de virtute sensitiua sicut de intellectiua: sed quoniam intellectiua nobilior est quam sensitiua se tantum communicare non potest per sensitiuam sicut per intellectiuam, quoniam per sensitiuam sentiri non potest, cum ita sit, quod ipse non sit substantia corporalis, & intelligi potest per virtutem intellectiuam, cum ita sit, quod ipse sit substantia spiritualis intellig bilis. Potestas.

testas ergo diuina se habet plus secundum virtutem increatam ad possificandum virtutem intellectualem quã sensualem, & hoc secundum cursum naturalem. Sed potestas Dei supra cursum naturalem ascendit, vult quod sit incarnatio, vt tantum se cõmunicet sensitiuæ humanæ, sicut intellectiuæ humanę in deificando quamlibet illarum potentiarum secundum modum incarnationis, existente tantum sensitiua coniuncta cum deitate, quantum intellectiua, vt potestas Dei tantum se extendere possit in dando virtutem per deitatem sensitiuæ quantum intellectiuæ. Et idem de elementatiua, vegetatiua, & imaginatiua.

De Potestate, veritate & Incarnatione.

DIuina potestas plus potest de veritate creata in diuina veritate, quam de veritate creata in alia veritate creata. Et hoc est, quia veritas increata plus recipere potest de possificare & verificare quam veritas creata: & quia veritas increata ita nobiliter & fœcundè se habet ad veritatem creatam, sicut diuina potestas verificat de veritate creata in seipsa, & de seipsa in illa tantum sicut potestas possificare potest. Sed hoc esse non posset, nisi incarnatio esset sine qua plus posset potestas de veritate increata verificare in veritate creata, & de veritate creata in increata per verum incarnare, quam veritas increata possificare de potestate increata in potestate creata, & de potestate creata in potestate increata per possificare incarnare, quod est impossibile, per quam impossibilitatem consistit probabilitas incarnationis.

De Potestate, gloria & Incarnatione.

POtestas Dei maiorem gloriam dare potest creaturę per incarnationem quam sine incarnatione, cum ita sit, quod maior gloria quam creatura habere possit vel dare alij creaturæ, possit esse per incarnationem, quam esse oportet vt potestas respõdeat maiori gloriabilitati creatæ, & gloriatiuitati increatæ, sine qua respõsione potestas increata quietẽ habere non posset in gloriando creaturã: quod si haberet quietem, haberet cum minori gloriari contra maius, quod est impossibile.

De Potestate, differentia & incarnatione.

ILla potestas quæ plus differentiare potest, plus potest concordare, & maius differentiare & concordare quę possint esse inter Deum & creaturam, est, si sint incarnatio: quoniam magna differentia est, ꝙ sint duæ naturæ, vna infinita & alia finita, & quod ex ipsis sit vna persona, & magna concordantia est ex ipsis in vnitate personæ. Est ergo incarnatio, vt potestas se extẽdat in maiori differentia & concordantia, quæ possit esse inter Deum & creaturam.

De Potestate, concordantia & incarnatione.

IN concordantia naturæ infinitæ & finitæ quæ concordant in vnitate personæ est maior possitiuitas, possibilitas & possificare, quam in concordãtia naturæ infinitæ & finitæ, quæ non concordant in vnitate personæ, nec in concordãtia naturæ finitę & infinitæ.

Est ergo incarnatio vt maior concordantia quæ possit esse per incarnationem sit subiectum maiori possificabilitati & possificatiuitati. Et maiori possificare, quod possit esse inter Deum & creaturam: quod si incarnatio non sit, deficit diuina potestas maiori possificabilitati, possificatiuitati & possificare, q̃ diximus. Et per consequẽs deficit maiori concordatiuitati, concordabilitati & concordare, de quibus dictum est. Et ei deficit magnitudo bonitatis, virtutis, sapientiæ, & voluntatis, quod est impossibile, per quam impossibilitatem consistit incarnationis probabilitas.

De Potestate, principio & Incarnatione.

Diuina potestas plus principiare potest de creatura magnitudinẽ bonitatis in seipsa, quam extra seipsam. Est ergo incarnatio, vt ipsa sit subiectũ maiori principio creaturæ in magnitudine bonitatis. Et si non sit incarnatio, deficit potestas maiori principiabilitati creaturæ, & maiori magnitudini bonitatis, quod est impossibile: cum ita sit, quod diuina sapientia sciat illam maiorem principiabilitatem & suam magnitudinem bonitatis, & diuina voluntas intantum diligat illam principiabilitatem & magnitudinem bonitatis, sicut scit sapientia.

De Potestate, medio & incarnatione.

Possificare est medium, quod est inter possificatiuitatem & possificabilitatem. Et quanto est maius mediũ in magnitudine bonitatis, tanto possificatiuitas & possificabilitas se extendunt in magnitudine bonitatis. Est ergo incarnatio vt possificatiuitas diuina & possificabilitas creata habere possint magnam extensionem & intensitatem cum magnitudine bonitatis.

De Potestate, fine & incarnatione.

Potestas diuina finem creaturę plus exaltare potest in scibilitate & amabilitate in producendo illum finem de seipsa, & de creatura in vnitate personæ, quam in producendo illum finẽ sine vnitate personæ, quæ sit de natura diuina & humana. Est ergo incarnatio, vt potestas satisfaciat scitiuitati & amatiuitati diuinæ, & maiori scibilitati & amabilitati finis creaturæ.

De potestate, maioritate & incarnatione.

Diuina potestas plus potest de creatura cum maioritate quam cum minoritate, videlicet cum maioritate creata & minoritate creata: sicut ignis qui plus calefacere potest cum maiori calore quam cum minori, & plus communicare suum calorem in maiori calefactibilitate quam minori. Est ergo incarnatio, vt potestas diuina possit de creatura cum maioritate bonitatis creatæ, & possit in maiori bonificabilitate creata, in qua potest cum incarnatione, per quam exaltat creaturam in maiori magnitudine bonitatis. in qua exaltari possit.

De potestate, æqualitate & incarnatione.

Formæ diuinæ æqualiter se habent ad formas creatas, cum ita sit, quod formæ creatæ æqualiter sint creatę per formas diuinas, videlicet per vniuersalem substantiam, quæ est Deus bonus

nus,magnus,æternus,&c.& æqualiter Deus per suas dignitates. Oportet ergo quod diuina potestas æqualiter respondeat maiori bono creato,scibili & amabili per diuinam sapientiam & voluntatem. Est ergo incarnatio, in qua sit æqualis responsio diuinæ possificatiuitatis,scitiuitatis & amatiuitatis, quæ maius bonum creatum attingunt per incarnationem.

De Potestate,minoritate & Incarnatione.

MInor potestas creata est in plāta quā in animali, & in equo quā in homine: potest ergo plus potestas Dei in equo quam in planta,& in homine quam in equo: & hoc est ratione potentiarum passiuarum, quæ secundum quod maiores sunt in possibilitate, possunt esse in maiori passione sub diuina possitiuitate. Est ergo secundum hoc significata incarnatio, vt sit vna maior passiua possibilitas creata longior à minoritate in maiori maioritate actiua,quod esse non posset sine incarnatione.

De Sapientia, voluntate & incarnatione.

OMne illud quod scitur per sapientiam Dei diligitur per eius voluntatem in scitiuitate & in scibilitate sapientiæ, non tamen secundum conditiones obiectorum malorum per peccatum:sicut Deus qui scit peccatū quod per suam voluntatem non diligitur. Et quoniam bonum est contra peccatum, oportet quod voluntas diligat omne bonum quod sapientia scit: quoniam si totum illud bonum non diligeret, posset peccatum diligere contra bonitatem, scitiuitatem & scibilitatem sapientiæ: diligit ergo voluntas omne bonum quod scit sapientia, & illud diligit secundum possibilitatem bonæ amabilitatis. Et in hoc passu stat responsio generali obiectioni,quæ fieri potest contra consequentiam, quam damus de incarnatione in conclusione in pluribus locis huius processus. Dicimus etiam quod voluntas diligit omnia bona obiecta, quæ scit sapientia:& sic diligit equum scitum per sapientiam, in quo equo est parua bonitas. Et quia in se bonitatem habet est amabilis. Quanto ergo magis voluntas diligit obiectum creatum amabile, quia vnitum est cum diuina voluntate & bonitate, cum ita sit, quod ad voluntatem diuinam spectat melius amare magnum bonum,quam minus. Est ergo incarnatio, vt hæc locutio sit vera,si voluntas diuina paruā bonitatem diligit, quæ est in equo, quanto magis diligit magnam bonitatem in incarnatione. Et si incarnatio non est,hæc locutio est vera, si diuina diuina voluntas diligit magnum bonum, sequitur, quod diligit paruum bonum,quæ locutio est falsa:quoniam si esset vera, ita haberet maiorem proportionem in amando paruum bonum quam magnum:sicut rex,qui maiorem habet proportionem cum potestate dando equum quam ciuitatem.

De Sapientia, virtute & Incarnatione.

OMne id quod scit sapientia Dei scit virtuosè, & si paruam scit virtutem, sequitur quod sciat magnā, cum ita sit, quod ad eam spectat melius scire magnam virtutem, quam paruam,secundum quod de voluntate dictum est. Est ergo incarnatio, vt sapientia maiorem sciat virtutem quæ possit

possit esse de Deo in creatura, & de creatura in Deo. Et si non sit incarnatio, maior virtus Dei in creatura & creaturæ in Deo non esset scibilis virtuosè, esset ergo scibilis minor virtus virtuosè, & sequeretur quod sapientia Dei melius esset conditionata in scire paruam virtutem quam magnam, & minorem quam maiorem. Et esset ita conditionata sicut sapientia Martini, quæ propter hoc, quia de non esse producta est, melius conditionata est ad sciendum paruam virtutem ignis quam magnam Angeli.

De Sapientia, veritate & incarnatione.

NVlla sapientia scit ita magnam magnitudinem veritatis, sicut sapientia Dei, spectat ergo ad eum melius scire magnam veritatem, quam paruam. Est ergo incarnatio, in qua scit maiorem veritatem Dei in creatura, & creaturæ in Deo per vnitatem personæ diuinæ & humanæ, quam in aliqua veritate creata. Et si non est incarnatio, melius pertinet ad sapientiã diuinam scire minorem veritatem creatam quam maiorem, & minorem gratiam creatoris in minori creatura quam in maiori, quod est impossibile.

De Sapientia, gloria & incarnatione.

OPortet quod sapientia Dei melius sciat magnam gloriam quã paruam: & hoc est, quia ipsa est magnitudo ratione cuius scit secundum suam conditionem sine paruitate, licet sciat paruam gloriam in illis, qui non habent ita magnam gloriam sicut alij digni maiori gloria. Vnde si sapientia paruam gloriam comprehendit, bene sequitur, quod magnam gloriam comprehendit, cum ita sit, quod parua gloria non sit de essentia sapientiæ. Est ergo incarnatio, vt diuina sapientia magnam gloriam comprehendat, & maiorem gloriam quam creatura possit habere. Et si incarnatio non est, sapientia maiorem gloriam creaturæ habitualiter comprehendit, & minorem actualiter, quæ est in aliquo angelo. Et hoc est impossibile, cum ita sit, quod magnitudo gloriæ maior sit actualiter quam potentialiter.

De Sapientia, differentia, & incarnatione.

SI sit incarnatio, sapientia Dei scit maiorem differentiã quæ possit esse inter Deum & creaturam in bonitate Dei & creaturæ, illa differentia existente inter bonitatem increatam, & creatam, ambabus coniunctis in vnitate personæ diuinæ, & humanæ, & bonæ per diuinam bonitatem, & humanam. Et maioritas illius differentiæ consistit propter magnam magnitudinem bonitatis creatæ, & increatæ. Est ergo incarnatio, vt sapientia scire possit magnam differentiam ambarum bonitatum, & magnam magnitudinem ex ipsis coniunctam.

De Sapientia, concordantia, & incarnatione.

MAgnitudo concordantiæ est, quod plura concordent in vnitate personæ, & quod quodlibet in sua propria quantitate remaneat. Sicut ignis & aër, qui concordantiam habent in vnitate zinziberis, qui est humidæ, & calidæ complexionis. & in illo maiorem concordantiam haberent, si in illo possent esse sine terra, & aqua.

aqua. Oportet ergo quod magna concordantia sit inter Deum & creaturam, vt sapientia diuina ad quam spectant magnæ obiectabilitates, illam magnam concordantiam intelligere possit. Est ergo incarnatio, in qua sustentatur maior concordantia, quæ inter Deum & creaturam esse possit.

De Sapientia, principio, & Incarnatione.

DEus est principium creaturæ, & est principium creaturæ cum magnitudine finis, idcirco est principium creaturæ cum magnitudine maioris finis, cum ita sit quod magnitudo finis & principium maiorem habeant concordantiam in maioritate quam in minoritate. Et hoc scit sapiētia Dei, & non tantummodo sapientia Dei, sed intellectus paruus Raymundi, qui hunc librum componit, & hoc idem scire poterit intellectus Martini & intellectus Petri: quoniam possibile est eis scire, & per se apparet. Est ergo incarnatio, vt sapientia Dei principium creaturæ sciat in maioritate finis. Quæ siquidem maior finis creaturæ consistit per incarnationem.

De Sapientia, medio, & Incarnatione.

CReare est medium, quod est inter Deum & creaturam, & potentia creatiua est creator, & creabilis est creatura, & creare quod exit de creabili, est actus passiuus, qui est pars creaturæ. In quo quidem creare potentia actiua de sua essentia nihil addit, & si est incarnare, est maius medium inter Deum, & creaturam quam creare: quoniam in ipso creator coniungit seipsum cum creatura. Est ergo incarnatio, vt diuina sapientia sciat maius medium quod esse possit inter Deum & creaturam, videlicet incarnate, quod est de essentia creantis, & creabilis in trunco huius arboris. Et si non sit incarnatio, sapientia Dei scit illud maius medium in intentione, & non in realitate: sicut illud scit Raymundus, & minus medium scit esse realiter, quod scibile est in realitate & amabilitate, & maius in fantasia & in odibilitate: quod est impossibile.

De Sapientia, fine, & incarnatione.

OMne id quod Dei sapientia scit, secundum finem scit: quoniam nihil scit frustra. Idcirco dixit quidam sapiens, quod sapientia Dei illa nescit, quæ in actu non veniunt aliquo tempore: quoniam si ipsa sciret, illa scibilitas esset superflua, & non essent scita secundum finem: quoniam nihil inde sequeretur. Scit ergo sapientia Dei omnia, ratione finis, videlicet omnia scit propter seipsum & per seipsum, & scibilia sunt ratione finis. Est ergo incarnatio, vt sit maior scibilitas finis creatæ proportionata maiori scitiuitati. Et si non sit incarnatio deficit maior scibilitas finis creati maiori scitiuitati, quæ scire poterit ratione illius defectus aliquam scibilitatē superfluam & vacuam fine, quod est impossibile.

De Sapientia, maioritate, & incarnatione.

AD maiorem scitiuitatem spectat maior scibilitas. Et si sit incarnatio, est per illam maior scibilitas creaturæ, quæ poterit esse in creatore, & creatoris in creatura. Quæ quidem maior scibilitas maiori scitiuitati respondet. Et si non sit incarnatio, re-

manet scitiuitas sine maiori scibilitate creaturæ, & sic remanet scitiuitas vacua maiori scibilitate creata, & plena minori, quod est impossibile. Est ergo incarnatio.

De Sapientia, æqualitate, & Incarnatione.

SI sit incarnatio, sapientia scit maiorem æqualitatem creatoris in creatura, & creaturæ in creatore. Veruntamen non dicimus, quod creatura æqualis sit creatori, sed quod æqualitas quam habet in suis partibus, coniuncta sit in trunco huius arboris cum æqualitate diuinarum personarum. Et si non sit incarnatio, diuina sapientia nescit maiorem æqualitatem creatam in maiori æqualitate increata, & deficit ei maior scibilitas creata, & ei sufficit minor, in qua quiescit: quod est impossibile & contra maiorem æqualitatem increatam, & maiorem possibilitatem æqualitatis creatæ.

De Sapientia, minoritate, & incarnatione.

SApientia tantum intelligere non potest bonitatem in minoritate, sicut in maioritate, cum ita sit, quod quanto bonitas est maior, tanto est intelligibilior quam minor. Est ergo incarnatio, vt sit maior intelligibilitas bonitatis creatæ illa intelligibilitate in maioritate multiplicata ratione incarnationis, in qua bonitas creata ad maiorem gradum ascendit intelligibilitatis creatæ, ad quem gradum intelligibilitas creata ascendere non posset sine incarnatione, nec diuina intellectiuitas ad illam venire posset: oportet ergo esse incarnationem, vt diuina intellectiuitas maiorem intelligibilitatem comprehendat, quæ possit esse creata.

De Voluntate, virtute, & incarnatione.

VOluntas Dei diligit virtutem, idcirco posuit virtutes vias gloriæ, videlicet fidem, spem, charitatem, iustitiam, & cæteras virtutes, cum quibus beati tendunt ad gloriam. Est ergo virtus amabilis, & quia est amabilis, se habet fortius ad maiorem finem virtutis quam ad minorem. Est ergo incarnatio per quam diuina voluntas se habet ad maiorem finem virtutis creatæ, illo maiori fine virtutis creatæ coniuncto cum fine virtutis increatæ.

De Voluntate, veritate, & incarnatione.

FAlsitas amabilis non est, quia est contra finem veritatis qui est amabilis: & quanto falsitas est maior, tanto est magis odibilis. Est ergo maior finis veritatis magis amabilis quam minor. Est ergo incarnatio, vt finis veritatis creatæ sit amatus in maiori gradu amabilitatis, sine qua incarnatione non posset esse amatus.

De Voluntate, gloria, & Incarnatione.

SI sit incarnatio, maior gloria creaturæ est amata in maiori amabilitate, & si non sit incarnatio in minori: cum ita sit, quod maior gloria creata possit esse per coniunctionem naturæ diuinæ, & humanæ in vnitate personæ. Est ergo incarnatio, vt gloria creaturæ amata sit in maiori gradu, in quo amari possit.

De

De Voluntate, differentia & incarnatione.

INter gloriam Dei & creaturæ est differentia, & illa differentia est amabilis in bonitate & non in malitia, est ergo amabilis magis, in magnitudine quam in paruitate: cum ita sit, quod magna bonitas magis sit amabilis quàm parua. Est ergo incarnatio ratione cuius bonitas differentiæ, de qua dictum est, plus est amabilis in magnitudine quam in paruitate, sine qua incarnatione esset in contrarium.

De Voluntate, concordantia. & Incarnatione.

SI diuina voluntas maiorem concordantiam Dei & creaturæ non diligeret, esset concordantia amabilis in minoritate finis, in qua quietem haberet, quod est impossibile. & contra maiorem bonitatem concordantię. Est ergo incarnatio, ratione cuius est maior finis concordantiæ amatus.

De Voluntate, principio & Incarnatione.

DIuina voluntas diligit plus principiabilitatem creatam in maiori principiatiuitate quam in minori, & hoc est, quia principiatiùitas est causa principiabilitatis. Idcirco est incarnatio vt increata amatiuitas sequatur ordinem amabilitatis, qui est inter causam & effectum in maiori magnitudine bonitatis per incarnationem quam sine incarnatione.

De Volũtate, medio & Incarnatione.

INter magnam amatiuitatem & amabilitatem est maius medium quam in paruitate. Est ergo amare maius medium per maiorem amatiuitatem & amabilitatem quam per minorem. Est ergo incarnatio, ratione cuius maius amare est maius medium, inter maiorem amatiuitatem increatam, & maiorem amabilitatem creatam.

De Voluntate, fine & Incarnatione.

VOluntas diuina diligit finẽ creaturæ, nam si ipsam non diligeret, ipsam ad aliquem finem non creauisset, aut ipsam contra finem creauisset, quod est impossibile. Diligit ergo diuina voluntas finem creaturæ, quam diligit cum magnitudine suę bonitatis: idcirco oportet, quòd in fine amata sit magna bonitas. Est ergo finis creaturæ amatus in maiori gradu bonitatis creatæ, cum ita sit, quod magnitudo maiorem habeat concordantiam cum maiori bonitate quam cum minori. Est ergo incarnatio secũdum consequentiam illius, de quo dictum est.

De Voluntate, maioritate & Incarnatione.

MAior voluntas plus diligere potest quam minor, & maior voluntas magis est amabilis quam minor: est ergo incarnatio probata secundum consequentiam huius processus, cum ita sit, quod si sit incarnatio vna volũtas creata est in maiori amabilitate creata, quam aliqua alia voluntas creata. Et in hoc passu significata est responsio, quæ fieri potest secundum veritatem contra multum generalem obiectionem, quæ fit contra incarnationem secundum modum processus nostræ probationis. Et iste passus est valde vtilis & subtilis ad intelligendũ:

quoniam significat & ostendit quod oportet, quod vna sit incarnatio, vt cum singularitate incarnatio ascendere possit ad maiorem gradum amabilitatis creatæ, quæ respondeat maiori gradui amatiuitatis increatæ.

De Voluntate; æqualitate & Incarnatione.

SIcut maior amabilitas creaturæ est magis amabilis quam minor, ita maior scibilitas creaturæ est magis amabilis quam minor, & idem de maiori bonificabilitate creata. Est ergo incarnatio, vt æqualiter se respondeat amabilitates in maioritate creata, quæ siquidem responsio non foret sine incarnatione. Et iste passus est valde placens & subtilis ad intelligendnm, quoniam multum clarè probationem incarnationis significat.

De Voluntate, minoritate & Incarnatione.

NVlla minor voluntas resistere potest voluntati, quæ est in maioritate cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, virtutis, gloriæ, & veritatis. Est ergo incarnatio, sine qua minor voluntas resisteret maiori, quoniam noller, quod voluntas creata foret in maiori magnitudine creata bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, virtutis, gloriæ, & veritatis.

De Virtute, veritate & Incarnatione.

VIrtus non sustinet, quod veritas sit vitium, nec veritas sustinet, ꝙ virtus sit falsitas: est ergo cõcordãtia inter veritatem & virtutem, & per cõsequens inter vitium & falsitatem. Idcirco significata est incarnatio: quoniam si incarnatio est maior, veritas creata est in maiori virtute increata, & maior virtus creata in maiori veritate increata. Et sic est maior concordantia inter veritatem & virtutem increatam, & veritatem & virtutem creatam contra maius vitium & falsitatem. Et si incarnatio non est maior concordantia vitij & falsitatis, maiori concordantiæ veritatis & virtutis resistit, quod est impossibile.

De Virtute, gloria & Incarnatione.

VIrtus & gloria habent concordantiam, & vitium & pœna: cum ita sit, quod cum virtute Sancti vadunt ad gloriam, & dãmnati cum vitio ad pœnam, & si sit incarnatio, est concordantia virtutis & gloriæ creatæ in maiori quiete, & peccatores vitiosi sũt in maiori pœna. Est ergo incarnatio, vt sit maior distantia inter concordantiam virtutis & gloriæ, & concordantiam vitij & pœnæ.

De Virtute, differentia & Incarnatione.

FIdes spes, & charitas, sunt virtutes differentes, & quãto sunt maiores, tanto possunt esse magis differentes, & maiori concordantia bonitatis, magnitudinis & veritatis, in quo maiori concordantia possint esse si sit incarnatio, quæ subiecta est maiori credibilitati spei & charitati. Et si incarnatio non sit, virtus habet defectum maioris concordantiæ & differentiæ in fide, spe & charitate. Est ergo incarnatio, vt maior virtus differentia & concordantia quæ sunt inter Deum & creaturam, sufficiant maiori virtuti differentiæ & concordantiæ fidei, spei, & charitatis. Idcirco dixit quidam sapiens, quod Christia-

Christianus maiorem virtutem acquirere potest, aut esse in maiori vitio secundum suam credentiam quam Saracenus vel Iudæus, vel aliquis alius homo.

De Virtute, concordantia & incarnatione.

INter vnam virtutem & aliam est concordantia,& inter vnum vitium & aliud, & ambæ concordantiæ sunt contrariæ.Et quanto virtutes sunt maiores, concordantia earum magis est contraria concordantiæ vitiorum, & è conuerso. Est ergo incarnatio, vt per illā sit magna concordantia iustitiæ, prudentiæ,fortitudinis,temperantiæ,abstinentiæ,patientiæ, humilitatis, pietatis,& conscientiæ, contra maiorem concordantiam iniuriæ, stultitiæ, fragilitatis, gulæ, & impatientiæ,&c. cum ita sit, quod incarnatio occasio sit maiori iustitiæ, prudentiæ, & cæteris, si ipsa sit. Et si non sit,eius priuatio est occasio minori concordātiæ virtutum, & maiori concordantiæ vitiorum.Et in hoc passu potest intelligi,quod in inferno maiorem pœnam habebunt Christiani damnati quam alij homines.

De Virtute, principio & Incarnatione.

IN maiori principio bonitatis maior virtus principiari potest, cum ita sit, quod potestas sit magis communicabilis virtuti in maiori principio quam in minori. Est ergo incarnatio vt virtus possit esse in maiori principio, & quod potestas diuina communicare possit suam similitudinem in illa maiorificatione, etiam similitudinem diuinæ virtutis & diuini principij.

De Virtute, medio & Incarnatione.

NAturaliter virtus maior est in medio loco quam in extremitatibus, & hoc est quia medium virtutis longius est à suo contrario in medio loco substantię quam in extremitatibus illius. Idcirco huiusmodi virtus creata incarnationem significat, cuius amabilitate amare beati Petri fortius est in medio loco voluntatis, quod est inter amatiuitatem & amabilitatem, quam amare alicuius alterius voluntatis, quæ non sit hominis catholici siue Christiani.

De Virtute, fine & incarnatione.

QVanto propinquior est charitas suo fini, tanto virtus fidei & spei se habet plus ad charitatem. Et si sit incarnatio, se habet virtus fidei & spei fortius ad finem charitatis, quam si incarnatio non sit.Est ergo incarnatio, vt virtus fidei & spei melius se habere possit ad finē charitatis,si sit incarnatio quā si incarnatio nō sit,apparet multiplicatione maioris fidei & spei,si incarnatio sit quam si non sit. Quoniam magna fides est credere incarnationem,& per incarnationē possunt peccatores habere magnam spem in misericordia & charitate Dei, & illius hominis deificati, inquantum Deus factus est homo.

De Virtute, maioritate & Incarnatione.

SI virtus Dei esset contra maiorem virtutem creatam, oporteret quod cum aliquo vitio cōcordantiam

haberet: quæ concordantia est impossibilis. Non est ergo diuina virtus in aliqua re contraria maiori virtuti creatæ, cui foret contraria si incarnatio non esset, inquantum virtutem nõ creauisset in maiori creabilitate, in qua creari posset. Est ergo incarnatio.

De Virtute, æqualitate & incarnatione.

DIuina sapientia & voluntas se habent virtuosè ad maiorem creabilitatem. Habet se sapientia ad maiorem creabilitatem, quæ intelligi potest, quam esse oportet ex creatura Deificata: quoniam maiorem creaturam in magnitudine bonitatis, & virtutis sapientia intelligere non potest: & sicut sapientia se habet ad maiorem creabilitatem per incarnationem, ita se habet voluntas, cum ita sit, quod ita virtuosè se habet ad obiectum sicut sapientia. Est ergo incarnatio, postquam maior creabilitas est amata per voluntatem diuinam: quod si non esset, diuina voluntas quietem non haberet in obiecto creato per maiorem creabilitatem sicut sapientia, & sapientia virtuosa esset in obiectione & voluntas vitiosa, quod est impossibile & contra æqualitatem, in qua se habent in accipiendo maioritatem creationis.

De Virtute, minoritate, & Incarnatione.

MInor virtus tantũ non est principiabilis per diuinum principium, sicut maior virtus. Et hoc est quia ad virtutem Dei spectat melius maior principiabilitas virtutis quam minor. Est ergo incarnatio, vt sequatur consequentia antecedentium, de quibus dictum est, quæ sequitur inquantũ incarnatio sufficit maiori principiabilitati virtutis, quæ principiari possit.

De Veritate, gloria & incarnatione.

VEritas & gloria sunt contra falsitatem & pœnam, & tantum sicut veritas & gloria sunt contra pœnam & falsitatem, sunt in magnitudine bonitatis. Est ergo incarnatio, vt homines possint esse magis contrarij cum gloria & veritate pœnæ, & falsitati, & esse in magnitudine bonitatis: quoniã si incarnatio est, est in ita magna magnitudine bonitatis, quod nulla creatura potest esse in maiori magnitudine bonitatis. Et per illam magnitudinem bonitatis melius possunt esse homines contra pœnam & falsitatem cum gloria & veritate, quam non essent, si non esset magnitudo bonitatis, quæ est per incarnationem. Cui magnitudini bonitatis esset Deus contrarius cum pœna & falsitate, si incarnatio non esset.

De Veritate, differentia & Incarnatione.

VEritas est, quod inter Deum & creaturam est differentia, & intantum quantum est illa differentia, est in veritate, & veritas in illa: & vt illud existere differentiæ in veritate & veritatis in differentia in maiori scibilitate sit & amabilitate, oportet Deum esse incarnatum, sine qua incarnatione existentia differentiæ antedictę nõ foret in ita magna scibilitate & amabilitate, & Deus foret contra magnitudinem bonitatis. Et in hoc passu aliqui arguere possent & dicere, quod oportet quod Deus sit vnitus siue cõiunctus cum omnibus creaturis. Sed respon

respondeti potest, quod si Deus esset incarnatus in asino, quod talis incarnatio foret contra magnitudinem scibilitatis & amabilitatis veritatis & incarnationis. Et idem si cum omnibus creaturis esset coniunctus. Est ergo responsio in singulari incarnatione.

De Veritate, concordantia & incarnatione.

IN maiori concordare potest esse maius verificare, & in maiori verificare maius concordare: veruntamen in maioritate esse non posset contra maiorem bonitatem scire & amare. Est ergo incarnatio, vt per illam possint esse in maiori verificare & concordare naturæ diuinæ & humanæ.

De Veritate, principio & Incarnatione.

SI sit incarnatio verificare & principiare sunt inter Deum & creaturam in maiori veritate, & in maiori principio, & si non sit incarnatio in minori. Est ergo incarnatio vt sit verificare maioris veritatis & maioris principiare maioris principij: & si non sit incarnatio, est Deus contra maius verificare, & principiare, & per consequens contra maiorem veritatem & principium, quod est impossibile.

De Veritate, medio & Incarnatione.

VErificare est medium veritatis, inquantum exit de verificante & verificabili. Et est in medio amborum, & in ipso coniunguntur, concordant & quiescunt. Deus est verificans & creatura est verificabilis, voluit ergo Deus esse incarnatus. vt verificare esset de Deo & creatura in quo quietem haberent & concordantiam intantum, quod per illud verificare comprehensæ essent verificabilitates creatæ in magnitudine bonitatis, finis & veritatis.

De Veritate, fine & incarnatione.

DEus est veritas, & est finis & cõplementum omnium creaturarũ cum veritate. Et si Deus sit incarnatus est finis veritatis Dei, & veritatis creaturarũ: quare sequitur, quod finis creaturarum est eis propinquior per incarnationem, & si non sit incarnatus, est longior. Est ergo incarnatio, vt finis & complementum propinquior sit creaturis, contra quam propinquitatẽ esset Deus, si non esset incarnatus.

De Veritate, maioritate & incarnatione.

MAior veritas quæ possit esse inter Deum & creaturam potest esse per incarnationem. Est ergo incarnatio, vt illa veritas sit in maioritate magnitudinis, bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, gloriæ, finis, & virtutis. Et si non sit incarnatio, est Deus contra illam maiorem veritatem, cum maiori falsitate quam veritate, postquam falsitas impedit, quod veritas non sit in maioritate, quod est impossibile.

De Veritate, æqualitate & Incarnatione.

DIuina voluntas diligit creaturam, cum ita sit, quod illa sit sua factura, & si ipsam diligit in tantum, quod ipse vult esse illa, est eius amare in maioritate, & si non vult esse illa creatura, est in minoritate: sed oportet quod amare sit in maioritate, vt ipsum verifi

verificare ascendat ad maioritatem, & quod voluntas & veritas æquales possint esse in amare,& verificare creaturam in maiori maioritate æqualitatis: probata est ergo incarnatio per veritatem & æqualitatem.

De Veritate,minoritate,& Incarnatione.

QVanto veritas propinquior est minoritati, tanto longior est à maioritate magnitudinis, & bonitatis, cui maioritati magnitudinis, & bonitatis propinquior est, quanto longior est à minoritate. Est ergo incarnatio, vt in sua maioritate magnitudinis & bonitatis esse possit creata veritas longè à minoritate magnitudinis & bonitatis,quod si incarnatio non sit, veritas creata non habet vniuersale subiectum creatum,in quo possit esse longior à minoritate magnitudinis, & bonitatis, nec propinquior maioritati magnitudinis & bonitatis, & Deus deficit veritati, cum ipsam non ponit in maiori magnitudine bonitatis,qui defectus est impossibilis.

De Gloria,differentia,& incarnatione.

VT gloria longè sit à contrarietate, in se habet differentiam gloriantis, gloriabilis,& gloriari,quæ subiecta sint concordantiæ illorummet, cum qua concordantia gloria possit esse contra contrarietatem, cum ita sit, quod concordantia & gloria contrarientur contrarietati. Est ergo gloria contra contrarietatem cum differentia, cum qua magis est contraria contrarietati, secundum quod differentia est in maiori concordantia. Est ergo incarnatio, vt sit maior concordantia gloriatiui increati, & gloriabilis creati in gloriari, & quod per maiorem concordantiam gloria possit esse cum differentia in maiori concordantia contra contrarietatem.

De Gloria, concordantia, & incarnatione.

GLoria est contraria pœnę,& concordantia contrarietati, idcirco gloria & concordantia, concordantiam habent contra contrarietatem, & pœnam. Et contrarietas & pœna concordantiam habent contra gloriam, & concordantiam, & sic sunt duæ concordantiæ,& duæ contrarietates. Et quanto gloria,& concordantia sunt in maiori magnitudine bonitatis, plus contrariantur pœnæ & contrarietati. Est ergo incarnatio, vt gloria & concordantia possint esse magis contrariæ contrarietati & pœnæ deuictæ per gloriam, & concordantiam cum maiori magnitudine bonitatis, cum qua vincunt,si sit incarnatio. Et si non sit incarnatio, non habent cum quo vincere possint maiorem magnitudinem mali pœnæ,& contrarietatis.

De Gloria, principio, & incarnatione.

PRincipium principiatum in gloria & eius natura coniuncta cum natura gloriæ principiatum est in maiori magnitudine bonitatis,si natura glorię sit increata. Est ergo incarnatio, vt principiatum creatum possit esse principiatum in maiori magnitudine bonitatis. Et si non sit incarnatio Deus qui est gloria deficit maiori principiabilitati ipso existente per gloriam maiori principiatiuitate, qui defectus est impossibilis, per quam impossibilitatem probatur incarnatio.

De

De Gloria, medio, & incarnatione.

GLoria Dei est in ita magna summitate magnitudinis, & bonitatis, & homo est in ita magna infinitate magnitudinis, & bonitatis; quia de nihilo est creatus, quod non posset ascēdere ad accipiendum gloriam in summitate magnitudinis, & bonitatis sine medio, quod sit de natura summitatis, & de natura infimitatis. Est ergo incarnatio, quod est medium ambarum naturarum, cum quo & per quod ascendere potest, ita magnitudo bonitatis inferioris ad accipiendum gloriam in magnitudine bonitatis superioris: sicut homo transire potest computando in numero de primo ad tertium per secundum, & de secundo ad quartum per tertium, & ita quousque numerus sit completus.

De Gloria, fine & incarnatione.

DEus est finis, & est gloria hominis, idcirco finis hominis est gloria Dei, & gloria hominis est finis, qui est Deus. Idcirco Deus creauit homines ad gloriam: oportet ergo quod sit incarnatio quæ sit de gloria & fine Dei, & de natura gloriæ & fine hominis, quæ natura facit differentiam inter gloriam & gloriam, & inter finem & finem. Et sicut facit differentiam facit concordentiam, quam siquidem differentiam & concordantiam facere non posset in maiori magnitudine bonitatis, si coniuncta non esset cum natura finis & gloriæ Dei, cum qua non posset esse coniuncta, si non esset incarnatio.

De Gloria, maioritate & incarnatione.

GLoria hominis ascendere non posset ad maiorem magnitudinem bonitatis sine incarnatione, ad quam ascendit per incarnationem: quoniam maior gloria quam homo habere potest in magnitudine bonitatis est, quod sit cum diuina natura coniunctus. Est ergo incarnatio, vt in illo homine deificato, & in illo Deo homificato possit gloria hominum ascendere ad maiorem maioritatem magnitudinis bonitatis.

De Gloria, æqualitate, & incarnatione.

SI in gloria Dei non esset æqualitas sui essentialis gloriantis, gloriabilis, & sui essentialis gloriari, quies non posset esse cum æqualitate in magnitudine bonitatis æqualitati, quam homines habent in eorum voluntate ex essentiali amatiuo, amabili, & amare, & in eorum intellectu ex essentiali intellectiuo, intelligibili, & intelligere, & in eorum memoria ex essentiali memoratiuo, memorabili, & memorari. Et idem de æqualitate, quam habent inter eorum intellectum memoriam, & voluntatem. Et idem sequeretur, si non esset incarnatio sine qua non esset gloria hominum in maiori æqualitate magnitudinis & bonitatis per eorum essentialia concreta, quæ diximus.

De Gloria, minoritate, & incarnatione.

SI sit incarnatio, est vnus homo, qui maiorem gloriam habet quam om-

nes angeli, & quam omnes homines. Et est gloria subiecta concordantiæ maioritatis & vnitatis illius hominis, qui est maior super omnes homines in gloria, & in magnitudine bonitatis. Et si non sit incarnatio, gloria non potest esse subiecta maiori concordantiæ vnitatis, & maioritatis: & fuimet, & sic gloria creata non habet cum quo se possit elongare à minori minoritate, nec esse in maiori maioritate: oportet ergo, quod sit incarnatio, vt gloria se elongare possit per incarnationem à minori minoritate, quæ est maior minoritas, & esse in maiori maioritate magnitudinis bonitatis. Et per hunc passum responderi potest ad generalem obiectionem, quæ fieri potest, falsè tamen & contra veram conclusionem incarnationis.

De Differentia, concordantia, & incarnatione.

MAgnitudo potestatis est, quod naturæ differentes in supposito concordent sine contrarietate, quod siquidem suppositum sit ex ipsis. Est ergo incarnatio: per quam natura diuina & humana in vno supposito concordant in tantum, quod cursus naturalis vnioni non resistit, quam habet cum diuina natura supra suam naturam, nec excellentia diuinæ naturæ resistit sibi ipsi in vnione, quam facit cum humana natura, quæ infima est in nobilitate, & hoc est ratione magnæ concordantiæ, quam diuina potestas habet in magnitudine concordandi. Quam siquidem magnitudinem concordantiæ habere non posset, ita magnam sine incarnatione.

De Differentia, principio & incarnatione.

INter vnum principium & aliud est differentia, sicut Pater qui est vnum principium actiuum, & filius qui est aliud principium passiuum, & Spiritus sanctus qui est principium similiter passiuum ab ambobus. Et hæc omnia tria principia sunt vnum principium commune, quod est principiũ, creator, & creatura principiabilis, & creare est ex ambobus si sit incarnatio, quoniam in incarnatione est creare de essentia creatoris & creaturæ, sicut substantiare, quod est de essentia formæ & materiæ substantiæ. Est ergo incarnatio, vt diuina potestas sit magna in creare & principiare, in quibus sine incarnatione non posset esse ita magna.

De Differentia, medio & Incarnatione.

INter Deum & creaturam est differentia, & creare est in medio, veruntamen creare non est de essentia creatoris, sed est de creabili: sicut figuræ quas sigillum facit in cera, quæ sunt de essentia ceræ, non autem de essentia sigilli. Idcirco creare non est magnum medium inter Deum & creaturam secũdum comparationem, sicut si esset de essẽtia creatoris & creaturæ: sicut generare, quod est de essentia generantis & generabilis. Est ergo incarnatio, vt sit magnum medium in differentia creatoris & creaturæ, quod siquidem est magnum in magnitudine potestatis, inquantum est vnus truncus ex diuina natura & humana per creare & incarnare.

De-

De Differentia, fine & Incarnatione.

DVo modi finis sunt differentes in generalitate secundum respectū creatoris & creaturæ: vnus modus est creatoris, & alius creaturæ, & si sit incarnatio, coniungunt se vtrique fines in vna persona, quæ generalis finis est ad omnes creaturas. Generalis est, inquantum est creator, & generalis inquantum est creatura, quæ generalis est in fine per exaltationem, quam assumit de deificatione, & ita generalis finis est per suam naturam, & per naturam quam accipit superius, omnibus finibus creatis, qui sunt de sua natura. Est ergo incarnatio, vt potestas possit esse in magnitudine finis, & differentia similiter.

De Differentia, æqualitate & incarnatione.

QVanto potestas æquare potest plura differentia in vna creatura sub ratione magnitudinis & bonitatis, tanto maius est possificare, quod habet in æquando plura bona & magna in bonitate. Est ergo incarnatio, vt potestas æquare possit humanam bonitatem, magnitudinem & duratione, & alias formas primas substantiæ humanæ in æqualitate diuina, quæ est inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum ratione diuinæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, &c. Quam siquidem magnitudinem possificandi potestas habere non posset sine incarnatione.

De Differentia, maioritate & incarnatione.

NAtura creata non est tantum differens à suis particularibus, sicut est cum natura diuina: quoniam omnia sua particularia finita sunt & terminata, & natura diuina est infinita: potest ergo differentia maior esse inter naturam diuinam, & humanam, quam inter vnam naturam creatam & aliam. Est ergo incarnatio, vt maioritas differentiæ sit tantum subiecta magnitudini potestatis in vniendo naturam diuinam & humanam, sicut in differentiando naturam humanam à diuina per creare: sed hoc esse non posset, si incarnatio non esset, sine qua deficeret maioritas magnitudini potestatis in vniendo creatorem & creaturam.

De Differentia, minoritate & Incarnatione.

QVanto minoritas minor est, tanto maior est, sicut granum milij, in quo minoritas maior est quam in pipere, & in pipere quā in faba: idcirco piper maius est quam milium, & faba quam piper, & sic de aliis similibus istis. Est ergo substantia maior per maioritatem, & est minor per maiorem minoritatem secundum exempla, quæ supra posuimus. Idcirco cognoscitur, quod differentia est minor inter vnam substantiam paruam, & aliam paruam, quam inter vnam magnam & aliam paruam. Idcirco est significata incarnatio, vt potestas differentiam creatoris & creaturæ in ita magna maioritate ascendere possit, quod maior esse non possit in possificare, maiorificare & differentiare.

De Concordantia, principio & incarnatione.

INter principium & principiabile est cõcordare, quod siquidẽ concordare est in magnitudine amantis & amabilis, secũdum quod principians est magnum, & principiabilis, similiter in principiate & in amate, vnde cum cõcordantia sit inter creantem, & creabilem principiantem, & principiabilem amantem & amabilem: oportet quod sit incarnatio, vt magnitudo se extendere possit in magnum concordare concordantis & concordabilis, principiantis & principiabilis, & amantis & amabilis, hanc extensionẽ magnitudo habere non posset sine incarnatione.

De Concordantia, medio & Incarnatione.

IN concordantia, se habent ita concordans, & concordabilis, & cõcordare, sicut in amore amans & amabilis & amare: est ergo concordantia medium concordantis & concordabilis, & secundum quod concordans & concordabile se habent ad magnum amare, est concordans magnum in amare & amore. Est ergo incarnatio, vt concordare Dei & creaturæ sit in magno amare, & in ita magno quod in maiori esse non possit, vt magnitudo non deficiat maioritati concordantiæ & amoris & concordandi & amandi.

De Concordantia, fine & Incarnatione.

FInis concordantis, & cõcordabilis, & concordare. Et finis concordare est concordatum, quod siquidem concordatum est in magnitudine amoris & amandi secundum magnitudinem amoris, quam concordans & concordabilis habẽt in concordare & amare. Est ergo incarnatio in qua suppositum est concordatum per concordare cum magnitudine amãdi per concordantẽ, creantẽ, & amantem concordabilem, creabilem, & amabilem. Et huiusmodi concordatum requirit maiorem finem, qui possit esse inter Deum & creaturam per concordare amare, & complere.

De Concordantia, maioritate & incarnatione.

DIuina voluntas diligit concordãtiam Dei & creaturæ in illa maioritate, in qua potestas ipsam concordare potest. Et hoc facit, vt sapientia in concordantia sciat ita magnum amare, sicut intelligere, vnde cum sapientia sciat quod maius concordare potest esse per incarnare, oportet quod voluntas diligat maius concordare, quod diligere non posset, si incarnare deamaret.

De Concordantia, æqualitate & incarnatione.

QVanto concordantia habet æqualia concreta essentialia in amore, tanto maiorem habet æqualitatem inter concordare & amare. Est ergo incarnatio, vt possit esse magna concordantia inter concordare & amare, & ita magna quod magnitudo amoris concordantiæ non deficiat maiori magnitudini æqualitatis, quæ possit esse inter concordare & amare secundum comparationem & creatoris & creaturæ.

De

De Concordantia, minoritate & incarnatione.

MInus amare in maiori concordantia non posset esse nec etiam minus concordare in maiori amore sine incarnatione, & vt minus amare creatum sit in maiori concordantia increata, & minus concordare creatum sit in maiori amore increato, oportet quod sit incarnatio, vt maius amare creatum sit in maiori concordantia creata & increta, & maius concordare creatum sit in maiori amore, & in cõcordantia increata.

De Principio medio, & incarnatione.

NVllum principium creatum ad finem venire potest sine medio: quoniam si venire posset ad finem sine medio, principium creatum esset idem quod suus finis, & ita Deus non esset finis illius, quod est impossibile. Et in hoc passu cognoscitur, quæ est natura peccati in hominibus, qui diligunt plus seipsos quam Deum. Vnde cum principium creatum ad finem se habeat per medium, secundum quod finis est magnus, se habet ad magnum medium, & secundum quod medium est magnum se habet ad magnum finem. Est ergo incarnatio, vt principium creatum se habere possit per maius medium ad maiorem finem: sed hoc esse non posset, si incarnatio non esset, sine qua incarnatione maior finis maiori principio deficeret, & medio secundum suam naturam, quod est impossibile.

De Principio, fine & incarnatione.

DE maiori fine sequitur maius principium, & de maiori principio maior finis. Est ergo incarnatio vt possit esse hæc coniuncta, videlicet quod si sit incarnatio, per illam est maioritas creata in principio mundi & in fine: quoniam supra incarnationem non potest esse creatio in maiori principio & in fine, quoniam si esset, posset esse sustentata, & maiorificata in maiori natura quam in diuina, quod est impossibile.

De Principio, maioritate & incarnatione.

MAius principium quod Deus principiare potest in creando, potest in incarnando, videlicet in principiando creaturam in seipso, & in seipso ipsam sustentare & vnire. Est ergo incarnatio, vt Deus per illam satisfacere possit maiori principiare, cui satisfacere non posset sine incarnare.

De Principio, æqualitate & incarnatione.

SIne incarnatione Deus æquare non posset in magnitudine bonitatis principium creatum & finem creatum: cum ita sit, quod naturaliter in creaturis finis sit nobilior quam principium: sicut habitare, quod est nobilior finis quam principiare cameræ, & viuere quam comedere. Est ergo incarnatio, vt in illa, & per illam principium creatum & finis creatus habere possint æqualitatem in magnitudine bonitatis, quam habuerunt in natura humana, quam Deus assumpsit. Quæ siquidem æqualitas est finis & principium omnium aliarum æqualitatum creatarum. Et in hoc passu cognoscitur modus secundum quem Deus per incarnationem omnes creaturas naturaliter exaltauit per æqualitatẽ finis & principij.

De principio minoritate & Incarnatione.

QVoniam mundus de nihilo creatus est, & in nihilo non est aliquid, creatus est de maiori minoritate de qua creari potuit. Est ergo suum principium reale de maiori minoritate productum & creatum. Est ergo incarnatio, vt principium reale productum de maiori minoritate ad maiorē maioritatem sit productum. Et hoc esse non posset, si Deus incarnatus nō esset:quoniam per incarnationem est principium creatum productum ad maiorem maioritatem finis. Et si non esset incarnatio,mundus foret productus de maiori minoritate ad finem sustentatum in minori maioritate.

De Medio,fine & incarnatione.

INter maius medium & maiorem finem, oportet quod sit proportio in magnitudine virtutis : mundus est creatus propter aliquem finem cui oportet medium esse proportionatum, vt per illud principium mundi in fine quietem habere possit. Oportet ergo quod incarnatio sit,quoniam per illam medium proportionatum est inter finem mundi & principium,inquantum sufficit vtili bono creato, quod vna ex suis partibus sit cum bono diuino coniuncta, & sufficit vtili magnitudini creatæ,quod vna ex suis partibus cum diuina magnitudine sit coniuncta. Et idem de duratione vniuersali creata, quod vna ex suis partibus sit cum æternitate coniuncta, & sic de aliis formis primis. Sed hoc esse non posset, si non esset incarnatio,sine qua virtus increata deficeret virtuti creatæ, qui defectus est impossibilis.

De Medio, maioritate & Incarnatione.

POsito medio in maioritate virtutis positi sunt in maiori virtute principium, & finis. Et medio non posito in maiori virtute,principium & finis positi sunt in vacuitate. Est ergo incarnatio, per quam medium creatum positum est in maiori virtute, per quod principium creatum & finis positi sunt in maiori virtute.

De Medio, æqualitate & Incarnatione.

NAturaliter nullum medium creatum potest esse in æqualitate finis & principij:cum ita sit,quod principium & finis non sint æquales in magnitudine virtutis principio existente propter finem,& non è conuerso:quoniam si esset è conuerso secundum cursum naturalē esset successio, & motus de fine ad principium, & esset destructus cursus naturalis, & esset contrarium naturæ, ratione cuius lapis supra ascenderet, & aqua calefaceret ignem,& ignis infrigidaret aquam, & lux daret tenebras, & sic de aliis, quæ essent contra cursum naturæ. Est ergo incarnatio,per quam medium creatum est æquale cum principio creato, & fine creato, illis æqualibus existentibus in incarnatione. Quæ siquidem minoritas medij, & principij ascendit ad æqualitatem finis.

De Medio, minoritate,& incarnatione.

DE minori medio sequitur minor finis, & idem de principio:sequitur ergo de maiori medio maior finis

&

& maius principium: & quia mundus creatus est, fuit ante minus medium quam maius, vt productio in multiplicatione esset successiuè vsque ad maioritatem. Et si in creatione mundi esset ante maius medium quam minus, esset successio in contrario, videlicet quod de maiori fine se haberet ad minorem. Et in hoc passu cognoscitur natura peccati. Est ergo incarnatio, vt successio sustẽtata sit in medio, in quo virtus sit mota de minoritate ad maioritatem vltra quam non sit appetitus naturalis.

De Fine, maioritate & incarnatione.

Finis & maioritas proportionem habent, & imperfectio & minoritas. Non esset ergo finis cum maioritate proportionatus, nec maioritas cum fine, si non esset incarnatio, ratione cuius finis creatus ad maioritatem ascẽdit, & maioritas quietem habet inquantum finem maiorem non requirit: quoniam vltra incarnationem creatura maiorem appetitum habere non potest secundum naturam finis & maioritatis. Et si non esset incarnatio, esset contrarium.

De Fine, æqualitate & incarnatione.

Si sit incarnatio, est in illa æqualiter finis creatus recolibilis, intelligibilis, & amabilis: quoniam secundum cursum naturalem nulli amatiuitati creatæ pertinet maior creata amabilitas quam finis per incarnationem sustentatus & completus. Et idem de intellectiuitate cuiuslibet hominis, cui non spectat altior intelligibilitas creata. Et idem est de recolitiuitate. Sunt ergo si sit incarnatio æquales in fine potẽtiæ spirituales cuiuslibet hominis iusti, & idẽ de angelis beatis. Est ergo incarnatio, vt finis possit esse subiectũ æquali amabilitati, & amatiuitati creatæ, & intelligibilitati, & intellectiuitati creatæ, & recolibilitati, & recolitiuitati creatæ.

De Fine, minoritate & incarnatione.

Minor finis est equi quam militis, quoniam finis equi est militia, & finis militis est iustitia & pax, vt in arbore Imperiali significatum est. Est ergo significatum, quod vniuersum creatum est propter minorem finem & quod aliqua ex suis partibus propter maiorem finem: quoniam si vniuersum creatum foret in maiori fine quam aliqua ex suis partibus, quælibet ex suis partibus suum finem in seipso haberet, in quo quiesceret, & nullum appetitum extra se haberet, & esset sicut equus, qui non esset propter militem, nec miles propter iustitiam, nec ferrum propter cultellum, & hoc est impossibile. Est ergo vna pars vniuersi creati finis totius vniuersi, & vt ad illum finem totum bonum vniuersum creatum se habeat. Et idem de suis partibus. Est ergo incarnatio, sine qua nulla pars vniuersi posset esse finis totius vniuersi creati: quoniam non esset digna de ita magna maioritate existente minori quam vniuersum creatum, sicut pars quæ minor est quam suum totum.

De Maioritate, æqualitate & Incarnatione.

Si sit incarnatio, exinde sequitur maior communis vtilitas omnibus partibus vniuersi boni creati. Et idem de vniuerso magno creato, & sic de aliis

aliis formis primariis, quæ omnes creaturæ secundum cursum naturalem per incarnationem ad maiorem virtutem ascenderunt. Et si incarnatio non sit, est communis vtilitas & virtus in priuatione. Est ergo incarnatio vt creator non deficiat maiori communitati, virtuti & vtilitati bonitatis, magnitudinis & cæterarum formarum primarum.

De Maioritate, minoritate & Incarnatione.

CReator & maioritas concordantiam habent, & creatura & minoritas. Idcirco Deus maior est quam creatura, & inter creatorem & creaturam non potest esse æqualitas, vnde cum Deus creauit mundum secundum suam naturam, se habuit primo ad creandum ipsum in maiori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, & voluntatis, gloriæ, virtutis, & veritatis, finis, medij, principij, æqualitatis, differentiæ, & concordantiæ, quam in minori: quoniam si se habuisset ante ad minoritatem formarum quam ad maioritatem, habuisset se ad creationem contra suam naturam, quod est impossibile. Est hic mundus creatus ratione maioris maioritatis, magnitudinis, bonitatis, & cæterarum, ad quam maiorem maioritatem creatus esse non potuisset, si Deus non esset incarnatus.

De Aequalitate, minoritate & incarnatione.

MInor æqualitas est in ouo quam in gallina, quia gallina est finis oui, & est in maiori magnitudine bonitatis & virtutis, quam ouum: quod si ouum foret finis gallinę, fines conuerterentur, ita quod ouum esset propter gallinam & gallina propter ouum, & vtrique fines essent in circulo, & æquales in minoritate, & finis non haberet subiectum, in quo esset cum maioritate per magnitudinem bonitatis & virtutis, quod est impossibile, & contra cursum naturalem. Est ergo gallina in nobiliori fine quam ouum. Et quia gallina est principiata ex ouo, oportet quod sit aliquis alius finis maior in magnitudine bonitatis & virtutis quã gallina, & sic successiuè de gradu in gradu, & de fine in finem, & de minoritate in maioritatem vsque ad vnum supremum finem creatum qui est finis omnium finium creatorum. Qui siquidem finis esse non posset sine incarnatione, quoniam sine incarnatione non possent habere ita magnam bonitatem magnitudinis & virtutis, quæ sufficeret esse finis omnium creatorum. Est ergo incarnatio sine qua in omnibus creatis foret circulus ęqualis in minoritate & sine maioritate finis, sicut circulus oui & gallinę, vt dictum est.

De Fructu arboris Iesu Christi.

FRuctum huius arboris quatuor modis cõsideramus, primus est per recreationem, secundus est per exaltationem, tertius per manifestationem, quartus per deificationem. Recreatio est, vt probatũ est in arbore apostolicali. Idcirco recreatio totius humani generis est fructus, de quo viuunt omnes beati saluati. Et ille fructus, sustentatus est in natura diuina & humana in quibus saluati fructum vitę colligunt, sine quo mortui erant omnes illi, qui deuiati erant à fine propter quem creati fuerant, ad quem propter fructum redierunt,

dicunt, qui siquidem fructus ex Domina nostra collectus est materialiter, & ex cruce formaliter. Qui etiam fructus sufficit ad dandum vitam omnibus hominibus mūdi ratione suæ magnæ generalitatis & nobilitatis. Idcirco malefacit Ecclesia, quia suum posse non facit, quod ex ipso fructu vitam possideant omnes homines huius mūdi. Fructuum exaltationes consideramus, inquantum totum vniuersum creatum per incarnationem est exaltatum, quoniam per incarnationem participat deitas naturaliter cum toto vniuerso creato, inquantum naturam humanam assumpsit, quæ cum omnibus creaturis participat secundum cursum naturalem. Et inquantum participat cum deitate, supra cursum naturalem exaltatum est totum genus vniuersum, videlicet bonitas naturalis & generalis exaltata in bonitate Christi speciali, & idem de aliis formis naturalibus & primis. Dominus Iesus Christus est fructus per manifestationem, inquantum Deus in illo manifestat quietem quam habent dignitates Dei in formis primis Iesu Christi, quæ spectāt ad humanam naturam: sicut diuina bonitas, quæ quietem habet in bonitate creata Christi, inquantum ipsam deificat in altiori gradu bonificabilitatis: & sicut diuina magnitudo, quæ magnificat magnitudinem Christi in altiori gradu magnificabilitatis: & æternitas, quæ durificat durationem humanam Christi in altiori gradu durificabilitatis, & potestas diuina, quæ possificat humanam potestatem Christi in altiori gradu possificabilitatis, & sic de aliis formis. Et omnes isti gradus ita excellentes sunt fructus, quos deitas colligit ex humanitate ad manifestandum actus suarum dignitatum in maioritate manifestationis, in qua manifestatione diuina natura quietem habet, inquantum manifestatio in supremo gradu perfectionis existit, & sic de gradu bonitatis, magnitudinis & aliarum. Et de hoc cognitionem dedimus in probatione, quam fecimus de incarnatione per flores huius arboris: sicut in primo flore, quæ est de bonitate & magnitudine, in quo ostenditur, quod ita magna debet esse exaltatio bonitatis creatæ: sicut bonitas diuina, & magnitudo sunt rationes, quod producatur bona, & magna creatura. Est ergo illa creatura producta in ita magna bonitate: sicut bonitas & magnitudo superiores possunt esse rationes productioni bonæ & magnæ creaturæ. Manifestata est ergo in illa camera collectio fructus per magnitudinem bonitatis, & in secunda camera quæ est de bonitate, æternitate: per bonam durationem: & sic per ordinem, vsque ad cameram æqualitatis minoritatis. Fructus incarnationis est duplex, videlicet humanitas Domini Iesu Christi, quæ colligitur per Deitatem, videlicet per Filium, qui illam humanitatem induit, inquantum factus est homo. Et humanitas fructus est in Deitate, inquantum est homo Deus, & est fructus, in quo beati colligunt gloriam tribus modis, videlicet sensualiter per corpus Christi, & spiritualiter per animam ipsius, & diuinaliter per suam Deitatem. Iste fructus ita altus, & ita gloriosus, ita magnus, & ita bonus, ita verus, & ita virtuosus ab aliquo cogitari, nominari non valet, neque scribi.

De Arbore Diuinali.

SVMMARIVM.

ARBOR diuinalis versatur circa diuinitatem. Et similiter diuiditur in septem partes, scilicet.

Radices sunt dignitates Dei.

Truncus est substantia Dei.

Branchæ sunt proprietates personales.


Rami sunt generatio, & spiratio.

Folia negationes accidentium.

Flores probationes productionum.

Fructus est Deus perfectè completus.

De Arbore



De Arbore Diuinali.

HANC Arborem ſeptem modis conſideramus, videlicet ſecundum dignitates, ſecundum ſubſtantiam, ſecundum perſonas diuinas, ſecundum generationem & ſpirationem, & ſecundum negationem accidentium, ſecundum probationem diuinarum productionum, & ſecundũ complementum abſque omni defectu.

Per primam partem dignitates Dei metaphoricè conſideramus rad ces arboris. Et per ſubſtantiam truncum cõſideramns, videlicet eſſentiam & naturam diuinam. Et proprietates perſonales conſideramus in ſimilitudine branchatum. Et generationem & ſpirationem conſideramus in ſimilitudine ramorum. Et in ſimilitudine foliorum conſideràmus negationem, quam facimus de accidentibus eſſe in Deo. Et in ſimilitudine florum conſi-

deramus probationes productionum: quas dabimus in beata Dei Trinitate. Et per fructum consideramus complementum quod est Deus completus sine omni defectu.

De Dignitatibus Dei.

Dignitates Dei appellamus suam essentialem bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, sapientiam, voluntatem, virtutem, veritatem, gloriam, & distinctionem personarum, & concordantiam illarum, principium, medium, finem, & æqualitatem. Et has consideramus secundum suas diffinitiones, & secundum quod sunt rationes reales, & etiã secundum quod habent suos actus: sicut bonitas quæ est ratio bono in bonificando, & magnitudo magno in magnificando, & æternitas æterno in æternando, & potestas potenti in possificando, & sapientia sapienti in intelligendo, & voluntas volenti in volendo, & virtus virtuoso in virtuificando, & veritas vero in verificando, & gloria glorioso in glorificando, & distinctio distinctionanti in distinctionando, & concordia concordanti in concordando, & principium principianti in principiãdo, & medium medianti in mediando, & infinitas infiniẽti in infiniendo, & æqualitas æquãti in æquando. Exempla istorũ actuũ, & istarum rationum sunt ista, videlicet quod bonitas est ratio bono, quod bonum producat, vt non sit ociosa, nec bonus ociosus. Et bonus est Deus Pater, qui per bonitatem bonum Filium producit. Et magnitudo quæ est ratio magno quod producat magnum, vt non sit ociosa. Qui quidem magnus est Pater, qui producit magnum Filium ratione suæ magnitudinis, & qui productioni respondet, secundum quod est magnus. Et æternitas est ratio æterno, quod æternum producat, videlicet est ratio Patri, qui est æternitas qui Filium æternum ratione suæ æternitatis producit, quæ est ei ratio, vt ipsa non sit ociosa, nec ipse ociosus. Et idem est de potestate, quæ est ratio possificanti quod possificatum producat, vt in se habeat possificantem, possificabilem & possificatum, & etiam possificare, sine quibus esset ociosa. Idem est de sapientia, quæ est ratio Patri, quod producat sapientem, vt sit intelligere, intelligens & intellectus. Et voluntas est ratio volenti, quod volitum & volibilem producat, vt sit velle, volens & volitus. Et virtus est ratio virtuoso, quod virtuosum producat secundum suam rationem, quod si non faceret, esset virtus ociosa, & ipse virtuosus ociosus. Et veritas est ratio vero, quod producat verum, vt in veritate sit verificare & verificatum, & quod veritas in omnibus tribus sit sustentata, & è conuerso, & idem de gloria, quæ secundum suam naturam requirit, quod gloriosus gloriosum producat, vt habere possit in seipsa & de seipsa gloriante, gloriabilem & gloriari. Distinctio est ratio distinguenti à se distinctum, qui siquidem distinguens est Pater, qui ratione distinctionis distinctum producit, qui est Filius, vnde distinctio est ratio distinguibili, ratione cuius distinguibilitatis diuinæ rationes possunt esse & actus naturales & essentiales. Et concordantia similiter est ratio ad concordandum actus in productionibus, & quod bonificans sit in numero vnum idem cum magnificante, & æternificante, & cæteris: & quod bonificatus sit numero idem cum magnificato, & æternato, & cæteris: & etiam quod bonificare, magnificare, & æternare,

æternare, &c. sunt in numero vnum idem, & etiam quod omnia quæ diximus concordantiã habeant in bonitate, magnitudine, ęternitate, & cæteris, & in essendo vna eadem essentia, vna natura, vna Deitas, vnus Deus, & hoc quod diximus de Filio intelligendum est de sancto Spiritu: & quod dictum est de bonitate, magnitudine, & æternitate, potestate, sapientia, & voluntate, virtute, veritate, gloria, distinctione, & concordantia, intelligitur de principio, medio, fine, & æqualitate. Dignitates diuinæ sunt inuicem numero vnum idem: ita, quod bonitas est idem cum magnitudine & æternitate, & cæteris, in tantum quod numerus est vnus simpliciter sine aliqua distinctione numeri per essentiam, naturam, & Deitatem, & hoc est, vt bonitas sit ita magna, & ita æterna, & potens, &c. per seipsam sicut per magnitudinem, æternitatem, &c. & quod magnitudo similiter per seipsam sit ita propriè bona sicut per bonitatem, & per seipsam ita æterna sicut per æternitatem, & sic de aliis: quoniam si bonitas & magnitudo non essent vnum idem numero, sequeretur quod in Deo essent accidentia: sicut bonitas quæ esset magna accidentaliter per magnitudinem, & non magna per seipsam, & magnitudo quæ esset bona per bonitatem & non per seipsam, & quia in Deo non sunt accidentia oportet quod dignitates sint vnum idem numero. Ratio quare dicimus rationes reales esse in Deo, & quare ipsas numeramus, inquantum dicimus bonitatem, magnitudinem, æternitatem, &c. est ratione actuum, qui non possent esse, nisi essent rationes reales: sicut bonificare, magnificare, &c. Deo existente bono, magno, & æterno, &c. Et inquantũ est bonus per bonitatem, veruntamen ipse est ipsamet bonitas, habet se ad bonificare, & idem inquantum magnus est, per magnitudinem se habet ad magnificare. Et sic Deo existente sub istis rationibus (vt ita loquar) se habet vt Pater ad bonificandum, magnificandum, & ad producendum bonum Filium & magnum, producendo bonũ Filium per bonitatem, & magnũ per magnitudinem. Et in hoc passu cognoscitur, quod rationes non existentes distinctæ secundum numerum, possunt esse reales rationes ratione distinctionis suppositorum, videlicet producentis & producti, qui distincti sunt in proprietatibus personalibus. Et si rationes non essent reales per productionem, in qua essent ita confusæ, sicut sunt per numerum, Deus non haberet rationem productionis: quoniam non posset esse distinctio in productione, postquam ipse non consideraret rationem bonitatis ad producendum bonum, nec rationem magnitudinis ad producẽdum magnum, & sic de aliis, & esset ociosus in suis rationibus, quæ rationes non essent, nisi esset productio: sicut non sunt rationes numeratæ secundum essentiam & sunt numeratæ secundum productionem. Sunt ergo dignitates rationes reales declaratæ, & numeratæ per productionem, & sunt in vnitate numeri non numerati per essentiam Deitatis & naturæ. Et in hoc passu est valdè declarata beatissima Dei Trinitas, videlicet pluralitas diuina suppositorum, quam esse oportet de necessitate, vt in Deo sint rationes reales, propriæ & essentiales claræ & numeratæ. Omnes istæ rationes bonæ sunt per bonitatem, & magnæ per magnitudinem, & æternæ per æternitatem, & potentes per potestatem, & scientificæ per sapientiam, & amatæ per vo-

luntatem, & virtuosè per virtutem, & verè per veritatem, & gloriosè per gloriam, & indistinctè numero per distinctionem: sed sunt rationes reales numeratę & clarę per distinctionem suppositorum. Et idem est de concordantia rationibus non concordantibus in quantum sunt vnum idem numero, sed sunt concordantes in concordantia suppositorum. Et rationes principia non sunt inquantum sunt vnum idem numero: quoniam postquam sunt vnum idem numero, vna ratio non potest esse principium alterius: sed sunt principia, & vnum principium in principiante producente, qui est rationes: & sunt principiatæ, inquantum productus principiatus est ille rationes qui est ex illis principiatus & productus. Et etiam actiones non sunt media per essentiam ita, quod vna sit in medio alterius: cum ita sit, quod omnes sint vna simplex essentia, sed per naturam medij & distinctionis personarum est in bonitate bonificate, in medio bonificantis & bonificabilis, & magnificare in medio magnificantis & magnificabilis, & sic de aliis Et etiam rationes non sunt plures fines, sed sunt vnus finis, sicut sunt vna essentia, & sunt fines, sicut sunt rationes per productionem: sicut pater qui sub fine bonitatis producit bonificatum, & sub fine magnitudinis magnificatum, & sic de aliis. Nec rationes sunt æquales per essentiam, quoniam si essent forēt plures & distinctæ, videlicet vna ab alia, sed sunt per æqualitatem æquales in distinctione suppositorum: sicut bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, quæ sunt ita fontaliter & secundè in productione & distinctione, sicut sapientia, voluntas, &c.

De Substantia arboris diuinalis.

SVbstantiam consideramus esse illud ens in quo rationes sunt sustentatæ, veruntamen dicimus, quod illa & rationes sunt vna eadem essentia, natura, deitas, & Deus: sed substantiam consideramus inquantum est subiectum rationibus: sicut bonus bonitati, & magnus magnitudini, & æternus æternitati, & sic de aliis. Idcirco substantiam esse intelligimus bonum, magnum, æternum & potēs, &c. Secundum quod diximus in arbore elementali, truncus in tertium numerum transit, ita quod non est vna species cum suis radicibus: quoniam ipse est totum, & radices sunt suæ partes. Sed diuina substantia non transit in tertium numerum, vt ipsa sit in vno numero, & suæ rationes & dignitates sint in alio numero: quoniam ipsa est bonitas, magnitudo, &c. & quælibet est tota substantia. Et in hoc ratio nostra facit differentiam, in quantum intelligimus substantiam omnium rationum, & intelligimus rationes per seipsas claras & inconfusas, & numerales, & etiam substantiales, in quantum substantialiter sunt rationes enti communi, qui est Deus, & qui est substantia. Etiam illæ sunt communes substantiæ in vnitate numeri & in distinctione personarum. Cum sensibilitas se sensui repræsentat sub ratione coloris, respondet sensus communis per videre illi repræsentationi, & cum se repræsentat sub ratione soni aut vocis, respondet sensus communis illi repræsentationi cum audire: & sic de aliis sensibilitatibus particularibus, quibus respondet sensus communis cum particularibus potentiis: ita & multomelius sine omni comparatione

cum

cum substantia diuina tangitur per suas rationes, respondet illis rationibus: veruntamen non dicimus, quod rationes sint partes, scilicet quod respondent secundum earum realitatem & numeralitatem in tactu, vt ita loquar, in productione interiori aut in influentia exteriori quam facit creaturis: quoniam si tangitur sub ratione bonitatis substantia in quantum bona, bonitati respondet & producit bonum, vt bonitas habeat in ipsa suam fontalitatem & fœcunditatem, & abundantiam. Et cum tangitur per magnitudinem, respondet substantia magna, & producit magnum, vt magnitudo suam habeat fontalitatem & fœcunditatem in illo tactu: & sic de aliis. Idcirco ille qui respondet, est in illa substantia Pater producens Filium: & quia tangitur per bonitatem, producit ipsum ex bonitate: & quia tangitur per magnitudinem, ipsum producit ex magnitudine, & de sua propria bonitate & magnitudine. Idcirco filius est productus bonus & magnus, & est bonus de bonitate, & magnus ex magnitudine. Et quia productus est de tota bonitate & de tota magnitudine, remanet cum patre vna eadem bonitas, & vna eadem magnitudo, & idem est de æternitate & aliis. Cum diuina substantia tangitur per homines bonos, qui faciunt bona opera propter amorem Domini nostri, diuina bonitas tangit substantiam: quæ quidem substantia quæ est Deus, respondet per suam bonitatem bonitati creatæ influendo gratiam bonitatis. Et hoc idẽ cum tangitur per magnitudinem, in quantum homines magna bona faciunt, & plura propter Dominum nostrum, magnitudo diuinam substantiam tangit, & substantia respondet influendo hominibus suis seruitoribus magna bona & plura. Et idem de æternitate & cæteris. Et cum homines mali tangunt substantiam faciendo malum, iustitia tangit substantiam quę tangit homines malos cum vindicta faciendo illis malum pœnæ. Et si mala sunt magna, iustitia pœnas multiplicat. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo Deus respondet iustis & peccatoribus, secundum quod est tactum per rationes superiores & inferiores. Diuina substantia insensibilis est: quoniam non est de rebus corporalibus, & est inimaginabilis, quoniam non habet figuram circularem, quadrangularem, neque triangularem, nec habet aliquam conditionem, per quam sentiri possit substantialiter nec accidentaliter: cum ita sit, quod ipsa sit infinita, & æterna: nec etiam substantia est composita de partibus, nec de aliqua alia re. Quoniam ens æternum & infinitum, & quod non habet in se aliquod accidens compositum esse non potest, & maximè cum sit pura simplicitas, & in puro simplificare producente vna simplici persona quæ est pater, de tota sua simplicitate aliam personam, quæ est Filius, & hoc idem de sancto Spiritu. Idcirco nulla substantia quæ sit simplex, & in qua sit simplificare cum æternare & infinire, composita esse potest, cum ita sit, quod simplicitas, & compositio contrarientur.

De Personis diuinis arboris diuinalis.

BRANCHÆ arboris diuinalis personales sunt proprietates: videlicet paternitas, filiatio, & passiua spiratio, & sunt in substantia secundum naturam dignitatum, & substantia est in ipsis sustentata, secundum

cundum quod essentia in suis essentialibus concretis sustentatur. Et ex istis branchis, vt ita loquar, tractare proponimus in hunc modum, videlicet in applicando dignitates cuilibet proprietati personali secundum suas conditiones & naturam cuiusque personæ, & etiam ostendere numerum trinalem personarum. Et hoc facimus ad bene declarandum hanc arborem, quamuis satis sufficienter sumus locuti de Trinitate in arbore apostolicali.

De Paternitate diuinali.

DEus est bonus, & in hoc quod sua bonitas est ei ratio quod faciat bonum, appellamus bonum, facere bonum producere habet se Deus ad faciendum bonum. Et quia sua magnitudo est ei ratio, quod faciat magnum, appellamus magnum facere producere magnum. Et hanc locutionem tenemus in toto hoc processu. Deus qui est magnus, se habet ad producendum magnum, & ita respondet substantia æqualiter duabus rationibus in producendo magnum bonum. Illum magnum bonum ex alio producere non potest, sed de seipso: quoniam sua magnitudo quæ est infinita, tota se habet ad essendum: ratio, quod magnus infinitus sit productus, & hoc idem de bonitate. Et quia nulla alia substantia est infinita: sed substantia quæ est Deus, oportet quod Deus producat de seipso magnum bonum infinitum: & idem de æternitate, quæ est ratio æterno, quod producat æternum bonum. Et quia alia æternitas nõ est, sed tantummodo æternitas Dei: oportet quod substantia se habeat vt suppositum æternans quod de seipso bonum æternum producat. Et hoc idem de potestate, quæ est ratio potenti, quod bonum possitum producat. Et idem de sapientia, quæ est ratio sapienti, quod bonum scitum producat. Et voluntas amoroso siue amanti quod producat bonum amatum. Et virtus virtuoso, quod producat bonũ virtuosum. Et veritas vero, quod verũ bonũ producat. Et gloria glorioso, quod gloriosum bonum producat, & distinctio distinctionanti, quod distinctum bonum producat, & concordantia concordanti, quod producat bonum concordatum. Et principium principianti, quod producat principiatum bonum. Et medium medianti, quod bonum mediatum producat. Et finis perficienti, quod bonum perfectum producat. Et æqualitas æqualificanti, quod bonum æqualificatum producat. Sicut omnes rationes se habent ad Deum secundum eorum naturam, & commune suppositum secundum suam naturam, respondet illis rationibus in producendo bonum, respõdet omnes rationes ad producendũ bonum. Et idem de productione magni, & de productione æterni. Et sic de omnibus rationibus, quæ respondent cuilibet singulariter & communiter, & commune suppositum similiter quod est Deus, & quod se habet ad responsionem, vt patet, quoniam de se habet producere, productum secũdum quod omnes rationes requirunt. Et in hoc passu cognoscitur modus, secundum quem dignitates sunt rationes, ex quibus est proprietas paternalis, quæ est producens, respondens, complens, & obediens rationibus: existente, vt ita loquar, paternitate communi sub ipsis, secundum quod requirunt in productione. Et oportet quod sit pater, quia de seipso habet respondere omnibus rationibus, quoniam ex alio subiecto non posset sufficere, secundum quod rationes

rationes requirunt. Et quia inter producentem & productum, quæ sunt in summitate rationum, oportet esse maiorem viciniam, & participationem, concordantiam, naturam & amātiam: oportet quod sit per generationem, quoniam alia productio quæ non esset per generationem, sufficere non posset responsionibus rationum. Est ergo probata paternitas per quam intelligimus primam brancham huius arboris. Deus est bonus: & sua bonitas est ei ratio, quod faciat bonum, & si Deus rationi non responderet, ratio esset ociosa, & ipse esset ociosus, & virtus responsioni deficeret, & magnitudo bonitati, & finis, veritas, & gloria, potestas, sapientia, & voluntas deficerent bonitati & communi supposito, & si responsionem faceret tantummodo in subiecto creato & non in increato, responsionem facit extra & non intra, & deficerent infinitas & æternitas rationibus, & è conuerso, quod esset malum, & contra bonitatem, & contra omnes rationes, quod est impossibile. Est ergo responsio intra substantiam increatam, & est per productionem producentis & producti. In substantia milij quæ est in multum parua quantitate magnitudinis, bonitatis, est bonitas ratio naturali agenti, quod bonum producat ex illa substantia, & magnitudo similiter est ratio agenti naturali, quod ex illa substātia magnum bonum producat. Et si substantia sit in terra, & conditiones habet, quæ conueniunt responsionibus, sequitur productio & responsio, & facit multiplicationem, quæ bona est & magna: inquantum ex grano milij est arbor producta, quæ conditiones habet, quas diximus de arbore vegetali. Vnde cum magis proprium sit Deo magnum bonum producere, quia ipse maius bonum est, quam producere minus bonum: & milio est magis proprium, minus bonum producere quam maius, quia in ipso est paruum bonum: veruntamen maius bonum producit quam illud est, inquantum arborem in actu producit cum pluribus branchis, ramis, foliis, floribus, & fructu: quanto magis Deus, qui est magnus, bonus infinitè: inquātum Pater, Filium æqualem producit sibiipsi, secundum quod rationes requirunt.

De Filiatione diuinali.

Filiatio est secunda brancha huius arboris: & est secunda, quia rationes ante se habent secundum naturam ad producentem, quam ad productibilem secundum ordinem productionis: veruntamen non dicimus, quod in illa anterioritate sit tempus, neque motus, neque maior nobilitas vnius personæ quam alterius: & hæc proprietas filialis est ita sub rationibus per modum passionis: sicut proprietas paternalis per modum actionis, videlicet bonitas est ratio bono, quod producat bonum: & sic ratio se habet dupliciter communi supposito, quoniam vno modo se habet ad illud per actionem, & per alium modum per passionem: vt ita loquar. Idcirco commune suppositum dupliciter respondet rationi bonitatis: quoniam per vnum modum se habet vt agens, & per alium vt patiens: & inquantum se habet vt agens, se habet vt bonificans: & inquantum se habet vt patiens: se habet vt bonificabilis. Et quia magnitudo est in illa ratione, facit quod bonificans sit magnus: & facit bonificabilem esse magnum. Idcirco bonificans, quia tantum per magnitudinem producit de seipso, & de sua bonitate bo-

nificatum: quoniam si de seipso ipsum non producceret, bonificatus non esset magnus, nec ipse substantiam haberet, in quo magnam haberet actionem. Et in hac productione æternitas est ratio, inquantum durare facit bonificantem & bonificabilem, similiter & in hoc est distinctio ratio, vt bonificãs æternaliter sit distinctus à bonificabili, & bonificabilis ab ipso, intantum quod vnus non sit alius: & hoc æternaliter, vt æternitas faciat durare distinctionem. Etiam potestas est ratio quod bonificans possit esse distinctus à bonificabili, & bonificabilis à bonificante, & quod bonificans æternaliter producere possit bonificabilem, bonificatum: & ad hoc concurrunt sapientia, voluntas, &c. secundum hoc quod dictum est de magnitudine, æternitate, potestate, idcirco filiatio est proprietas personalis per omnes rationes: quæ ita se habent ad illam passiuè, sicut ad proprietatem paternalem actiuè. Et in hoc passu cognoscitur, quod quælibet dignitas secundum vnum modum est ratio per actionem, & per alium est ratio per passionem. Veruntamen non dicimus, quod rationes se habent ad passionem materialiter: cum ita sit, quod ipsæ sint formæ simplices, & non plures, sed vnum est alia in numero, secundum quod in processu dignitatum dictum est. Et sicut bonitas est vna ratio duplex, inquantum dupliciter se habet ad suppositum, vt dictum est: ita vna eadem forma se habet dupliciter ad commune suppositum: vt sit formans & formabile: sicut lumen de lumine, & Deus de Deo, existente duplicitate formæ in personis sustentata, & vnitate formæ in communi supposito, idcirco forma est de forma & non de materia, nec de passione materiali. Filius est bonificatus & bonificabilis: bonificatus est, vt non remaneat in potentia, & quod sit in puro actu completus: & remanet bonificabilis, vt dignitates sint rationes in æternitate æternaliter producenti & productibili, videlicet Patri & Filio. Et Pater, quamuis Filius sit productibilis, non addit aliquid Filio, postquam Filius æternaliter est productus, & de æternitate & infinitate, & de omnibus aliis formis productus. Nec Pater addit in seipso aliquam rem, quoniam in substantia infinita & æterna non cadit additio, nec scindit, nec diminuit, nec diuidit aliquam rem de seipso, licet de seipso producat Filium. Et has tales conditiones Patris & Filij requirunt rationes quælibet ab alia, & à natura essentiæ, quæ est communis substantia, quæ respondet illi requisitioni, secundum quod per rationes est tacta. Et in hoc passu cognoscitur modus, secundum quem in diuinis rationibus ociositas esse non potest.

De Spirabili proprietate diuinali.

IN creatione est creare, de creante & creabili: de creante formaliter, & creabili materialiter. Formaliter de creante: inquantum producit creaturam de nihilo, materialiter: inquantum producit creare de creabili. Tamen creatura creare non producit: quoniam esset creans, sed est potentia passiua, de qua produci potest creare, existente potentia subiecta ipsi creare in illo tempore, quo producitur per creantem. Et hunc ordinem habent aliquæ creaturæ in operando artificialiter: sicut in arbore rationali, in qua agens artificialis producit operari de operabili: sicut faber qui inquantum clauum ex ferro producit, operari ex operabili producit, quod quidem ope-

rari

rati non est de essentia operantis, sed in creaturis secundum cursum naturalem non est ita: sicut in planta in qua generare est de essentia generantis & generabilis, generante producente de seipso, & generabili generate tunc, cum generatur pomū aut equus: & sic de cæteris substantiis productis naturaliter. Et iste ordo est speculum, in quo repręsentatur ordo naturalis superior: de quo dictum est in propria brancha, & secunda huius arboris. Idcirco secundum hoc, quod dictum est: in isto processu inquirere volumus, naturam & modum tertiæ branchæ secundum hunc modum. Diuina bonitas est ratio bono, qui est Deus, tripliciter, quod agat bonum: videlicet quod producat bonum, primo, inquantum est ei ratio, quod sit agens: & per hunc modum agens est Pater: secundo, inquantum est ratio Patri, quod bonificabilem producat, qui est Filius: tertio, inquantum est ratio Patri & Filio, quod bonificare producant, quod est sanctus Spiritus. Veruntamen non dicimus bonificare, quod est Pater & Filius in generare, sed bonificare quod est sanctus Spiritus. Et ex hac materia largius loquemur in ramis huius arboris. Habet se ergo bonitas tripliciter bono, qui respondet rationi tripliciter: intantum quod in hac responsione est numerus singularis, & numerus dualis, & numerus ternalis. Singularis: inquantum vnus est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus sanctus. Dualis: inquantum vnus est Pater, & alius est Filius, & Pater & Filius sunt vnum bonificare amborum: sicut vnū est generare amborum. Ternalis: inquantum Pater se habet ad Filium, & Filius ad Patrem sub ratione bonificandi æqualiter, quia bonitas est ambobus æqualis ratio: & quia Filius non bonificat Patrem, habent se æqualiter Pater & Filius ad aliud bonificare, quod est spirare, in quo respondent bonitati spirando Spiritum sanctum, qui est tertia persona: vt dictum est: & etiam melius declarare volumus secundum hunc modum, quod est tertia persona. Faber quando facit clauum, ante martellum mouet quam clauum. Idcirco prius se habet ad operari, quam quod clauus sit operatus: sequitur ergo quod operari instrumentum fit operantis & operabilis. Sed in personis diuinis non est ita, quoniā si Pater se haberet ante ad spirandū, siue ad spirare quā ad Filiū, spirare esset instrumētū: sicut operari instrumētum est in fabricatione, & esset bonificare ipsius spirare instrumentum, & non esset de essentia filij: sicut operari fabri, quod non est de essentia claui, habet se ergo Pater ad Filiū, & Filius ad Patrem, & secundum istum respectum amborum, & æqualem respectum sub ratione bonitatis se habent ambo ad spirādum in spirando Spiritum sanctum, qui est tertia persona, inquantum est consona antecedentis, qui est respectus Patris & Filij, & æqualiter in in responsione bonitati sub ratione bonificare siue bonificandi. Et in hoc passu potest intelligi error in quo sunt Græci, qui non credunt, quod sanctus Spiritus exeat à Filio, sed ex Patre tātummodo. Secundum exēplum quod dedimus de bonitate in inquirendo tertiam personam, potest dici de magnitudine, æternitate, potestate & cæteris, quoniam omnes dignitates sunt rationes communienti tripliciter: sicut magnitudo, quæ est ratio in magnificante, & in magnificabili, & in magnificare, & hoc idem per magnificātem, & per magnificabilem, & per magnificare, & hoc idem de magnificante

magnificabili & magnificare, & ad magnificantem, magnificabilem, & ad magnificare; & etiam cum natura & modo magnificationis Et idem de æternitate & cæteris dignitatibus. Idcirco omnes dignitates sunt sub vna passiua spiratione quæ est proprietas personalis & constituta de responsione quam facit commune ens dignitatibus secundũ actiuam spirationem, propter quam dignitates requirunt passiuam spirationem, vt actus eorum esse possint inter Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctũ, inter quem, scilicet Patrem & Filium esse non possent: cum ita sit, quod Filius Patrem non bonificat, nec ipsum magnificat, quia ipse totus bonificatus est & magnificatus per Patrem: sed inquantum Pater & Filius bonitati respondent in bonificando, & magnitudini in magnificando, habent se ad bonificare & ad magnificare in bonificando & magnificando sanctum Spiritum. Et in hoc passu beata Dei Trinitas valde clarè significatur.

De Numero ternali diuinali.

IN bonitate non potest esse magnitudo sine essentialibus concretis, in quibus sit sustentata, & cum ipsis vna natura remaneat, & vna essentia. Quæ quidem sunt bonificans, bonificabilis & bonificare, & quod vnus ex istis bonitate alium producat, & ambo tertium: quoniam sine istis non haberet subiectum, in quo esset sustentata: nec posset esse in puro actu, quoniam bonificare habere non posset, nec posset esse: quod si esset, oporteret quod esset in potentia in alia substãtia sustentata, & quod bonificans, bonificabilis, & bonificare non essent de sua essentia, & sic esset parua cõtra magnitudinem, quod ei esset malum, quod est suum contrarium, & esset in priuatione puri actus contra æternitatem, & non haberet in se potestatem essentialem. & deficeret potestas, quæ in ipsa scibilis non esset nec amabilis Et hoc idem de virtute, veritate & gloria, &c. quæ bonitati deficeret, & ipsa omnibus deficeret: quoniam postquam esset in defectu, non posset omnibus dare complementum. Et huiusmodi bonitas in Deo non est Est ergo sua bonitas purus actus, & habet essentialia concreta quæ sunt tria, videlicet bonificans, bonificabilis & bonificare. Et cum omnibus istis tribus est ratio magna, æterna, potens, scibilis & amabilis, &c. Sũt ergo tres personæ sub ratione bonitatis, & secundum quod iam dictum est & probatum, inquirẽdo proprietatem paternalem & filialem, & proprietatem spirabilem. Et sicut oportet ꝙ sint tres personæ & non minus ratione bonitatis, ita oportet quod sint tres & nõ minus ratione magnitudinis, quæ est magna, quia in se habet essentialia concreta, videlicet magnificãtem, magnificabilem & magnificare, sine quibus non posset esse magna, & hoc idem de æternitate, quæ non posset esse magna sine essentiali æternificante, æternificabili & æternificare, & sic de magnitudine aliarum dignitatum. Qui in bonitate adderet quartum, aut quintum, aut plura supposita, quæ essent simpliciter de sua essentia: sicut sunt tria, de quibus dictum est, esset parua & non magna: quoniam si haberet duos bonificantes, videlicet duos patres, deficeret magnitudo cuiuslibet in fine: quoniam maior est vnus pater in fine bonitatis quam duo patres, si vnus sufficiat toti fini bonitatis sub ratione proprietatis paternalis. Quoniam si forent duo patres, forent distincti & toti.

toti fini bonitatis vna proprietas paternalis, videlicet vnus pater sufficere non posset, imo indigeret habere duos aut plures: sicut toti speciei humanæ, cui non sufficit vnus Martinus, esset ergo bonitas defectiua si haberet in se duas paternitates, videlicet duos patres, & sic non esset magna. Et si nō esset magna, oportet quod esset parua, cum ita sit quod paruitas & magnitudo sint contraria. Et idem de duabus filiationibus, & duabus spirationibus. Non sunt ergo plures tribus proprietatibus personalibus in diuina bonitate, & idem de diuina magnitudine, æternitate, & aliis. In bonitate diuina extranea proprietas esse non potest, quæ non sit bonificans, bonificabilis, nec bonificare: quoniam bonitas est plena omnibus tribus, & secundum suam naturam plures proprietates non requirit, nec plena potest esse sine ipsis, vt dictum est: sicut corpus, cui sufficit longum, amplum & profundum, ex quibus fit rotundum, quadrangulum & triangulum, quod siquidem corpus pluribus mensuris non indiget, nec poterit esse sine tribus mēsuris. Esset ergo superfluitas, si diuina bonitas indigeret habere extraneam proprietatem, quæ non esset bonificans, bonificabilis & bonificare. Non est ergo quarta persona, nec plures tribus in bonitate diuinali. Et idem de diuina magnitudine, æternitate, & aliis Bonificans, bonificabilis & bonificare sunt diuina bonitas, & bonitas est omnes tres ita, quod vna est essentia, natura, & numerus. Idcirco non sequitur tertius numerus: sicut fit in homine, aut in alia substantia creata: quoniam in hoc quod anima & corpus non sunt de vna essentia, nec natura, transit homo in tertio numero, qui est totum: & anima, & corpus sunt suæ partes. Et quia pars non est totum, nec totum est pars, & vnus numerus in toto & alius in parte: & multiplicatur, secundum quod partes sunt plures. Sed hoc non est in bonitate diuina: cum ita sit, quod bonificans sit tota bonitas, & tota bonitas sit bonificans, & bonificabilis sit de toto bonificante, & de tota bonitate, & bonificare, de tota bonitate, & de toto bonificante & bonificabili, & bonitas sit omnes tres, & omnes tres sint bonitas: idcirco non sunt partes bonitatis, quoniam quilibet est tota bonitas: & bonitas est quilibet: non oportet ergo dicere, quod bonitas sit in quarto numero, quoniam exire non potest de numero omnium trium, postquam illi tres non sunt suæ partes, & quilibet est tota bonitas: & idem de magnitudine, æternitate, &c. Quia bonitas, magnitudo, & cæteræ diuinæ dignitates sunt vnum idem numero, vt iam dictum est in radicibus huius arboris: non est in diuina essentia vnus bonificans, & alius magnificans, nec alius æternificans: imo sunt vna eadem proprietas paternalis, quæ non multiplicatur in pluribus paternitatibus: quāuis rationes sint plures, plures sunt per modum productionis, quæ est per generare & spirare, inter quas est distinctio: vt dictum est, non sunt plures, inquantum vna est alia, idcirco non fit multiplicatio inter Patrem & Patrem: cum non sit nisi vnus Pater, qui est bonificans, & magnificans, æternificans, &c. Et bonificans ratione bonitatis, & magnificans ratione magnitudinis, & æternificans ratione æternitatis, &c. & idem intelligitur de bonificabilitate, magnificabilitate, æternificabilitate, &c. & de bonificare, magnificare, &c.

De Generatione & spiratione.

GEneratio & spiratio sunt rami huius arboris, quoniam secundum ramos arboris rationalis & angelicalis significantur isti rami, in quibus tenere proponimus modum quem tenuimus in brāchis: ita videlicet quod sicut posuimus subiacentiam, & subintroitum actuum dignitatū sub brāchis, ita proponimus submittere illos eosdem actus sub generare, & spirare, & intelligere, & amare, videlicet sub generare per intelligere, & sub spirare per amare, siue per amorem.

De Generatione.

DIuina sapientia requirit suam fœcunditatem, & fontalitatem à sapiente, qui est Deus: & tangit ipsum tripliciter, secundum quod est ratio intellectiuo, intelligibili, & intelligere. Et sapiens, qui tactus est per rationem, respondet vt intelligens, intelligibilis, & intelligere: & tunc seipsum intelligit. Et quia intelligit seipsum est intelligens: & quia se intelligit, est intelligibilis: quoniam si intelligibilis non esset: non posset se intelligere. Intelligit ergo seipsum, & habet in se intelligere: sine quo non posset esse intellectus, nec intelligens, nec intelligibilis. Facit ergo responsionem sapientiæ secundum suam proprietatem & naturam illius, & respondentis tacti per illam. Responsioni quam sapiens facit rationi sapientiæ, omnes dignitates æqualiter concurrunt cum suis actibus, quæ requirunt in illo tactu suam fœcunditatem, fontalitatem & naturam: sicut bonitas, quæ requirit, quod illud intelligere sit bonum: vt in illo sit bonificare, & magnitudo requirit, quod sit magnum: vt in illo sit magnificare: & æternitas requirit quod sit æternum, vt in illo sit æternare, & sic de cæteris actibus, & quia intelligere & bonificare sunt in responsione bonificans, & bonificabilis, ex quibus est bonificare, & quia in responsione est magnificare, sunt in illa magnificans & magnificabilis, ex quibus est magnificare. Et quia in responsione est æternare, sunt in illa æternans & æternabilis, ex quibus est æternare, &c. Sunt in intelligere bonificans, bonificabilis, & bonificare. Bonificans est intelligens, & non bonificat seipsum, quoniam iam bonus est, veruntamen intelligens, qui est bonificans, intelligit seipsum. Et in hoc puncto adest distinctio, & incipit esse generatio, & productio: veruntamen non dicimus, quod principiet in tempore, sed in natura distinctionis, & responsionis, in tantum quod bonificans & intelligens sunt vna proprietas generatiua, bonificatiua, & intellectiua. Et distinctio est, in quantum intellectiuus per bonificatiuam proprietatem non bonificat seipsum: sed intelligit seipsum. Et in quantum habet remanere vnum suppositum cum bonificatiuo, bonificatiuus seipsum bonificat in alio, & sic concipitur verbum, quod est Filius, & remanet fœcunditas bonitatis, & fœcunditas sapientiæ, & sunt bonificare, & intelligere in ramo, quem appellamus generatio aut generationem. Deus intelligit seipsum cum magnitudine: sed non magnificat seipsum: quoniam iam magnus est: & vt magnificare sit ita magnum sicut intelligere, transit magnificare in aliud per intelligere, & vt sit æquale ipsi intelligere. Et in hoc puncto adest distinctio, vt sit magnificare ita magnum sicut intelligere. Et ad esse distinctionis & æqualitatis est generatio & pro

& productio, & æquales remanent in fœcunditate, & fontalitate duæ rationes, videlicet sapientia & magnitudo, quæ habent suos actus in generatione. Deus intelligit seipsum cum æternitate, non tamen æternificat seipsum: quoniam iam est æternus. Et quia intelligit seipsum, adsunt distinctio, æqualitas, & concordantia, in tantum quod intelligendo seipsum, in alium seipsum æternificat & remanet æternus & intellectus, & alius distinctus ab intelligente, & est intelligibilis, & hoc facit distinctio, & etiam æqualitas vt æternare, & intelligere sint æqualia in fœcunditate, & fontalitate, & natura: & hoc idem facit concordantia, per quam concordata sunt in distinctione, & æqualitate per productionem, & generationem, quam esse oportet per æternificationem, vt fœcunditas æternitatis æqualis sit fœcunditati sapientiæ: & quod facere possit existere & durare sub certa proprietate & determinata intelligentem & æternantem, & sub alia certa proprietate & determinata, æternificabilem & intelligibilem, & sic sunt æternare & intelligere sub generare, illo generare existente per æternare, & intelligere. Deus intelligit seipsum cum potestate: quoniam sine potestate se intelligere non posset. Et quia Deus seipsum non possificat, quoniam iam est potens, in quantum potest esse intelligens transit ad possificandum alium & etiam intelligendum, vt in illo transitu sit æqualitas fontalitatis amb[ar]um rationum. Et sic adest distinctio & etiam æqualitas, & incipit distinctio alietatis, in quantum intelligens intelligit alium intelligendo seipsum. Et oportet quod intelligat de necessitate alium, vt possificans, qui non potest seipsum possificare, alium possificare possit. & sic sunt possificare & intelligere æqualiter sub generare. Deus intelligit seipsum cum virtute, sed non virtuificat seipsum, quoniam iam intelligens virtuosus est. Et quia oportet quod virtuificare æquale sit intelligere, adest distinctio, & transire facit virtuificare in obiectum virtuificabile, generabile, ad quod trāsit scire, vt sit obiectum scitum in tantum per sapientiam & intelligere, sicut per virtutem & virtuificare: & sic virtuificare & intelligere æqualiter sunt sub generare: & generare æqualiter ex ambobus. Deus intelligit seipsum cum veritate, veruntamen seipsum non verificat, quoniā verus est. Et quia oportet quod verificare æquale sit intelligere: & intelligens seipsum verificare non potest, transit ad verificabile, vt in ipso sit verificans, ideirco oportet quod transeat ad intelligibilem distinctum cum distinctione, quæ iuuat: & sic sunt vnum idem intelligibile & verificabile, & remanet vna potentia obiectiua, quæ est intellectiua, verificatiua & distinctiua, & sequitur verificare, intelligere, & distinctionare, quæ æqualiter sunt sub generare & producere: sine quo verificans non posset æqualitatem verificare ipsi intelligere, si non transiret ad verificabilitatem, intelligibilitatem, & distinctionabilitatem secundum naturam obiectandi, & æqualificādi obiectum cum actibus trium rationum, & cum earum actiuitate. Deus intelligit seipsum gloriosum, & non glorificat seipsum: quoniam iam est gloria, quæ requirit quod gloriosus habeat gloriari æquale intelligere. Idcirco oportet quod Deus respondeat rationi gloriæ: & est glorians alium, qui est gloriabilis: & sic est gloriari, quod est de glorıante & gloriabili æquale ipsi intelligere, quod oportet esse ex-

se ex intelligente & intelligibili: quoniam æquale esse non posset ipsi gloriari, si non esset ex ambobus. Et in hoc puncto adsunt distinctio & æqualitas: adest distinctio, vt sit distinctionare inter gloriantem, & gloriatum: intelligentem & intellectum. Adest etiā æqualitas, vt gloriari & intelligere sint æqualia: & sic sunt gloriari & intelligere sub generare. Deus intelligit seipsum esse Deum, est ergo per sapientiam intelligens: & Deus intelligibilis est per deitatem: & non potest deificare seipsum, quoniam iam Deus est, nec suam deitatem in pluribus deitatibus distinctionare potest, quoniam diuisibilis esset in pluribus diis Et quoniam oportet quod deitas sit rationalis: sicut sapientia, ita requirit à Deo deificare: sicut sapientia à sapiente requirit intelligere Idcirco adest distinctio cum distinctionare: & transit deificare ex deificante ad deificabilem: ad quem oportet quod transeat intelligere ex intelligente ad intelligibilem cum distinctionare: quod sit inter ambos, vt deificare & scire æqualia possint esse: & ita sunt deificare & scire æqualiter sub generare cum distinctionare: quod est actus distinctionis ita fontaliter sicut intelligere sapientiæ, & sicut deificare, quod est actus deitatis. Deus intelligit seipsum, & oportet quod concordantiam intelligat inter intellectum, intelligibilem & intelligere: quoniam si concordantia deficeret, non haberet cum quo remotus esset à contrarietate: sicut per bonitatem cum qua remotus est à malitia, & cum magnitudine à paruitate: & sic de aliis: oportet ergo quod concordantia sit inter intelligentem, intelligibilem, & intelligere. Concordantia ibi esse non potest sine concordante, concordabili & concordare: est ergo concordantia ita fontaliter ratio Deo per concordare: sicut sapientia per intelligere. Oportet ergo distinctionem adesse per quā vnus sit concordans, & alius concordabilis: quoniam sine illa non posset esse concordare. Et quia concordare oportet esse æquale ipsi intelligere, ita oportet sapientiam transire ad intelligibilem per distinctionem & distinctionare: sicut concordantia ad concordabilem: & sic sunt concordare & intelligere æqualiter sub generare & producere. Deus intelligit seipsum, & seipsum intelligere non potest sine intelligente, intelligibili & intelligere. Et si intellectus non sit principium intelligibilis, intelligere non potest esse principium amborum: & principium deficit in intelligere, quod siquidem intelligere non habet, cum quo remotum sit à principio ignorantiæ: & intelligere remotius est à malitia per bonitatem, & à paruitate per magnitudinem, quam ab ignorantia cum principio ipsius intelligere: & sic intelligere propinquum ignorantiæ potest esse, inquantum non est de natura principij: quæ propinquitas est impossibilis. Est ergo intelligere principium essentiale & naturale, cum quo intelligere remotum est à principio ignorandi, quod in diuino intelligere non potest principiare, postquam intelligere est principiare, diuini principiātis & principiabilis. Et quia Deus est principiū, vt probatum est: non principiat seipsum, inquantum est principiās, & quia principiare oportet esse æquale ipsi intelligere, oportet quod principiare transeat de principiante ad principiabilem, & remaneat inter ambos: & hoc non potest facere sine iuuamine distinctionis, quæ sit inter principium, principiātem & principiabilem, quam oportet esse inter intelligentem & intelligibi

telligibilem. Et ita sunt æqualiter intelligere & principiare, sub generare & producere. Deus intelligit seipsum: & intelligit, quod intelligere sit in medio intelligentis & intelligibilis, idcirco est clarum & clarificatum intelligere: quoniam est intellectum esse in medio intelligentis & intelligibilis. Et si intelligens medium non intelligit inter se ipsum, & intelligibilem non habet: cum quo possit intelligere seipsum, nec intelligibilem: quoniam in priuatione medij est priuatio intelligendi. Non intelligit ergo Deus seipsum, nec intelligit seipsum esse intelligentem, nec esse intellectum: quod est impossibile. Est intelligere reale medium, quod est inter intelligentem & intelligibilem: cui meditationi adest distinctio, quæ se ponit in medio intelligentis, & intelligibilis cum distinctionare, & per distinctionare. Et sic intelligere, mediare, & distinctionare æqualiter sunt sub generare, quod est ex illis, & in illis, & per illa, & in vno eodem numero cum illis. Deus intelligit semetipsum: & sicut sua sapientia requirit secundum suam fontalitatem intelligentem, intelligibilem & intelligere, ita finis qui est complementum à Deo fontaliter requirit perficientem, perfectibilem & perficere. Deus seipsum complere non potest, quia iam plenus est, sed quia oportet quod respondeat rationi finis, & fontalitati illius respondet, vt complens & perfectibilis, & perficere siue complere: sed hoc facere non posset sine distinctione perficientis, perfectibilis & perficere complerè producente de seipso perfectibilem: quoniam de alio subiecto ipsum perficere non posset: cum ita sit, quod ratio requirit perficere infinitum & æternum. Est ergo in illo complere distinctio, & vt complere & intelligere sint æqualia, est inter intelligentem & intelligibilem, & ita oportet de necessitate ratione æqualitatis quam esse oportet, vt intelligēs de seipso distinguat in producendo intelligibilē, non tamen distinguit seipsum, inquantum est intelligens, sed distinguit de seipso in producendo. Et hoc oportet ita esse, quia complens seipsum complere non potest: quoniam iam plenus est per seipsum: sicut intelligens, qui est iam intelligens per seipsum: sed oportet quod de seipso impleat perfectibilem in producendo ipsum de seipso. Sint ergo intelligere & complere æqualiter sub generare & producere cum distinctionare, sine quo non sequeretur finis ipsius complere, neque intelligere, & Deus se intelligeret ociosè & cum vacuitate vtilitatis & finis, quod est impossibile & contra rationē finis, sapiētię, & magnitudinis, bonitatis, ęternitatis, &c. Deus intelligit seipsum cū ęqualitate intelligentis, intelligibilis & intelligere, sine qua æqualitate sapientia non posset esse remota ab inæqualitate intelligentis, intelligibilis & intelligere: sicut per seipsam ab ignorantia cum intelligente, intelligibili & intelligere, & à malitia cum bonitate, & à paruitate cum magnitudine, & à tempore cum æternitate, & à confusione cum differentia, & à contrarietate cum cōcordantia, & sic de cæteris. Est ergo æqualitas inter intelligētem, intelligibilem & intelligere, quæ est in illis cum distinctione, sine qua non posset esse, cum ita sit quod æqualitas non posset esse sine pluralitate pluriū. Et quia æqualitas à Deo requirit secundum suam fœcunditatem æqualificantem, æqualificabilem & æqualificare, vt ipsa sit ex omnibus tribus, & omnes tres sint ex illa, respondet

Deus ita fontaliter rationi æqualitatis: ſicut rationi ſapientiæ, quæ requirit intelligentem, intelligibilem & intelligere. Idcirco ſequitur productio de neceſſitate per æqualificare & intelligere æqualiter, quæ æqualiter ſunt ſub generare. Probatum eſt & oſtenſum, quod actus qui ſunt infinitiui & de rationibus diuinis, ſubiacentes ſunt ipſi generare, quod eſt ſupra, inquantum eſt ex omnibus, & quod generare eſt ex generante & generabili, & remanet idem numero cum ambobus: quoniam in tertium numerum non tranſit, quod ſi tranſiret totum eſſet, & eſſent generans & generabilis partes, quod eſt impoſſibile: cum ita ſit, quod oporteat omnem partem eſſe finitam, & generare ſit de infinito infiniente generãte, infinibili generato & generabili. Demus ergo laudem Deo, à quo venit omnis ſapientia & omne bonum, quia valdè clarè ramũ declarauimus, qui eſt de duabus primis branchis, hoc eſt generare, quod eſt ex generante & generabili, & in illo ſunt ambo, & per illum vnus eſt in alio. Idcirco dixit Dominus Ieſus Chriſtus ſecundum Deitatem, quod ipſe erat in Patre, & Pater erat in ipſo, & qui ipſum videt, videt & Patrem, & qui videt Patrem, videt ipſum.

De Spirare.

SEcundus ramus eſt ſpirare, ſub quo ſunt infinitiui dignitatum ſub actu amoris, ꝙ eſt amare: ſicut actus bonitatis, qui requirit, quod de amore, quẽ Pater habet ad Filium, & quem Filius habet ad Patrem, exeat tale amare, quod poſſit eſſe ita perſona: ſicut eſt in Patre & Filio, vt ſuum bonificare poſſit eſſe in perſonali amare: & illi requiſitioni Pater & Filius reſpondent cum diſtinctione & cum æqualitate, vt bonitati ſatisfacere poſſint, cui ſatisfaciũt in diſtinguendo amare, ſpirãdo illum, & cum illiſmet æqualificando: & ſic eſt bonificare ſub ſpirare in amare. Idcirco bonitas in illo amare quieſcere poteſt. Pater diligit filium duobus modis, vno modo diligit ipſum in generando, alio modo inquantum reſpondet amori, quem filius habet ad eum: quoniam filius patrem diligit non in producendo ipſum, ſed ipſum diligit, quia magna eſt eius amabilitas: & pater reſpõdet illi amatiuitati filij, quem diligit, quia magna eſt eius amabilitas. Idcirco requirit magnitudo patris & filij à duabus amatiuitatibus, vnum ita magnum magnificare, quod ſit perſonare in amare amborum ſecundum naturam ſpirandi. Idcirco pater & filius reſpondet magnitudini, in producendo ſpirare, vnde exit ſpirabilis per naturam amare, ſub quo eſt magnificare in diſtinctionare & æqualificare. Filius patrem æternare non poteſt, quoniam ipſe filius æternatus eſt per patrem: & quia poteſt patrem diligere, ipſum diligit, inquantum pater eſt amabilis per æternitatem, quæ eſt amabilis in patre, & per quam pater eſt amabilis, nec pater alia vice filium æternare poteſt: quoniam iam æternatus eſt per eum, inquantum per ipſum generatus eſt, & de ſua æternitate. Idcirco æternitas requirit à patre cum amore, quod filium amet, poſtquam eſt amatus per filium, & pater æternitati obedit & amori: & amat filium. Et ex his duabus amatiuitatibus exit vnum æternum amare, quod eſt ſpirare, quod remanet vna amatiuitas, vt remaneat vna ſpiratiuitas, quæ producat vnam ſpirabilitatem, quæ eſt ſanctus Spiritus ſpiratus, & ſpirabilis in æternitate, & de æternitate in æternare, quod eſt

per naturam amare, quod est sub spirare. Filius patrem producere non potest, quoniam non est de natura possiuitatis, nec possibilitatis, quod filius, qui est productus per patrem, suum patrem producat: & quia potestas se extendere non potest, nec communicare filio, quod ipse possit producere suum patrem, requirit à voluntate filij, quod ipse amet patrem, vt in illo amare possit potestas habere personale possificare, & ita fontale & abundosum: sicut est generare. Idcirco filius respondet potestati, & diligit patrem cum personali amare. Et potestas requirit à patre, quod amet filium cum personali amare: & amat filium cum personali amare. Et ita sibi inuicē obuiant ambæ amatiuitates personales in vno personali amare spirato, & personato possificato per naturam amandi: sub quo spirare est actus potestatis qui est possificare. Pater filium producit virtuosum, quia ipsum cum virtute producit, & de virtute, & per virtutem, & in virtute. Idcirco virtus requirit à filio: quod amet patrem virtuosè, cum ita virtuoso amare, sicut est producere: sed hoc filius facere non posset sine personali amare, cui pater respondet cum responsione virtutis, quæ non est illa, quæ est generationis. Et oportet quod illa responsio sit ita magna sicut illa, quam facit filius virtuti. Est ergo responsio, quam pater virtuti facit ratione amare personalis responsionis. Idcirco potest esse personalis actus virtutis in amore, quem habent pater & filius cum iuuamine tamen distinctionis: ratione cuius sit productus, spiratus, personatus, amatus, & virtuificatus, sub qua spiratione actum virtutis posuimus, qui cum aliis actibus constituit communem spirationem, quæ est supra, vt ita loquar: videlicet supra actus infinitiuos per naturam amandi & amoris, & per amorem, & in amore. Pater filium producit cum veritate: idcirco pater est veritas productiua, & filius productibilis: & veritas conuerti non potest, videlicet quod pater sit veritas productibilis, & filius productiua, quod si conuerteretur, sequeretur contradictio intantum, quod pater esset pater, & non pater, & filius esset filius, & non filius: quoniam quilibet esset pater, & filius insimul: & quia in hac conuersione veritas verificare non potest, habere requirit à filio, quod amet patrem, cū ita magno amore, sicut est suum verificare per naturam generandi. Et hoc facit veritas, vt possit habere ita magnum verificare per actum filij in amando: sicut per actum patris in generando. Respondet ergo filius veritati, & amat patrem, cum ita magno verificare amandi: sicut est verificare generandi. Idcirco veritas requirit à patre, quod respondeat amare filij, cum ita magno verificare amandi: sicut est actus filij. Et quia Pater est obediens rationi veritatis, respondet filio per naturam amandi & verificandi: & ex ipsis duabus responsionibus quæ sibi inuicem obuiant: ita exit amare & spirare, & multo melius: sicut exiret ignis ex duobus magnis lapidibus, qui sibi inuicem in aëre obuiarent per machinas proiectis, ex quibus exit in actu totus ignis qui est in illis in potentia. Et in hoc passu cognoscitur natura spirandi, & modus secundum quem verificare constituit spirare, cum aliis actibus per naturam amandi. Pater habet gloriam in producendo filium de sua gloria, & inquantum producit de sua gloria, est pater: & inquantum gloriatur cum filio per naturam amandi, habet pater gloriam in amando filium

lium,& filius in amando patrem:quoniam magna gloria est patri in producendo ita nobilem filium, & magna gloria est filio in habendo ita nobilem patrem. Idcirco gloria requirit à patre, quod habeat ita magnum gloriari in amare filium. sicut habet in generare ipsum, postquam filius ita magnam habet gloriam in amare patrem: sicut in amare seipsum, idcirco pater respondet gloriæ intantum per naturam amandi. sicut ei respondet per naturam generandi: inquantum ex ipsa filium generauit. Idcirco sibi obuiant ambæ responsiones in gloria per naturam amandi. Et ex illa obuiatione ita exit spirare in gloria,& multo melius: sicut exeunt ex obuiatione ventorum tonitrua in sonum,& fulgur in lucem & motum. idcirco est ille qui exit ex obuiatione in gloria, Spiritus sanctus: sub quo est gloriari per naturam amandi. Pater generat filium:vt probatum est in arbore apostolicali,& etiam in hac arbore: & quia generat filiũ, respondet actui distinctionis,qui est distinctionare patre filiũ à se distinguente,ipsum generando ita,quod pater remanet vna proprietas distinctiua, & filius alia proprietas distinguibilis: & quia filius patrem distinctionare non potest, distinctio à filio requirit distinctionare per naturam amandi:& patrem amat cum personali amare, cui amare oportet quod respondeat pater per alium modum distinctionandi distinctum à generare, quod si non, pater non aliud amaret nisi generare intantum,quod non amaret generatum, nec amare redderet propter amatum: & sic deficeret responsioni distinctionandi, & personali amare Filij,quod est impossibile. Diligit ergo Pater Filium cum personali amare in distinctionare, & amare in tantum, quod duæ personatiuitates, vna videlicet quæ est Filius,& alia quæ est Pater sibi inuicem obuiant in distinctionare & amare, & amor est subiectum, vnde exit distinctio are & amare, ita & multomelius: sicut exit in amore angeli amare, amantis, & amabilis. Exit ergo spirare ex ambabus, amatiuitatibus, personalibus, & personis: quæ se vniunt in vna proprietate spiratiua,distinctiua, amatiua, & productiua, de qua exit vna proprietas spirabilis, amabilis, distinguibilis, & productibilis:idcirco distinctio habere potest distinctionate per actum Filij in ita magnum amare: sicut habet per Patrem in actu generandi. Patre Filium generante habet concordantiam cum omnibus rationibus, quæ ab eo suos actus requirunt infinitiuos: sicut bonitas,quæ ab eo requirit bonificare, postquam est bonus, & magnitudo, magnificare,postquam est magnus, & sic de cæteris. Respondet ergo Pater omnibus, & inter alias respondet concordantiæ,quæ requirit concordare,& generare,quæ siquidem concordantia requirit à Filio concordare, in amare, & vult, quod concordare sit ita magnum in suo amare sicut in generare, istud ita magnum concordare Filius habere non potest sine personali amare concordatiui, productiui, & amatiui,idcirco Patrem amat cum tota amatiuitate sua, & Pater respondet Filio cum ita magna amatiuitate in concordare per naturam amandi, vt sit tantum concordantiæ obediens sicut Filius, & ex illo concordare exit spirare per naturam amandi, & sic concordantia suum habet concordare duobus modis æqualibus: vno modo est per generare, alio modo per spirare,sub quo quidem spirare est ita concordare per amare:sicut est sub generare

rare per intelligere. Deus est perfectum principium, & perfectum principium esse non potest sine istis tribus modis: videlicet quod sit principium, principians, non principiatum; quod principiat de seipso principiatum, & principiabilem, qui quidem principiatus, & principiabilis sit principians alium principiatum, in quo principium sit terminatum, ita videlicet quod vltra illud non sit alia principiabilitas: quare principium commune remanet in numero ternali, secundum quod in tertia brancha probatum est. Et quia Pater Filium principiat, & Filius Patrem non principiat, & principium à Filio requirit principiare, Filius respondet rationi principij, & principiat personale amare de necessitate, quia principium à Filio requirit ita magnum principiare in amando sicut à Patre in intelligendo. Amat ergo Filius Patrem cum personali amare in principiando, principiabilem, & principium, ita magnum principiare requirit à Patre per naturam amandi, sicut per naturam intelligendi. Obuiant ergo sibi inuicem Pater & Filius in vno personali amare, ita & multo melius sicut duo homines boni, qui se inuicem diligunt, sibi obuiant in vno genere amandi, & in vna natura amoris. Inuenit ergo Pater Filium in vna natura amatiua, spiratiua, & principiatiua, principio communi respondendo, & Filius inuenit Patrem similimodo in tãtum, quod ex ambobus modis est vna natura principiandi, vt obuiatio sit magna in principiando amare, quod spirando producitur. Et in hoc passu cognoscitur magna natura, quam Pater & Filius habent in amando & in principiando Spiritum sanctum, & ipsum ita fortiter de principiabilitate, & amabilitate, perficiendo, quod ipse non requirit naturam habere aliquam personam producendi: quoniam ei sufficit, quod sit productus postquam productus est per ita magnam obuiationem amandi & principiandi. Pater Filium generat, & ipsum generat cum medio bonitatis, videlicet cum bonificare, quod est in generando, in quantum Pater bonum Filium producit. Et idem est de medio magnitudinis, quod est in generando, in quantum Pater magnum Filium producit: & sic de aliis mediis, quæ sunt infinitiui & actus rationum, quæ attingunt suos actus in generando siue in generare, in quo quiescunt, quam quietem à Filio requirunt. Et quia Filius generare non potest Patrem respondet rationibus per naturam amandi siue amare, quod est actus amoris, cum quo Patrem amat, & in quo bonitas habet bonificare, si Filius bonificatum producit: & sic de aliis mediis. Oportet ergo quod Filius de necessitate tertiam personam producat: vt respondere possit in bonitate bonificanti, & in magnitudine magnificanti. Ipsæ namque Patrem bonificare non potest, nec magnificare in producendo: nec etiam potest in producendo seipsum bonificare, nec magnificare: quoniam iam productus est per Patrem. Habet se ergo ad Spiritum sanctum per naturam amandi: vt respondere possit in amando Patrem mediis infinitiuis in producendo: cui responsioni oportet, quod Pater respondeat ita fortiter sicut Filius. Idcirco Pater & Filius sibi inuicem obuiant in vno amare, quod est medium amoris, de quo exit spirare, ita & multo melius sicut aqua de fonte, & elementatum de elementis, & calor de igne, & splendor à Sole, & dulcedo à melle. Finis qui est complementum à Patre requirit complere & finire, &

Pater respondet in generando Filium infinitum & completum, in quo generare suus actus, quod est infinire & complere, habet finem, & sic finis habet in generare quietem, quod requirit à Filio, & Filius in spirando respondet per naturam amandi, in amando Patrem, quem tantum amare oportet, quod respondere possit infinire, & complere, quibus respondere non posset sine productione infiniendi, & complendi. Obedit ergo Filius fini in producendo sanctum Spiritum, quẽ exire facit per vim amoris, cum quo amat Patrem, & sic finis quietem habet in amare Filij per infinire & complere. Quam siquidem quietem requirit à Patre fortiter amando Filium, sicut generando ipsum. Idcirco spirare constitutum est ex requisitione & responsione, de quibus dictum est per naturam amandi. In generare æqualificantur bonificare, magnificare, æternificare: & cæteri actus & dignitates, quæ sunt Patris & Filij in generare. Qui siquidem actus & dignitates requirunt à Filio per amare in æqualificare: quoniam sicut habent æqualitatem per viam intelligendi existente illo æqualificare, vt ita loquar, ex Patre ad Filium, requirunt à Filio, quod æqualificare vadat per viam amandi de ipso ad Patrem. Et quia Filius obediens est rationi æqualitatis, oportet quod habeant se ad Patrem in producendo spirabilem per naturam amandi. Et vt Pater cum Filio se possit æqualificare in amando, vadit per illam viam ad Filium, per quam Filius venit ad illum, & ambo sibi inuicem obuiant in spirare, & amare, & æqualificare, de bonificare, magnificare, & sic de aliis actibus, in qua obuiatione habent quietem sub spirare. Dictum est de secundo ramo, & modum ostendimus, per quem cognitio haberi possit de natura sancti Spiritus, quam Pater & Filius habent in spirando, sub qua natura, vt ita loquar, sunt actus dignitatum, qui illud spirare constituunt per naturam amandi. Sub quo ramo placeat Patri, & Filio, quod plures esse valeamus obumbrati amando, cognoscendo, honorando, & laudando ipsos, & eis seruiendo. Quoniam magnum mirabile est, quod ipse sit ita magnus ramus, & vmbra sit ita magna, homines vero parui, qui sunt in illa vmbra secundum comparationem hominum, qui sunt sub vmbra Spiritus maligni, de cuius vmbra Deus suos seruitores defendat, & in breui det plures bonos pastores, qui homines ab illa vmbra eiiciant.

Quod in Deo non sunt accidentia.

IN foliis arboris apostolicalis probatum est, quod in summa Trinitate non sunt accidentia: modò probare volumus, quod in essentia Dei non est accidens. Et primò de quantitate. Essentia Dei infinita est per magnitudinem, & æterna per æternitatem, & cum istis duabus proprietatibus est vnum idem numero. Et sic de bonitate, magnitudine, potestate, sapientia, & voluntate, & cæteris, ergo in ipsa Dei essentia quantitas non esse potest: quoniam quantitas est ens terminatum, & non potest comprehendere ens extensum infinitè per seipsum: quoniam voluntas eius vult, quod infinitè sit extensum: vt ita loquar: & potestas hoc potest postquam infinita est, & magnitudo hoc complet, & eius sapientia hoc scit: quoniam si sapientia hoc nesciret, contra bonitatem mala esset: & sic de æternitate, in qua temporis principiare non potest aliquam

nouita

nouitatem, quæ fit de sua essentia: quod si faceret, Deus non esset, & iam probatum est, in arbore apostolicali, Deum esse, & vnum Deum, & non plures. Non potest ergo esse quantitas in Deo, nec in illo aliquam habere conditionem nec naturam.

Quod in Deo non sit qualitas accidentalis.

BOnitas Dei, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, voluntas, &c. sunt vnum idem numero, idcirco non possunt esse qualitates accidentales: cum ita sit, quod accidens & minoritas habeant concordantiam, & paruitas, & minoritas, & magnitudo & paruitas sint contraria, quæ siquidem magnitudo est qualitas substantialis propria, & non appropriata: quoniam si esset appropriata, concordantiam haberet cum paruitate, & eius amabilitas non esset magna, nec intelligibilitas, & possibilitas, & esset parua, vnde sequeretur malum contra bonitatem, & contra seipsam & alias. Est ergo magnitudo propria qualitas substantialis. Idcirco proprium est Deo seipsum intelligere, & totum vniuersum creatum in æternitate, in qua hæc intelligit. Idcirco ita est impossibile, quod in suo intelligere nec per suum intelligere cadat vel deueniat aliqua nouitas in sua essentia: sicut impossibile est quod sua infinitas deueniat in quantitatem.

Quod in Deo non sit relatio accidentalis.

SEcundum quod probatum est in ramis, bonitas à bono requirit bonificare, bonificantem & bonificabilē, & requ sitionem facit cum magnitudine, quam intelligimus esse infinitam. Et idem facit cum æternitate, potestate, sapientia, & voluntate, cum quibus est idem numero. Idcirco Deus qui est bonus, respondet rationi bonitatis, & relationis cum responsione substantiali, Patre Filium producente, & Patre & Filio spirantibus Spiritum sanctum: vt dictum est. Quæ siquidem productio est relatio bonificantis, bonificabilis & bonificare substantialiter: quoniā voluntas non vult, quod sit accidentaliter, vt eius amor sit in magnitudine bonitatis, & potestas complet volūtati magnitudinem amatiuitatis, & relatio magnitudinem amabilitatis. Et idem facit scitiuitati & magnitudini scibilitatis, & secundum quod potestas est fontalis & abundosa scitiuitati & amabilitati magnę relationis, est æternitas fontalis & abundosa magnitudinis, & magnitudo æternitatis. Idcirco relatio esse nō potest de bonitate accidentaliter, imò oportet esse de necessitate substantialiter. Deus filius intelligit seipsum & intelligit Patrem, & intelligit Spiritum sanctum: & inquantum est filius, & se intelligit esse filium, sua existentia & agentia sunt eadem essentia, licet filius seipsum per intelligere non producit, quoniam iam per intelligere patris productus est. Qui siquidem pater inquantum se patrem intelligit, seipsum non producit, idcirco intelligere & existentia suæ paternitatis sunt idem numero. Idem est de Spiritu sancto, qui seipsum intelligit, & qui seipsum non producit, & intelligere & existentia quæ est spirabilitas, sunt idem numero: & sicut dedimus exemplum de relatione per intelligere personale, ita videlicet quod exinde accidens non sequitur, intelligi potest de bonificare, magnificare, æternare, possificare, amare, &c. ita quod in relatione nullum accidens

cadere

cadere potest: quoniam sicut homo qui in æternitate generari non potest, ita relatio diuina non potest esse in aliquo accidente. Filius intelligit patrem, & intelligit seipsum, cuius intelligere non est ens quod sit in medio Filij & Patris: quoniam aliud non est nisi filius, qui est suum intelligere: sicut Martinus qui est sua humanitas, veruntamen Martinus non est suum intelligere. Et in hoc passu cognoscitur, quod intelligere Filij Dei prærogatiuam habet supra intelligere Martini in hoc, quod intelligere Filij Dei est intelligere substantialis, & idem de intelligere Patris & Spiritus sancti. Et sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus remanent vna essentia, vna natura, vna substantia, vna bonitas, vna magnitudo, &c. ita intelligere Patris, & Filij, & Spiritus sancti in vno communi intelligere remanet, quod est vnus Deus, vna essentia, vna substantia, vna deitas, vna natura, vna bonitas, vna magnitudo, &c. Idcirco Deus inquantum intelligit seipsum, non producit seipsum nec alium: sed inquantum rationes ab ipso requirunt relatiuè (vt probatum est) reales relationes substantiales: sicut bonitas quæ ab eo requirit bonificatiuum, bonificabile & bonificare, habet se Deus secundum responsiones relationis ad productionem inquantum pater ex quo sequitur Filius & Spiritus sanctus, vt dictum est. Et in hoc passu cognoscitur modus secundum quem in Deo est relatio propriè, inquantum productio personarũ quæ fit ratione dignitatum, quæ communiter requirunt cum eorum propriis relationibus: sicut Deus, qui seipsum intelligit esse Deum, & ipsemet est intelligens, intelligibilis & intelligere, licet seipsum non producat: sed inquantum intellectus ab eo requirit intellectiuum, intelligibilem & intelligere cum bonitate, quæ ab eo requirit bonificatiuum, bonificabile & bonificare, & sic de cęteris, oportet de necessitate esse productionẽ diuinarũ personarum, vt fiat responsio realibus relationibus dignitatum. Et iste passus est valde placens ad intelligendum, & per ipsum cognoscitur modus, secundum quem Saraceni negant summam Trinitatem, inquantum stant ad communem relationem Dei: sicut Deus qui intelligit seipsum, & ipsemet est intelligens, intelligibilis & intelligere sine productione. Et in hoc verum dicunt inquantum communis relatio: sed malè dicunt, inquantum negant reales & proprias relationes dignitatum, vt dictum est, ratione quarum oportet de necessitate, quod sequatur trinitas personarum, quam probauimus.

Quod in Deo non sit actio neque passio accidentalis.

DEus est forma substantialis, quæ nõ põt esse passiua sub alia forma, cum ita sit, quod ipsa sit æterna & infinita, & non habeat aliquam naturam materiæ, quod si haberet non esset pura forma. Et quod ipsa sit pura forma sine aliqua materia, ad hoc concurrunt & iuuant omnes rationes reales, videlicet bonitas, magnitudo, &c. quare materia in ipso non potest esse, nec aliqua suarum conditionum. Et in quantum dicimus, quod Filius est generabilis, & Spiritus sanctus spirabilis, non sequitur propter hoc, quod in essentia Dei sit materiabilis: quoniam Filius, & Spiritus sanctus producti sunt de pura forma Patris, etiam Spiritus sanctus d pura forma Patris, & Filij. Et de hoc dictum est in foliis

foliis arboris apostolicalis, videlicet quod in Deo non est actio neque passio accidentalis neque materialis.

Quod in Deo non sit habitus.

IN Deo est memoria, intellectus, & voluntas, & dicimus quod ipse habet memoriam, in quantum suo intellectui repræsentat, quod ipse potest tãtum de bonitate, magnitudine, & æternitate: sicut vult sua voluntas, & suus intellectus, intelligit. Idcirco illa repræsentatio quæ fit in æternitate per memoriam intellectui, non est secundum habitum accidentalem: quoniam habitus accidentales non repræsentant in æternitate sed in tempore. Idcirco memoria Dei non potest esse habitus accidentalis, nec propriè dicitur, quod ipsa sit habitus, sed purus actus. postquam in æternitate est eius repræsentatio. Et idem est de intellectu diuino, & de sua voluntate, qui in æternitate sua obiecta accipiunt. Idcirco intellectus diuinus, & sic de sua memoria, & voluntate, non attingunt res extrinsecas, quæ sunt de vniuerso creato in tempore præterito præsenti, neque futuro, postquam illas in æternitate attingunt: sed quia quædam res creatæ sunt in vno tempore, & aliæ in alio, vult diuina voluntas, quod Martinus sit antequã Petrus suus filius Et idem est de contingentiis, quæ sunt secundum naturas creaturarum, & dispositiones illarum, & contingentia in diuina sapientia, voluntate, & memoria non sunt: quoniam illa in æternitatem attingunt, & secundum libertatem voluntatis diuinæ, potestatis, &c. & secundum naturas, proprietates, & ordines subiectorum creatorum sub contingentiis existentium.

Quod in Deo non sit assituatio.

PAter est in Filio, & Filius in Patre, & idem est de Spiritu sancto sine assituatione accidentali: quoniam in eis non est figura circularis, triangularis, neque quadrangularis, neque longum, amplum, neque profundum, cum ita sit, quod diuina substantia sit spiritualis, & infinita. Idcirco situs secundum quod in creaturis accipitur, in Deo minimè accipitur, sed secundum quod est in creaturis, & creaturæ in illo, significatur humano intellectui situatio diuinarum personarum: vt de ipsis cognitionem habere possit: sicut in voluntate Martini, qui suum Filium diligit, in quo intelligere assituatum est in amatiuitate, & amabilitate: ita & multo melius est Spiritus sanctus inter Patrem & Filium, & Filius est in Patre, in quantum est de Patre, & in quantum sunt vna essentia, vnus est in alio: sicut bonitas quæ assituata est in suo essentiali bonificatiuo, bonificabili, & bonificare in quibus figuram ampli, longi, & profundi non reddit, ita diuina essentia in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto: ita tamen quod diuisibilitatem sui ipsius non reddit, sed per vnum modum est in Patre, & per alium in Filio, & per alium in Spiritu sancto: est in Patre, vt Pater, in Filio, vt Filius, in Spiritu sancto, vt Spiritus sanctus.

Quod in Deo non sit tempus.

ITa & multo melius sicut est impossibile, quod frigiditas sit de natura caloris, & quod tenebræ sint de natura lucis, & quod vitia sint de natura virtutum, est impossibile, quod tempus sit de æternitate: cum ita sit, quod

Deus sit æternitas, & substantia infinita & immobilis: quoniam nullum infinitum moueri potest, nec etiam suæ naturæ mobiles neque motæ esse possint, cum sint ita magnæ sicut substantia. Et naturas appellamus conditiones substantiæ, & suas rationes reales, & actus earum. Non potest ergo tempus esse in Deo: sed quia Deus vti non potest creaturis mobilibus sine tempore, agit de ipsis cum tempore: sicut faber qui agit de ferro cum calore ignis & cum forfice, & cum martello: & sicut faber qui agit extra manus suas clauum, ita Deus extra suam æternitatem principiauit mundum in tempore, & creaturas mouet de vno loco in alium, & de vno statu in alium, ita quod tempus non intrat in æternitate. Idcirco quando Deus creauit mundum in seipso aliquam nouitatem non principiauit: scilicet nouitas stetit principiata extra æternitatem, illa nouitate in tempore sustentata ratione principij sine quo tempore principium creaturæ principiari non potuit, nec creatura habere, in quo produci posset.

Quod in Deo non sit locus.

LOcus in Deo esse non potest, cum ita sit, quod ipse sit infinita substantia, quæ in loco terminari non potest: quoniam si in loco esset terminata, non esset infinita. Et oportet quod sit infinita, vt sufficiat amabilitas suæ magnæ amatiuitati: cui sufficere non posset, si esset finita. Etiam oportet quod sufficiat infinitæ generabilitati, & spirabilitati, vt actus dignitatum sint infiniti. Non est ergo Deus in loco terminatus, imo est extra locum. Est etiam in loco: quoniam si in loco non esset essentialiter, videlicet in loco lapidis & maris, & sic de aliis substantiis vsque ad octauam sphæram, eius essentia esset terminata: est ergo Deus essentialiter in omni loco, & præsentialiter, potenter & sapienter, & sic de cæteris suis conditionibus. Et quia ipse est extra locum & intra locum sine aliqua quantitate, est locus in ipso collocatus & comprehensus. Ideo dixit quidam peccator, cum mortaliter peccauisset, quo iret, vel in quo loco fugere posset à iustitia Dei de qua magnum habuit timorem: quoniam si iret ad orientem, Deus ibi est, si ad occidentem similiter, & idem de meridie, & septentrione, de inferno & cœlo. Dixit ergo ille sapiens, quod ad misericordiam Dei iret cum spe, contritione, confessione, & satisfactione, in qua quidem misericordia non est ira Dei.

De Floribus, scilicet, productionibus Diuinis.

PEr flores diuinas productiones cōsideramus, quas probauimus, & iam probare volumus, vt melius declaremus modum, secundum quem cum formis primis summa Trinitas probari potest, & productiones diuinæ ratione actuū formarum, qui siquidem actus necessarij sunt, ex quibus actibus cessare nequeunt, vt sint in complere & producere. Et in hoc processu cameras facere proponimus de formis huius libri, cum quibus diuinas productiones probabimus, quæ sunt per generationem & spirationem.

De

De Bonitate, magnitudine & Æternitate.

IN Deo bonitas, magnitudo & æternitas sunt idem numero. Est Deus bonus, magnus & æternus, & eius bonitas productionem de bono requirit, & in bono, & per bonum, & cum bono, & in seipsa, & de seipsa, & per seipsam, & cum seipsa: & hoc facit, vt eius requisitio sit magna & æterna, quod non esset, si quatuor propositiones quæ diximus, deficerent. Respondet ergo Deus bonitati, quæ est sua ratio, inquantum est bonus, & sic bonus bonitati respondet, & magnus magnitudini, & æternus æternitati, si producat in æternitate, bonitate & magnitudine, bonum de bono, & magnũ de magno, & æternum de æterno, & per bonitatem, magnitudinem, & æternitatem, & cum bonitate, magnitudine, & æternitate. Et si nihil producit, suppositum non respondet rationibus cum propositionibus, & ita remanet ociosum, quæ siquidem ociositas est mala & parua, & contra bonitatem, magnitudinem, & æternitatem. Sed hoc in Deo est impossibile, est ergo in ipso productio bona, magna, æterna & infinita in bonitate, & non in malitia, in magnitudine & non in paruitate, in æternitate & non in tempore. Et est de bono, in bono, & de magno, in magno & de æterno, in æterno, & est de bono, vt producens bonus sit in producendo, & productus sit bonus. Et productus est de magno, vt in magnitudine sit infinitus, & est de æternitate, vt in æternitate, producere sit durabilis quod siquidem producere est cum ratione bonitatis & magnitudinis, & cum responsione, quam suppositum facit rationibus in producendo productum.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & potestate.

VT bonitas, magnitudo, & æternitas ociositatem non habeant, à potestate diuina possificare requirũt, quod sit in bonificare, magnificare, & æternificare: & quia potestas per bonitatem bona est, & per magnitudinem magna, & per æternitatem æterna: & hoc inquantum rationes sunt reales, licet quælibet sit alia: quoniam si reales non essent, non possent esse rationes, respondet potestas secundum suam naturam, & naturam rationum: & iustitia quæ hoc requirit & se communicat in possificare, quod est de possificante in possificabili, & de bonificante in bonificabili, & de magnificante in magnificabili, & de æternificante in æternificabili. Et sic sequitur productio (vt ita loquar) quoniam de summa productione in hac vita loqui non potest sine impropria locutione.

De Bonitate, magnitudine, æternitate & Sapientia.

SApientia Dei scit, quod bonitas non potest esse magna sine bonificante, bonificabili, & bonificare, quæ sint de sua essentia. Et scit, quod æternitas magna esse non potest sine æternificante, æternificabili, & æternificare, quæ sunt de sua essentia. Et quia oportet de necessitate, quod sapientia sciat bonitatem magnam, & æternitatem magnam, oportet de necessitate in bonitate, & in æternitate esse illa obiecta, per quæ ipsa magna scire possit. Sunt ergo in bonitate, bonificans, bonificabilis & bonificare. & in æternitate, æternificans æternificabilis & æternificare: & per consequens produ-

ctio, sine qua sapientia obiectare non posset magnitudinem bonitatis, nec æternitatis in summitate.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & voluntate.

Diuina voluntas diligit magnitudinem bonitatis & æternitatis: magnitudinem bonitatis diligere non posset, si in bonitate non amaret bonificantem, bonificabilem, & bonificare, qui sunt de sua essentia: nec magnitudinem æternitatis posset amare: si non amaret in æternitate æternificantem, æternificabilem, & æternificare, qui sint de sua essentia: etiam non diligeret magnitudinem æternitatis, si non amaret distinctionem inter bonificantem, bonificabilem, & bonificare, per naturam intelligendi & amandi, vt æternitas facere possit vnum esse bonificantem, alium bonificabilem, & alium bonificare. Et quod faciat omnes tres esse, & durare vna essentia bonitatis, vna natura deitatis, & vna substantia communis: quæ sit bonitas, magnitudo, & æternitas. Probauimus ergo productionem esse de necessitate.

De Bonitate, magnitudine, æternitate & virtute.

Ociositas boni est vitium, & est magnum vitium, secũdum quod ociositas est magna: secundum quod ociositas durat, est vitium magnum: vnde cum virtus & vitium sint contraria, & in Deo non sit vitium, & ipse sit virtus, oportet de necessitate, quod in bonitate non sit ociositas, quæ in ipsa esset sine bonificante, bonificabili, & bonificare: in quibus magnitudo & æternitas non habeant ociositatem, ita videlicet quod magnitudo faciat bonificantem esse magnum, & bonificabilem magnum, & bonificare magnũ. Sed hoc magnitudo facere non posset sine productione quæ sit de essentia bonitatis: & quæ sit infinita in æternitate, & quod æternitas vnum faciat esse bonificantem, & alium bonificabilem, & alium bonificare.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & veritate.

Secundum naturam bonitatis & æternitatis, maior est veritas in existendo & agendo, quam in existendo aut agendo tantummodo. Idcirco secundum quod bonitas & æternitas se habent ad veritatem cum magnitudine, se habet veritas cum magnitudine ad bonitatem & æternitatem, bonitate existente in maiori veritate: si habeat in se bonificantem bonificabilem, quæ sit verificans & æternificans, qui producat bonificabilem, verificabilem, æternificabilem. Oportet ergo quod in bonitate sit productio: vt veritas se habere possit, cum ita magna magnitudine ad bonitatem & æternitatem, sicut bonitas & æternitas se habent ad ipsam veritatem.

De Bonitate, magnitudine, æternitate & gloria.

In Deo bonitas, & æternitas, & gloria sunt vnum idem numero: & vt gloria sit magna, oportet quod sit in bono & æterno glorioso, qui de sua bonitate, de sua æternitate producat bonum gloriatum gloriabilem: quoniam magna gloria est gloriosi, gloriari æternaliter gloriabilem, qui sit bonus, æternus, & infinitus: hæc ita magna gloriosa esse non posset sine productione quam oportet esse: vt gloria sit

magna,

magna, & quod in sua magnitudine æternitas & bonitas quietem habere possint.

De Bonitate, magnitudine, æternitate & differentia.

SIne distinctione bonificantis, bonificabilis, & bonificare, æternitas non posset esse magna in bonitate: quoniam sine distinctione esset in ipsa ociosa: & sic esset parua, & esset paruitas bonitatis, cum ita sit: quod sine distinctione aliqua operatio esse non possit. Est ergo in bonitate distinctio: videlicet inter bonificantem, bonificabilem & bonificare, vt æternitas in ipsis esse possit: quoniam magna magnitudo æternitatis est, quod faciat esse in bonitate æternificando vnum bonificantem, alium bonificabilem bonificatum: & quod bonificatus & bonificabilis remaneant æternaliter vnus productus, & productibilis æternatus & æternabilis.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & concordantia.

IN bonitate æternitas non potest esse magna sine concordantia, cum ita sit, quod magnitudo æternitatis sit: si in bonitate concordat æternaliter bonificantem & bonificabilem in bonificare & producere: quod siquidem producere esse non posset sine concordantia: nec potest esse in priuatione, postquam æternitas magna potest esse in bonitate, in qua magna esse non potest sine concordantia.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & contrarietate.

BOnitas & æternitas longè sunt à contrarietate cum concordantia: vt longinquitas sit magna: quæ est magna, quia concordantia & contrarietas contrariantur: & quia bonitas, magnitudo, & æternitas sunt concordantia in Deo, sunt bonitas & æternitas longè à contrarietate cum concordantia concordantis, concordabilis, & concordare: quoniam sine istis tribus non possent esse à contrarietate remotæ cum concordantia: quoniam sine ipsis concordantia subiectum non haberet in quo esset sustentata. Sunt ergo bonitas & æternitas remotæ à contrarietate cum concordante, concordabili, & concordare: quæ sunt de essentia bonitatis & æternitatis: vt remotiores sint à contrarietate, videlicet bonitas à malitia, & æternitas à tempore, & magnitudo à paruitate. Est ergo in Deo productio: cum ita sit, quod in concordante, concordabili, & concordare non possit esse priuatio productionis sustentata, cum illa productione in æternitate.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & principio.

SI principians non principiaret de æternitate, & in æternitate, principiabilem, non posset esse magnus in bonitate, & vt possit esse magnus in bonitate principiat principiatum de æternitate, & in æternitate. Et idem sequeretur si non principiaret principiatum de bonitate, sine quo non posset esse magnus in æuiternitate. Principiat ergo principium principians, nō principiatum, de sua æternitate & propria bonitate, principiabilem principiatum. Etiam principiat ipsum de principio non principiato, vt æternaliter principiabilis sit & principiatus. Et sic sequitur de magnitudine principij in æternitate, & bonitate, & in

principio, & hæc cócordátia nó posset esse sine productione, quam oportet esse de necessitate, vt principium possit esse in magnitudine bonitatis suiipsius,& æternitatis.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & medio.

SI in bonitate non esset bonificare, nec in æternitate æternare, non potest esse magnitudo, in bonitate, nec in æternitate: quoniam non haberet in quo posset esse: bonitas ergo habet in seipsa bonificare, & æternitas, æternare, vt magnitudo in ipsis possit esse, & quod bonitas & æternitas possint esse remotæ à paruitate cum magnitudine. Est ergo productio in bonitate, & magnitudine, per bonificare, & æternare, quæ sine productione esse non possent.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & fine.

MAgnitudo finis non potest esse in bonitate, si bonificans de bonitate, & in bonitate, & per bonitatem, & cum bonitate, & cum æternitate, non se habet ad bonificandum, bonificabilem, bonificatum. Et idem de fine æternitatis, qui magnus esse non potest, si æternitas non se habeat ad æternandum, in æternitate, & de æternitate,& per æternitatem,& cum æternitate, & cum bonitate. Et quia oportet quod finis bonitatis, & æternitatis sit magnus; sequitur de necessitate productio, quam de necessitate esse oportet, postquam bonitas, est ratio ad bonificandum, cum magnitudine, & æternitas, similiter ad æternandum: quoniam si non sequeretur productio, non esset magnitudo, in fine bonitatis, nec æternitatis, quam in ipso fine esse oportet, & sine qua essent in paruitate finis bonitatis, & finis æternitatis.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & maioritate.

SI in Deo sit productio personarum per magnitudinem, bonitatem, & æternitatem,& de bonitate, magnitudine, & æternitate, & in bonitate, magnitudine, & æternitate, & cum bonitate, magnitudine, & æternitate, non possunt esse in Deo bonitas, magnitudo, & æternitas, in maiori maioritate, quam in illa, in qua sunt: & si productio quam diximus, non sit in Deo, possunt esse in maiori maioritate quam non sunt. Et ita sunt in minori maioritate actu, & maior maioritas est in potentia, quod est impossibile, per quam impossibilitatem oportet esse productionem in Deo de necessitate.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & æqualitate.

BOnitas magna nó potest esse sine æqualitate bonificantis, bonificabilis, & bonificare: nec æternitas potest esse magna sine æqualitate æternificantis, æternificabilis, & æternificare: quoniam sine tali æqualitate magnitudo non posset se communicare bonitati: si in bonitate & æternitate sit paruitas: quod est impossibile. Est ergo æqualitas in bonitate, magnitudine, & æternitate: & per consequens productio.

De Bonitate, magnitudine, æternitate, & minoritate.

MAior minoritas esset in diuina bonitate, & in æternitate: si non esset

esset magnitudo, in qua sunt per modum productionis. Idcirco dixit quidam inuentor: quod secundum quod homo nobilis est, & se inclinat ad malefaciendum, maior est eius defectus quam alterius hominis, qui non sit ita nobilis. Esset ergo bonitas Dei in magno defectu, & in maiori minoritate magnitudinis, quam aliqua alia bonitas: si esset ociosa ratio bonificanti, bonificabili, & bonificare æternaliter & infinitè. Est ergo in bonitate diuina productio de bonificante, bonificabili, & bonificare æternaliter & infinitè: sine qua esset in maiori minoritate magnitudinis, quam aliqua alia bonitas.

De Potestate, Sapientia, & voluntate.

SApientia scit potestatem & voluntatem: idcirco sunt scibiles potestas & voluntas. Amat voluntas potestatem & sapientiam, idcirco potestas & sapientia sunt amabiles. Et quia in Deo potestas ita est fœcundosè, & ita fontalis sicut sapientia & voluntas, sunt sapientia & voluntas possibiles per potestatem: sicut potestas scibilis est per sapientiam, & amabilis per voluntatem. Sunt ergo sapientia, & voluntas possibiles. Non sunt possibiles ita quod producantur de potentia in actu, quoniam æternæ sunt: sed sunt possificabiles, inquantum ex ipsis potestas producere potest possibilē amatum & intellectum, quem oportet quod possit producere: & quod producat, vt non sit ociosa in illis, nec de illis. Est ergo productio in diuinis.

De Potestate, sapientia, voluntate, & virtute.

PEr potestatem potest sapientia scire virtutem, & per potestatem voluntas ipsam amare potest, & potestas virtutem producere non potest, quoniam iam est æterna: sed virtus per potestatem potest esse, & postquam per potestatem potest esse, oportet quod potestas possit de virtute virtuosum producere, vt tantum possit in virtute, & de virtute per agere sicut per existere, & quod agere, quod habet de virtute in producendo, possit æqualificare suū possificare in virtute cum intelligere sapientiæ, & cum amare voluntatis, quæ illam virtutem obiectant per potestatem, vt dictum est: quam æqualitatem potestas habere non posset: si non produceret de virtute virtuosum.

De Potestate, sapientia, voluntate, & veritate.

CVm sapientia scire possit veritatem per potestatem, & voluntas per potestatem ipsam amare possit, oportet quod potestas per seipsam veritatem possit possificare, & quod hoc quod de veritate potest, sit scibile per sapientiam, & amabile per voluntatem. Oportet ergo quod potestas de veritate producat verificabilem verificatum: vt veritas intantum sit obiectabilis in agere per potestatem: sicut per sapientiam & voluntatem, sine qua productio non esset: quoniam veritas esset per sapientiam scibilis, & per voluntatem amabilis: & sine productione potestas in veritate nullam haberet actionem per seipsam: sed sapientia ipsam scire posset per ipsam, & voluntas per ipsam illam amare posset. Est ergo productio, vt possificare, scire, & amare in veritate se possint æqualificare.

De Potestate, sapientia, voluntate & gloria.

SApientia actionem habet in gloria cum intelligere: & voluntas actionem

nem habet in gloria eum amare: oportet ergo quod potestas actionem habeat in gloria cum possificare. Actionem in gloria habere non potest sine producere de gloria gloriosum, in quo videlicet producere habet possificare: & possificans est agens actiuus, productiuus, gloriatiuus de gloria gloriosum, & potestas est possibilis, agibilis, & glotiabilis: inquantum gloriosus est productibilis, agibilis de gloria, amabilis & scibilis.

De Potestate, sapientia, voluntate, & distinctione.

PEr potestatem possunt esse, & sunt in sapientia intellectiuus, intelligibilis, & intelligere: & per sapientiam similiter: & in voluntate per potestatem possunt esse, & sunt amans, amabilis, & amare: & per voluntatem similiter. Et si in sapientia non sit distinctio inter intellectiuum, intelligibilem & intelligere, & idem de suo modo & voluntate, non potest potestas de sapientia: cum ita sit, quod nullum ens sine distinctione agere possit. Non est ergo potestas libera sine distinctione in sapientia: & quia oportet quod sit libera, & non coacta in sapiētia, oportet quod possit de sapientia in qua, & de qua cum distinctione potest producendo sapientem de sapientia, videlicet intelligibilem productum, & productibilem per possificantem, distinctionantem & generantem: qui est intellectiuus, generatiuus.

De Potestate, sapientia, voluntate, & concordantia.

SIne productione potestas concordare non posset sapientiam, neque voluntatem, neque concordantem, neque concordabilem, nec intellectiuum, nec intelligibilem, nec amantem, nec amabilem, nec possificantem, nec possificabilem. Non posset ergo potestas sine productione aliquid de concordantia, nec in concordantia, quæ non esset sine productione: cum ita sit, quod illa non possit esse sine pluribus rebus distinctis. Oportet ergo quod sit productio in diuinis: vt potestas possit in concordantia, & de concordantia in seipsa, & in voluntate & sapientia: & etiam vt in concordantia concordare possit concordantem & concordabilem.

De Potestate, sapientia, voluntate, & contrarietate.

IN Deo potestas, sapientia, & voluntas sunt cōcordantia, idcirco cōtrarietas in Deo esse non potest: cū ita sit, quod concordantia & contrarietas sint contrariæ. Potest ergo potestas de sapientia & voluntate & de seipsa, & potest de sapientia scibili & scire, & de voluntate amabili & amare, & de seipsa possificabili & possificare. Et ad hoc contrarietas contradicere non potest: quoniam si contradicere posset, esset in Deo sustentata, & Deus non esset concordantia simpliciter. Non est ergo in Deo contrarietas, quę contradicat productioni, sine qua productione contrarietas ligatam teneret potestatem Dei contra concordantiam intellectiui, & intelligibilis, & intelligere, amatiui, amabilis, & amare, possificatiui, possificabilis, & possificare.

De Potestate, sapientia, voluntate, & principio.

SI potestas quam suppositum agens intelligimus, de sapientia potest princi

principiare scibilem, & voluntate amabilem, & de seipsa possibilem, per huiusmodi principiare potest esse remotior ab ignorantia, odibilitate & impossibilitate. Et quia oportet esse hoc per quod sit remotior, oportet quod sit principiare in producendo de principio principiatum & principiabilem.

De Potestate, sapientia, voluntate, & medio.

IN sapientia potest esse intelligere in medio intellectiui & intelligibilis: & in voluntate potest esse amare in medio amatiui & amabilis. Oportet ergo quod in potestate possit esse possificare, in medio possificantis, & possificabilis, quod si non potestas se plus habere posset ad alium per alium quam per seipsum, videlicet quod se posset habere ad medium in sapientia & voluntate, inquantum intelligere & amare per potestatem possunt esse, & in seipsa potestas ad medium, videlicet ad possificare se habere non posset, quod est in medio possificantis, & possificabilis: & quia est impossibile, quod potestas possit esse fœcundior, & magis fontalis in alia quam in seipsa, oportet quod in seipsa habeat possificare simpliciter & propriè, quod habere non posset sine productione productibilis, possificatiui, & possificabilis.

De Potestate, sapientia, voluntate, & fine.

SIcut finis sapientiæ est intellectus & intelligere, & finis voluntatis amatus & amare: oportet quod finis potestatis sit possificatus & possificare, quod si non potestas suum finem attingere posset in alio, & non in seipsa, suum finẽ attingeret per intelligere & intellectum in sapientia, & per amare & amatum in voluntate, inquantum intellectiuus per potestatem habere potest intelligere & intellectum, & amatiuus amare & amatum, & potestas in se nihil, postquam in se nõ haberet posse & possitum, quæ in se habere oportet per se simpliciter, vt in se suum finem habere possit & quietẽ in ipso. Habet ergo possitum & possificare, & per consequens producere, quod esse oportet de necessitate in omni substantia in qua sit possificare & possitus.

De Potestate, sapientia, voluntate, & maioritate.

ILla potestas quæ potest de sapientia & de voluntate, est maior quam potestas, quæ de sapientia non potest neque de voluntate: oportet ergo quod sit productio in diuinis, vt diuina potestas habeat cum quo maior esse possit omni alia potestate. Potest ergo de sapientia & voluntate, inquãtum possificatiuus producere potest de sapientia intelligibilem, & de voluntate amabilem.

De Potestate, sapientia, voluntate, & æqualitate.

IN Deo potestas, sapientia & voluntas remotæ sunt cum æqualitate ab inæqualitate, cum ita sit, quod æqualitas & inæqualitas cõtrariantur. Sunt ergo in Deo æqualitas, potestas, sapiẽtia, & voluntas, cum æqualitate intelligendi & amandi, & possificandi, sine quibus æqualitatem habere non possent, est ergo in Deo possificare,

quod esse non potest sine producere quod sit de possificante, & possificabili, productiuo & productibili.

De Potestate, sapientia, voluntate, & minoritate.

MInoritas est ens prope non esse, cui videlicet non esse sapientia prope est per ignorare, & voluntas per bonum odire, & potestas per ociositatem: oportet ergo potestas, quod sapientia, & voluntas remotæ sint à minoritate, per possificare, intelligere, & amare, vt in longinquitate minoritatis remotæ sint à non esse. Et si in potestate Dei possificare non esset simpliciter, non haberet cum quo remota esset à minoritate, nec à non esse per seipsam, à qua minoritate, & non esse esset remota per alium: videlicet per intelligere & per bonum amare. Esset ergo per seipsam propè minoritatem, & non esse: quod est impossibile, est ergo longè à minoritate, & à non esse cum possificare. Est ergo in Deo productio, sine qua in ipso possificare esse non valeret, cum ita sit, quod possificare, & producere se habeant relatiuè.

De Virtute, veritate, & gloria.

VIrtus & vitium contrariantur, & veritas & falsitas, eodem modo gloria, & pœna, & plus contrariantur in existendo, & agendo, quam in existendo tantummodo: videlicet quod in virtute sit virtuificare, & in veritate verificare, & in gloria gloriari, & in vitio peccare, & in falsitate falsificare, & in pœna tormentare. Et quia oportet quod Deus sit magis contrarius per virtutem vitio quam aliquod aliud ens, & per veritatem falsitati, & per gloriam pœnæ: oportet quod in sua virtute sit virtuificare, & in sua veritate verificare, & in sua gloria gloriari: sed hoc esse non possèt sine producere, quod sit virtuificando, verificando, & glorificando.

De Virtute, veritate, gloria, & differentia.

DEus est gloria, & est gloriosus, & est virtus & virtuosus: oportet ergo quod sit veritas & verus, vt veritas se habeat ita in Deo fontaliter, sicut virtus & gloria: quod si non esset, sequeretur differentia inter virtutem, gloriam, & veritatem: & esset gloria vera per accidens, & virtus similiter: quod esset vitium contra virtutem, & pœna contra gloriam, & falsitas contra veritatem, est ergo Deus veritas & verus: sicut est virtus & virtuosus, gloria & gloriosus. Verus non posset esse sine productione ita magni virtuosi & gloriosi, quod veritas faceret vnum esse producentem, verificantem, virtuificantem, & gloriantem, & alium gloriabilem, verificabilem, & virtuificabilem: qui siquidem gloriabilis, verificabilis, & virtuificabilis sit productus de glorificante, verificante, & virtuificante.

De Virtute, veritate, gloria, & concordantia.

SIne productione in Deo virtus, veritas, & gloria non possent concordantiam habere: quoniam in quantum sunt vnum idem numero concordantiam habere non possunt, cum ita sit, quod concordantia non possit esse sine pluribus rebus. Et si concordantiam non habent realem, naturalem, & propriam, & essentialem, earum cōcordantia est in priuatione, quæ priuatio

uatio esset vitium contra virtutem, gloriam & veritatem, & est pœna cõtra gloriam,& contra veritatem,& virtutem, & per consequens est falsitas realis, naturalis, propria & essentialis contra veritatem,virtutem & gloriam. Et quoniam hoc est impossibile: secundum quod in gloria sit priuatio nec in virtute neque in veritate, vnde sequeretur vitium, falsitas & pœna: oportet ergo quod virtus, veritas & gloria habeant concordantiam,quam habere non possunt sine productione concordantis, concordabilis, & concordare in virtuificando, verificando, & glorificando.

De Virtute,veritate,gloria,& contrarietate.

DEus completam gloriam non haberet, si per aliquem modum esset propè pœnam, nec haberet virtutem completam, si per aliquem modum esset propè vitium: nec completam veritatem haberet,si per aliquem modum esset propè falsitatem. Oportet ergo quod in Deo sit productio realis propria, & naturalis & essentialis, vt in virtuificando sit longè à vitio, & in verificando à falsitate, & in gloriando à pœna. Quam longinquitatem habet virtuosus producens de virtute virtuificatum,& verus de veritate verificatum, & gloriosus de gloria glorificatum.

De Virtute,veritate,gloria,& principio.

PEr gloriam est Deus gloriosus, & per virtutem, virtuosus, & per veritatem, verosus, qui siquidem verosus non est vocabulum, quod sit in vsu, veruntamen oportet quod nos ita loquamur, vt dicere possimus hoc, quod de diuina veritate intelligimus: & idem est de principioso, vt vti possemus vocabulis, cum quibus melius declarare possumus naturam Dei & suarum proprietarum. Et quia Deus est principium, oportet quod ita sit principiosus per principium, sicut virtuosus per virtutem, & verosus per veritatem, & gloriosus per gloriam. Principiosus esse non posset, virtuosus, gloriosus sine proprio & essentiali principiãte,principiabili, & principiare,qui esse non possent sine producere principiabilem de principiante,in virtuificando, verificando, & glorificando.

De Virtute, veritate,gloria,& medio.

SIne medio non potest esse glorificare,virtuificare, neque verificare, quia si essent, non essent hoc quod sunt: cum ita sit, quod gloriari sit medium gloriantis& gloriabilis,& virtuificare, virtuificantis, & virtuificabilis, & verificare, verificantis,& verificabilis:sicut generare quod est medium generantis & generabilis, & amare amantis & amabilis. Est ergo in gloria medium,& in virtute & veritate similiter, & per consequens producere,quod est medium producentis & productibilis, sine quo producere non possent esse in natura medij, nec de natura medij gloriari,virtuificare,& verificare.

De Virtute, veritate, gloria,& fine.

VIrtuosa foret veritas, si fini sufficere non posset, cui non sufficeret si non esset in verificare & de verificare:sicut gloria quæ non sufficeret fini, si non esset in gloriari & de glo-

tiari. Veritas gloriæ sufficere non posset sine verificante & verificabili, videlicet producente verificante de seipso verificatum: quoniam postquã veritas in se habet realiter, propriè, & naturaliter, & essentialiter verificantẽ, verificabilem, & verificare, finis non potest habere per veritatem aliquem defectum. Est ergo productio, quæ est quies complementi.

De Virtute, Veritate, gloria, & maioritate.

IN gloria, est maior veritas, si in illa sit productio gloriabilis, & gloriari, sine quibus oporteret, quod veritas esset in gloria, in minoritate, quæ sisiquidem minoritas esset ei vitium contra virtutem, & pœna contra gloriam. Oportet ergo quod in gloria sint glorians, gloriabilis, & gloriari, propriè & naturaliter, vt veritas, sit maior in gloria & non minor: maiorem dicimus, inquantum veritas maior esse non potest, nec minor. Et iste passus est subtilis ad intelligendum. Est ergo veritas in gloria maior, & nõ minor: vt sit in ipsa virtuosè & non vitiosè: virtuosè in ipsa esse non posset, si in ipsa esset in minoritate, & non in maiori maioritate, in qua est in verificando, producendo, gloriando de se verum gloriabilem, cum vero gloriari.

De Virtute, veritate, gloria, & æqualitate.

SI in gloria non sit æqualitas gloriantis, gloriabilis, & gloriari, veritas non haberet in quo esset sustentata in gloria: quoniam in gloria non posset sustentari in æqualitate, quoniam huiusmodi sustentatio esset vitiosa, inquantum in illa esset minoritas: cum ita sit, quod in omni inæqualitate oportet quod sit minoritas. Est ergo veritas in gloria sustentata per æqualitatem veri glorificantis, verificantis, & veri glorificabilis, verificabilis, & veri glorificare & verificare. Hæc sustentatio esse non posset sine productione naturali & essentiali.

De Virtute, veritate, gloria, & minoritate.

SI in gloria Dei non sit productio gloriãtis, gloriabilis, & gloriari, veritas in gloria aliquid verificare non potest: quoniam non potest verificare, quod vnus sit gloriosus, & alius gloriabilis. Est ergo veritas in gloria sine verificate, & per consequens gloria in veritate sine gloriari: & in illis est ociari, vt ita loquar, quod est vitiosũm cõtra virtuosum, & propè non esse per minoritatem: quam minoritatem oportet esse in omni gloria & veritate, in qua sit ociari gloriæ & veritatis. Et quia ociari minoritas, neque vitium in virtute, veritate, & gloria Dei esse non possunt, oportet in Deo esse productionem per gloriari, gloriantem, & gloriabilem, & per verificare, verificantem, & verificabilem.

De Differentia, concordantia, & contrarietate.

IN omni ente in quo non sit distinctio, concordantia, neque contrarietas, oportet quod sit ociositas: cum ita sit, quod operatio non possit esse sine distinctione, nec sine concordantia aut contrarietate. Et quia ociositas contra contrarietatem non est, oportet quod in Deo sit concordantia cõtra contrarietatem, cum concordare. Oportet ergo quod in Deo sit concordantia

dantia, vt sit contraria contrarietati cum concordate, & operari. Et quia in Deo est concordantia, sine contrarietate, oportet quod in Deo sit distinctionare, vt cum concordantia possit esse contra cõtrarietatem: quoniam Deus remotior est à contrarietate, si in seipso sit concordare & distinctionare, quam non sit: si in illo est tantummodo concordare. Oportet ergo quod Deus habeat in se distinctionare, vt remotior sit à contrarietate. In Deo distinctionare non potest esse sine producere distinctionantis, & distinctionabilis.

De Differentia, concordantia, contrarietate, & principio.

IN ente in quo non sit distinctio, concordantia aut contrarietas, principiare esse nõ potest: cum ita sit, quod omne principiare indiget habere distinctionare, & omne distinctionare indiget concordare aut contrariari. Et quia in Deo oportet esse principiare, vt cum principiare remotus sit ab ociositate bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, gloriæ, virtutis, & veritatis, & quod sit in concordare & non in contrariari: oportet quod principiare sit in producere principiantis & principiabilis cum distinctionare, sine quo non posset esse principiare sine ociositate bonitatis, magnitudinis, & aliarum.

De Differentia, concordantia, contrarietate & medio.

IN Deo non est contrarietas, & si in Deo est concordantia in distinctionare, est concordantia in medio distinctionantis & distinctionabilis: quod siquidem medium remotum est à contrariari, & distinctionare est remotum à contrarietate in concordare, quod est in medio concordantis & concordabilis: cum quibus contrarietas participare non potest. Est ergo producere, vt media sint ad quæ contrarietas venire non potest, nec cum illis participare.

De Differentia, concordantia, contrarietate, & fine.

SI in essentia Dei non sit concordantia concordantis, concordabilis, & concordare, in ipsa essentia Dei non est finis concordantiæ, & esset vacua illo fine: quæ siquidem vacuitas esset per aliquam contrarietatem, ratione cuius non posset esse finis concordantiæ: & quia est in essentia Dei, contrarietas esse non potest, neque vacuitas: oportet quod in illa sit finis concordantiæ: quæ non posset esse sine distinctionare distinctionantis, & distinctionabilis: sine quibus concordantia esset plena ociositate, & per cõsequens fine. Oportet ergo quod sit in Deo concordantia, & distinctio concordantis, & concordabilis: distinctionantis & distinctionabilis: vt complere sit complentis, siue perficientis, & perfectibilis: sed hoc esse non posset sine producere producentis, & productibilis.

De Differentia, concordantia, contrarietate, & maioritate.

CVm ita sit, quod cõcordantia cum esse concordat, & contrarietas cum priuatione: oportet quod differentia sit maior in concordantia quam in contrarietate: cum ita sit, quod maioritas concordantiam habeat cum esse, & minoritas cum priuatione. Est ergo differentia maior in concordantia quam in contrarietate: in qua maiori-

tate concordantia non posset esse sine distinctionare concordantis, concordabilis,& coucordare sine contrariari, minorificare,& priuare. Quod quidem distinctionare esse non posset sine producere,producentis,& productibilis.

De Differentia,concordantia,contrarietate, & æqualitate.

NVlla æqualitas potest esse sine distinctione: cum ita sit, quod æqualitas non possit esse sine pluribus rebus:& idem de concordantia & cõtrarietate. Et concordantia potest esse in æqualitate,& in inæqualitate,& remotior potest esse à contrarietate in æqualitate, quã in inæqualitate: oportet quod in natura Dei sit æqualitas concordantis, concordabilis, & concordare, in qua oportet quod sit concordantia æqualitatis, æquabilis,& æquare: vt diuina natura æqualiter sit remota à contrarietate,cum æqualitate & concordantia,à qua contrarietate non posset esse remota sine productione naturantis, naturabilis,& naturare, distinctionantis, distinctionabilis, & distinctionare: sine quibus non possent esse concordans,concordabilis,& concordare,æquans, æquabilis,& æquare.

De Differentia,concordantia,contrarietate, & minoritate.

ILla concordantia est in minoritate quæ est de formis accidentalibus:& illa est in maioritate: quæ est de formis substantialibus. Est ergo distinctio remotior à contrarietate in concordantia substantiali quam accidentali. Et idem est de concordantia, quæ remotior est à contrarietate in distinctione substantiali quam accidentali. Oportet ergo quod in Deo sit productio: vt sua forma habeat, cum qua remota sit à contrarietate & à minoritate: à qua non posset esse remota sine substantiali, distinctionare,& concordare.

De Principio,medio, & fine.

DEus est primum principium, & primus finis, & oportet quod sit primum principium, cum principiare, quod sit in medio principiantis, & principiabilis: quoniam sine principiare,quod sit in medio principiantis, & principiabilis, propriè,essentialiter, & naturaliter, non posset esse finis principij in principio,nec cum illo vna eadem essentia remanere, & Deus esse principium, in principiando creaturam,quæ esset finis principiandi, & primum principium non haberet finẽ principiandi de seipso: esset ergo per accidens principians, & per aliud, & non per seipsam,quod est impossibile. Est Deus principium,& finis simpliciter in se pso,& per seipsum, postquam in illo potest esse principiare,in medio principiantis, & principiabilis. Est ergo in Deo productio, sine qua non posset esse principiare,in medio principiantis & principiabilis.

De Principio, medio, fine, & maioritate.

SI in Deo non esset productio principiantis, principiabilis, & principiare: perficientis,perfectibilis,& perficere: principiare, & perficere non possent esse in maioritate, in qua oportet quod sint,vt principiare,& perficere, cum minoritate non possint participare, cum qua participarent, si non esset productio propria, realis,essentialis, & naturalis, principiantis, principiabilis, & principiare, perficientis

entis, perfectibilis, & perficere.

De Principio, medio, fine, & æqualitate.

PRincipiũ, in quo sint principians, principiabilis, & principiare æqualiter, perfectione est plenum, de quo se perficit principians, producendo æqualiter de seipso principiabilem, de quibus scilicet principiante, & principiabili, æqualiter exit principiare, existens in medio principiantis, & principiabilis: oportet ergo quod in Deo sit productio, sine qua non posset esse perfectio principij in æqualitate, principiantis, & principiabilis, & principare.

De Principio, medio, fine, & minoritate.

ILlud principium est minus, in quo principiabile non est de essentia principiantis, & hoc est, quia principiare non est de essentia amborum, nec in medio amborum potest esse, Et quia illud principium est in minoritate, non potest esse per seipsum in perfectione, nec in suamet natura quieté habere. Et quia Deus est principium, & in seipso suam habet perfectionem, oportet quod in illo sit productio propriè, & naturaliter principiantis, principiabilis, & principiare: qui remaneant & sint in perfectione.

De Maioritate, æqualitate, & minoritate.

QVanto æqualitas est maior, tanto remotior est à minoritate, & quanto est minor, tanto remotior est à maioritate. Oportet ergo quod in Deo æqualitas sit in maiori maioritate, quæ possit esse inter æquantem, æquabilem, & æquare: vt in illa maiori maioritate remotior sit à maiori minoritate æquantis, æquabilis, & æquare. Hoc autem esse non posset sine productione maioris æqualificantis, æqualificabilis, & æqualificare: idcirco oportet quod in Deo sit productio. Probatum est, quod in Deo sit productio, & data est doctrina secundum quam formæ primatiæ applicari possint ad probandum productionem in Deo. Ita quod illa productio est paternitatis, filiationis, & passiuæ spirationis. Et sic oportet necessario quod illa productio sit in numero ternali, & non in maiori, neque in minori.

De Fructu, scilicet, de perfectionibus arboris diuinalis.

PER perfectiones arboris diuinalis fructus arboris diuinalis intelligim⁹, quos duobus modis consideramus: videlicet fructus interiores, & fructus exteriores. Appellamus fructus interiores illa, quæ sequuntur naturaliter ex actibus diuinarum dignitatum: sicut bonificatus, qui sequitur ex bonificare, & magnificatus ex magnificare, & æternatus ex æternare, & possificatus ex possificare, & intellectus ex intelligere, & amatus ex amare, & virtuificatus ex virtuificare, & verificatus ex verificare, & glorificatus ex glorificare, & distinctionatus ex distinctionare, & concordatus ex concordare, & principiatus ex principiare, & mediatus ex mediare, & perfectus ex perficere, & æqualificatus ex æqualificare. Appellamus bonificatum Filium, & Spiritum sanctum: qui sunt fructus Patris per bonificare & pro-

& producere. * Et appellamus Spiritum sanctum bonificatum, qui est productus, & spiratus à Patre & Filio per bonificare, & idem est de magnificare, & cæteris. Et isti fructus sunt naturales, diuinales, & essentiales, & collecti sunt & colligendi: collecti sunt, vt sint perfecti: colligendi sunt, vt in æternitate colligantur, & quod actus non sint in priuatione, nec dignitates ociosæ, & colliguntur per productionem, generationem, & spirationem. Isti fructus mali esse non possunt, quoniam sunt de bonitate: nec possunt esse parui, quoniam sunt de magnitudine: nec possunt esse de priuatione, quoniam sunt de æternitate: nec possunt esse impossibiles, quoniam sunt de potestate: nec possunt esse de ignorantia, quoniam sunt de sapientia: nec sunt de odibilitate, quoniam sunt de amore: nec possunt esse de vitiis, quoniam sunt de virtute: nec possunt esse de falsitate, quoniam sunt de veritate: nec possunt esse de pœna, quoniam sunt de gloria: nec possunt esse de tenebris, quoniam sunt de claritate spirituali: nec possunt esse de contrarietate, quoniam sunt de concordantia: nec possunt esse de ociositate, quoniam sunt de principio: nec possunt esse de vacuitate, quoniam sunt de medio: nec possunt esse de defectu, quoniam sunt de perfectione: nec possunt esse de maioritate & minoritate, quoniam sunt de æqualitate. Est vnus alius modus fructuum, qui sunt communes contemplationes: sicut Filius, & sic de Patre & Spiritu sancto, qui contemplatur Patrem, & Spiritum sanctum, & semetipsum per amare. Et hoc idem facit per intelligere & recolere: quoniam diligit Patrem, diligit Spiritum sanctum & diligit seipsum. Et istud commune diligere facit esse vnum amatum communem per essentialem & communem contemplationem: & iste est Filius Deus, qui in quantum Filius contemplatur Patrem Deum, & Spiritum sanctum Deum, & seipsum Deum, omnibus tribus existentibus vno Deo & non pluribus. Quare contemplatio est vna & communis, in quantum vnitas Deitatis naturæ & essentiæ bonitatis, magnitudinis, & aliarum. Et sic vnus existit recolitus, intellectus, & amatus secundum communem contemplatiuitatem, & contemplabilitatem, & vnus amatus est in Patre, & alius in Filio, & alius in Spiritu sancto. Et hoc est secundum contemplatiuitatem, & contemplabilitatem personalem, quæ significatur in branchis & in ramis.

De Fructibus exterioribus.

FRuctus qui sunt extra, sunt creaturæ, quas arbor diuinalis facit in creando, & producendo, & fructus interiores, de quibus dictum est, sunt fructus creaturarum existentes extra naturas illarum: quoniam non sunt de earum essentia, & sunt perfectio illarum: sicut amatus diuinus, qui est fructus, & complementum omnium amatiuitatum, & bonarum appetiuitatum, creatarum. Et idem est de diuino intellectu, qui est fructus omnium intellectiuitatum, & instinctuum naturalium creatorum. Et idem de diuino recolito, qui est fructus memoratiuitatum creatarum, & antiquitiuitatum. Et sic de diuino bonificato, personato, qui est fructus omnium creaturarum bonificatiuitatum, & bonificabilitatum, & sic de magnitudine, & cæteris. De fructibus supremis placeat Deo nobis dare per suam pietatem,

tem, qui ſtamus ſub pede arboris, & qui de illis fructibus magnam indigentiam habemus.

De Arbore Exemplificali.

ARBOR exemplificalis continet recapitulationem arborum ſupradictarum per exempla, & prouerbia. Et ſimiliter diuiditur in ſeptem partes.

Radices ſunt exempla radicum præcedentium arborum.

Truncus eſt exempla truncorum præcedentium arborum.


Brancha ſunt exempla brancharum, &c.

Rami ſunt exempla ramorum, &c.

Folia ſunt exempla foliorum, &c.

Flores ſunt exempla florum, &c.

Fructus ſunt exempla fructuum, &c.



De Arbore exemplificali.

HÆc arbor in septem partes diuiditur, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia flores, & fructus. Quælibet vero istarum partium in quatuordecim partes diuiditur. Sicut prima pars quæ est de radicibus arboris elementalis, vegetalis, sensualis, imaginalis, humanalis, moralis, imperialis, apostolicalis, cælestialis, angelicalis, æuiternalis, maternalis, christianalis, & diuinalis. Et idem est de secunda parte & cæteris. Et quælibet prædictarum septem partium in quatuordecim partes diuiditur, vt exempla naturarum & modorũ arborum dare valeamus, secundum quod sunt earum radices, trunci, branchæ, &c. & vt magnam materiam habeamus ad dandum exempla, cum ita sit, q in quatuordecim arboribus antedictis omnia explicantur aut implicãtur.

tur. Et per exempla quæ dabimus, doctrina haberi potest ad cognoscēdũ secreta naturalia & supernaturalia. Potest etiã haberi doctrina ad prædicandum, & ad habendum moralitates, solatium, & amicitiã gentium. Etiam potest haberi vniuersalis habitus ad intelligēdũ plura, & quæ sunt placentia ad audiēdum. Exempla quæ dabimus, in duas partes diuidimus, videlicet in narrationes & prouerbia inquisita secundũ naturas arborum. Et hunc processum tenere proponimus in hac arbore, & quia materia est magna, secundum eius magnitudinem procedere non possumus: quoniam in aliis valde sumus occupati, etiam quia gentes prolixitatem euitant, & ideo breuiter de hac arbore loquemur. Verumtamen secũdum hoc quod dicemus, doctrinã dabimus ad inueniendum noua prouerbia & narrationes, & quomodo humanus intellectus extendi possit præ nimia materia huius arboris.

De Radicibus arboris exemplificalis.

VVlt ignis & apperit, ꝙ suus calor in aqua sit bonus, vt sua bonitas magnam habeat virtutem. Idcirco aqua rogauit aërem, quod ipsam in sua infirmitate recoleret. Et tunc Monachus Raymundum rogauit, quod sibi illud prouerbium exponeret. Respondit Raymundus Monacho dicens, quod aër ex duabus infirmitatibus infirmus iacebat. Vnam habuit infirmitatem propter amorem, aliam vero propter dolorem. Infirmitatem habuit propter amorem, quoniam de terra erat malè contentus, quę actionem super ignem habebat, quam plurimùm ipse diligebat, & desiderabat, quod Dominus esset terræ, quæ eius erat inimica. Infirmitatem propter dolorem habebat aër, quoniam ipse sentiebat siccitatem, quam ignis posuit in ipso; quæ siquidem siccitas suam humiditatem tormentabat. Idcirco aqua dixit aëri, quod ipsam in sua infirmitate recoleret, quam patiebatur: quoniam ignis in ipso suum posuit contrarium, propter quod aër ignem odire debebat. Et hoc aqua dicebat, vt aër contrarius foret igni, & cum illa concordantiam haberet. Sed aër respondit aquæ dicens, quod potius infirmus esse diligebat, & esse bonus amicus & legalis ipsius ignis, qui sibi suam dabat similitudinem, quam sanus esse & facere contra suum amicum deceptionem aliquã vel delictũ: quoniam nulla infirmitas est ita magna, sicut infirmitas quæ est per proditionem & incognitionem, quæ hominē facit obliuisci beneficia, quæ à suo Domino recepit. Idcirco dixit aër, quod ipse vellet esse subiectus & subditus igni suo Domino, vt ipse actionem in aqua habeat, in qua suum ostendat dominium cum magnitudine bonitatis & virtutis: quoniam magna virtus est calor ignis, & magnum bonum, quod ipse sit Dominus sui amici per concordantiam amoris, & sui inimici per contrarietatem. 2. Plorauit aqua, & dixit aëri, quod ipse falsitatem nesciebat, quam ignis terræ faciebat, aër vero ab aqua quærebat, quæ falsitas fuerat illa; aqua respondit dicens, quod ignis & terra faciebant societatem, & sibi inuicem promiserũt, quod quicquid lucrarentur, inter se diuiderent, & communicarent, vnde contigit, quod terra ferrum lucrabatur, ignis vero aurum. Et quando ad diuisionem & partitionem ferri & auri veniebant, terra dixit igni, quod ipse diuideret, hoc vero dixit terra, vt ignis ei aurum daret, quia ei suam dat siccitatem, & etiam quia ille qui liberaliter

diuidit semper alij dat partem maiorem, & credidit, quod ignis similiter faceret. Et ignis diuisit, & terræ dedit ferrum, aurum vero sibi ipsi retinuit. Respondit aër, dixitque aquæ, ꝙ ignis falsitatem in diuisione minime faciebat, postquam terra falsum habuit intentionem in electione tunc temporis, cum igni dixerat, quod ipse diuisionem ferri & auri faceret seu partitionem, quam iustè fecerat, vt puniret terram de falsa opinione quam habebat. 3. Aër rogauit aquam quod ipsa cum terra se nō associaret postquā ipsa cum illo fecerat societatem: quoniam inter duo contraria non est aliquid, quod diu durare possit: cum ita sit, quod ipse & terra in vehementi contrarietate existant. Aqua vero respondit aëri, dixitque ei, quod illa duratio est magna, quæ in concordantia durat per actionem & passionem. Miratus fuit aër de hoc quod aqua dixit: & ab ipsa quæsiuit, quomodo societas actionis & passionis in concordantia durare posset: cum ita sit, quod actio & passio contrariantur? Aqua vero respondit, dixitque hæc verba. Narratur, quod color ignis, & color terræ in flamma ignis sibi inuicem obuiarunt, in qua concordantiam per modum actionis & passionis habuerunt: quoniam terra dixit igni, quod ipsa quæ sibi suam dat siccitatem, in summitate flammæ suum colorem habere vellet, & in fumo, qui exit ab igne, etiam in rebus quas ignis comburit: sicut in carbone & in pipere. Ignis autem respondit ei: & dixit, quod satis ei placebat, postquam eius color in medio loco flammæ remaneret. Et sic de ferro calido, & carbonibus, & aliis his similibus. 4. Terra dixit igni, quod ipsa sibi non daret siccitatem, postquā ipse daret illam aëri, qui est eius inimicus. Ignis autem respondit terræ, quod ipsa potestatem largitatis nesciebat. Ignis, (dixit terra) quæ est potestas largitatis? Narratur, dixit ignis, quod largitas & auaritia sibijnuicem obuiarunt: largitas namque totum dederat, quicquid habuerat, nec plus dare poterat: quoniam non habebat de quo. Et rogauit auaritiam, quæ pluribus rebus erat plena, quod ei de hoc quod habebat sibi daret, vt ipsa aliis dare posset: quoniam infirma erat, quia aliis dare non poterat. Auaritia vero se excusauit: & dixit, quod ipsa sibi nihil dare valebat: quoniam suam nolebat habere similitudinem. Et tunc largitas ad ipsos recurrebat, quibus aliquid dederat, & ad illos, quibus aliquid dare volebat. Et omnes insimul contra auaritiam fuerunt, qui ipsam de bonis quæ possidebat, spoliauerunt, vt largitas haberet, de quo dare posset: auaritia vero tristis remansit & infirma. Et dixit hęc verba. Ah quãtum doleo de thesauro, pro quo diu laboraui: & propter quem tantã famem, & sitim sustinui cum tot & tantis inhonoribus & timoribus, quem dari video meis inimicis, & quẽ dat mea inimica. 5. Ignis & aër inuicem, in quodam nemore magno sibi obuiauerunt, in quo aër terram diu quæsiuerat, vt de illa pro quodam vituperio quod sibi fecerat, vindictam acciperet. Et tempore illo quo ignis & aër sibi obuiarunt, Sol fuit in occasu: vnde aër rogauit ignem quod ei lumen faceret, tota illa nocte, vt ipse terram inuenire posset, quam multum inuenire optabat. Ignis vero diu considerauit, si aëri lumen faceret, vt aër terram inuenire posset: quoniam ipse ignis verecundiam habebat contradicere precibus aëris: & conscientiam habebat, si ostenderet terram, quæ erat sua amica, quam aër destruere volebat

bat & occidere. Et interim dum ignis ita considerabat, aër mirabatur, quod ignis ad preces quas sibi fecit,non respondit: & dixit igni, quod bene cognouerat, quod ipse non multum ipsum diligebat, postquam ad preces quas ei fecerat, cito non respondebat tali modo,quod ipse ad grates teneretur. Ignis autem dixit aëri, quod ipse nesciebat, quomodo sapientia respondit voluntati. Et quomodo fuit hoc? dixit aër. Narratur (dixit ignis) quod voluntas magnum desiderium habebat,quod vnum hominem quem valdè dilexerat, inuenire posset:& rogauit sapientiam, quod ei vicos ostenderet, per quos illum hominem inuenire posset, quem inuenire desiderabat:vt ipsum honorare & seruire valeret. Sapientia autem respondit voluntati dicens, quod iustam petitionem ei faciebat, & libenter ei vicos ostenderet, per quos suum posset inuenire dilectum & amicum: quos siquidem ei non ostenderet, si ipsa sciret, quod voluntas illum hominem occidere vellet,aut ei aliquod vituperium vel detrimentum faceret:cum ita sit, quod ille homo quem voluntas quæsiuit, plurima placita mihi fecit. 6. Ignis quæsiuit ab aëre: si tantum ipsum diligebat sicut aquam? Respondit aër, dixitque igni,quod ipse iustam quæstionem non faciebat:& quod parum de natura amoris sciebat. Aëri dixit ignis, & quæ est natura amoris? Aër vero siluit,nec aliquam voluit dare igni responsionem:quapropter ignis mirabatur, quoniam aër sibi non respondit:& toties ipsum rogauit,quod ipsi responderet, quousque aër igni hæc verba retulit. Narratur,quod voluntas sapientiam inueniebat, dum ipsa ad quandam ciuitatem ibat, in qua erat memoria, ad quam voluntas venire optabat,vt suum amicum frequēter recoleret. Et quia sapientia iram quæ est voluntatis inimica,secum ducebat,voluntas sapientiã benè non recepit, quamuis sibi vicos ostenderit, per quos memoriam potuit inuenire. Et cum voluntas ad memoriam venisset, quæ suum recoluit amicum, magnum festum fecerunt, & magnum solatiũ inuicem habuerunt: intantum ꝙ sapientia malè contenta stetit contra voluntatē, quæ ei ita magnum festum, & solatiũ in eorũ obuiatione nõ faciebat sicut memoriæ. Et ita sapientia voluntatem coram memoria reprehendit,dicens ei, quod paruas grates ei fecerat ex placitis, & honoribus, quos ei fecerat. Excusabat se voluntas dicens,quod maius placitum sentiebat in dando suam similitudinem, sine passione,quam in assumendo similitudinem alterius cum labore. 7. Aqua ibat per quoddam magnum nemus, in quo lapidem, & ferrum ex quibus exit ignis, inueniebat, quos blasphemauit, & eis plura vituperia dixit:quia ipsi occasio suæ infirmitatis fuerant, cum in olla vel in concha ipsam calefaciebat, & quæ ab ipsa suam frigiditatem quam valdè diligebat, auferebat. Lapis vero & ferrum responderunt aquæ dicentes,quod ignis fuerat vitiosus in dando eis suam virtutem. Sed aqua de illis verbis mirata fuit, quæ dixit eis, quod sibi impossibile videbatur,quod quicquam posset vitiosum esse in dando virtutem:vnde rogauit, quod sibi modum dicerent, secundum quem ignis virtuosus erat, inquantũ ei suam dabat virtutē. Narratur (dixerunt lapis & ferrum)quod quedam herba stetit in quodam prato, quæ virtutem habebat in curando leprosos de eorum infirmitate: cuidam leproso illa herba ostendebatur, de

Bbb 3 qua

qua comedebat, & curatus fuit de lepra per virtutem illius herbæ. Tandem contigit, quod ille homo minctum ibat in illo prato, & cum illa herba quæ ipsum curauerat suos lumbos tersit. Idcirco illa herba fuerat vitiosa in dando suam virtutem illi, qui tantum ipsam inhonorauit. A quibus tunc aqua petiit, & quam virtutem dat mihi ignis, cum sum in olla? Responderunt ei lapis & ferrum, quod ipsa & farina panem facere volebat vt cum illo pane virturem homini darent vt exinde viuere posset. Quem siquidem panem cum virtute ignis in furno faciebant, sine quo quidem igne illum panem facere non poterant, neque virtutem homini dare valuerant.

8. Duæ veritates in igne sibi inuicem obuiauerunt, vna veritas fuerat de calore, & alia de siccitate, quæ ab igne petierunt, cum qua ipsarum se munitum contra falsitatem & aquam sentiebat. Ignis autem suæ luciditati dixit, quod ad illam quæstionem respóderet, frigiditas vero terræ dixit igni, quod ipse iudicem communem non elegerat, cum ita sit, quod luciditas concordabat in die cum calore: qui quidem dies clarus est & calidus, & quæ contrariabatur in nocte siccitati: quæ quidẽ nox frigida est & tenebrosa ratione vmbræ terræ. Respondit ignis frigiditati terræ & dixit, quod contigit in quadam ciuitate, quod quidam homo de populo modum considerabat, per quem ipse posset esse rex illius ciuitatis, & cõsiderabat quomodo ipsum regem qui erat suus Dominus occidere posset. In principio in quo ille homo propositum illud concepit, modum cum falsitate imaginari incepit: quoniam cum veritate non valebat, & sic ille homo modum accepit cum quo magnam habuit in illa ciuitate potestatẽ contra regem suum Dominum, qui quidem Rex modum considerauit, quomodo illum hominẽ destruere posset, & in principio in quo modum considerauit, illum considerauit cum veritate. Idcirco in illa ciuitate veritas & falsitas magnum prælium habuerunt, & in fine falsitas deuicta fuit, quia cum non esse & nihilo concordabat: veritas vero cum esse, quod siquidem esse Rex in iudicem suæ conscientiæ elegit contra falsitatem, quæ est contra charitatem, & quæ cum tenebris habet cõcordantiã.

9. Aër conquerebatur aquæ de igne, qui libitum, siue placitum habebat in tormentando ipsum cum terra: cum ita sit, quod placitum de ipso habet recipiendi calorem, & quia aqua est inimica ignis, aërem minimè voluit consolari: imo vt plurimum de malo contra ignem dixit: & quanto plus de malo contra ignem dixit, tanto plus ipse ignis aërem tormentabat: quia aqua credebat aëre ita tormentato, & eius tormento de die in diem sibi multiplicato, ad terram recurrit, quæ sua erat inimica, qui conquerebatur ei de igne dicens, quod magnam iniuriam ei faciebat. Terra vero respondit aëri, ignẽ excusando & dicendo aëri plura vituperia: vt ipse aër plus de passione haberet, & vt sua natura contra aërem vteretur, qui est eius aduersarius. Aëre sic existente vexato, & quanto plus conquerebatur, tanto maiorem passionem sentiebat, aliud consilium nõ habuit, nisi quod ignem rogaret, quod de ipso pietatem haberet. Cui siquidem aëri ignis hæc verba dixit. Narratur, quod quidam rex vnum militem habebat, quem valdè diligebat, & per magnum amorem quem ad eum habebat, plures honores ei faciebat, & ei denarios & equos conferebat siue dabat,

bat, & quicquid indigebat. Et quanto plus rex dabat militi, tanto miles ad eũ maiorẽ habebat amorem, & fortius ei seruire nitebatur. Rex vero illũ militẽ ꝓbare voluit, si ad eũ maiorẽ amorem habebat propter hoc quod ei dabat, quam propter hoc quod erat suus Dominus, & magno tempore stetit, quod ipsi militi nihil dedit, ita quod miles contentus non erat de rege, sicut esse solebat: nec ei ita bene seruiebat, sicut in cõsuetudine habebat. Et vt rex melius intentionem militis probare valeret, abstulit ab eo vnum bonum castrum, quod ei ante dederat. Et tunc ille miles multum iratus de rege recessit, & iuit ad quẽdam comitem, qui erat inimicus illius regis, cuius filiũ ille miles occiderat in bello. Et dixit comiti, quod ipse volebat esse seruus ipsius: vt cum illo se posset vindicare de rege. Miles ille cum comite fuit in vno bello contra regem, & captus fuit, ꝗ misericordiã à rege petiit, & rogauit ipsum, quod castrum & suum amorem ei redderet. Et rex respondit ei, & dixit, quod super hoc consilium cum iustitia & misericordia haberet. Cum iustitia consilium habere vellet, vt sciret, si ipsum punire deberet: & cum misericordia similiter: vt sciret, si ei parcere deberet: Misericordia regem rogauit, quod illi militi parceret, vt ipsa posset esse magna in rege. Et iustitia regi consuluit, quod ipsum puniret, vt ipsa maior esset in illo quam misericordia: & maximè cum ipse sit rex magis propter illam, quam propter misericordiam: etiam quia miles bonã intentionẽ nõ habuit quærẽdi indulgentiam, inquantum ipsũ rogauit, vt ei castrum restitueret. Et tunc rex propter illud, quod iustitia allegauit, præcepit militem tormentari & ad mortem tradi. 10. Rosa & piper de igne & aqua loquebantur. Rosa aquam commendabat: quoniam bonitatem partium multiplicabat cõiungendo vnam partem cum alia, vt bonitas esset magna in aqua. Et piper ignem commẽdabat, inquãtum diuidebat bonitatem in plures partes, vt sub suo genere plures substantiæ sint bonæ. Tantum rosa & piper in his verbis steterunt, quod magnum prælium fuit inter ipsa: quoniam piper dicebat, quod plus valebat illa substantia, quæ se dat pluribus, quã illa quæ se restringit, & in se plura aggregat, de quibus plures aliæ substantiæ indigentiam habent. Rosa vero dicebat contrarium: & super his rosa & piper ad iudicium venerunt coram siccitate: & quia ipsa erat qualitas, quæ se habebat ad vtramque partem: sed siccitas se excusabat dicens, quod iudex esse nolebat: quæ dixit hæc verba. Narratur, quod vnus rex iudicium dedit duobus militibus, qui litigabant pro vno castro. Ille vero miles qui bonum ius in illo castro non habebat, mille florenos dedit iudici, vt iudicaret pro ipso. Et miles qui bonum ius habebat, iudici dedit centum florenos, vt iudicaret pro illo. Idcirco iudex plus fuit ex vna parte quam ex alia, videlicet ex parte illius ꝗ sibi dedit mille florenos, quã ex parte illius, qui dedit centum, & falsè castrum iudicauit pro illo, cuius illud castrum esse non debebat. Vnde ipsa quæ plus erat ex parte rosæ quam ex parte piperis, nolebat esse iudex. Et contigit, quod Rex sciuit, quod iudex mille florenos à milite acceperat cui illud castrum iudicauit: & centum ab illo, qui illud castrum habere debebat. Et tunc Rex illos milites venire fecit coram se in suo concilio, à quo quæsiuit, si naturam cognoscerent, per quam vnus miles dedit mille florenos, & alius centum

tum tantummodo, cum ita sit, quod milites æquales sint in diuitiis. In cōcilio Regis erat quidam antiquus sapiens, qui dixit, quod præsumptio erat, quod ille miles qui non dederat nisi centum florenos, habebat ius in castro. Et ratio erat: quoniam ille qui habet bonum ius, fortius plangit expensas, quas facit in iudicio siue in lite, quam ille qui non habet bonum ius, qui libentius facit expensas: vt quod suum non est, acquirere possit. Et ex tunc Rex in terra sua statuit, quod qui plus de salario iudici daret, quod contra dantem haberetur præsumptio mala, & pro ipso qui minus iudici daret, præsumptio bona. 11. Ignis aquam decipere voluit, & dixit illi, quod ipsum iuuaret ad faciendum piper, quod est paruum, & ille ipsam iuuaret ad faciendum cucurbitam siue lactucam, quæ est magna, & sic ambo concordantiam inuicem haberent. Narratur, dixit aqua, quod quidam miles pauper vnum filium habebat, & quidam diues rusticus filiam, filius ille & filia matrimonium contraxerunt, vt filius militis diues esset per suam vxorem, & vt filia rustici honorata esset per suum maritum: sed honor in dedecus conuertebatur cum denarij expensi fuissent, & in passionem stetit omnibus temporibus vitæ suæ. Et hoc exemplum narrauit aqua, quia deceptionem & fraudem cognouit, quam ignis sibi facere voluit, cum sit quod piper diutius duret quam cucurbita, & frigiditas maiorem habeat passionem in pipere quam actionem in cucurbita, licet piper sit paruum, & cucurbita magna. Idcirco aqua respondit igni, quod concordantiam cum ipso habere nolebat sub illa similitudine, quoniam in pipere diu posset esse in labore. 12. Ignis aquam rogauit quod inuicem ad solem accederent, & quod in viatico insimul amicitiam haberent de vno & alio conferendo. Aqua vero respondit, dixitque igni, quod duo contraria inuicem per eandem viam bene & planè non vadunt, & maximè quia sol suus est inimicus, & est amicus igni. Veruntamen dixit aqua igni, quod si ipse se cum ad Lunam ire vellet de nocte & non de die, cum illo ad solem per vnam viam pergeret, siue descenderet. 13. Quatuor elementa principiauerunt piper, & in ipso posuit ignis quatuor vncias leuitatis, & terra tres vncias ponderositatis, aër vero duas vncias leuitatis, sed aqua in ipso posuit vnam vnciam ponderositatis. Et cum piper principiatum fuisset sex vnciæ leuitatis ascendere superius voluerunt, quatuor autem vnciæ ponderositatis inferius, videlicet in terra remanere voluerunt, piper vero appetitui quatuor vnciarū consentiit, & appetitui sex consentire noluit, idcirco sex vnciæ dixerunt piperi, quod contra suam naturam faciebat, in hoc, scilicet, quod plus stabat in loco inferiori quam in loco superiori, cum ita sit, quod maius sit per appetitus maiores quam per minores. Et tunc piper respondit & dixit hæc verba. Narratur, quod ventus duxit vnum granū racemi in quodam alto monte, qui valdè frigidus erat, illud granum, truncum, branchas, ramos, folia, flores, multiplicauit, sed fructum præ nimia frigiditate, quæ vigebat in illo monte, facere non potuit. Et quia principium, naturam & esse in pede montis acceperat, plus in locis infimis quam altis voluit remanere, vt fructum faceret, & suam speciem posset multiplicare. 14. Aër in medio ignis & aquæ se posuit, vt concordantiam faceret, & quod omnes tres contra

contra terram essent, cum autem aër inter ignem & aquam concordantiam fecisset contra terram, terra suam siccitatem igni dare noluit, nec frigiditatē aquæ recipere, vt consueta fuerat, idcirco ignis & aqua contra aërem fuerunt cum terra, quam in medio amborum posuerunt. Et tunc aër ab igne calorem noluit accipere, nec suam humiditatem aquæ dare, quousque ignis & aqua cum illo concordantiam habuissent contra terram quæ igni siccitatem noluit dare, nec ab aqua frigiditatem recipere. Et sic ignis & aqua erant in labore semper cum concordantiam vellent habere, vnde valde mirabantur, cum concordantiam neq; per terram, neque per aërem habere non valebant. Et tunc à Saturno quæsiuerunt, si sciret rationem vel radicem, propter quam concordantiam habere non poterant. Saturnus dixit hæc verba, quod quidā erat heremita, qui erat sanctę vitę & conuersationis, dixit ad Angelum, qui eum custodiebat, q̄ fortiter mirabatur, quid poterat esse, quod cū ipse Deū contēplabatur, nullā tētationē faciēdi peccatū habebat, & statim cum dimisisset contemplari Deum & rogare malo velle suo in tentationes, & cogitationes, & vanitates incidebat. Angelus vero suus dixit ei, quod non erat mirum si homo tentatus est, & cogitat vanitates, postquam inter Deum & ipsum non est medium quod in concordantia ipsos esse facit, ita videlicet quod homo remotus sit ab omni natura peccati, vanitate & cōtrarietate Dei & hominis. Et hoc, dixit Saturnus non habet aër, cum vos alij concordantiam in illo cōtra terram habere vultis, quoniam remoti non estis à contrarietate, in qua estis, licet in aëre concodantiam habere velitis. Et tunc ignis & aqua cognouerunt per hoc, quod de sancto heremita dictū fuerat, & per contrariā naturam in qua existunt, modum secundum quem sancti homines tentationes habent & cogitāt vanitates. 15. Ignis & terra vnam filiam fecerunt in pipere, quæ maioritas vocabatur, & aër & aqua in eodem pipere fecerunt aliam filiam, quæ minoritas vocabatur: ambæ vero filiæ fuerunt vxores piperis, quod ex ipsis vnum filium generauit, qui suum Patrem occidit: & tunc sartor forfices & acum maledixit: Monachus autem dixit Raymundo quod illud exemplum sibi exponeret. Respondit ei Raymundus dicens. Narratur, quod acus cuiusdam sartoris sibi vnam filiam generauit, quæ vocabatur diuitiæ, & eius forfices vnam filiam generauerunt, quæ vocabatur honor. Sartor vero illas duas filias accepit in vxores, de quibus Sartor ille vnum filium generauit, qui in eius obitu dare noluit vnum modicum pannum, de quo cooperiri potuisset, & ipsum totum nudum subterrauerunt contra diuitias & honorem. Idcirco sartor ille forfices, & acum maledixit, cum quibus diuitias congregauerat, & honorem suo filio donauerat: sed forfices & acus de illa maledictione se excusauerunt dicentes, quod culpa carebant: quoniam seipsum posuerat in minoritate diuitiarum & honoris, & suum filium in maioritate: idcirco oportuit quod filius suus & ipse in suo obitu contrarietatem habuissent. Raymunde, dixit Monachus, & quis vocabatur filius suus? Raym respondit dicens, quod filius sartoris priuatio vocabatur, priuatio, scilicet finis honoris & diuitiarum. 16. In pipere ignis est in maioritate, & aqua in minoritate: idcirco aqua rogauit aërem & terram, quod

ipsam contra ignem iuuarent; quia sua minoritas maioritatem ignis non poterat sustinere. Aër autem & terra responderunt, dixeruntque ei, quod ipsa nesciebat, quomodo quædam bona domina suo malo marito respondebat. Et quomodo respondit? dixit aqua. Narratur, dixerunt aër & terra, quod vnus erat homo, qui erat valde diues, & vxorem habebat cui dixit hæc verba: volo quod sitis domina mea, & quod de me & meis diuitiis faciatis vestram voluntatem. Et hoc dico propter hoc vt sitis bona, & quod bonitas vestra maior sit mea bonitate. Domina vero respondit & dixit hæc verba. Impossibile est, quod cum duabus naturis contrariis acquiri possit maior bonitas. 17. Ignis in pipere aërem & terram inuitabat vt contra aquam ipsum iuuarent, quæ æqualiter sibi erat contraria per frigiditatem & ponderositatem in generali, quá quidem æqualitatem destruere affectabat destruendo æqualem proportionem quam in pipere habent: quoniam destructa æqualitate ambarum qualitatum in pipere volebat aquam destruere: sicut inuidia quæ destruendo æqualitatem specialem amatiuitatis, & amabilitatis, destruere volebat charitatem duorum fratrum. Et quomodo fuit hoc, dixerunt aër & terra. Narratur, dixit ignis, quod erat quidam mercator, qui erat multum diues, & habuit duos filios, quibus in sua vita dedit vxores, & tempore sui obitus ordinauit in suo testamento, quod ambo æqualiter in bonis quæ dimiserat, possiderent & succederent, in tantum quod dum ipsi viuerent, illa bona non diuiderent. Et hoc fecit ille mercator, vt æqualem charitatem adinuicem haberent. Et tunc inuidia considerauit, quomodo illam charitatem destruere posset: quæ dixit filio primogenito, quod non erat conueniens quod ipse esset æqualis cum suo fratre neque in diuitiis neque in honore, postquam Deus ipsum primo nasci fecit: idcirco cum curia tractare deberet, quod illa bona diuiderentur, & quod maiorem partem diuitiarum haberet; qui respondit inuidiæ dicens, quod illam intentionem nesciebat, quam pater in factione sui testamenti habebat. Et quam intentionem habuit tuus pater (dixit inuidia) in factione testamenti sui; qui dixit ei, noster pater quẽdam hominem huius ciuitatis occidit, qui habuit vnum filium, qui tantum habet in diuitiis sicut nos alij habemus, & voluit, quod bona quæ dimisit non diuideremus, vt inuicem charitatem haberemus: & si mihi dimisisset partem maiorem, & fratri meo partem minorem, inter nos charitas in æqualitate non foret, & inimicus primo fratrem meum si esset in potestate minori, occidere posset, & me post ipsum. Et tu inuidia de cætero talia verba mihi non loqueris. 18. Narratur, quod ignis ibat in peregrinationem, & aqua similiter, qui sibi inuicem obuiauerunt in via. Ignis autem dixit aquæ hæc verba. In hac terra sunt plures milites, qui sunt amici mei, & qui pro me facerent omnia quæcunque vellem, quibus plura placita & curialitates feci; dum ignis ita loquebatur, cognouit aqua secundum verba, quæ ipse dixit, quod ipse ex ipsa timorem habuit. Idcirco cognouit quod ipse minorem virtutem, & potestatem habuit quam ipsa: quoniam si ipsa habuisset minorẽ virtutem, & potestatem quam ignis, in illa terra in qua se inuenerunt, ante habuisset timorem quam ignis, quem ipsa non habuit, postquam ignis dixit illa verba.

ba. Et quia considerauit, quod ignis prius habuit timorem quam illa, sentiebat virtutem & fortitudinem contra ignem: & tunc debellabat ignem, & ipsũ deuincebat, qui dicebat, quod in illa terra erant milites sui amici, vt aqua timorem de ipso haberet, qui dixit igni, quod timorem de ipso non habuit de hoc, quod non viderat, per hoc quod audiuerat. Dictũm est de radicibus, & declimus modum secundum quem sciatur applicari ad moralitates, secundum quod ipsas applicauimus. Et quia prolixitatem vitamus, ad truncos arborum transimus.

De Truncis. Et primò de trunco arboris elementalis.

AER rogauit ignem: quod ipsum nimis non calefaceret: quoniam si ipsum nimis calefaceret, aqua ab ipso humiditatem non reciperet. 2. Inuidiam habuit terra de igne & aëre, qui in ficubus concordarunt, quæ rogauit ignem, quod cum ipsa in pipere concordaret. 3. Dixit aqua igni, quod sua frigiditas in æstate plus valebat contra febres, quas infirmi patiuntur, quam suus calor in hyeme contra frigiditatem, quam homines sani patiuntur. 4. Ignis dicebat malum de terra, quia est nigra: & de ipsa bonum dicebat, quia est sicca. 5. Plorabat aqua, quia aër ab igne, qui est eius inimicus, calorem accipiebat. 6. Primum ver solem increpauit, qui pulchra opera quæ in Aprili, & in Maio fecit, in æstate destruit. 7. Ignis solem rogauit, quod non daret suam similitudinem lunæ, quæ similitudem aquæ accipiebat. 8. Ignis quia est in pluribus, se commendabat, & de ipso aqua malum dicebat, quia illam comburebat. 9. Dicebat ignis, quod in fœniculo fortior erat quam aqua: aër autem respondit, quod aqua in lactuca erat fortior ipso, idcirco cognouit ignis quod aër parum ipsum dilexit. 10. Aër ignem increpauit cum ipse sit ita clarus, & ita lucens, quare cum terra, quæ est nigra, semper participiauit, idcirco cognouit ignis, quod aër inuidiam ex hoc habebat. 11. Materia aquæ de forma aëris se minimè fatigaret: si ad illam cum concordantia absque contrarietate veniret. 12. Terra tetigit contrarietatem ignis & aquæ, quæ contra terram irascebatur, quæ dixit contrarietati, quod malum esset eam tangere. 13. Dixit aër igni, quod ipse erat ita ponderosus, quod ipsum portare non potuit; ignis autem respondit aëri, quod per se ponderosus non erat, sed per terram. 14. Placitum habere voluit aqua de igne, qui ipsam in æstate recoluit, quousque cogitauit, quod ignis ipsam recoluit, vt illam destrueret. 15. Plorauit aqua, quia ignis ipsam nimis calefaciebat, & de ipso conquerebatur soli: luna vero ipsam reprehẽdebat, quia ipsius inimico conquerebatur. 16. Aqua dixit ad ignem, quod ipsa Domina erat in niue; ignis autem respondit ei quod sol suus amicus erat. 17. Aqua dixit ad ignem, quod in inferno per damnatos valde desiderabilis est: sed ignis respondẽs dixit, quod iustitia est eius vxor. 18. Dixit aqua ad ignem, quod in nocte fortis erat; ignis autem respondit ei, quod ipse erat fortis in die. 19. Autumnus frõtariam tenuit per hyemem contra æstatem, & ver frontariam tenuit per æstatem contra hyemem. 20. Cum timore & labore ascẽdit aqua ad sphæ-

ram ignis ad accipiendum virtutem lunæ, & cum audacia & placito rediit & descendit. 21. Aqua dixit ad ignem, quod ipse in bestia mortua calorem naturalem non habebat, ignis autem respōdit aquæ, dixitque ei ꝙ in bestia mortua ipsa fœtebat. 22. Aqua dixit ad ignem, quod cum ipsa Dominę suas facies lauāt, vt albæ sint & pulchræ, sed ignis aquæ respondit, quod per ipsum Dominę suos maritos desiderant. 23. Aqua dixit ad ignem, quod ipsa fontes implebat, ad quos animalia veniunt ad aquandum: ignis vero respōdit ei, quod ipse vegetes vino implebat ad quas homines veniunt potatum. 24. Hyems dixit ad æstatem, quod ipsa erat frigiditate vacua, æstas autem dixit ad hyemem, quod ipsa calore vacua erat. 25. Aqua dixit ad ignem, quod ipsa erat pinguior igne, sed ignis respondit ei quod ipse sanior erat illa. 26. Dixit aqua, quod ipsa erat grossior igne; ignis autem respondit ei, quod ipse velocius quam aqua currebat. 27. Dixit aqua, quod ipsa erat discreta, quia plura insimul cōgregabat, respōdit quoque ignis, quod ipse liberalis erat, quia plura dabat. 28. Dixit aqua quod ex ipsa Rex coronatus erat, inquantum ipsa Domina erat in eius cerebro, ignis vero respondit ei, quod Rex erat arbor euersa. 29. Dixit aqua, quod rex fieri fecit quendam pulchrū argenteum, ignis aut respōdit ei, quod vnam coronam de auro portabat. 30. Dixit aqua, quod regina per ipsam pulchros dentes habebat: ignis vero respondit, quod per ipsam regina pulchros crines habebat. 31. Dixit aqua quod alleum albo colore est indutum, qui est supra colorem ignis: respondit ignis, quod oleum quod est de sua natura in lāpade, stat supra aquam. 32. Dixit aqua, quod maior erat in mari quam ignis in lapide & ferro; ignis autem respondit ei, quod si sufficientiam lignorum haberet, quod ipse totam aquam maris consumeret. 33. Dixit aqua quod ipsa plantas rigabat: ignis autem respondit ei, quod ipse in æstate fructus plantarum colligit 34. Dixit aqua, quod ipsa mouebat molendinū: ignis autem respondit ei, quod ipse calefaciebat furnum. 35. Dixit ignis, quod ipse carnes molles faciebat, aqua vero respondit ei, quod ipsa facit duriciem ossium. 36. Dixit ignis, quod ipse in pipere supra aquam equitauit, aqua vero respondit ei, quod ipsa super eum equitat in canphora. 37. Dixit aqua, quod ipsa in cucurbita est longa: ignis vero respondit ei, quod eius longitudo recta est in dactilis. 38. Dixit aqua, quod ipsa ignem in ferro calefacto infrigidabat & in lapide marmoreo: ignis autem respondit, quod ipse calefaciebat eam in olla & in sulphure. 39. Dixit aqua, quod pisces in ipsa viuunt, ignis vero respōdit, quod per ipsum vident homines de nocte. 40. Dixit aqua, quod vinū homines in vanum loqui faciebat; respondit ignis, quod animalia aquatam mingebant.

De prouerbiis trunci vegetalis.

Dixerunt cerasa ad ficus, quod ipsa primo veniebant: ficus vero responderunt, quod desiderabiliores illis erāt. Cerasum dixit ad garrofam, quod ipsa nigra & tortuosa erat, garrofa vero respondit ei, quod ipsum citò putrefactum erat. [illegible] quod homines infirmos curabat, vinum dixit, quod homines [illegible] faciebat. Dixit pomū ad fimum, quod ipse fœtebat, fimus vero respondit, quod de sua progenie erat. Dixit cinamomum quod

quod in scutella regis erat, fabæ vero responderunt, quod ipsæ erant in scutellis sanctorum hominū religiosorū. Dixit frumentum, quod rusticus ordeū comedebat: ordeū vero respōdit, q ipsū melius vēdebat. Dixit frumētum, q ordeum auena fiebat: respondit ordeū, quod frumētum aliquotiens fœtebat, & malum illius qui ipsum comedebant procurabat. Dixit piper, quod plusquam frumentum cōstabat, respōdit ei frumentum, quod plus de seruitio quam piper faciebat. Rex rosam colligebat, rusticus vero frumentum. Rex ficus comedere nolebat, quia porci ipsas comedebant.

De Prouerbiis trunci sensualis.

Dixit equus ad militem, quod calcaria portare ipsum nō oportuit, quoniam libenter iret: respondit miles quod timor mulieres currere faciebat. Dixit equus ad militem, quod per ipsum honoratus erat, respondit miles, quod ipse ei ad comedendum dabat. Dixit mulus ad equum, quod ipse suus frater erat, respondit equus, quod ipse asino assimilabatur. Dixit asinus Domino suo, quod ipse cātare sciebat, respondit Dominus suus, quod ipse flere faciebat. Dixit asinus, quod ipse dormire optabat, dixit Dominus, quod ipse ire volebat. Dixit asinus quod nimis oneratus erat, respondit Dominus, quod plures pueros habebat. Dixit canis ad catum, quod ipse ratos comedebat: respondit Catus, q ipse quando dormiebat nasū sub cauda nō tenebat. Dixit iumentum ad asinum, quod Domino suo non resisteret, quam potestas & ars omnia vincunt. Dixit lupus ad mutonem, quare stabat cum homine, qui comedebat carnes & de corio facit sotulares & de lana tunicam? respondit muto, quod ipse de lapidibus non viuebat. Dixit lupus ad canem, quare malum sibi volebat? respondit canis, quod oues Domini sui diligebat, quia suum Dominum diligebat.

De Prouerbiis trunci imaginalis.

Caro de imaginatione conquerebatur, quæ ipsam calefaciebat & crescere faciebat, cum luxuriam imaginabatur. Et imaginatio cōquerebatur de memoria, quæ ipsam cum luxuriam recolebat, carnem mouere faciebat: memoria vero de voluntate conquerebatur, quæ ipsam obliuisci luxuriam non faciebat. Capra lupum videbat, quem nullo tempore præuiderat, & timorem de ipso habebat. Et quidam videbat vxorem suam suas crines pectere, qui ex hoc habuit zelotipiam. Proditio tetigit imaginationem, & imaginatio furcas imaginabatur. Oculi quandam pulchram Dominam videbant, quæ pulchra indumenta vestiebat: imaginatio vero camisiam illius imaginabatur. Quidam homo vnum equum emere voluit, & imaginatio auenam imaginabatur. Quidam homo regem rogauit, quod iustitiam faceret de quadam ciuitate: rex autem iniuriam imaginatus est. Timor imaginari facit mortem, & audacia honorem. Verecundia facit delictum imaginari, & legalitas complementum. Bona fama heremitæ ipsum imaginari facit hypocrisim. Imaginatio imaginatur de nocte hoc, quod non inuenit de die.

De Prouerbiis trunci humanalis.

VOluntas dixit ad oculos, quærens ab eis, quare pulchras respiciebant mulieres libentius quam turpes? & tu voluntas, dixerunt oculi, cum neque pulchra neque turpis domina de tua sit natura, quare diligis plus pulchras mulieres quam turpes? Aures, dixit intellectus quærens ab eis, quare placitum habetis audiendi vanitates? & tu intellectus, dixerunt aures, quare homines qui ipsas dicunt, non reprehendis. Naso dixit memoria, quare placitum habes rosam odorandi? & tu memoria, dixit nasus, quare per rosam luxuriam recolis? Os, dixit voluntas, quare nimis comedis? & tu voluntas dixit os, quare me non claudis? Caro, dixit voluntas, cum fœmina te tangit, quare calescis? & tu voluntas dixit caro, quare castitatem non diligis? Os, dixit intellectus, quare mentiris? & tu intellectus dixit os, quare me non consulis? Corpus, dixit anima, quare tantum dormis? & tu anima dixit corpus, cum ego vigilo, quare es ociosa? Corpus, dixit anima, cum frigus pateris, quare tremis? & tu anima dixit corpus, cum peccas, quare conscientiam habes? Corpus, dixit anima, quare es infirmum? & tu anima, dixit corpus, quare temperantiam non diligis? Corpus, dixit anima, quare morieris? & tu anima, dixit corpus, quare de me recedis.

De Prouerbiis truncis moralis.

VItium, dixit virtus, quis est tuus pater? respondit vitium, priuatio tua est mea mater. Vitium, dixit virtus, quare tot homines te diligunt? respondit ei vitium, quia tu es ociosa. Vitium, dixit virtus, quare tu es mihi contrarium? respondit ei vitium quod sibi contrarium est, vt sit magna. Vitium, dixit virtus vbi consistis? respondit ei vitium, ego sum in loco in quo tu non es. Vitium, dixit virtus, ego te in die iudicij accusabo, respondit ei vitium, tuum liberum arbitrium me excusabit iudici. Vitium, dixit virtuti, quare timorem non habes? respondit ei virtus, quare conscientiam non habes? Vitium, dixit virtus, quare tenebras diligis? respondit ei, & quare tu de die non vadis. Vitium, dixit virtus, habes fratrem? respondit ei vitium, pœna quam pateris, erit mea germana. Virtus dixit, quod ipsa in annulo regis erat; vitium respōdit, quod erat in voluntate regis. Dixit virtus vitio, quod ipsam in homine paupere percutiebat, respondit ei vitium, quod conquereretur homini diuiti.

De Prouerbiis trunci imperialis.

BOnitas dixit malo Principi, quod ipse suum filium mori perdiderat, qui bonificare vocabatur. 2. Male princeps, dixit magnitudo, quare in bonificare me ociosam tenes? 3. Male princeps dixit duratio, bonitas me reprehendit, quia te durare facio. 4. Desiderat magnitudo, quod potestas mali principis esset in paruitate. 5. Stultitia mali principis cepit & incarcerauit sapientiam populi sui. 6. Voluntas mali principis amate exulabat à voluntate sui populi. 7. Virtus populi vitium mali principis in suo collo portauit. 8. Os mali principis verecundiam mentiendi non habebat. 9. Vana gloria principis laborē in suo regno seminat. 10. Malus princeps confusam conscientiam sui populi

puli facit. 11. Nullus malus princeps cum suo populo concordantiam habet. 12. Nulla contrarietas peior est quam contrarietas principis & sui populi. 13. Incepit princeps malefacere, cuius populus ipsum sequebatur. 14. Ille princeps est bonus, qui in medio loco sui populi consistit. 15. In malo principe perditur finis & complementum sui populi. 16. Maius Dominium habet princeps per modicum populum, qui bonus sit, quam per magnum, qui malus existit. 17. Oportet quod princeps habeat æqualitatem iustitiæ, sapientię, & charitatis. 18. Ille princeps minorem habet honorem, qui suum populum inhonorat.

De Prouerbiis trunci Apostolicalis.

VOluntas, dixit bonitas, quare malum prælatum elegisti? & tu bonitas, dixit voluntas, quare me bonam non fecisti? 2. Desiderabat magnitudo, quod prælatus esset de magno genere; sapientia autem dixit, quod ipsa plus valet in iudicio quàm magnitudo in genere. 3. Sine charitate & sapientia iudicium prælati durare non potest. 4. Potestas boni prælati libenter stat in circulo, non autem in angulo. 5. Pœnitebat voluntas & plorabat, quia prælatum sine sapientia elegerat. 6. Concurrerunt sapientia & voluntas ad eligendum prælatum, & prius fuit voluntas ad electionem quã sapientia. 7. Virtus prælati melior est quam virtus solis. 8. Mendacium prælati occidit sui populi veritatem. 9. Ille prælatus est arbor euersa, qui vias gloriæ non ostendit. 10. Nullus prælatus suum officium cõfundere debet, nec diminuere. 11. Ille prælatus bonus est, in quo deuotio & sapientia cõcordant. 12. Contrarietas prælati & principis est valde mala & periculosa. 13. Sanctitas prælati est principium fidelitatis sui populi. 14. Lectus prælati in medio loco deuotionis & sapientiæ debet esse. 15. Nullus homo bono prælato est honore perfectior. 16. Nullus homo maius habet officium quam prælatus. 17. In æqualitate charitatis, & sapientiæ prælatus est eligendus. 18. Nullus homo in minori bonitate est, quam malus prælatus.

De Prouerbiis trunci cœlestialis.

EX pluribus formis corruptibilibus sequitur corpus incorruptibile. Ex formis qui sunt in motu primo, sequitur primum mobile. Primus motus non dat naturam cessandi. Formæ cœli ita sunt primæ per lucem, sicut primæ sunt per motum. Ita se habent formæ cœli ad primum circulum, sicut se habent ad primum motum. Ita se habent formæ cœli ad maiorem motum, sicut se habent ad maiorem circulum. Ex maiori rotunditate sequitur maior mobilitas. Ex formis innatura rotundis sequitur corpus rotundum. Simplex motus circularis per medium non transit. Nullus motus circularis ponderosus est, neque leuis.

De Prouerbiis trunci arboris Angelicalis.

NVllus bonus angelus indigentiam habere potest. Malus angelus nullum finem attingit. Nullus angelus anterius habet, neque posterius. In nullo angelo est dubitatio. Nullus angelus leuis est, neque ponde

ponderosus. Nullus Angelus est ex alio Angelo. Nullus Angelus in loco est extensus. Nullus Angelus est ociosus. Nullus bonus Angelus potest esse captus. Nullus malus Angelus est liber.

De prouerbiis trunci arboris æuiternalis.

IN æuiternitate non est terminus in fine. Caput æternitatis est in tempore: & eius cauda est in æternitate. Æuiternitas non habet medium. In æuiternitate motus non est extensus. In æuiternitate numerus non multiplicatur. Ex æuiternitate nullum ens exire potest. Æuiternitas speculum est æternitatis. Nulla creatura maior esse potest quam æuiternitas. Tantū durabit æuiternitas, quantum æternitas. Æternitas & æuiternitas societatem contraxerunt.

De prouerbiis trunci maternalis.

POstquā Domina nostra est pietati æqualis: nullus ex ipsa fit desperatus. Si quis conscientia & fletu sit plenus, Domina nostra sit pietate & amore secutus. Domina nostra talem habet virtutem: quod peccatorem à peccatis mundare potest. Qui Dominam nostram reclamat: ipsa cum venia respondebit. Qui Dominam nostrā reclamat, nullus dęmon ei nocere potest. Desiderat Domina nostra, quod vnusquisque ipsam tangat cum pœnitētia. Domina nostra nunquam homini deficit, qui bene pœnituit de suis peccatis. Qui per Dominam nostram vult amari: filium suum faciat honorari. Domina nostra maternalem habet amorem, cuilibet pœnitenti peccatori qui habet contritionem. Ex Domina nostra habet sufficientiam, qui filium suum laudat: & per mundum ipsum laudari & amari procurat.

De Prouerbiis trunci arboris christianalis.

HVmana natura diuinam tangit naturam cum pietate sui populi. Diuina vero natura cum pietate suam recolit creaturam. Tangit humanus amor diuinum amorem cum pietate, quam habet de populo suo. Amor autem diuinus passionem Domini Iesu Christi recolit, quam ad diuinam naturam honorandum in cruce sustinuit. Humana natura in præsentia Domini nostri rogauit diuinam naturam pro suo populo. Humana natura diligit suū populum, & natura diuina diligit humanā. Nulla creatura est ita bona in seipsa: sicut in Deo. Plus potest Deus de creatura in se, quam extra se. Plus potest Deus creaturam amare per incarnationem, quam per creationem. Plus potest Deus cum creatura per incarnationem participare, quam per intelligere. Sine incarnatione maior concordantia naturæ diuinæ & humanæ esse non potest. Maior vnitas creaturæ fuit facta in vnitate diuinæ naturæ.

De prouerbiis trunci arboris diuinalis.

DIxit diuina bonitas, quod de seipsa bonum volebat, & illud bonum esse optabat, voluntas etiam hoc diligebat, potestas hoc ita perficiebat. Dixit bonitas diuina, quod ipsa volebat esse in bono, & voluit esse illud bonum, sapientia etiam hoc ita sciebat, & potestas hoc ita perficiebat. Dixit bonitas, quod ipsa volebat esse per

per bonum, & volebat esse illud bonum, magnitudo ei consentiebat, & potestas hoc perficiebat. Dixit bonitas, quod ipsa volebat bonificare: voluntas dixit, quod bonificare volebat amare: & sapientia dixit, quod illud volebat scire: æternitas dixit, quod ipsa volebat æternare, & dixit magnitudo, quod ipsa volebat illud infinire. Dixit bonitas, quod ipsa volebat bonificare, quod Deus esset: & dixit potestas, quod ipsa potuit ei dare: & dixit voluntas, quod ipsa illud voluit amare: & dixit sapientia, quod ipsa ipsum potuit scire, & dixit æternitas, quod ipsum potuit æternare. In substantia est substantiatum bonificare bonitatis. In substātia est substantiatū infinire infinitatis. In substantia substantiatum est æternare æternitatis. Vult diuina voluntas, quod substantia sua sit charitas. Non vult voluntas diuina, quod in substantia sua sit ociositas.

De Branchis arboris exemplificalis. Et primo de exemplo branchæ elementalis.

IGNIS, aër, aqua, & terra, in differentia, concordantia, & cōtrarietate sibi inuicem obuiauerunt. Idcirco principium differentiæ dixit, quod sic contigit ei, sicut cuidam Dominæ de suo marito: principium vero dixit differentia, quomodo fuit hoc? Narratur, dixit principiū, quod quædā Domina habuit maritum, quem valdè ratione matrimonij dilexit, & propter filios quos habuerunt. Illa Domina erat discreta & bene morigerata: sed eius maritus valdè luxuriosus erat & prodigus, qui bona dilapidauit. Idcirco illa Domina esse non poterat sine odire & amare, nec finem inuenit, in quo quiescere potuit: quoniam suum maritum perfectè diligere non potuit, propter defectus quos in suo marito viderat, nec ipsum odire potuit in totum, quia in finem matrimonij & suorum filiorum ipsum diligebat. Idcirco tu differentia, dixit principium, quietem habere non potes in concordantia, nec in contrarietate, cum ita sit, quod quodlibet elementum alij obuiat in concordantia & in contrarietate à qua contrarietate recedere non possunt, nec ego medium inuenio per quod ad finem venire potero absque labore. Et quando sum in fine accidit mihi, sicut accidit cuidam Dominæ. Et quomodo fuit hoc? dixit differentia. Narratur, dixit principium, quod quidam miles cum vxore sua & filio suo captus fuit à Saracenis, & Rex Saracenorum dixit Dominæ, quod libera iret cum suo marito aut cum filio suo, & quia Domina nesciebat quem eligere poterat, nesciebat ire nec remanere: quoniam charitas & dolor ipsam impeditam & perplexam tenuerunt, in tantum quod libertate, quam Rex sibi cōcesserat, vti nesciebat, & sic stetit, & fleuit, nec eius voluntas se ad eundum mouit, nec quieuit. Et tunc cognouit differentia, quod per obuiationem quam faciunt elementa, magnum laborem in ipsis sustinere oportet.

De Exemplo branchæ arboris vegetalis.

APpetitiua, retentiua, digestiua, & expulsiua sibi inuicem in tēperantia obuiuerunt. Idcirco mors diem increpauit. Monachus vero dixit, Raymundo, quod sibi illud exemplum exponeret. Narratur, dixit Raymundus, quod mors & vita inuicem cum die & nocte prælium fecerunt, sed mors societatem facere cum die

voluit, vt melius vitam destruere posset, & ratione instinctus naturalis quã vita & dies habent in concordantia, dies cognouit falsitatem mortis, & consentiit verbis ipsius, vt ipsam decipere posset, & quod melius posset esse contra noctem:& dicebat, quod suam amicitiam habere volebat in temperentia,quæ esset de branchis arboris vegetalis. Et mors in illa amicitia consentiit, & amicæ fuerunt in similitudine, & non in fidelitate. Et cum ad noctem vita & dies venerunt, mortem in temperentia occiderunt, quæ siquidem mors cum moriebatur, diem increpauit, qui cum vita societatem fecit, & quia sibi grates non habuit, inquantum non fuerat contraria temperantię, quam dimiserat hospitium diei accipere. Dies autem respondit ei, quod ipse volebat esse legalis vitæ, quia cum legalitate fecerant inter se societatem. Et tunc nox mortem reprehendit, cui dixit, quod sicut ipsa plus sit in gula quam in tẽperentia, ita vita plus sit in temperantia quam in gula, idcirco mirum non erat, si dies in temperantia ipsam decepisset.

De exemplo branchæ arboris sensualis.

NArratur, quod vnus ratus cum sua filia stabat in vno foramine, & prope illud foramen stabat quidam paruus catus, qui cum vna penna ludebat. Tunc vero dixit ratus matri suæ, quod ludere volebat cum illo cato paruo, qui discretionem non habebat: quoniam si discretionem habuisset, cum illa penna non lusisset. Et quia discretionem non habebat, contrarietatem naturalem quæ est inter murilegos & mures non cognoscebat. Dicebat etiam, qnod bonum foret: si se posset ponere cum ipso in societate & amicitia:quoniã per amicitiã posset esse, quod cum catus foret magnus, sibi malum non faceret,& quod ipsam de blado comedere dimitteret. Respondit ratus suæ filiæ, & dixit, qnod nesciebat illud quod quædam domina dixerat marito suo. Et qnid? dixit ratus matri suæ. Filia, dixit ratus, narratur, quod quidam burgensis vnũ militem occidit, qui vnum filium habebat: burgensis autem vnam filiam habebat,concordatum fuit inter ipsos, quod filius ille & filia matrimonium contraherent, vt amici militis & burgensis pacem inuicem habere possent. Et cum burgensis filiam suam dare voluisset illi filio militis, vxor burgensis dixit marito suo hæc verba. Narratur,quod equus & leo fecerunt societatem,& concordarunt,quod in peregrinatione irent. Equus vero quæsiuit: si herbas per viam inueniret, quas comedere posset: quoniam sine comestione ire non valeret. Leo autem dixit quod irent in nomine Dei: quoniam nõ oporteret cibaria quærere: quoniam Deus eis satis daret. Et tunc cum equus considerauit, quod leo in se comestionem habebat, cogitauit, quod leo qui herbas non comedebat si non inueniret quid comedere posset, quod occideret & comederet suum socium:cum ita sit, quod in bestiis maior sit necessitas comedere,quã societatem seruare. Et tunc equus ille noluit ire cum leone in peregrinatione,nec cum illo esse in societate, licet inter ambos iracundia non fuisset. Et tunc burgensis matrimonium facere noluit: quoniam milites sunt superbi, qui viuunt de honore,& non parcunt alicui in ira, intantum quod nihil valet societas.

De

De Exemplo branchæ imaginalis.

NArratur, quod ouis quædam habebat duos agnos, quadam die contigit, dum ipsa in quodam prato cũ ambobus filiis suis staret, quod vnus lupus vnum de suis filiis accepit, & coram ipsa illum occidit, & comedit. Ouis à lupo non fugit, imo ipsum rogauit, quod filium suum non occideret, sed ipsum sibi redderet, quæ fleuit & clamauit multum fortiter de dolore quem habebat, cum filium suum comedi videbat, qui clamabat matri suæ, quod ipsum iuuaret. Dum autem lupus agnum ita comedebat, quidam coruus & columba erant in quadam arbore iuxta, qui verba audiuerant, quæ ouis ad lupum dixerat, & viderant agnum occidere & comedere. Postquam autem ille lupus recesserat, venit quidam homo, qui alium agnum accepit, qui ipsum occidit coram oue matre sua, quem cum aliis hominibus ipsum comedebat. Et tunc flexis genibus oculos ad cœlum leuauit laudans & benedicens Deum, qui sibi fructum dedit ad seruiendum homini, qui creatus est ad seruiendum Deo, & tunc hilaris fuit, & iram obliuioni dedit, quam habuerat de suo filio, quem lupus coram ipsa occidebat & comedebat. Tunc vero columba dixit ad coruum, quod plurimum de oue mirabatur, quæ discretionem non habebat in rogando lupum, qui suus erat inimicus, nec imaginationem habebat de inimicitia, quæ erat inter lupos & oues, nec irata fuit de agno, quem homines comedebant. Respondit coruus, qui dixit hæc verba. Narratur, quod quidam pastor filium habebat, & vnus leo suum filium accepit. Et dum ipsum occidebat & comedebat, filius pastoris ad suum patrem clamauit, quod ipsum iuuaret. Pastor autem qui discretionem habuit, iuit ad leonem, & ab ipso suum filium abstulit, quamuis aliqua arma non detulisset, qui ad imaginationem timoris quem habere debebat de leone, non stetit, nec etiam ad discretionem: quoniam contra ipsum armatus non veniebat, sed stabat ad charitatem, quam habuit ad suum filium. Quare sic ouis timorem non habuit de lupo: quoniam amor quem habuit ad filium suum, eam obliuisci fecit timorem, nec ipsam periculum imaginari permisit, nec etiam inimicitiam, quæ est inter lupos & oues, imo ipsam fecit habere spem in suo inimico, in quantum lupum rogauit, quod sibi suum filium restitueret, & quod sibi malum non faceret. Et tunc columba cognouit, quod magnum quid est charitas, quæ in pastore discretionem destruxit, & in oue imaginationem. Et tunc dixit coruo, quod certificaret eam quare ouis de homine iram non habuit, qui suum filium comederat. Narratur, dixit coruus, quod quidam miles vnum magnum leporarium habebat, quem multum diligebat, cum quo ibat accipere ceruos. Accidit quadam die, quod miles cum suo equo & leporario ibat venatum in quadam magna silua multum distante à suo castro. Contigit quod cum in illa silua fuisset, venit quidam miles, qui suus erat inimicus, qui venit munitus, & militem occidit, & duxit equum. Leporarius autem remansit per totam illam diem propè Dominum suum, & in crastino venit quidam lupus, qui militem mortuum comedere volebat, sed leporarius ipsum defendebat, & cum lupo pugnabat, in tantum quod lupus habuit fugere. Leporarius autem ma-

gnam famem habuit, in tantum quod secundum instinctum naturalem in voluntate sibi venit, quod suum Dominum dimitteret, & quod iret comestum in castro de pane:sed timorem habuit, quod lupus rediret, & suum Dominum comederet, idcirco à suo Domino recedere noluit, imo ita propè illum stetit, quod de siti & fame mortuus fuit. Idcircó intellexit columba, quod lupus significabat lupum, qui agnum comedebat, & canis qui se propter Dominum suum mori permisit, sine discretione imaginabatur quod ipse obligatus erat ad moriendum propter seruitium Domini sui, & ad custodiendum ipsum à malo, postquam Deus ipsum posuit in seruitute militis cui promiserat, quod ipsum pro suo posse seruiret: sicut ouis, quæ voluit seruire Deo in seruiendo homini cum filio suo, quæ magnum placitum habuit, quoniam ille homo qui suum filium comedit, erat iustus & amicus Dei: quoniam si iniustus fuerit, & in peccato, ita irata fuisset sicut de lupo, qui suum filium comedit.

De Exemplo branchæ humanalis corporalis.

NArratur, quod quidam leo parlamentum habuit siue concilium fecit, & à suo populo quæsiuit, si de aliquo in suo regno indigentiam habebat, vel si in suo regno aliquam bestiam habebat, quæ esset ei inobediẽs. Et ceruus respondit & dixit, quod in suo regno non erat pax, quoniam homo & equus cum aliis bestiis guerram faciebant, quas homo cum sagittis occidit. Leo autem consilium petiit à vulpe, qui est bestia valde discreta, quæ dixit hæc verba ad leonem, Domine, homo est bestia, quæ arte vtitur, cum qua vincit & occidit bestias, quoniam ipse equitat in equo, qui fortiter currit, & portat arcum & sagittas, cum quibus bestias occidit. Idcirco bonum esset, quod vos pacem cum homine haberetis, quia homo discretione vtitur, & scit equitare, & cum balista trahere, quæ à longè bestias occidit, & est fortior te: quoniã quando deficit ei fortitudo, ipse cum magisterio se iuuat. Idcirco esset bonum, quod sibi nuncios transmitteretis, qui inter vos & illum pacem tractarent. Et homines tales qui essent de sua curia & amici vestri, qui ei de vobis bonum dicerent, & vobis suum statum scire facerent, vt bestiæ vere se defendere possent, cum eis malum facere vellet. Leo autem habuit pro bono hoc quod vulpes sibi dixerat, quæ dixit, quod libenter iret inter alios nuncios, sed canis dixit leoni, quod non esset bonum quod vulpis esset nuncius, quoniam ipsa comedebat gallinas, quæ stant & morantur cum homine, & etiã præsumptuose se iactabat ad faciendum nuncium. Leo vero cognouit, quod ipse veritatem dicebat, & canem elegit, quod esset nũcius: sed lupus dixit ad leonem, quod quas canis bestias quærebat homo occidebat, & quod ipse volebat ad hominem ire, vt posset panem comedere. Et hoc dixit lupus, vt canis non iret ad custodiendum oues. Leo vero consentiit consilio lupi, & petiit à cane si esset bonum quod lupus iret ad faciendum legationem. Canis vero cõsentiit, ꝙ lupus ad hominẽ ire posset, vt homo ipsum occideret, quoniã ipse oues occidit & comedit. Et quia lupus magnam habuit voluntatem comedẽdi oues, iuit in legationem non considerando periculum ratione inimicitię, quæ est inter ipsum & hominem. Tũc vero

vero petiit licentiam, & in legatione perrexit. Et cum venit ad hominem priusquam dicere potuit sua verba, vel literas suas ostendere, homo traxit vnam sagittam ad lupum, & ipsum occidit, & ita legatio perdita fuit.

De Exemplo branchæ humanalis spiritualis.

NArratur, quod memoria, intellectus, & voluntas ad videndum Deum ad cœlum ascēdere voluerunt, tunc vero resistentia fuit inter ipsos, quia quilibet primo ire voluit, vt prius bonitatem Dei & suam magnitudinem videret. Memoria vero allegabat, quod ipsa primo ire debebat, quoniam ipsa primo obiecta accipiebat, intellectus vero & voluntas postmodum accipiebant, & cum ipsi intellectus & voluntas sua obiecta dimittebant, ipsa custodiebat, idcirco allegabat quod ipsa primo ire debebat. Allegabat autem intellectus, quod ipse primo ire debebat, quia ipse obiecta voluntati ostendebat, & sibi lumē in memoria faciebat, cum quo voluntas ipsa obiecta inuenit. Voluntas autem per se allegans dixit, quod ipsa primo ire debebat, quia maiorem habuit virtutem, quam habuit intellectus vel memoria, inquantum poterat diligere hoc, quod intellectus potuit intelligere, nec memoria recolere quādo homines recolere voluit, & intelligere aliqua quæ iam recolita sunt & intellecta in tempore præterito, & in tempore præsenti ipsa recolere non potest nec intelligere, quæ voluntas vult amare. Dum autem omnes tres ita stabant, quædam philomela venit ad illam arborem, sub cuius vmbra tres Dominæ steterunt, & cum intellexit resistentiam in qua erāt, dixit eis, quod nesciebant, quid quidam gentilis cuidam dixerat Christiano, & cuidam Iudæo & Saraceno in quodam libro quem fecit Raymundus de gentili & tribus sapientibus. Et quid fuit illud (dixerunt Dominæ) respondens philomela dixit, quod quidam Christianus & quidā Iudæus & Saracenus coram quodam gentili disputauerunt, qui ipsos rogauit per aliquas autoritates non disputarent, quæ recolitæ sunt suppositæ & amare, nec secundum naturā intellectus sunt intellectæ, inquātum sunt creditæ. Sed quod disputarēt secundum naturam argumenti & demonstrationis. Tunc vero intellectus iuit primo, qui fecit lumen memoriæ & voluntati ad videndum, si positiones quas fecerant, veræ erant aut falsæ. Tunc vero ille tres Dominæ ordinauerunt, quod intelligentia præcederet. Veruntamen resistentia fuit inter voluntatem & memoriam quæ illarū post intellectum præcederet. Sed philomela iudicauit, ꝙ voluntas anteiret, & memoria iuit vltimo. Et ideo dixit hæc verba. Narratur, ꝙ tēpus futurū, & tēpus præteritum venerunt ad hospitādum in hospitio, quod erat cuiusdam boni viri, qui vocabatur motus, & vnū asinum duxerūt, qui cibaria portabat. Ille bonus homo dixit, quod portam hospitij non aperiret, quousque concordata fuissent, quod primo intrare debuisset, aut caput asini, aut cauda ipsius, & tunc leuiter concordarunt, quod caput asini primo intrare debebat secundum naturam sui motus. Et tunc asinus intrauit & caput primo, & periit, quod ipsorum primo intrare debebat, quæ dixerunt quod iam erat determinatum in introitu asini, tunc vero intrauit tempus futurum primo, & postmodum preteritum. Cognouit ergo memoria, quæ maiorem habet cō-

cordantiam cum rebus transactis quam cum futuris, quod voluntas ire primo deberet post intellectum, & ipsa vltimo. Dum autem illæ tres Dominæ ad cœlum ascendebant, cum ipsæ multum iuerant, & prope solem fuerant, fuit intellectus fatigatus, nec magnum calorem solis sufferre potuit. Et tunc dixit ad voluntatem, quod iret primo, quia calorem solis non timebat. Iuit ergo voluntas primo, postmodum vero memoria, & intellectus vltimo, quia nihil intelligebat, sed supponebat verum esse illud, quod voluntas & memoria de Deo & de sua magna bonitate affirmabant.

De Exemplo branchæ moralis.

NArratur, quod quidam Rex voluit núcium ad Imperatoré transmittere, qui dixit concilio suo, quod ex quatuor virtitibus cardinalibus, & ex tribus theologicis ipse duas transmittere volebat, & quod insimul cócordarent, quæ minimè concordare potuerunt: quoniam omnes necessariæ erát ad legationem. Idcirco Rex militem elegit, qui esset nuncius in quo omnes essent virtutes. Ille vero miles dixit ad Regé, si sciret, quod Imperator esset iustus, quoniam si iustus non esset, nihil sibi iustitia valeret. Et si sapiens nó esset, quod prudentia nihil sibi valeret, veruntamen si fortis esset, aut non esset, bonum esset, quod in legatione foret fortitudo, cum hoc quod in Imperatore esset charitas: quoniam si in illo charitas non esset, nec iustitia; secum spem ipse ducere non posset, cum ita sit, quod Imperator maiorem habeat potestatem quam Rex. Tunc vero Rex dixit ad militem, quod Imperatorem vincere volebat cum sua prudentia, si Imperator prudentiam non habebat neque iustitiam, cum ita sit, quod iustitia & prudentia cum arte maiorem habeant concordátiam, quam potestas & ignorantia. Idcirco secum ducere posset spem in sua societate. Tunc autem Rex dedit certa capitula scripta militi, secundum quæ ipse deberet legationem facere sine cremēto & dim nutione illorum, & sine aliqua nouitate. Et tunc miles se excusauit, & dixit, quod non iret in legatione, quoniam secum prudentiam ducere non posset, nec etiam spem. Et tunc Rex dedit militi licentiam, quod vti possit in legatione libere de prudentia, vt de mag sterio vti posset, & in milite habuit spem propter prudentiam & charitatem, quas habebat.

De Exemplo branchæ Imperialis.

NArratur, quod in curia cuiusdam Regis, qui erat valde discretus, fuit vnus Baro, qui erat valde luxuriosus & male morigeratus, & vnus Sagio, qui castus erat & bene morigeratus. Rex ille vnum magnum fecit parlamentum, & plures secum induit de serico. Illum vero Baronem qui erat luxuriosus & Sagionem induit de vili panno Magnum mirabile habuerunt omnes homines illius parlamenti, quia Rex baronem & Sagionem de æquè bono panno induerat, & Baro se valde vituperatum reputabat, & Sagio se valde honoratum reputabat. Et quæsiuerút à Rege, quod exemplum illud eis exponeret. Rex autem dixit hæc verba. Quidam erat miles, qui valde pulchram habebat vxorem, & quæ erat valde luxuriosa, & posuit in facie sua cerusam & colores, vt pulchra appareret. Accidit quodam die, quod miles à sua petiit vxore quod ei diceret

rer veritatem,& quod si ei non responderet, eam occideret. Illa vero dixit, quod sibi veritatem diceret,dũm tamẽ ipsam non occideret, si sibi veritatem diceret. Et tunc miles quæsiuit à sua vxore, in qua pulchritudine erat magis alba,& magis munda, aut in sua facie, aut in sua intẽtione,propter quã colores posuit:quæ respondit ei quod pulchritudo erat magis alba & clara in sua facie, & quod in sua intentione erat contrarium: quoniam turpes habebat cogitationes, ex quibus intentionem induebat, ratione cuius suam faciem ornabat, & depingebat; tunc vero ille miles à sua vxore quæsiuit, an pulchritudo pulchrior erat in facie aut in voluntate, ipsa autem respondit ei, quod quanto anima melior est corpore, tanto pulchritudo pulchrior est in voluntate, quam in facie. Tunc vero miles suam vxorem induit de vno vili panno.quia eius intentio turpis erat. Et tunc baro qui luxuriosus erat, & alij qui erant in parlamento,cognouerunt, quod rex induerat baronem ex vili panno, quia eius anima turpis erat, veruntamen sagio ex illo nõ erat contentus, cui rex dixit hæc verba. Narratur, quod quædam cirmia quæ dicitur vermicula, quæ in manibus generatur, de Deo cõquerebatur,quia Deus ipsam fecerat ita modicam creaturam, & hominem fecerat ita magnum & ita honoratum. Et tunc Deus ipsam posuit in homine in quo ipsam honorauit, inquantum ipsam posuit in sua societate, & quod ipsa cirmia ipsum comederet, & vt homo superbus non esset propter suum honorem, & quod cirmia obliuisceretur suam paruitatem & vilitatem in societate,in qua erat cum homine, & in ipso honorata. Deinde quando Rex dixit istud exemplum sagio ad regem dixit, quod ipse nesciebat quid garsia dixit ad columbam. Et quomodo fuit hoc? dixit rex Narratur (dixit sagio) quod duæ simiæ ligna posuerant supra vnam lucernam: quam ignem esse credebãt:quia frigus habebant, ignem incendere volebant & quod se calefacerent. Columba autem pluries ad simias dixit, quod lucerna ignis non erat, & quod bene apparebat quod simiæ qui homines esse solebant, ita turpem figuram in similitudine hominum habebant. Garsia autem dixit ad columbam, quod ipsa hominem tortuosum & obstinatum castigare non deberet: quoniam ex hoc damnum habere posset,quia tortuosus & obstinatus castigare se non permittit,& damnum dat illis, qui ipsum castigant. Columba autem garsiæ credere noluit in consilio, quod sibi dedit,& credebat, quod simiæ ipsam non audiuissent de vna arbore, in qua ipsa stabat. Et tunc in terram descendit ad ipsas,quæ dixit eis, quod lucerna quæ dicitur noctiluca; ignis non erat. Tunc vero simiæ columbam acceperunt, quæ ipsam occiderunt, & comederunt. Garsia autem dixit,quod in columba suos perdiderat sermones, verũtamen in seipsa experientiam habuit de his, quæ ad columbã prædixit.

De exemplo branchæ apostolicalis.

NArratur,quod honor & sapientia ibant in peregrinationem,& cum in hospitio hospitati fuerunt,sapientia comestionem præparauit, quæ posuit mensam & panẽ nigrum posuit supra mappas albas. Mappæ vituperium eis fieri reputabant: quoniam panis niger stabat supra ipsas. Panis autem respondit eis,quod ipsæ albæ non essent neque integræ si ipse albus fuisset, &

tunc

tunc honor cognouit,quod panis amicus erat sapientiæ, nec voluit de ipso comedere, qui dixit ad sapientiam, quod ei album panem daret, quæ respondit,& dixit, quod ipsa album panem dare nolebat, si non staret supra mappas ruptas, per totam illam diem stetit, qui comedere nolebat, & in crastino se in itinere posuerunt. Et dum in itinere fuerunt, duos lupos inuenerunt, qui inuicem cum duobus canibus pugnauerunt. Dum autem sic inuicem pugnabant, venit quidam leporarius, qui germanus erat vnius canis, qui suum fratrem iuuare volebat, qui dixit ei, quod alium canem primo iuuaret, quem iuuit leporarius, & ambo lupum deuincerunt,& ipsum occiderunt. Deinde ad alium lupum occidendum venerunt, & ambo lupi mortui fuerunt. Leporarius tunc dixit fratri suo quærens ab eo, quare voluit quod primo alium canem iuuaret,qui respondit ei,quod si primo ipsum iuuasset,& fatigatus fuisset,ipsum qui suus frater non erat, postmodum non iuuaret,& posset esse, quod lupus ipsum occidisset. Sed in quantum in sua fraternitate confidebat, cogitabat, quod posito quod fatigatus pugnandi fuisset, nihilominus ipsum, qui suus erat frater, iuuasset: quoniam amor quem habebat, sibi daret virtutem & vigorem. Et dixit sapientia ad honorem, quod in societate charitas est bona, quare ipsa in societate cum ipso ire nolebat: quoniam nil nisi seipsum diligebat, & volebat, quod omnia ei seruirent, & ipse nulli seruire volebat, tunc sapientia de honore recessit, honor autem solus per totam diem ibat. Et quando fuit ad quandam ciuitatem hospitium Episcopi quærere nesciebat, & in domo cuiusdam rustici intrauit. Et ille rusticus cum sua vxore comedebat & cum suis filiis,& propè mensam suam stabant vnus asinus, & vnus porcus, & vnus bos. Et honor de illo pane nigro, qui erat ante rusticum, comedebat, & cum ipso in mensa sedebat, supra, quam erant nigræ mappæ & ruptæ,nec honor abstinere poterat, quin comederet: quoniam magnam famem habebat, licet ille panis niger & mappæ ruptæ fuerant.Cum ille rusticus comederet, ad honorem dixit, quod iuuaret ipsum ducere bouem & asinum ad aquam. Honor autem respōdit, ꝙ nutritas non fuerat ad ducendum retro boues & asinos, sed ad equitandum super equum, qui de mensa surrexit, & dixit rustico, quod sibi faceret vnum pulchrum lectum, in quo dormire posset, & porcum de domo proiiceret.

De Exemplo branchæ arboris cælestialis.

ASTronomus suum magistrum maledixit. Raymunde, dixit Monachus, & quomodo fuit hoc? Narratur, dixit Raymundus, quod in quadam ciuitate venit quidam Astronomus,cuius fama erat magna. Rex illius ciuitatis ad illum Astronomum dixit, quod respiceret, quando ipse moreretur. Astronomus autem dixit, quod illo anno mori deberet. Et Rex credebat, quod ille Astronomus diceret veritatem, & propter timorem mortis comedere non poterat nec dormire,in tantum quod propter timorem mortis Rex ille stabat quotidie cum illo Astronomo,& cum quodam discipulo suo in vna camera, qui respicere ipsum faciebat, si forsan errauisset in computo vel in arte Astronomiæ, quia desiderabat, quod ipse Astronomus inueniret, quod ipse viuere posset.

let. Astronomus autem quæsiuit super, & inuenit, quod annum transire non posset. Dum ille Rex in tristitia stabat & dolore, accidit, quod vnus alius Rex sibi transmisit vnam puellam, qui cum veneno erat nutrita, & nihil nisi venenum comedebat. Astronomus autem dixit, quod ipse credere non poterat, quod illa puella cum veneno vixisset: quoniam sua scientia sustinere non poterat, & maxime quia nata erat sub dominio arietis, qui est de complexione humida & calida, quæ est contra complexionem veneni, quæ est sicca & frigida. Nuncij autem qui illam domicellam duxerant, in præsentia Regis & Astronomi, sibi de veneno ad comedendum & bibendum dabant, ita quod illa domicella malum non habebat de hoc quod comedebat vel bibebat. Et tunc Rex modicum habuit de placito, & cogitabat, quod ars Astronomiæ non semper verum iudicium dabat. Veruntamen propter magnum timorem quē de morte habebat, experientia domicellæ timorem mortis à suo corde non proiiciebat: quoniam nimis ipsam imaginabatur. Et sic Rege in tristitia & timore existente quidam sapiens miles, qui erat valdè amicus Regis, venit ad videndum Regem, & ab ipso quæsiuit, quid habebat: Rex autem secreto dixit ei, quod illo anno mori deberet, secundum quod ille Astronomus, qui coram ipso stabat hoc dicebat. Et tunc miles cognouit, quod Astronomus cum aliquo homine illius ciuitatis mortem Regis tractauisset: quoniam ipse Astronomus dicebat, quod Rex illo anno mori debebat, vt Rex ob timorem moreretur. Tunc vero miles dixit ad Astronomum, si sciret, quantum viuere deberet, qui respondit dicens ad militem, quod sua vita non erat nisi 10. annis. Et quodam die miles dixit ad Astronomum, si sciret vere, quod dicebat: qui dixit ad militem, quod magnum tempus est elapsum quod ipse certus fuerat de termino mortis suæ. Et tunc miles cum vno gladio quem portauit, caput eius Astronomi amputauit, vt Rex hilaris foret, & vt cognosceret, quod Astronomus ille mentitus fuisset, & etiam scientia sua. Tunc vero discipulus illius Astronomi suum magistrum maledixit, qui dixit, quod nullo tempore confidentiam in arte Astronomiæ haberet.

De Exemplo branchæ arboris Angelicalis.

Narratur, quod quidam homo auarus qui erat valdè diues, mirabatur ex hoc quia saturari de diuitiis non poterat: quoniam quanto plus diuitiæ suæ crescebant, tanto plus desiderabat habere bona suorum vicinorum. Accidit autem quodam die, cum ipse equitabat iuxta castrum suum, in via tres pauperes inuenit, qui de vno magno pane, & de vno modico ferculo carnium comedebant, & quilibet illorum alium ad comedendum inuitabat: qui tunc considerauit quod inter pauperes erat charitas in magnis rebus & in paruis, & quod in ipso erat crudelitas & auaritia, quia de suis bonis quæ magna erant, pauperes non inuitabat, & inuidiam habebat de illis paruis bonis, quæ habebant. Et tunc suas diuitias maledixit, & pauper esse desiderauit, ita quod illos tres pauperes rogauit, quod ipsum in societate eorum admitterent, vt sua voluntas saturari posset, & quod ipsum dormire dimitteret: quoniam in magnis bonis & paruis ipsum ita fortiter labora-

uit, quod nullam quietem habere potuit. Narratur, dixerunt pauperes, quod sanctus Michaël, & sanctus Gabriel in vno viridario Deo obuiauerunt: cum quo ipsi solatium habuerunt, & quanto plus vnus Deum dilexit, tanto plus alius dilexit illum. Dum autem ita stabant, venit Lucifer, qui dixit, quod in eorum societate esse volebat, sub tali tamen conditione, quod ipse totum Deum habere volebat, & alij aliquid non haberent, qui tunc cognouerunt, quod ipse bonus angelus non erat, quia totum habere volebat tali conditione, quod ipse omnibus aliis qui ipsum habere vellent non sufficeret. Idcirco ad Luciferum dixerunt, quod ipse erat malus angelus, in quantum volebat habere totum generale bonum pluribus bonis particularibus necessarium. Et tunc homo auarus cognouit quod pauperes illi eius societatem habere noluerunt: quoniam timuerunt, quod totum panem & carnes comederet, de quibus ipsos non inuitaret.

De Exemplo branchæ arboris æuiternalis.

LVcifer suum intellectũ maledixit. Et quomodo fuit hoc Raymunde? dixit Monachus. Narratur dixit Raymũdus, quod Lucifer suum intellectũ ad Deum transmisit, vt sibi à Deo spem afferret. Et cum intellectus suus ante Deum fuisset vidit veritatem, quæ in vno libro legebat, & dicebat, quod Lucifer non habebat volũtatem, quod spem diligeret, & quia ipsam non diligebat, dixit, quod nullo tempore ipsam haberet. Idcirco intellectus rediit ad Luciferum sine spe. Et tunc Lucifer maledixit intellectum, quia spem misericordiæ Dei non portauit. Intellectus autem se excusauit, qui dixit hæc verba. Narratur, quod erat vnus rex valde iustus, & qui hominum voluntates intellexit, in cuius terra erat quidam miles, qui multum illum regem odiebat, & cum vno filio suo mortem illius regis tractabat, & rogauit regem quod sibi placeret quod suus filius de sua curia esset, & ei ad mẽsam suam seruiret, & hoc dicebat, vt filius suus regem intoxicaret, qui esset dixit filio suo, quod post mortem regis ipse tractaret, quod ipse esset rex. Et propter magnam voluntatem quam habuit ille filius, vt esset rex, voluntati patris consentiit, nec periculum quod sibi posset accidere respexit? quod quidem periculum sui patris consilium fecit obliuisci, & etiam desiderium quod habuit, vt posset esse rex, nec pater de periculo filij sui curauit propter malam voluntatem quam habuit cõtra regem: tunc vero rex qui totum sciuit, dixit, quod contrariæ voluntates vnam filiam fecerunt, quæ desperantia vocabatur, illam filiam dedit rex filio militis pro vxore, qui ex ipsa prolem generauit. Rex autem dixit ad militem, vtrum credebat, quod de vxore filij sui spes aut desperantia nasceretur. Et tunc miles cognouit, quod rex voluntates hominum intellexit. Cognouit etiam suam mortem, & spem in rege non habuit: quoniam ita magna erat sua mala voluntas, quã habuit ad regem, quod ipsam conuertere non poterat ad amandum regem, & plus mori diligebat regem odiendo, & in desperantia vitæ, & indulgentiæ, quam regem diligere, & spem habere in sua misericordia. Et ita iratus fuit in morte, sicut quidam homo qui suum esse in sua vita maledixit. Raymunde, dixit Monachus, quomodo fuit:

fuit hoc? Narratur, dixit Raymundus, quod erat homo quidam peccator, & qui valde mundi huius vanitates dilexit, quatum ratione fecerat Deo plura vituperia & inhonesta. Accidit autem quod Deus in illo homine vti voluit magna misericordia, & ei gratiam dedit, quod suum delictum cognouit. Et diu stetit ad procurandū honorem Dei iuxta suum posse. Accidit, quod ille homo diu & de graui infirmitate infirmus fuit, & vt ipsum Deus in hac vita puniret, permisit, quod dæmon ipsum poneret in desperantia misericordiæ Dei, recolendo sua magna peccata & iustitiam Dei plusquam suam misericordiam. Idcirco magnum amorem perdebat, quem habere solebat, & quia quotidie mori credebat propter magnam infirmitatem, quam habebat, pœnas inferni in imaginatione tenebat, in quibus stare æuiternaliter credebat, & suam damnationem certius affirmabat, quam homo qui panem tenet in manu, & credentiam habet, quod illum panem comedere debeat: veruntamen aliqualem spem in Domina nostra habebat, propter vnum librum quem propter eius amorem prius faciebat, in quo quidem libro ipsam valde commendabat & laudabat. Homo ille tantum pœnas inferni imaginabatur, quod cū curatus fuerat, ei videbatur, quod ipse ibidem steterat, & plures conditiones & secreta inferni in sua infirmitate sibi reuelata fuerunt. Dum autem in sua infirmitate ita stetit desperatus, accidit quodam die, quod vnus catus corā ipso ratum vnum siue murem accepit, quem coram ipso occidit & comedit, & ille homo propter magnam tristitiam & timorem in quibus fuit & quos de pœnis infernalibus & æternis habuit, illum ratum quem catus comedebat, esse desiderabat, dicendo de seipso, quod maledictum erat esse suū, quod tot & tantas pœnas infernales & durabiles expectat.

De Exemplo branchæ arboris maternalis.

SApiens dignitates Dei benedixit. Raymunde, dixit Monachus, & quomodo fuit illud? Narratur, dixit Raymundus, quod bonitas, magnitudo, æternitas, & cæteræ dignitates diuinæ filium Dei rogauerunt, quod ipse qui erat per illas ita bonus, ita magnus, æternus, potens, sapiens, amorosus, virtuosus, verus, & gloriosus, quod propter amorem ipsarum vnum filium faceret in creaturis ita bonum sicut sua bonitas requirit aut requirebat, & ita magnum sicut magnitudo requirit, & sic de aliis. Et filius Dei ad dignitates respondit, quæ ipsum rogauerunt, & dixit, quod ille facere non poterat illum filium ita bonum & ita magnum sicut ipse volebat sine matre, quæ esset ita bona & ita magna, sicut ad illum filium spectaret. Et tunc prædictæ dignitates filium Dei rogauerunt, quod matrem talem faceret, & quod videlicet suam voluntatem in ipsa matre suam poneret similitudinem, quoniam quanto magis poneret, tanto magis contentæ essent. Etiam dicebant, quod quælibet illarum mater esse volebat illius matris filij, quam quidem matrem de suis similitudinibus facerent. Et tunc filius Dei benedictus procurauit & ordinauit conceptionem Dominæ nostræ virginis gloriosæ, & eius natiuitatem in magna magnitudine bonitatis, magnitudinis. Et sic de cæteris similitudinibus creatis, idcirco mundus dixit Deo, quod ipse saturatus erat. Ray-

munde, dixit Monachus, & quomodo hoc? Narratur, dixit Raymūdus, quod cum Deus creauit mundum, mundus ab eo quæsiuit, propter quod ipsum creauit? Respondit ei Deus, dicens mundo, quod ipsum creauit, vt ex ipso vnum filium faceret, qui frater esset filij Dei, & quod de mundo vnā fœminam faceret, quæ esset mater ipsius filij Dei. Tunc vero mundus risit & hilaris fuit, qui dixit, quod magnus honor sibi fuit, quod ex ipso sit vna pars, quæ Deus sit, & alia pars, quæ sit mater ipsius. Et tunc dixit, quod timorem non habuit, nec habet, nec habebit de desperantia, Raymunde, dixit Monachus, & quare mundus dixit hoc? Narratur, dixit Raymundus, quod in Anglia erat quædam Domina, quæ diu Dominam nostram dilexerat, maritus autem suus vnum militem occiderat, & ille maritus moriebatur, qui vnum filium dimisit, ille filius cum matre remansit, qui suam matrem rogauit, quod ipsum in peregrinatione ire dimitteret ad quādam ciuitatem, in qua erat vnum altare Dominæ nostræ, quæ in illo plura miracula faciebat. Et Domina propter timorem quem habuit de suo filio ipsum in peregrinatione ire non permisit: quoniam timebat, quod parentes militis, quem maritus suus occiderat, suum filium in via occiderent. Filius vero dixit matri suæ, quid erat illud, quod ipsa plus diligebat? Et ipsa respondit ei, quod non erat aliquid quod tantum diligeret sicut Dominam nostram. Tunc vero filius suus ipsam reprehendit, dicens, quod ipsa Dominam nostram non plus diligebat quam illum, postquam ipsa nollet, quod ipse iret ad faciendum honorem Dominæ nostræ, & ad videndum miracula ipsius: nec in Domina nostra spem habebat, quoniam ipsum de manibus inimicorum suorum defenderet. Et tunc Domina illa suum filium ire permisit in peregrinatione, & ipsum commendabat suæ matri sanctæ Mariæ, dicens, quod illa quæ est mater Dei & Domini in via filium suum custodiret, & saluaret, quoniam sibi ipsum commēdabat. Accidit autem quod cum filius suus prolongatus fuit per vnam dietam ab illa ciuitate, in qua natus extitit, quod sui inimici in via acceperunt ipsum, & manus suas absciderunt & etiam oculos extraxerunt. Et ipse sicut potuit, ad ecclesiam iuit, qui dixit Dominæ nostræ, quod mater eius in sua spe deficiebat. Tandem ad notitiam suæ matris peruenit, quod ipse destructus exstitit, quæ dixit, quod ipsa non credebat de hoc aliquid, quæ iuit ad Ecclesiam, & filium suum curatum inuenit, ita quod nihil mali habuit. Et dixit, quod ipsa bene sciebat, quod Domina nostra erat ita bona mater, quæ spei filiæ suæ minimè deficeret vellet.

De Exemplo branchæ arboris Christianalis.

IN ortu solis heremitæ Deum benedixit. Quomodo fuit illud, Raym. dixit Monach. Narratur, dixit Raym. quod quidam heremita in quodam alto monte morans traxit, in quo Deum contemplabatur & laudauit. Ille heremita homo simplex fuit, qui literas ignorauit. Accidit, quod quidam Iudæus ad disputandum cum illo venit, qui dixit heremitæ, quod sibi modum ostenderet, per quem natura diuina & humana possent esse vna persona Iesu Christi, sine conuersione ambarū naturarum: quoniam si ipse sibi modū ostendere posset, se Christianum facere

tere vellet. Tunc vero heremita respodit ei & dixit, quod ipse erat homo simplex, & quod literas ignorabat, nec illa quæstio quam sibi faciebat, ad ipsum, sed ad homines qui haberent plures literas spectabat: veruntamen ipse Deum rogaret illa nocte, quod ei modum reuelaret, secundum quem natura diuina & humana poterant esse vna persona Domini Iesu Christi: qui Iudæum rogauit, quod in crastino ad eum rediret, quoniam ipse sibi diceret de illa quæstione illud quod sibi videretur, & etiam secundum quod Deus ei reuelaret: quoniam in ipso de hoc spem habebat, & haberet. Et tunc Iudæus de heremita recessit. Heremita autem Deum rogauit, quod sibi modum incarnationis reuelaret, quam nulla ratione poterat intelligere, imo in fide incepit dubitare: & dixit, quod postquam non poterat modum intelligere, ipse volebat simpliciter credere, veruntamen propter dubitationem quam habebat de fide, tantum multiplicabat dubitationem fidei in sua cõsideratione, quod tota illa nocte stetit in valde magna passione & tentatione, intantum quod dormire non potuit, & credidit, quod fides Christianorum non erat vera, & tunc ad Deum clamauit, quare ipsum in tentatione non iuuit, & quia ipse Deus non recognouit plures labores & afflictiones, quas propter eius amorem sustinuit. Dum heremita ita stabat in tristitia, Sol valdè lucens & clarus oriebatur, & tunc Deum benedixit, qui ita pulchram creaturam creauit. Et quia Deum in sua tribulatione benedixit, illa benedictio humilitatem, sapientiam, & pietatem de cœlo descendere fecit: quæ modum incarnationis sibi ostenderũt: qui Deum benedixit & laudauit, qui se in suis laboribus & magnis periculis recoluit. Et quando Iudæus ad eum venit, dixit hæc verba. Narratur, quod sapientia, voluntas, & potestas sibi inuicem obuiauerunt in quodam viridario, quod plantatum erat pluribus arboribus bonis, magnis & virtuosis, tandem concordatum fuit inter ipsas tres, quod in illo viridario, vnum pulchrum opus facerent. In illo viridario erat vna modica arbor, vnde voluntas à sapientia quæsiuit, si ipsa sciret in potestate ita magnam virtutem, quod ipsa posset esse ex ipsa modica arbore naturam dare omnibus aliis arboribus viridarij, ita quod essent magnæ, intantum quod omnes ex natura illius paruæ arboris essent indutæ. Respondit sapientia voluntati, & dixit, quod ipsa sciebat, quod potestas virtutem habebat induendi omnes illas arbores ex illa parua arbore secundum naturam magnarum arborum, & non secundum naturam paruæ. Et tunc voluntas potestatem rogauit, quod ipsa esset ita magna in illis arboribus, quæ sunt bonitas, magnitudo, æternitas, & cæteræ dignitates diuinæ: sicut scire sapientiæ, & velle voluntatis, quæ illud indumentum desiderabat. Idcirco modum incarnationis fuit in æqualitate potestatis, sapientiæ & volũtatis, quam habuerunt in illis magnis arboribus, & in parua arbore. Et tunc Iudęus modum incarnationis intellexit, qui Deum laudauit & benedixit, & desiderauit esse Christianus, & honorem Dei secundum suum posse omni tempore tractare.

De Exemplo branchæ arboris diuinalis.

Dixit finis, quod sine ipso nullum ens valeret aliquid. Et quomodo fuit illud, Raymunde, dixit Mon...

Narratur, dixit Raym. quod in quadá ciuitate erat quædam magna Ecclesia, in qua plures Dom.næ se congregauerunt, quæ erant valdè nobiles, & de progenie antiqua erat earum nobilitas. Illæ Dominæ erant ociosæ in illa Ecclesia, quia nulla ipsarum faciebat nec dicebat hoc, propter quod ad Ecclesiam venit, quousque finis apparuit eis, quibus dixit, quod sine ipso nihil valerent, postquam sine ipso nullum bonum faciebant. Tunc vero bonitas quæ erat vna ex ipsis dominabus, dixit hæc verba Quando meam essentiam considero, & naturam desidero, quod de me fieret vnum magnú bonum, vt essem ita magna per agere sicut per existere: quoniam magnus defectus est cuiliber formæ esse frustra & esse ociosa:& si possem esse ita magna per agere, sicut sum in existere, & non sum, culpa est magnitudinis, q̃ deficit magnitudini agédi, & existédi. Et si forma nõ durat tantum per agere sicut per existere, est culpa æternitatis, quæ tantum durare non facit agere, sicut existere:& idem dixit de potestate quæ se de culpa excusare non potest: si non sit ita magna per agere sicut per existere, postquam potest esse, & etiam quia voluntas ipsum rogat,& sapientia scit, quod ipsa potest esse, & finis qui requirit hoc, & sic de aliis formis, quæ ad bonitatem dixerunt quod in præsentia finis ita & multo melius, sicut homo, qui in præsentia ignis ad quem stat propè calorem sentit, quælibet illarum sentiebat illam naturam & proprietatem, quam ipsa in præsentia finis sentiebat.

De Ramis arboris exemplificalis. Et primò de elementali.

Narratvr, quod piper & cucurbita sibi inuicem obuiauerunt, & piper dicebat, quod ignis plus valebat quá aqua, cucurbita vero dicebat, quod aqua plus valebat quam ignis. Ratio quare piper dicebat, quod ignis plus valebat quam aqua, erat, quia dicebat, quod ignis similior erat Deo quam aqua, quia ignis si sufficientiam de lignis haberet se tantum multiplicaret, quod totum mundum combureret. Et hanc naturam habet forma ignis ad significandum productionem, quæ est in personis diuinis, quæ est in infiniendo, magnificando, & æternando: hanc proprietatem ita magnam non habet aliquod elementum, sed tantummodo ignis: idcirco est similior Deo quam aliquod aliud elementum. Allegauit autem cucurbita quæ dicebat, quod aqua plus valebat quam ignis: quoniá aqua plantas multiplicabat, & in ipsa pisces viuebant, flamma autem ignis destruit & consumit omnia illa, quæ cum ipsa participant, etiam quia nulla creatura ita ociosa est sicut ignis: quoniam illa natura quam ignis habet in multiplicamdo suam flammam, si ligna haberet, ociosa est inquantum non multiplicat, & quia in Deo nulla est ociositas, est ignis plus Deo dissimilis quam aliquod aliud elementum, inquantum est magis ociosus quam aliud. Idcirco ouis pastorem reprehendit. Et quomodo fuit hoc, dixit piper cucurbitæ? Narratur, dixit cucurbita, quod in quodam prato steterunt oues, & iuxta illud pratum erat quædam magna silua, in qua plures lupi erant, qui oues comedebant: idcirco oues

oues propter magnum timorem quem habuerunt de lupis, erant macillentæ: quoniam non fuerant ausæ comedere ad eorum voluntatem, & illud quod comedebant, parum de bono eis faciebat. Accidit autem quod quidam pastor ouem increpauit, qui agnum macillentum habebat, cui dicebat, quod ipsa puniri debebat, quia in illo prato multum de herba comedere poterat,& multum de lacte habere, cum quo pinguem faceret suum filium. Ouis autem pastorem reprehendit, quę dixit ei,quod ipse erat occasio macillentiæ sui filij & amaritudinis,quam in herba sentiebat, quia omni die dormiebat, nec de nocte multum vigilabat,& quia siluam & lupos non comburebat.

De Prouerbiis rami arboris vegetalis.

NArratur, quod in pomo se inuenerunt generatio, corruptio, priuatio, & renouatio. Corruptio de summitatibus descendebat, & generatio ascendebat, quæ in medio inuenerunt priuationem & renouationem, quæ de rota fortunæ hoc dicebant. Narratur, dixit priuatio, quod erat quædam domina valdè pulchra, quæ suam faciem depingebat,& suas vestes ornabat, & in suo capite vnam coronam de lapidibus preciosis portabat, quodam autem die accidit, quod illa domina in speculo respiciebat, & se valdè pulchram & bene ornatam videbat, quæ à sua pulchritudine quæsiuit,vbi staret cum mortua esset; pulchritudo autem respondit, quod hospitium in vermibus accipiebat, qui suos oculos & suam faciem comederent. Et tunc domina dixit hæc verba. O Deus qui habes pulchritudinem in virtute producentis & producti, tu es pulchritudo nostræ salutis. Amare pulchrum est in bonificare, & bonificare pulchrum est in amare, & tale existere pulchrum est in durare. Plus valet bonitas quæ existit, quam pulchritudo quæ ad corruptionem tédit. Pulchrior est bonitas in virtuoso cogitare, quam in coloribus vel in vitioso ornare. Pulchritudo quæ animam occidit, naturam alicuius rei non habet. Fatuus est ille, qui in aliqua pulchritudine delectatur,quæ inest corpori, quod citò fœtet & corrumpitur. Illa pulchritudo nihil valet, quæ in malo hospitio manet. Pulchritudo quæ viuit semper & non moritur, valet plusquam totus thesaurus corporalis, qui ab hominibus in hoc mundo diligitur. Pulchritudo quæ est amici & amati, non moritur, si insit bonitati. Pulchrior est bonitas in humilitate, quam corona in capite. Postquam Domina hæc verba dixisset, ipsa speculum fregit, & dixit quod nullo tempore in illo speculatetur: quoniam naturam habuit, quod faceret plures Dominas pulchras superbiam & luxuriam sæpius recolere. Tunc vero illa Domina fecit vnum speculum ex bonitate, in quo sæpissime se respexit,& quando accidit,quod ipsa se bonam videbat in speculo, Deum laudauit & benedixit, & quando se vitiosam in speculo videbat, ipsa confitebatur, & sua peccata fleuit, & de ipsis pœnituit.

De Prouerbiis rami sensualis.

NArratur, quod oculi ibant in peregrinationem ad videndum vnã pulchram Dominam, quibus oculus affatus manifestauit,quod illa Domina erat bona & casta, & tunc aures habuerunt

buerunt placitum in audiendo talia verba. Idcirco magna fuit concordantia, & magna amicitia inter oculos, sermones & aures. Dum autem omnes tres stabant in concordantia & amicitia, aures affatum rogarunt, quod diceret aliqua verba placentia ad audiendum, quia ex verbis inhonestis cum ipsa audiebant erant fatigatæ. Et oculi rogauerunt affatum, quod diceret pulchra verba: quoniam verba turpia sibi verecundiam faciebant, & tunc affatus dixit hæc verba. O Iesu, qui in Nazareth es natus, tu es homo deificatus, & Deus homificatus. Iesu, tu es homo Deus, vt cum omni ente creato Deus participare possit. Iesu, qui per Spiritum sanctum es conceptus, tu in cruce moriendo per tuam magnam virtutem redemisti humanum genus. Iesu, tu à mortuis resurrexisti, & in cœlum ascendisti, & viuos & mortuos iudicabis. Iesu, in tua sensualitate habebūt gloriam homines beati in summitate. Iesu, principaliter propter te fuit mundus creatus, vt tu esses cognitus, laudatus & honoratus. Iesu, qui per Deum & hominem es personatus, parce nobis flagellatus pro nobis crudeliter. Iesu, de nobis dolorem habeas: quoniam omnes sumus in peccatis, & ex bono amore exulati. Iesu, non des nos obliuioni, postquam tibi placeret, quod omnes te videre possemus. Iesu, tu bonus es ad nominandum, ad intelligendum, & ad recolendum, & es bonus ad amandum. Cum affatus hæc verba dixisset, ab auribus & oculis quæsiuit, si obediens fuisset eorum precibus. Et dixerunt aures, & qui sermones sunt mihi ita dulces sicut sermones Iesu Christi? Et dixerunt oculi, qui sermones sunt ita placiti sicut sermones Iesu Christi.

De Prouerbiis rami imaginalis.

NArratur, quod visus & gustus in imaginatiua sibi inuicem obuiauerunt. Gustus autem dixit ad visum, quod malè pulchram domum videbat. Et quomodo fuit hoc, Raymunde? dixit Monach. Narratur, dixit Raym. quod quidam mercator erat, qui erat valdè diues, & cum venit ad mortem dixit ad filium suum, quod si domos facere vellet, quod portas pulchras non faceret, vt pulchritudo portæ non disco operiret diuitias suas siue ostenderet. Mercator ille moriebatur, & eius filius ipsum non intellexit, & in domibus in quibus habitabat erat turpis porta, quæ quidem domus intra erant pulchræ, filius ille vnam pulchram portam & magnam imaginabatur, quæ esset in domibus, in quibus morabatur, & cum portam illam fecisset, vidit, quod proportionata non erat domibus, quæ multum paruæ erant, & tunc illas domos diruit, & maiores & pulchriores fecit, quæ ad illam portam erant proportionatæ in pulchritudine & in quantitate, quæ ei constiterunt medietatem omnium bonorum suorum, & ipsum ab arte mercimoniæ deuiarunt: & imaginabatur, quod Dominus ita pulchrarum domorum deberet esse miles, & tenere equum & falconem & magnam comitiuam, vt cameræ vacuæ non essent, & sic magnas fecit expensas. Accidit autem, quod quadam die Rex per illum vicum transiuit, vbi erant illæ domus, & propter pulchritudinem portæ voluit in domibus intrare, & quando fuit intra domos, pulchritudo domorum & multitudo ipsum imaginari fecit thesaurum: quoniam cogitauit, quod ille mercator

tor plures florenos habebat. Et tunc dixit mercatori, quod ipse eum rogabat, quod ei mille florenos præstaret, quos oportuit ipsum mutuare malo velle suo. Et propter magnas expensas quas faciebat, & propter illud quod mutuauerat, in breui tempore post non habuit quid comederet. Idcirco dixit gustus ad oculos, qui viuunt propter comedere, quod male viderunt pulchritudinem domorum. Tunc vero oculi dixerunt quod male vidit auaritiam. Et quomodo fuit hoc? dixit Monachus. Narratur, quod quidam erat princeps qui valdè auarus erat, & quotidie imaginabatur plures ciphos auri & argēti, annulos, lapides preciosos, corrigias de setico ornatas ex auro & argento. Et propter magnam imaginationem quam habebat in illis rebus aggregandis, accidit, quod vnus Rex guerram habuit cum illo principe. Princeps vero propter magnam auaritiam quam habuit, & propter imaginationem antiquam quam habebat in aggregando magnum thesaurum, imaginari non potuit damnum, quod Rex sibi dedit, vel quod dare potuit, nec milites tenebat, qui ciuitatem defenderent, in qua Princeps erat. Tunc vero venit rex, qui ciuitatem occupauit, & principē, & habuit thesaurum suum. Cui princeps dixit, quod cum illo thesauro potuit ciuitatem restaurare, & fecit aurum fundi, & in ore principis poni, cui dixit, quod aurum potaret postquam illud tantum dilexit. Et tunc princeps moriebatur, & dum ipse moriebatur, oculi dixerūt ad gustum, quod male viderat auaritiam.

De Exemplo rami humanalis.

NArratur, quod oratio ad cælum ascendere voluit, & corpus ad orationem dixit, quod ipsum secum adduceret: tunc vero oratio dixit ad corpus, quod nimis erat ponderosum, nec posset cum ipsa ascendere: veruntamen ex ipso imaginationem acciperet, cum qua gloriam Paradisi posset imaginari. Tunc autem oratio ad cælum cum imaginatione ascendit: & dum ipsa ascenderet, intentionem in via inuenit: quæ ab oratione quæsiuit: quo ire voluit. Oratio autem sibi respondit, quod ipsa ad cælum ascendere voluit, vbi Deum rogare proposuit, quod sibi daret Paradisum: & imaginationem secum adduxit, vt gloriam Paradisi posset imaginari: nec volebat in terra esse, quæ est prope infernum, quem imaginatio imaginata est: & propter timorem quē de ipso habuit, me rogauit quod mecum illam adducerem ad standum in cælum. Narratur, dixit intentio, quod quidam miles erat valdè diues & bonus in armis: qui valdè vanam gloriam huius mundi diligebat. Miles ille vnū filium habebat: qui cum venit ad mortem, dixit filio suo, quod iret per vias suas: quæ quidem viæ spectabant ad diuitias, honores, audaciam, magnificentiam, & famam. Post mortem vero militis vidit eius filius patrem suum subterrare: & post modicum tempus patrem suum de vno loco in alium mutauit, cuius corpus tantum fœtebat, quod ipse non poterat prope ipsum stare. Et tunc imaginabatur, quomodo pater suus de magno honore ad magnam vilitatem deuentus fuit, & in paupertatem amicorum: quoniam nullus iuxta illum stare voluit: & victoriā quam habere solebat in bellis, perdidit: nec gentes locutæ fuerant de illo: quoniam ipsum obliti fuerunt, nec aliquid quod pater suus prius dilexerat, in illo remansit: quoniam totum

in morte perdidit. Tunc vero filius militis proposuit mundum dimittere: & totum vendidit quod habebat. Qui dixit Deo, quod totum quantum habuit, dare volebat suis pauperibus, vt sibi daret Paradisum: & quod ipsum de pœnis inferni custodiret. Et postquam omnia quæ habuit, pauperibus dedit, dixit, quod se Deo dare volebat: vt Deus sibi daret Paradisum, qui se tunc posuit in religione, in qua diu vixit suo maiori obediendo: & qui plures Missas cantauit, & multas afflictiones & tribulationes habuit, & in omnibus patiens fuit, vt Deus sibi daret Paradisum: & cum ad mortem venit confessus fuit, qui se communicauit, & peccata sua fleuit, & misericordiam à Deo petiit: vt infernum non intraret, & quod gloriam haberet. Tunc vero anima ipsius ad infernum iuit, in quo æuiternaliter stabit, qui magnas pœnas sustinet, & sustinebit, quæ in arbore æuiternali significantur. Oratio autem & imaginatio valdè mirabantur de hoc, quod intentio eis dixit, & maximè cum Deus sit iustus. Et tunc intentio ad orationem dixit & ad imaginationem, quod Deus dedit rectum iudicium in damnatione religiosi, qui bonum quod faciebat plus propter timorem inferni faciebat, & vt gloriam habere posset, quam propter bonitatem & amorem Dei: quare tu oratio & imaginatio, dixit intentio: nescitis hoc quod finis ad principium dixit. Et quomodo fuit illud? dixerunt oratio & imaginatio. Narratur, dixit intentio, quod vnus albus finis ad principiū dixit, quod se de colore albo indueret, & quod veniret ad standum cum illo. Et principium de nigro colore se induit, & ad finem voluit venire, & cum illo remanere. Tunc vero dixit finis, quod duo contraria bene in vno loco stare non poterant, nec in cælo duo dij. Et tunc cognouit oratio, quod ille qui intentionem habet faciendi bonum, vt damnationem euitet, & quod saluationem habeat, Deum esse desiderat, postquam in cælo vult esse plus propter suum amorem, quam propter amorem Dei, & propter suam bonitatem, quam propter bonitatem Dei, & plus propter suam gloriam, quam propter gloriam Dei. Tunc vero oratio ad imaginationem dixit, quod ad terram rediret: quoniam nimis pœnas inferni imaginabatur, & gloriam Paradisi: & quod ipsa sola ascendere ad cælum volebat sine aliqua natura corporis, & Deum principaliter rogare, vt sibi gratiam daret, quod suum honorem tractare posset, qui ad eum pertinet secundum suam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, sapientiam, voluntatem, virtutem, veritatem, & gloriam.

De Exemplo ramorum arboris moralis.

NArratur, quod potentia, obiectum & actus ad vnam Ecclesiam ibāt, in peregrinatione. Illa Ecclesia erat de virtute: ad cuius portam stabat maioritas, & ad vnam aliam portam minoritas. Stabat maioritas ad portam illius Ecclesiæ, vt ipsi qui intrare vellent cum sua voluntate, maiorem virtutem haberent. Stabat etiam minoritas ad alteram portam, vt illi qui intrare vellent cum sua voluntate minorem virtutem haberent. Cum autem potentia, obiectum & actus in porta illius Ecclesiæ fuissent, & conditiones maioritatis & minoritatis sciuissent, à libertate petierunt: si intrarent per portam maioritatis, aut per portam minoritatis. Libertas vero dixit, quod non habebat

habebat officium consulendi aliquem: quoniam ipsa erat communis cuilibet portarū:& dum ipsa se excusabat,quædam Domina quæ gratia vocabatur, dixit hæc verba. Narratur,quod vnus homo diu laborauit in tractando honorem Dei:quem ad finem ducere nō potuit. Accidit autem quadam die, quod ipse cogitabat, & fortiter mirabatur, quare Deus ipsum non iuuit ad perficiendum illud negocium, quod propter suum amorem tractabat: veruntamen considerauit,quod in se fortè aliquod vitium habebat, ratione cuius Deus ei virtutem non dedit, quod illud negocium ad finem ducere posset. Et dum ita cogitabat, & in se illud vitium quærebat, ipse dormiuit: & in somnis videbatur ei, quod quædam Domina erat coram ipso induta de pannis diuersis:quorum colores erant albedo & nigredo. Ille homo petiit à Domina,quid significabant illi colores suorum pannorum? Respondit Domina,& dixit, quod albus color voluntatem illorum hominum significabat, qui diligunt tantum honorem Dei, quod nihil de honore proprio curant: imò volunt, quod omnis honor sit Dei. Etiam albus color significabat voluntatem illorum, qui timorem de eorum in honore non habent, nec verecundiam habent ad tractandum honorem Dei. Et dixit,quod color niger significabat voluntatem illorum hominum, qui Deum honorāt, vt ipsi sint honorati:& timorem habēt de verecundia,vt dedecus nō recipiāt. Tunc autē ille homo euigilauit,& Ecclesiam per portā maioritatis intrauit ad vidēdum istum factum:qui dixit,q ex tūc propriū honorē nō desideraret, nec timorem ex verecundia,nec de inhonore haberet, nec mortem subire ad tractandū honorem Dei dubitaret. Et tunc sanctus dedit ei alba vestimenta, & rogauit me & maioritatem, quod sui amici essemus in omnibus rebus bonis, & quod nos custodiremus eum de malis & rebus minus bonis. Idcirco ille homo duxit ad finem & ad complementum illud sanctum negocium, in quo diu laborauit, vt Deus honorem haberet in hoc seculo. Et cum potentia, obiectum,& actus audiuissent hæc verba, per portam maioritatis intrauerunt, & sanctum rogauerunt, dicentes hæc verba. Domine sancte, dixit amatiuitas: si placeret tibi,te vellem diligere secundum maiorem maioritatem meæ potestatis, meæ sapientiæ, & meæ voluntatis, postquam tu es amabilis cum maioritate possibilitatis, intelligibilitatis,& amabilitatis, vt inter te & me amare sit indutum de maioritate extensa in magnitudine bonitatis, durationis, potestatis,sapientiæ,voluntatis,gloriæ, virtutis, & veritatis. Et tunc sanctus dedit omnibus tribus id, quod ab eo petierunt. Et dixit ad gratiam & ad maioritatem, quod eos associaret, & quod per portas minoritatis non transirent.

De Exemplo ramorum arboris Imperialis.

NArratur, quod quidam Rex illo die quo coronam accepit, à suo concilio quæsiuit,quæ erant conditiones quas Rex habere debebat in regnando? Et eius concilium respondit ei, & dixit, quod inter cæteras conditiones quas Rex habere debebat septem sunt conditiones principales, videlicet iustit a, sapientia, charitas, potestas, timor, honor, & libertas. Tunc vero Rex in præsentia sui populi quæsiuit si consentirent & concede-

rent, quod Rex habere deberet illas conditiones. Et omnes insimul Regi supplicauerunt, quod illas septem conditiones ipse haberet: quoniam sine ipsis nullus Rex suum regnum regere posset. Et tunc Rex respondit & dixit, quod illas conditiones habere vellet, & suum populum rogauit, quod essent inimici cuiuslibet hominis, qui sibi consuleret aliquid, quod esset contra illas conditiones. Populus autem hoc concessit, & instrumentum factum fuit inter Regem & populum suum de illo concessu. Idcirco Rex illas conditiones de centum nominibus Dei accepit, & ipsas sibi fecit ad portas sui palacij, vt si quis contra illas conditiones ipsum rogare vellet, quod timorem de ipso & suo populo haberet. Et per hunc modum Rex libertatem habuit in regnando, & in essendo bonus & amicus sui populi. Et cum aliquis ipsum contra illas conditiones rogauit, ipse faciebat ipsum legere in illis conditionibus, quæ in portis palacij scriptæ erant, & ipsos pœnitere faciebat de precibus, quas faciebant, aut ipsos faciebat mala morte mori. Conditiones illæ sunt istæ, quæ sequuntur.

De Iustitia.

O Deus! qui es vera iustitia, cum recolo mea crimina, te timeo in mea conscientia. Iustus est Deus de sua potestate suæ voluntati & sapientiæ, quæ habent, quicquid optant habere. Tantum dat Deus ex bonificare, & bonificato bonitati: sicut dat de amare, & amato voluntati. Si Deus esset in se ociosus, non esset iustus nec gloriosus. Iustus est Deus in iudicando, & iustus est in parcendo, & iustus est in iustitiam, & suam misericordiam coæquando. Si Deus incarnatus in homine non esset, magnã largitatem in ente creato non haberet. Iustitia affert humilitatem, misericordiam & pietatem, & facit hominem amantem per voluntatem. Qui vult iudicare seipsum, citius misericordiam à Deo impetrat. Plus valent homini iustum recolere, iustum amare, & cogitare, quam aurum vel honores possidere. Iustitiæ Dei me præbeo, & recommendo, quod de me faciat vel agat ad suam voluntatem in iudicando, & ab ipsa peto veniam de meis peccatis pœnitendo. Misericordia & bona voluntas ex iustitia & pietate magnam societatem fecerunt.

De Sapientia.

O Deus, qui es sapientia, & scire, te vellem amare, & te amatum tenere, secundum quod mea voluntas potest complere. Deus est suus purus intellectus: idcirco omne quod est intelligit. Quia Deus in sua bonitate magnitudinem intelligit: ideirco in ipsa scit bonificabilitatem, quæ est bona, & magna intelligibilitas. Intelligit Deus, quod per se est intellectus, & intelligit, quod intellectus est personatus, vt in illo suum intelligere se extendere possit. In intelligere non potest esse intentio, si inter intelligentem, & intellectum non sit distinctio, vt finis intelligendi sit cum perfectione. Si per intelligere aliquid non sequeretur, bonitas intelligentis & intellecti non esset, & bonum in ignorantia positum esset. Intelligere per distinctionem, oportet existere vt in illo esse possit concordare, per quod remotum sit à contrariati. Ille homo qui deificatus est habet maiorem intelligibilitatem boni quam aliquod aliud

aliud ens creatum. Vt Deus per hominem multum esset intellectus naturam humanam assumpsit, intelligamus ergo ipsum plus quam aliquid aliud. Ita magna est in Deo intelligibilitas, sicut est magna sua intellectiuitas: quoniam æqualem habent magnitudinem & bonitatem.

De Amore.

O Deus! qui es in voluntate & amore, sis recolens de tuo seruitore, qui tuum honorem procurat cum amore. Ita habet Deus in voluntate magnitudinem amantis, amabilis, & amati: sicut in magnificante, magnificatum, & magnificare. Quia voluntas melius valet per amare, quam per suum odire, in Deo non potest existere odire. Magnitudo veritatis est, quod in illa sit amatus verificans, verificare, & verificatus. Sicut sapientia habet complementum in sciendo bonitatem, magnitudinem, & æternitatem, sic habet voluntas complementum in diligendo ipsas. Tantum voluit Deus hominem amare, quod propter hominem se voluit morti tradere. Qui in voluntate scit concordare naturam amantis, amabilis, & amare, ex omni vitio seipsum scit custodire. Plus valet in voluntate bonum amare, & per amicitiam bonum recolere, quam omne bonum sensatum, quod est per sentire. Ille qui scit vti voluntate, nullus ipsum potest defraudare, nec aliquo modo bono potest indigere. Nullus plus dare potest quam ille qui suum dat amare sine intentione peccandi.

De Potestate.

O Deus! qui es potestas, non esses gloriosus si potestas in te ociosa foret. Potestas quæ potest de bonitate, infinitate, & æternitate, non habet terminum neque quantitatem. Potestas quæ non potest principiare de principio bonificate, non potest bonitati sufficere. Potestas, sapientia & voluntas sunt in Deo vna Deitas, ex qua deificatus est possificatus. Cum in potestate sit possificare, si in Deitate non esset deificare, potestas non posset Deus existere. Potestas quæ spiritualis est, supra sensualem potestatem potest: quoniam ipsa est supernaturalis. Plus valet potestas in amando, quam in videndo vel imaginando. Plus valet potestas in nutrimento bonæ voluntatis, & bonæ memoriæ, quam in auro vel in argento. Deus quantum potuit se voluit dare nostro intelligere, & amare: idcirco se voluit incarnare. Potestatem quam Deus dat per altaris Sacramentum, nullus viuens existimare potest.

De Timore.

Quia Deus est totus amor, in ipso non potest esse timor. Ille non potest esse maior Dominus, qui de aliquo timorem habet: quoniam timor est de ente minori, non autem de maiori. Timor est amoris consequentia, cum ipse timor sit de bono, & vero seruitore, qui timet vituperium, & iniuriam fieri Domino suo. Melius valet, quod homo timorem habeat vt suo Domino non deficiat, quam pœnam timere vel dolorem. Qui timet quod Deus sit inhonoratus, timorem habet ex magna fœlicitate, & est plenus fidelitate. Deum non timet, qui sibi non facit honorem, & qui eum non timet, ei non ducit amorem: imo est plenus dedecore magno. Timor tantum valet propter bonitatem: sicut propter

possibilitatem: quoniam sunt æquales in amato. Tantum debet homo timere iudicare, sicut misereri: quoniam æquales sunt in amare. Timor hominem recognoscentem facit, & amorem multiplicat, & hominis defectum euitat. Plus valet timor in sanitate, quam in infirmitate: quoniam plus habet de libertate.

De Honore.

DEus cum honore est honorabilis, & non cum vilitate & defectu. Homo debet Deum honorare cum virtute intelligendi, amandi, & recolendi. Deum inhonorat, qui cantando ipsum nominat, & in vilibus factis ipsum desiderando cogitat. Qui propter modicum vult iurare, & iurando periurare, Deum nescit honorare. Heu tot homines Deus in hoc mundo honorauit, qui sibi in sapientia & voluntate honorem non præbent, nec faciunt. Ad Deum talis spectat honor, videlicet quod omnibus honoribus sit maior. Qui Deum plus non diligit quam peccatum, ipsum vituperat & contemnit. Plus valet vnus honor Dei, quam honor totius populi. Qui Deum vellet multum honorare, sæpius deberet recolere honorem, quem nobis fecit per suum incarnare. Ille qui per totum mundum posset honorem Dei procurare, in magno timore deberet stare: quoniam ad vltimum iudicium se non poterit excusare.

De Libertate.

DEus est liber in suo existere, & liber est in suo agere cum possificante, possificabili, & possificare. Deus in sua magna bonitate per bonificantem, bonificabilem, bonificare, & bonificatum liberam habet potestatem. Deus est magis liber in suo posse, quam est homo in suo velle, suam libertatem nemo potest scire. Deus est liber in infinite, in æternate & complete, nec aliquid potest sibi resistere. Plus valet libertas in velle, in recolere & in scire, quam regnum vel imperium habere. Deus hominem liberum in virtute creauit, sed per se in seruitute deuenit: quoniã seipsum non cognouit. Quilibet homo libertatem potest habere ad amandum Deum, & ipsum chare tenere, quoniam neminẽ compellit ipsum amare. Homo qui est seruus peccati liberam voluntatem non habet, quoniam iustitia ipsum incarceratum tenet. Nullus homo qui est in virtute, est in seruitute: nec est liber, qui in peccato cecidit, quousque seipsum cognoscit. Melius valet seruitus cum pœna, dum tamen ibi sit iustitia, quam libertas in honorificentia.

De Exemplo ramorum arboris Apostolicalis.

NArratur, quod voluntas & intellectus in quodam viridario erant, qui de Deo & suis operibus loquebãtur. Intellectus autem dixit voluntati, quod ipse plusquam ipsa valebat, quoniam ipse transibat ad intelligendum supra sensitiuam & imaginatiuam. Supra sensitiuam transibat, cum gustus infirmus amaritudinem in pomo dulci sentiebat, & ipsum amarum iudicabat: sed ipse pomum dulce iudicabat, & intelligendo attingebat. Supra imaginatiuam transibat tunc, cum ipsa imaginabatur, quod Angelus cum se mouet de vno loco ad alium, imaginabatur, quod ipse per medium transibat, & quod ipse intellectus supra imaginationem intelligebat, inquantũ intelli

intelligebat, quod Angelus secundum suam naturam per medium non transibat, sed secundum loci naturam per medium transibat, quem siquidem locum imaginatio imaginabatur. Voluntas autem respondit, & dixit, quod ipsa similiter supra sensitiuam & imaginatiuam ascendebat, & etiam supra seipsam; supra sensitiuam, sicut homo qui sentit famem, & ego volo, quod ieiunet; supra imaginatiuam: sicut homo qui imaginatur carnales delitias, & imaginationem in contrarium imaginari facio. Ascendo etiam supra me ipsam, inquantum Deum plus diligo quam meipsam, & magis propter suum honorem laboro quam propter meum. Intellectus autem respondit & dixit, quod ipse supra seipsum ascendit ad Deum, inquantum seipsum mortificat, credendo de Deo hoc quod non intelligit vt Deum honoraret, & quod in illo gradu tantum, quantum ipsa valebat.

De Exemplo ramorum arboris cælestialis.

NArratur, quod Saturnus & Iupiter Solem rogauerunt, quod diceret Deo, quod ipsi rogant ipsum quod inter ipsos medium poneret, quoniam complexiones contrariæ quietem habere non possunt. Sol autem respondit eis, quod ipsi nesciebant, quid Deus heremitæ respondit. Et quomodo respondit? dixerunt Saturnus & Iupiter. Narratur dixit Sol, quod quidam heremita in quodam monte stabat, qui plures tentationes habebat, & quotidie Deum rogabat, quod illas tentationes auferret ab eo, quoniã nimis ipsum vexabant. Deus autẽ respondit ei, quod illæ tentationes sibi erant bonæ, quoniam cum ipse per luxuriam tentatus fuisset, ipse castitatem recolebat & amabat: & cum tentatus fuisset ad comedẽdum, ipse ieiunium diligebat: & cum tentatus fuisset ad dormiendũ, ipse orationem recolebat & amabat: & cum tentatus fuisset per superbiam, suam vilitatem recolebat, & plura delicta, quæ fecerat, & vilem locum, de quo natus erat, & vile hospitium, in quo post mortem stare deberet, vbi vermes ipsum comederent: idcirco tẽtationes quas habebat ille heremita, excitabant & mouebant ipsum ad faciendum bonum, & quod non esset ociosus, & quod semper faceret contrarium illarum tentationum. Idcirco ille heremita erat homo iustus, & quotidie magna merita acquirebat per bonas operationes quas faciebat, & quia plures malas tentationes vincebat.

De Exemplo ramorum arboris Angelicalis.

NArratur, quod in quadam Ecclesia cathedrali erat quidam Episcopus, qui erat homo Idiota, qui bene prædicare nesciebat, nec suos canonicos reprehendere de malis, quæ faciebant: quoniam eorum delicta nec defectus cognoscebat. Canonici autẽ desiderabãt, quod ille Episcopus mortuus fuisset, & quod vnum sapientem Episcopum haberent, qui sciret bene prædicare, & eorum bonitates cognoscere. Accidit autem, quod ille Episcopus mortuus est, & habuerunt vnum Episcopum discretum, qui bene prædicabat, & delicta & cæteros defectus quos faciebant, cognoscebat, & ipsos reprehendit intantum, quod ipsos in labore quotidie tenebat. Et accidit quadam die, quod canonici à quodã canonico veteri petierunt consilium, quid

quid facerent de illo Episcopo, quoniã labores quos inferebat eis, sustinere nõ valebant. Canonicus ille respondit dicens: quod facerent hoc quod bonus Angelus facit. Et quid facit bonus Angelus? dixerunt canonici. Respondit canonicus; bonus Angelus inuicem suos ramos miscet, & ipsos miscet in concordantia: idcirco si vos misceatis desiderium, quod habuistis, quando alius Episcopus viuus erat, cum hoc quod de isto Episcopo cognoscitis, & quod mixtio sit in concordantia, haberetis cum illo quietem: quoniam ipse est bonus, & vos bonos cognosceret, & sicut bonos diligeret; sed quod ille sit bonus & discretus, & vos sitis mali, & vultis, quod ipse sit sapiens, occasio estis de labore vestro.

De Exemplo ramorum arboris æuiternalis.

NArratur, quod quidam prælatus fecerat vnum mortale peccatum valde turpe ad confitendum, & quidã princeps fuit in peccato luxuriæ. Accidit autẽ, quod ambo videlicet princeps & prælatus de confessione loquebantur: & prælatus à principe quæsiuit, si ipse confitebatur. Respondit princeps, quod veram confessionem desiderabat, quam habere non poterat: quoniam quando sibi venit in voluntate, quod confiteretur, considerauit, quod non dimitteret illud peccatum propter confessionem, idcirco confiteri nolebat: quoniam dicebat quod confessio nil valebat sine contritione & satisfactione. Prælatus autem dixit ad Principem, quod propter hoc confiteri non dimitteret: quoniam quamuis illa confessio, quantum ad saluationem sibi non sufficeret, tamen valeret sibi quantum ad corpus & quantum ad animam: quoniam corpus passionem haberet, & anima verecundiã: & confessione vtebatur, & etiam pœnas infernales recolebant, ex quibus confessor suus ei timorem faciebat, idcirco erat occasio boni sua confessio. Accidit, quod Princeps prælato credebat ex consilio, quod ei dederat: & propter exercitationem confessionis quam Princeps fecit: incipiebat cõtritionem habere, & pœnas æuiternales imaginari: intantum quod ipse quadam die seipsum vincere proponebat in faciendo veram confessionem, postquam totiens falsè confessus erat: tunc confitebatur cum intentione quod ad peccatum luxuriæ non rediret: & post confessionem se confirmatum sentiebat in via castitatis: & tunc misericordiam Dei laudauit & benedixit, qui ipsum recoluit. Et accidit, quod in alio tempore Prælatus à Principe petiit, si confessus erat. Et Princeps Prælato narrauit, quid ei acciderat per suum consilium. Et tunc Prælatus magnum placitum habuit: quoniam Princeps ei credẽbat. Et accidit, quod Prælatus fortiter mirabatur quid posset esse, quod ipse alium consulere sciebat, & non seipsum: & diligebat plus bonum Principis quam bonum suum: quoniam bonum Principis diligebat, & de suo peccato mortali in quo erat, non dolebat. Qui tunc proposuit, quod seipsum vinceret, & quod postquam alium consulit, quod seipsum consuleret. Et tunc à Principe quæsiuit, quod erat peius, aut æuiternaliter stare in igne, aut vnum diem de verecundia habere. Et Princeps dixit, quod non erat magna quæstio, quare non requirebat responsionem. Prælatus autem tunc dixit ad seipsum, quod ipse credere volebat Principi, postquam Princeps sibi credebat: & quod seipsum

vincere volebat cum consilio, postquã cum consilio alium vincebat, & volebat etiam se ita hilarem esse de suo bono: sicut de bono alterius. Et tunc Prælatus illud peccatum confitebatur, qui erat valdè verecundus: in quo quidem peccato diu stetit, & nullo tempore confessus fuit. Et post confessionem fleuit suum peccatum: & fuit homo iustus & sanctæ vitæ.

De Exemplo ramorum arboris maternalis.

NArratur, quod misericordia, spes, pietas, aduocatio, humilitas, & virginitas, in voluntate sibiinuicem obuiauerunt: quæ dixit eis, quod valdè contenta erat de earum societate: & ipsas rogauit, quod de ipsa non recederent. Ipsæ sex Dominę voluntati responderunt, quod ipsæ cum illa starẽt, dum tamen ipsas ociosas non teneret, neque earum contrarium diligeret: quoniam per ociositatem misericordiæ sequitur magnum malum: & idem de ociositate spei, pietatis, aduocationis & humilitatis: etiam virginitas est speculum domicellarũ virginum & sponsarum Iesu Christi: in quo vident pulchritudines & dispositiones Dominæ nostræ, & eius alba vestimenta. Respondit voluntas, quod se totam dare volebat earum operationibus propter amorem Dominæ nostræ: nec volebat esse talis: sicut potestas vnius Principis. Et quomodo fuit illud? dixerunt sex Dominæ. Narratur, dixit voluntas, quod quidam Princeps valdè potens faciendi bonum, & euitandi malum post mortem patris sui proposuit delectari in venando, spaciando, comedendo, & cæteris huiusmodi, quæ ad corpus requiruntur. Et dum sic sua magna potestate quam ociosam habebat, vtebatur, in regno multũ de malo propter suam ociositatem fiebat, & tũnc dixit potestas ad regẽ: ꝙ postquã ipse tenebat ipsam ociosam in bono, ꝙ in malo ipsam ociosam non teneret. Et tunc Rex cum tota potestate sui regni & suæ personæ guerram fecit contra vnum regem à quo terram suã abstulit, & plures personas occidit, & fecit magnum malum, de quo computum habebit reddere in die iudicij tota sua potestas, quam habuit ad faciendũ bonum & ad euitandum malum.

De Exemplo ramorum arboris Christianalis.

NArratur, quod quidam homo peccator sępius imaginabatur sua magna peccata, & magnam iustitiam Dei, idcirco magnum timorem habuit de pœnis inferni. Peccator ille à misericordia Dei petiit consilium: quoniam propter magnum timorem quem habuit ex pœnis inferni, & quia recoluit iustitiam Dei, erat eius anima quotidie tristis, nec in bonitate Dei hilaris potuit esse, nec ei seruire, nec etiã charitatem Deo nec suo proximo potuit habere, & sic de Deo erat quasi desperatus. Misericordia autem dixit ad illum peccatorem, quod tantum ipsam sicut iustitiam Dei recoleret in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ & voluntatis, & quod plus Deum quam seipsum diligeret, cum ita sit, quod Deus sit magis amabilis quam ipse, & tanto plus est amabilis, quanto est melior ipso, etiam quod seipsum iudicaret, postquam mortaliter peccauit, & hoc misericordia Dei ei consulebat, vt iustitia peccatorem non condemnaret, nec ei iniuriam faceret, postquam ille se iudicaret. Tunc vero dixit peccator ad misericordiam,

quod ipse sæpè fecerat hoc quod sibi consulebat, sed inuenire non potuit naturam in se, per quam damnationem suam posset amare, & amare iustitiam Dei in seipso: & sic cogitauit, quod illud iudicium, quod de se faciebat, nihil valebat, postquam veraciter illud non diligebat. Et tunc misericordia dixit, quod ipse erat deceptus, & per dęmonem tentatus, & quod punctum transcendentem non cognoscebat, per quem voluntas hominis iusti tunc ascendit, cum Deum plus diligit quam seipsam, diligendo hoc, quod Deus vult de ipsa iudicare, in quo quidem diligere voluntas habet passionem, inquantum damnationem diligit, quam Deus vult dare sibi: idcirco huiusmodi amare in me se fatigare non potest, nec oportet ipsum habere timorem de iustitia sorore mea: quoniam ipsa in aliquo contra iudicare facere non potest, nec contra punctum transcendentem amandi. Et tu peccator, dixit misericordia Dei, exemplum accipere debes in natura humana Iesu Christi, quæ se ad mortem in cruce iudicauit, vt naturam diuinam honorare posset. Dilige ergo omne istud, quod Deus vult de te agere & ordinare. Et postmodum tuum factum inter me & Deum dimitte, & tuam spem mihi transmitte, quæ de te mihi memoriam faciat, & sis consolatus, nec timorem habeas, quod Deus tibi iniuriam faciat: quoniam si tibi faceret, mihi similiter & spei faceret, & faceret quod nunquam fecit.

De Exemplo ramorum arboris diuinalis.

NArratur, quod dare & accipere sibi inuicem in bonitate obuiauerunt, à quibus bonitas quæsiuit, quid vellent? cui dare respondit, quod erat nuncius largitatis, & veniebat, vt omnibus denunciaret, quod largitas dare vellet bonitatem, si ipsi accipere vellent ipsam. Accipere, autem dixit bonitati, quod nûcius erat necessitatis, & veniebat ad denunciandum hominibus, quod bonitatem acciperent, si largitas ipsam dare vellet. Tunc vero homines responderunt, quod ipsi bonitatem accipere vellent, si largitas ipsam dare vellet. Tunc vero dixit bonitas, quod ei placebat aduentus nunciorum, & aduentus voluntatis hominum sub tali conditione, quod largitas tantum daret, quantum homines acciperent, & quod homines acciperent tantum, quantum accipere possent. Et tunc largitas bonitatem dedit ex bonitate bonitati, vt bonitas esset contenta, & quod cum illa remanerent dare & accipere. Quæ siquidem bonitas hilaris fuit ex dare & accipere, & dixit hæc verba largitati: qui me dare vellet alicui, qui me accipere non posset, ipse me vti nesciret in dando nec in accipiendo, & me faceret ociosam, & potestatem sororem meam, quæ tantum dare potest, sicut accipere in amando, & in intelligendo.

De Foliis. Et primò de foliis arboris elementalis.

NArratur, quod sapientia & iustitia Dei sibi inuicem in homine obuiauerunt: sapiétia illum hominem prædestinare voluit, & iustitia ipsum iudicare, quantitas vero illius hominis dixit sapientiæ, & iustitiæ, quod ipsa volebat esse æqualiter ex ambabus: postquam ambæ æqualiter sunt Deus suus creator: veruntamen intelligere non poterat,

poterat, quod sua voluntas complete posset: quoniam si ille homo prædestinatus erat, intelligere non poterat, quod iustitia tantum haberet in ipsa sicut sapientia: & si homo iudicatus esset, intelligere non posset, quod sapientia tantum in illo homine haberet sicut iustitia. Et tunc sapientia & iustitia quantitati illius hominis responderunt, quod ipsa deberet esse ex ambabus æqualiter: sed modum scire non poterat, secundum quem æqualiter erat ex ambabus, nisi per punctum transcendentem, per quem humanus intellectus & voluntas supra eorum naturam ascendant, & quod illum modum intelligerent & amarent secundum diuinam naturam & societatem æqualem, quàm habent in creaturis, ita quod vna alij iniuriam non facit: imo concordantiam habent in æquali possessione, in tantum quod sapientia illum hominem prædestinare potest, & iustitia ipsum iudicare, & potestas complete, prædestinare & iudicare. Et tunc quantitas secundum suam naturam de hoc mirabatur, quod iustitia & sapientia dicebant, & in earum natura & concordantia supposuit, quod veritatem dicebant, & illam veritatem credebat, & amabat. Et quando accidebat, quod dubitabat, intelligebat, quod vni vel alij iniuriam faciebat, & quod volebat plus esse de vna quam de alia, & tunc de iniuria pœnitebat, & misericordiam petebat.

De Exemplo qualitatis vegetalis.

NArratur quod quidam homo venit mictum sub quadam amigdalo: illa amigdalus proiecit vnum florem, qui valdè pulcher erat & albus, in quodam turpi loco qui fœtebat, idcirco flos illi homini conquerebatur de amigdalo: quoniam ipsum diruebat de loco alto in infimo, & ille qui erat ita pulcher & albus, & qui redolebat, in loco nigro proiiciebat & in loco fœtenti. Et homo dixit, quod ipse nesciebat illud, quod porcus ad pomum dicebat. Et quomodo fuit hoc? dixit flos. Narratur, quod pomus fecerat vnum pulchrum pomum, cui dedit valdè pulchrum colorem, bonum saporem, & odorem. Accidit quod quando pomum fuit maturum, pomus ipsum ad terram cadere permittebat, quia volebat ibi esse. Et cum fuit in terra, venit quidam porcus qui erat valdè turpis, & niger, & qui fœtebat: quoniam de sorde leuabat, & pomum accepit, & dum ipsum comedebat, pomum de porco conquerebatur, qui siquidem porcus ad pomum dicit hæc verba. Narratur, quod calor, humiditas, frigiditas, & siccitas in cerasis sibi inuicem obuiauerunt, quæ dixerunt quod in illis stare volebant, quia pulchræ erant, & sunt in magnis arboribus. Dum ita in illis cerasis stabant, & videbant, quod plus proficere in illis non poterant, nec ascendere in magnitudine bonitatis & virtutis, fuit concordatum inter ipsas, quod dimitterent illa cerasa, quæ stabant in arbore, & quod irent ad standum in cerasis, quæ cadebant in terra, quæ vna sus comedebat & sui filij: quoniam præualebant in substantiis animatis, licet non sint ita pulchræ, sicut sunt in substantiis vegetatis: & ratione huius maioris bonitatis, tu pomum appetitum habes, & desiderium descendendi de locis altis ad infima, quare de me nec de pomo conqueri debes.

De Exemplo relationis sensualis.

NArratur, quod relatio potentiæ & objecti & actus magnam bonitatem in oculis quærebat, nec ipsam potuit inuenire: quoniam oculi de nocte non vident, & plura mala vident. Et quia magnam bonitatem inuenire desiderabat, & ipsam in oculis non inueniebat: ipsam in auribus quærebat, in quibus ipsam non inueniebat: quoniam aures de nocte non audiunt, dum homines dormiunt: & aliquando sermones malos audiunt. Deinde ibat quæsitum magnam bonitatem in naso, in quo ipsam non inuenit: quoniam nasus fœtores sentit, & per ipsũ trãseũt fœtores intra, & exeunt extra. Ad gustum iuit relatio, quæ magnam bonitatem inuenire credebat, in quo ipsam non inuenit: quoniam ipse fatigatur in comedendo. Postmodum ad tactum iuit, in quo magnam bonitatem inuenire credebat, in quo ipsam non inuenit: quoniam sentit dolorem, calorem, & frigiditatem: quæ omnibus malum faciunt. Iuit etiam ad affatum, vt magnam bonitatem in ipso inuenire posset, quam in ipso non inuenit: quoniam pluries mentitur, & mendacia, quæ faciebat, erant mala. Relatio mirabatur valdè: quoniam magnam bonitatem non poterat inuenire in corpore: & venit ad vnum pulchrum hospitium in quo ipsam quæsiuit, & ipsam non inuenit: quoniam Dominus illius hospitij mortuus erat illo die: & magnam bonitatem in diuitiis illius hominis quæsiuit, nec ipsam inuenit: quoniam dominus hospitij ipsas perdidit. Iterum iuit quæsitum magnam bonitatem in amicis illius hominis mortui, inter quos ipsam non inuenit: quoniam illum hominem obliti fuerunt: qui multum ipsos dilexit, & per ipsum plura bona receperunt. Dum ita relatio ibat quæsitum magnam bonitatem de vno loco in alium, inuenit vnum hominem, qui fugit honorem, à quo quæsiuit, vbi magnam bonitatem posset inuenire: qui respondit ei, quod ipse nesciebat, vbi posset eam inuenire, postquam ipse ipsam non inueniebat in honore huius mundi, qui per tot homines diligitur Et quomodo fuit illud? dixit relatio. Relatio dixit hoc, sæpius desideraui, quod magnam bonitatem inuenire possem, & quod cum illa possem esse, & participare: & cogitaui quod in illis rebus ipsam inuenire possem, quas homines desiderant habere, & propter quas plus laborant, quæ est honor huius mundi. Et quando veni ad honorem, & credidi in illo magnam bonitatem & vtilitatem inuenire, in illo magnum laborem inueni, quem dant homines illis, qui honorem huius mundi diligunt, & habent, & ille ita magnus labor me dormire non permitit, nec etiã quiescere, nec habere aliquod bonum: imo honor huius mundi ita fortiter me onerauit culpis & peccatis, quod vix ipsa possum portare, & in ita magna inimicitia hominum me posuit, quod vbicunque vadam, vado in periculo mortis: quoniam volui magis honorari quam illi: idcirco fugio ab honore, nec volo aliquid habere de ipso, & sic cuiuscunque voluerit: quoniam in ipso nõ est illud bonum, quod creditur esse. Et tunc relatio magnam bonitatem in hoc mundo non quæsiuit. Et ipsam quæsiuit in alia vita in substantiis spiritualibus, & in Deo, in quo completè ipsam inuenit, & cum illa stetit & remansit.

De-

De Exemplo actionis & passionis arboris imaginalis.

NArratur, quod quidam homo peccator qui diu ſtetit in peccato mortali venatus fuit, & cito vnum leporem accepit, & tunc paſſionem quã ille lepus in morte ſuſtinuit, eſt imaginatus:quoniam audiebat, quod ille lepus fortiter ſe conquerebatur, & leporarius ſua oſſa fregit ita,quod ille lepus ſe defendere non potuit, & per illam imaginationem quam habuit de paſſione leporis, imaginabatur paſſionem quam habent peccatores in inferno: & actionem quam dæmones habent ſupra illos in faciendo malum. Et tunc venit ei voluntas, quod de illo peccato mortali exiret, in quo diu ſtetit, & cum pecuniam accipere voluit, imaginabatur quod miſericordia Dei erat magna:& propoſuit quod in morte confiteretur, & de illo peccato exiret.Et tunc in peccato remanſit: veruntamen quotidie conſcientia ſua ipſum remordit propter imaginationem, quam de lepore habuit. Et quia conſcientia ei dabat magnum laborem,peccatum dimittere volebat:& cum ad confeſſionem ire volebat, recoluit magnam miſericordiam Dei,& ſtetit ita obſtinatus,ſicut ſtare ſolebat: quare ille homo propoſuit,quod ex toto vnam partem eligeret:quoniam laborem in quo ſtetit, ſuſtinere non potuit:& propoſuit, quod pœnas inferni quas habent peccatores,non imaginaretur, aut quod non haberet ſpem in miſericordia Dei: qui tunc iuit ad vnum diſcretum religioſum,à quo cõſilium quæſiuit:& cui laborem narrauit, in quo ſtetit. Ad quem dixit ille ſapiens,quod aſcenderet quandam altam turrim valdè, & quod ſtaret bene ſuperius in muro in vno pede,ille homo peccator in turrim aſcendit, & facere voluit hoc, quod ille ſapiens ei conſuluit:ſed propter imaginationem, quia periculum mortis imaginabatur, non fuit auſus facere hoc, quod ſapiens ei conſulebat. Et tunc ſapiens dixit ei hęc verba:quod erat maius periculum,aut cadere de turri ad terram, aut cadere de hac vita ad infernum? Et tunc peccator ita fortiter imaginationem in imaginando pœnas inferni multiplicauit, quod propter timorem quem habuit de paſſionibus inferni, confeſſus eſt, & miſericordiam Dei ſperauit, & de peccato in quo erat, exiuit:qui fecit ſatisfactionem & ſanctam vitam per gratiam Dei.

De Exemplo habitus arboris humanalis.

NArratur, quod pulchritudo & bonitas ad quandam Dominam venerunt, vt cum ea remanerent: & pulchritudo in corpore remanſit, & bonitas in anima. Et per hos duos habitus, ex quibus illa Domina erat induta, ipſa magnam famam habebat in ciuitate:quoniam ſæpe de ſua pulchritudine & bonitate loquebantur. Illa Domina maritũ habebat, qui erat turpis & malè morigeratus. Idcirco pulchritudo Dominæ conquerebatur bonitati de turpitudine mariti: quoniam non placebat ei participare cum ſuo contratio. Vnde bonitas Dominę pulchritudini dicebat,quod illa neſciebat exprobrationes, quas faciebant flamma & oleum in lampade. Et quomodo fuit hoc?dixit pulchritudo. Narratur,dixit bonitas,quod in quadã camera erat lampas,quæ qualibet nocte cõburebat,& flãma illã cameram illuminauit, in qua depicti erant vnus homo & vnus dæmõ:ille homo indutus erat

albis vestibus, & habebat valdè pulchram figurã: & dæmon indutus erat de vestibus nigris, & erat factus de valdè turpi figura. Et tunc flamma magnum placitum habuit in ostendendo illas duas figuras: quoniam per turpem figuram dæmonis, & nigra indumenta gentes laudabant pulchritudinem figuræ hominis, & pulchritudinem suorum indumentorum. Dum flamma de bono opere quod faciebat, gloriabatur, oleum de flamma conquerebatur, quod ipsam consumpsit: & dixit, quod ipsum passionem habere nolebat, vt flamma delectationem haberet. Flamma vero dixit ad oleum, quod ipsum sine labore & passione participare non potuit in bono opere, quod ipsa faciebat. Tunc vero pulchritudo erat contenta de bono exemplo, quod bonitas narrauit.

De Exemplo situs arboris moralis.

NArratur, quod in vno festo quidam Princeps sedebat in solio: & erat vestitus auro & serico: & in suo capite habebat coronam ex auro & lapidibus preciosis, & in sua manu tenebat virgam auream: & ante illum Regem stabant multæ gentes quæ dicebant, quod Rex sedebat multum nobiliter in suo solio, & quod bene significabat sua situatio nobilitatem Regis: veruntamen in anima ipsius erat malè situatus: quoniam nullus eum amabat, imò gentes desiderabant suam mortem, propter mala opera quæ faciebat, quia multum erat homo vitiosus, & multum malè morigeratus, & inimicus virtutum. Et dum ita Rex sederet, suum corpus dixit animæ suæ. O anima amica mea gaude de meo honore. Anima respondit, & dixit oculis illius corporis, quod lætarentur de illo honore corporis: & quod aures flerent propter dedecus, quod Rex habebat in verbis gentium, quæ dicebant multum malum de Rege, qui in illis verbis stabat magis inhonoratus, quam in solio honoratus. Idcirco riserunt oculi & fleuerunt aures. Et anima cogitauit, quod illud corpus diu viuere non posset.

De exemplo temporis arboris Imperialis.

NArratur, quod quidam Princeps vnam filiam habebat, quam multum diligebat: quoniam non habebat alium filium nec filiam nisi illam, nec habere credebat. Rex vero dixit filiæ suæ, quod sibi maritum dare volebat, & post mortem suam volebat, quod suus maritus esset Rex. Domicella autem dixit patri suo, quod ipsa maritum habere nolebat: quoniam semper virgo permanere desiderabat in gloria, in presentia Dominæ nostræ, cui voluit in aliquo assimilari, vt Domina nostra propter illam assimilationem ipsam plus diligeret. Pater autem suam filiam reprehendit: & dixit, quod ipse volebat, quod de suo genere remaneret Rex in suo Regno, qui esset filius suæ filiæ: & sic successiuè de vno Rege in alium vsque ad finem mundi. Et tunc domicella suum patrem rogauit, quod ei veritatem diceret de vna petitione, quam sibi facere volebat. Et Rex dixit, quod sic. Tunc domicella dixit suo patri: si credebat quod plures Reges mali essent quam boni? Et Rex dixit, quod in suo tempore, plures erant mali quam boni, etiam in tempore præterito; in quo secundum famam plures erant mali Reges, quam boni. Etiam quæro, dixit domicella, si crediditis

ditis quod in vestro populo sint plures homines mali quam boni? cui Rex respondit, quod in suo regno plures essent mali, quam boni. Iterum quæro, dicebat puella, si creditis fecisse plus de malo quam de bono? Rex vero suæ filiæ respondit, quod plus fecit de malo quam de bono. Tunc vero domicella dixit, quod secundum responsionem quam fecit ipse, velle non debebat, quod de suo corpore exirent homines, qui essent magis mali quam boni, & qui aliquod vituperium Deo facerent, & qui irent ad standum in inferno Deum æuiternaliter blasphemando, & illud genus, de quo processerunt. Tunc vero Rex qui erat homo peccator, propter verba quæ dixit ei filia sua, habuit contritionem de suis peccatis, de quibus fecit satisfactionem, & fuit homo sanctus & de bona vita.

De Exemplo loci arboris Apostolicalis.

NArratur, quod potestas, sapientia, & voluntas æqualitatem rogauerunt, quod cum illis iret in societatem: quoniam ipsę volebant ire in quodam loco, vbi bona opera habere possent. Æqualitas autem eorum precibus cõsentiit. Et dum ibant quæsitum locum, vbi æquales operationes habere possent, bonitatem inuenerunt, in qua se posuerunt. Et dixit voluntas, quod ipsa bonitatem amare volebat de tota seipsa. Et sapientia dixit, quod ipsa scire volebat de tota seipsa bonitatem. Et potestas dixit quod ipsam possificare volebat de tota seipsa. Et æqualitas dixit, quod æqualiter volebat quod bonitas esset amata, scita, & possificata cum tali cõditione quod bonitas æqualiter bonificaret potestatem, sapientiam & voluntatem: bonitas vero dixit quod ipsa erat contenta. Et tunc dixit, monachus Raymundo, quod ipse modum narraret. Raymundus autem respondit, quod modus erat in hoc, quod quinque Dominæ per vnum modum fuissent, vnum agens, quod esset potestas, sapientia, volũtas, æqualitas, & bonitas: & quod per aliũ modum essent vnus agibilis. Et quod ex ambobus vnũ operari exiret, quod esset omnes quinque Dominæ, & per illud intellexit Monachus modum sustentatum in æqualitate bonificandi, possificandi, intelligendi, amandi, & æqualificandi: sed intelligere non poterat, quod ille modus posset esse sine loco continentis & contenti, qui in illo modo esse non poterat; tunc Raymundus dixit ad Monachũ hæc verba. Narratur, quod ignis, aër, & aqua, & terra facere voluerunt vnam peregrinationem, & venire in vno loco, in quo significarent operationem, quæ non est in loco continentis, & contenti. Et tunc intrauerunt in pomo, quod est de omnibus quatuor, ita quod non est contentum, nec ipsa sunt intra, nec ipsum est extra, nec ipsa sunt intra. Et dum ipsa hanc significationem faciebant memoriam, intellectum & voluntatem inueniebant quæ stabant in anima in qua fortius faciebat significatio. Idcirco dixit Raym. Monachus, quod postquam anima fortius significabat interioritatem, quam quidem formæ diuinæ habent in aliis sine terminatione continentis & contenti, quam habent quatuor elementa in pomo, quanto magis illa natura, quæ est magis supra quam anima, & longior à loco, significat fortius interioritatem vnius formæ in alia sine existentia continentis & contenti.

De

De Exemplo quantitatis cœlestialis.

NArratur, quod circulus, quadrangulus, & triangulus sibi inuicem obuiauerunt in quantitate, quæ erat eorum mater, quæ tenebat vnum pomum auri. Et quæsiuit à suis filiis, si ipsi sciebant cui illud pomum dare debebat: cui respondit circulus quod ipse ipsum habere debebat, quia ipse erat primogenitus, & erat maior & fortius currebat quam sui fratres; quadrangulus vero dixit, quod ipse ipsum habere debebat: quoniam propinquior erat homini quam circulus, etiam erat maior quã triangulus; triangulus è cõuerso dixit, quod ipse ipsum pomũ habere debebat, quia erat propinquior homini quam circulus, & similior Deo quam quadrangulus. Et tunc quantitas suo filio triangulo dedit pomum. Sed Aries & eius fratres, & Saturnus & sui fratres quantitatem reprehenderunt, qui dixerunt quod male iudicabant: quoniam cum Deo nullam similitudinem habebat in longo, amplo, & profundo, & circulus similitudinem habebat, quia non habebat principium neque finem. Et quadrangulus reprehendit quantitatem, & dixit, quod nõ bene iudicauit, quia ipsa erat similior Deo in quatuor elementis quam triangulus: quoniam sine quatuor elementis non possent esse homines, qui sunt vt Deum diligant & cognoscant. Triangulus autem suam matrem excusauit quantitatem, qui dixit, quod ipsa bene iudicabat, inquantum ipse erat similior animæ hominis & Trinitati Dei per numerum ternalem, quam suus frater circulus & quadrangulus: veruntamen pro tanto errauit, quia ei dedit pomum rotundum, quod non erat de sua figura.

De Exemplo qualitatis arboris Angelicalis.

NArratur, quod quidam heremita veniebat ad fontem ad potandum de aqua, vbi inuenit vnum dæmonem qui plorabat, quia fecerat vnum Monachum peccare cum vna Monacha. Heremita autem petiit à dæmone, quare plorabat, postquam suam voluntatem compleuerat in faciendo malum. Sed dæmon respondit, quod plorabat, quia maiorem pœnam quam primo habebat: quoniam propter illud malum quod fieri fecerat, sibi pœna multiplicata erat. Heremita ad dęmonem dixit quærens ab eo, quare faciebat homines facere malum, postquam sua pœna crescebat? Narratur, dixit dæmon, quod vnus coruus à quatuor elementis quæsiuit, de quo viuebant. Ignis vero respondit, quod ipse viuebat de terra, inquantum ab ipsa accipit siccitatem. Aër vero dixit, quod ipse de igne viuebat, inquantum ab eo recipit calorem. Sed aqua dixit quod ipsa viuit de aëre, inquantum humiditatem recipit de ipso. Et terra dixit quod ipsa de aqua viuebat, inquantum ab ipsa recipit frigiditatem. Coruus vero ab illis quæsiuit: si eorum vita in suum contrarium conuertebatur, quid de ipsis esset in substantiis elementatis. Et elementa coruo responderunt quod si ipsa in substantias elementatas peruerterentur, essent febribus similia. Et tunc heremita intellexit, quod in dæmone suæ qualitates peruersæ sunt de bono in malum, & quod ipse facit malum ita scienter, vt habeat malum: sicut homo iustus qui scienter bonum facit, vt habeat bonum.

De

De Exemplo relationis æuiternalis.

NArratur, quod Paradisus infernum deridebat, quia erat niger, & infernus è conuerso Paradisum, quia in ipso erant pauci homines: quoniam homines qui erant in sua nigredine, plures erant quam illi qui erant in albedine Paradisi. Et tunc dixit Paradisus Dominæ nostræ, quod valdè male erat contentus de derisione quã ei fecerat infernus. Quare ipsam rogauit quod suum Filium Iesum Christum rogaret, quod ex tunc ire non permitteret aliquem hominem in inferno, vt omnes homines venirent ad eum. Et vt in ipso essent plures homines quam in inferno: quoniam rationabile non est, quod infernus qui est ita malus in se habeat aliquid per quod maior sit, quam ego qui sum ita bonus. Cum ita sit quod relatio debeat esse maior inter gloriantem & gloriabilem, quam inter tormentantem & tormentabilem: & tũc Domina nostra respondit Paradiso, quæ dixit hæc verba. Narratur, quod quidam Rex qui valdè iustitiam diligebat vnũ filium habuit de regina sua muliere, quæ erat valdè bona domina. Accidit quadam die, quod regina suum filium portauit in quodam viridario, vt cum illo in illo viridario hilaritatem haberet. In illo viridario erat vnus lupus, qui venit ad reginam, quam malè vulnerauit, & ab ipsa suum filium abstulit, quem in suo brachio portabat, quem adduxit ad lupam suam vxorem, & ad filios suos, vt ipsum comederent. Lupa vero ipsum comedere noluit, sed ipsum nutriuit sicut suos filios, qui cum ipso luserunt. Et quando magnus fuit, & filij lupi fuerunt magni, insimul iuerunt per nemus in quo erãt plures malæ bestiæ. Et filius regis consueuit carnes crudas comedere ad modum luporum, & occidebat homines, & oues furabatur. Et tunc Paradisus cognouit, quod per hoc quod Domina nostra dicebat, quod propter malas consuetudines hominum, qui oues comedunt, & qui in suis operibus suis patribus & matribus non similantur, qui in hoc mundo bonas consuetudines habuerunt, tot homines in inferno iuerunt, & in ipso ita pauci intrauerunt. Et tunc lupum qui abstulit de regina filium, maledixit, qui docuit alios comedere oues crudas, etiam domicellas reginę maledixit, quæ non iuerunt quæsitum filium suum, nec ipsam associauerunt, cum viridarium intrauit.

De Exemplo actionis & passionis arboris maternalis.

NArratur, quod actio & passio in Iesu Christo sibi inuicem obuiauerunt, & in ipso diu steterunt: postmodum vero ipsas ad sanctum Petrum transmisit, qui dixit ad actionem quod staret in anima sancti Petri, & quod passio in corpore illius staret. Et dixit ad fidem, spem, charitatem, iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, humilitatem, castitatem, misericordiam, & pietatem, quod ipsas associarent vsque ad sanctum Petrum, & quod quamdiu essent actio & passio in beato Petro, ab ipsis non recesserunt. Veruntamen si actio stare vellet in corpore & passio in anima, quod recederent ab earum societate, & lupos permitterent oues comedere. Et dixit ad iustitiam, quod pastores puniret, qui bene oues non custodiunt. Sed ad hos sermones respondit Domina nostra,

quæ dixit, quod peccatores in ipsa actionem habuerunt, quia erat mater eorum & fons, vbi spem portabant, & vbi misericordiam inueniebant: idcirco non oportebat, quod virtutes ex toto recederent à beato Petro: quoniam beatus Petrus in ipsa spem habere non poterat. Tunc vero Iesus Christus dixit ad virtutes, quod fieret hoc, quod sua mater vellet: quoniam ipsa actionem in ipso habebat, postquam filius suus erat, & ipsum nutrierat.

De Exemplo habitus arboris Christianalis.

NArratur, quod necessitas & contingentia in differentia sibi inuicem obuiauerunt, quæ ipsas de suo panno vestiuit, & ipsas ideas vocauit. Et ipsæ à differentia quæsierunt, quod postquam erant differentes, quare ipsas induit de vno eodem panno. Et differentia respondit, & dixit, quod differentes erant in creaturis, & non in creatore: quoniam in creatore ambæ sunt vna idea, & ratione vnitatis ipsas induit ex vno eodem panno, ratione cuius ipsas ideas vocauit. Et quia habitus diuersi erant in figura, erat pannus diuersificatus in figuris in diuersis creaturis sustentatis. Et tunc Monach. dixit Raym. quod illud exemplum sibi explicaret: quoniam ita erat subtile, quod ipsum intelligere non potuit. Raym. respondit ei, quod illud exemplum erat scriptum, & quod ipsum totiens legeret, quousque illud intelligeret, cum ita sit, quod habitus scientiæ iuuatur ex pluribus regressibus: veruntamen si ipse tribus vicibus non intelligeret illud, quod legerat, quod legeret in arbore diuinali in capitulo de habitu: quoniam in illo passu significatum erat id, quod de idea prædixerat. Et Raym consuluit Monac. quod teneret hunc ordinem in aliis locis huius libri, in quibus quædam per alia intelliguntur.

De Exemplo situs arboris diuinalis.

NArratur, quod quidam homo Deum considerauit, quomodo fuit Deus, & stetit antequam mundus fuit: quoniam dixit quod Deus corpus non habet: & dixit, quod non stetit circulariter, quadrãgulariter, nec triangulariter. Et quia imaginari non poterat secundum tres assituationes corporales, supposuit, quod Deus nihil esset: quoniam si aliquid esset, sub aliqua prædictarum assituationum staret. Et cum supposuit, quod Deus nihil esset, habuit valdè magnum dolorem in sua anima, & dixit, quod omnia ieiunia quæ fecerat, perdidit, & omnes orationes Dominicas, quas fecerat propter amorem Dei: quia supposuit, quod non erat alia vita, quam ista, in qua sumus. Et tunc noluit amplius ieiunare, nec orationem Dominicam dicere. Et proposuit, quod iret ad quandam ciuitatem ad accipiendum vxorem, & quod corporales delitias haberet, quas habere posset. Dum autem heremita de monte descendebat ad eundum ad ciuitatem, ipse inuenit vnam columbam, quæ stabat in arbore, quæ ab heremita quæsiuit, quo ibat. Heremita vero narrauit ei, quod sibi acciderat. Et tunc columba dixit heremitæ hæc verba. Narratur, quod quidam Christianus, & quidam Saracenus disputauerunt, & inuicem de Deo loquebantur. Christianus vero à Saraceno quæsiuit, vbi erat voluntas Dei, antequam mundus creatus esset? Saracenus.

nus respondit ei, & dixit, quod stabat in amante amabili & amare. Sed Christianus à Saraceno quæsiuit, si inter ipsos erat distinctio. Saracenus respondit, quod non. Et tunc Christianus dixit, quod postquam inter ipsos non erat distinctio, in ipso voluntas esse non potuit, & postquam non habuit in quo stare posset, non potuit esse aliquid. Et tunc Saracenus dixit, quod ipsa voluntas erat in seipsa. Et tunc Christianus quæsiuit, si erat in seipsa sine tribus, quoniam sine illis esset ociosa. Saracenus dixit, quod stabat cum omnibus tribus. Et Christianus dixit, quod non poterat esse in seipsa sine distinctione omnium trium: quoniam sine distinctione non essent tres, nec duo, nec esset numerus trium, sed voluntas esset ipsis vacua. Et ad hoc Saracenus respondere non potuit. Hoc idem dico vobis, dixit Christianus, de bonitate Dei, quærens à Saraceno vbi erat antequam mundus erat. Et Saracenus non fuit ausus dicere, quod erat in bonificante, bonificabili & bonificare, vt non consentiret productionem personarum diuinarum. & dixit quod erat in seipsa sine bonificante, bonificabili, & bonificare. Tunc vero Christianus dixit, quod ipsa erat ociosa, & vacua magnitudine potestatis, & finis, & fine magnitudinis: quoniam magnitudo bonitatis est quod sit ita magna in agendo, sicut in existendo: vacua esset potestate, quoniam in seipsa non haberet potestatem nec in alio, nec aliud haberet potestatem in illa nec de illa: vacua esset fine, quoniam ex ipsa nullum bonum sequeretur. Et tunc Saracenus fuit conuictus ratione productionis diuinalis quam Christianus ei probauit. Et heremita cognouit quod affectuatio Dei non erat in subiecto corporali, sed spirituali: sicut voluntas quæ est in amante, amabili & amare, & bonitas in bonificante, bonificabili & bonificare, spiritualiter & non corporaliter. Tunc vero heremita rediit ad suum heremitagium, qui tentationem cognouit, quā dæmon sibi procurauit, & remansit bonus homo. Et dixit quod bonitas virtuosa & acquisita non erat in circulo, quadrāgulo & triāgulo. Sed in bonis operibus, quæ sunt de genere virtutis acquisitæ, quæ est bona virtus.

De Prouerbiis florum arboris elementalis

Melius valet aurum in homine paupere, quam in diuite. Ille ignis est bonus qui hæreticos comburit. Melius valet ignis in calore cordis, quam aqua in albedine faciei. Melius valet nigredo in ferro, quam albedo in argento. Ignis qui est in lapide tenet captum illud quod ipsum non trahit. Lux ignis noctem vincit. Ignis qui descendit est similis lupo qui de monte descendit ad valles vbi stant oues. Nullus ignis per suam naturam est frigidus, & nullus malus nuncius pacem bene procurat. Ignis descendit cum humilitate, & ascendit cum superbia. Si non esset ferrum in pede equi, non esset aurum in capite Regis.

De Prouerbiis florum arboris vegetalis.

Cucurbita quæ seruiebat piperi malum de aqua & de seipsa dicebat. Superbia esset rosa, si inter spinas nata non esset. Quam citius flos amigdali erat vacuus super terram cadebat. Ille ignis q in oleo inuisibilis est, in flāma apparet. Piper alleum increpauit,

quia albas vestes induebat. Piper in omnibus terris non nascitur. Equus regem reprehendit, qui malum de ordeo dicebat. Vinum cor confortat cum calore, & cerebrum cum siccitate destruit. Vinum in vegete fortius est, quam in cipho, & propinquior est suo fini in cipho, quam in vegete. Malefacit scarabatus, qui nascitur cum nigro colore ex farina alba.

De Prouerbiis florum arboris sensualis.

OCuli ad intellectum dixerunt, quod Deum in sua infinitate intelligeret: & intellectus ad oculos dixit, quod ipsi solem in meridie respicerent. Rogauit mulus equam matrem suam, quod non diceret, quod ipse esset filius asini, ipsa vero respondit ei, quod ipse hoc in sua figura significabat, quare ipsa hoc celare non potuit. Inuenit mulus equum & asinum, qui equum salutauit, & asinum salutare noluit. Quidam homo locum videbat, in quo timorem habebat, & suos inimicos recolebat. Anima suum peccatum recoluit, & oculi plorabant, & os ieiunia faciebat. Cùm homo cum cultello carnes scindebat, mollitiem sentiebat: & quando ossa scindebat, duritiem sentiebat. Sentit homo amaritudinem in pomo dulci, vt intellectus infirmitatem intelligeret, & vt voluptas sanitatem amaret. Nulla aqua calorem sentit, nec aliqua visibilitas videtur. Oculi visibilitatem videre desiderant, & colorem vident, qui non est de essentia visibilitatis. Nullus homo est visibilis.

De Prouerbiis florum arboris imaginalis.

NVlla imaginatio videtur. Anima rationalis dormit, cum sine imaginatione sensitiuam mouet. Imaginatiua imaginari potest in vno tempore totum circulum villæ, & non totum circulum firmamenti. In hac vita melius est mortem imaginari, quam vitã. Mala est imaginatio, quæ pulchritudinem sine bonitate imaginatur. Princeps prius furcas quam coronam imaginari debet. Imaginatio maiorem habet concordantiam cum intellectu quam cum voluntate. Sine multiplicatione speciei imaginatio se extendere non posset in magnitudine. Omnis imaginatio est instrumentum imaginantis & imaginabilis Propter nimium imaginari est memoria infirma.

De Prouerbiis florum arboris humanalis corporalis.

VIta hominis consistit in concordantia suarum partium. Homo peccator in aliqua re, quæ spectat ad Deum ius habere non potest. Ille homo est dæmonis, qui plus seipsum quã Deum diligit. Qui plùs Deum quam seipsum diligit, plus ei honorem procurat. Vtilius est homini bene cogitare, quam bonum sentire. Vix est aliquis homo, qui facit hoc propter quod creatus est. Omnes homines qui bonam famam habent, boni non sunt. Bona fama in malo homine est habitus hypocrisis. Ille homo minus valet quam asinus, qui plus per corpus quam per animam vult valere. Ille homo qui sæpius imaginatur vnde venit, scit vias diei & noctis.

De Prouerbiis florum arboris humanalis spiritualis.

VOluntas intellectum rogauit, quod diceret suo amato, quod plus ipsum, quam seipsam diligebat. Idcirco intellectus plus Deum, quam seipsum voluit intelligere, & memoria plus ipsum, quam seipsam recolere. Si voluntas valdè suum amatum dilexisset, ipsum obliuioni non dedisset. In vna manu amati vidit intellectus vnũ ensem, & in alia florem, idcirco dixit voluntati, quod timorem haberet, & quod ad misericordiam spem transmitteret. Voluntas tantum suum amatum dilexit, quod ad amandum seipsam sibi tempus non sufficit. Memoria amatum recoluit, & intellectus ipsum intellexit, & voluntas desiderauit, quod per omnes homines honoratus esset. Voluntas ad amatum spem trãsmisit, vt de peccatoribus memoriam & pietatem haberet. Voluntas præ nimio amare infirmabatur: & maius recolere & intelligere cum bonitate amati sui ipsam curauerunt. Memoria, intellectus, & voluntas sua peccata plorauerunt: & amatus charitatem & spem eis transmisit. Voluntas, quæ bonum diligit, flores albos colligit, & voluntas, quæ malum diligit, nigros flores colligit. Voluntas ad amatum ascendit, & dixit ei, quod mundus qui suus est, per malos homines destruitur.

De Prouerbiis florum arboris moralis virtuosæ.

IVstitia, prudentia, fortitudo, & temperantia collegerunt alba merita: vt cum albis vestibus amato seruirent. Fides plorauit, & iuuamen à suis hominibus petiit & petit, & vix est aliquis, qui ei respondet. Charitas iustitiæ de malis hominibus conquerebatur, qui ipsam nolunt amare: & spes misericordiam recoluit. Ille homo qui timorem habet de iustitia, habet defectum charitatis. Magna iustitia tantum timibilis non est, sicut priuatio magnæ spei. Ille homo discretus est, qui antequam loquatur, veritatem & prudentiam recolit. Nullus homo iustus est, qui de iustitia spem non habet. Vis melior est in prudentia, quam in lignis, vel in ferro. Qui de virtutibus est indutus, de aliquo indigẽtiam non habet. Si Deus homini virtuoso deficeret, contra iustitiam, charitatem, & spem esset.

De Prouerbiis florum arboris moralis vitiosæ.

TEmperantia de gula conquerebatur: & iustitia fortitudinem puniuit. Qui culpas colligit in amando, colligit pœnas. Quia superbia est vitiosa cum credit ascendere superius, descendit inferius. Ille filius, qui in luxuria principiatus est, pœnam habet propter culpam sui patris. Nullus auarus habet spem. Homo iratus à prudentia, quam alius homo est remotior. Quia inter Deum & vitium non est aliqua similitudo, vitium non potest esse creatura. Nullum vitium cum esse habet concordantiam. Inter vitium & culpam non est aliqua differentia. Peius est vnum vitium in anima, quam mille vitia in corpore.

De Prouerbiis florum arboris Imperialis.

IVstitia Regis est pax sui populi. Pulchrior est iustitia Regis, quam sua corona. In honore Regis est suus

populus honoratus, Nulla magna seruitus est durabilis. Nullus homo solus de malo Principe se defendere potest. Nullus homo securus est in amicitia Principis Malus Princeps & maior dęmon societatē fecerunt. Potestas mali Principis est carcer sapiētiæ & volūtatis. Difficile est, quod Princeps munitus sit humilis. In nullo homine est humilitas ita pulchra, sicut in Principe.

De prouerbiis florum arboris apostolicalis: & de articulis deitatis.

CVm ita sit, quod hoc quod est, est quia Deus est: si Deus non esset, nullum aliud ens esset. Si plures dij essent, infinitas nihil esset. Impossibile est quod duo Patres sint infiniti. Propter tactum diuinarum rationum nascitur Filius Deus ex Deo Patre. Ex obuiatione Patris & Filij exit Spiritus sanctus. Si mundus posset esse æternus, posset esse possibilitas sine possitiuitate. Recreatio mundi seruitutem hominum duplicauit. Omnis homo creatus est ad cognoscendum magnam gloriam Dei. Nullum ens deuiare potest mundum à fine propter quem creatus est. Deus plus potest in seipso quam in alio.

De Prouerbiis florum arboris apostolicalis, & de articulis humanitatis.

NObilior est, & melior conceptio Iesu Christi, quam recreatio mūdi. Quia ad Deum melius spectat magna bona producere, quam parua: melius nasci potuit ex Virgine, quam mundum creare. Per mortem Iesu Christi viuit magnum amare hominum. Descendit Iesus Christus in inferno, vt ad cælos sanctos homines ascendere faceret. Resurrectio Iesu Christi est speculum vniuersalis resurrectionis. Finis humanitatis Christi est in supremis. Magnitudo iudicandi est in veritate sentiendi & intelligendi. Qui odit Iesum Christum, odit finem omnium rerum. Nullum nomen est virtuosius, quam nomen Iesu Christi. Nulla testimonia veriora sunt, quam articuli fidei.

De Prouerbiis florum arboris cælestialis.

ELementare est flos leonis, solis, & diei dominicæ. Vegetare est flos Sagittarij, Iouis, & diei Iouis. Sentire est flos Capricornij, Saturni, & diei sabbathi. Imaginari est flos Cancri, Lunæ, & diei Lunæ. Aries, taurus, & Gemini homines derident, qui dicunt, quod ipsi sciunt omnes eorum naturas. Sol & Venus Mercurium increpauerunt, qui homines musare facit in argento viuo, quod in terra nascitur. Quis est ille, qui scire posset, quoties sibi inuicē obuiauerunt Aries, Taurus, Gemini, cum Saturno, Ioue & Mercurio? Plus valet argentum in bursa, quam in Mercurio. Hæreticus est ille, qui maiorem habet timorem de Gemini & de Cancro, quam de Deo. Potestas, sapientia, & voluntas Dei inuicem maiorem habent amicitiam, quam Capricornus, Mars, & dies Sabbathi.

De prouerbiis florum arboris angelicalis.

MAior est gloria sancti Gabrielis, quam suum totum, vel suæ partes. Cum homo peccat, suo bono angelo vituperium facit. Bonus angelus consulit cum intelligere, & angelus malus cum imaginatione, Bonus angelus

angelus consulit ad superius, & malus angelus ad inferius. Malus angelus consulit cum falsitate & magisterio,& bonus augelus cum magisterio & legalitate. Nullus dæmon in se concordantiam habet. Ita est pœna in dæmone:sicut motus in circulo. Quilibet dæmon seipsum, & alium tormentat. Malus angelus peruersus est totus in malum & peccatum. Nullus dæmon habet spem, neq; charitatem.

De Prouerbiis florum arboris æuiternalis.

INferne, dixit Paradisus, quid desideras? paradise,dixit, quod nullum bonum habeas. Inferne,quare es iratus? Paradise,quia per Christum sum spoliatus. Inferne,quare malefacis tuo amico? Paradise, quia bonum publicum non diligo. Inferne,habes multum quod possis bibere & comedere? Paradise,homines non cessant peccare. Inferne, potauisti sanguinem Regis? Paradise, totus sum rubedine plenus. Inferne, quid in tuo hospitio est solutum? Paradise, desperantia & omne malum. Inferne, poterit aliquis de te ex re Paradise,nemo potest in me pœnitere. Inferne, quare tot homines es potatus? Paradise,quia Christus parum est cognitus & amatus. Inferne, quare es ita malus? Paradise,quia non sum legalis. Inferne, de quo habuisti timorem? Paradise, de Christo, qui in hominibus præbet contritionem.

De Prouerbiis florum arboris maternalis.

MAter,dixit Christus,estis saluata? Fili, dixit ipsa sum & sæpius dicta beata Mater, quid dicunt peccatores? Fili, dicunt quod tu es misericordiosus, & veniam eis præbes. Mater, quare sunt tot peccatores? Fili, quia non habent bonos pastores. Mater, quomodo possem te hilarem facere? Fili, quod tibi placeret multũ parcere. Mater, gentes nimis me oblitæ sunt? Fili, de ipsis pietatem habere meméto. Mater, ego parcerem ei qui vellet. Fili, viam peccatoribus ostende. Mater, habes ne pietatem? Fili,& propter quid ego tantum fleui. Mater,quare me rogas ita sæpe. Fili, quia mundus est in perditione. Mater, tot homines me deamant? Fili, & tot homines me reclamant. Mater quare tantum veniam diligis? Fili, quia mihi non contradicis.

De Prouerbiis florum arboris Christianalis.

HA! humanitas mea amica,tantum te honoraui. Ha deitas, mea domina, tot pœnas ad te honorandum sustinui. Ha humanitas, totus mundus ad te est creatus. Ha deitas,totus mundus in me per te est recreatus. Ha humanitas,de me non debes cõqueri. Ha deitas, me facias multum cognosci & honorari Ha humanitas, tu es in me Deus. Ha deitas, mundus per me est tuus. Ha humanitas, pete. Ha deitas, meam matrem gentes reclamant. Ha humanitas, magnum bonum tibi volui. Ha deitas, Hierusalem est amissa. Ha humanitas, valdè pulchrum habes hospitium. Ha deitas, parentes meos de malo hospitio defende. Ha humanitas, valdè es pulchra. Ha deitas, plures homines me vocant. Ha humanitas, valdè es ornata. Ha deitas, per homines valdè sum rogata. Ha humanitas, tu es mea pulchra similitudo. Ha deitas, propter me facias misericordiam.

De-

De Prouerbiis florum arboris diuinalis.

HA fili Deus! meum cor tantum diligit. Ha Deus Pater, Spiritus sanctus es flamma. Ha Pater & Fili infinite. Ha Spiritus sanctus, qui es ex ambobus productus. Ha generatio infinita. Ha spiratio completa. Ha spiratio æterna passiua. Ha spiratio æterna actiua. Ha passio, tu vis esse infinita. Ha actio, tu vis esse completa. Ha fili, tu habes nobilem patrem. Ha pater, tu habes filium sine matre. Ha pater & fili. Ha Spiritus sanctus totus plenus. Ha pater & fili, meus fons. Ha flumen, qui nihil plus quæris. Ha Pater, & Fili mecum vnus Deus. Ha Spiritus sancte quilibet nostrum est tuus. Ha Spiritus sancte, qui numerum perficis. Ha numerans, qui numerum statuis.

De Fructu arboris exemplificalis.

NARRATVR, quod in annulo Regis aurum & smaragdus sibi inuicem repugnauerût: quoniam aurum dicebat, quod eleméta erant plus propter ipsû, quam propter smaragdû: quoniã plus smaragdo seruiebat, sed smaragdus dixit, quod ipse plus seruiebat regi & aurum mercatoribus, & aurum dixit ad smaragdum quod nesciebat illud quod ferrum dixit ad lignum. Et quomodo fuit hoc? dixit smaragdus. Narratur, dixit aurum, quod quidam rex vnum bellum deuincebat, aduersitas fuit inter scutum & ensem regis: quoniam scutum dicebat, quod regem protexit qui vulneratus nõ erat, quoniam ictus lancearum & ensium sustinebat, qui regem occidere volebãt, qui mortuus esset si ipsum non esset. Ensis vero dicebat, quod ipse bellum deuincebat inquantum occidit & vulnerauit illos, qui regem occidere volebãt. Et tunc smaragdus dixit ad aurum, quod exemplum dederat contra seipsum: quoniam licet in scuto regis sit pulchrum, non esset bonum in ense qui vulnerat & occidit milites, quos occidere non posset, si esset de auro. Etiam datum est militibus, vt milites habeant enses de ferro, cum quo custodiant regem, & defendant. Et quod illos occidant, qui reges occidere volunt, & sic ensis duo habet officia: vnum videlicet quod regem defendat, & aliud quod suos inimicos occidat. Sed scutum non habet nisi vnum officium tantummodo. Et tunc aurum habuit verecundiam, cum exemplum contra seipsum dederat: quoniam bene cognoscebat, quod smaragdus regem de toxica custodiebat, & cor regis hilare faciebat.

De Exemplo fructus arboris vegetalis.

NArratur, quod in pomo aduersitas fuit inter potentiã elementatiuã & vegetatiuam: quoniam elementatiua dicebat, quod pomũ erat eius fructus, inquantum erat corpus propter elementa, & qualitates quas habebat, per elementa habebat. Vegetatiua vero allegabat & dicebat ad elementatiuã, quod ipsa non audiuerat iudiciũ quod quidam iudex dedit inter principium & finem. Et quomodo fuit illud? dixit elementatiua. Narratur, dixit vegetatiua, quod farina, & aquà, & furnus vnum panem fecerunt, quem quidam homo comedere voluit, vt viuere posset. Aqua vero, farina & furnus dixerunt, quod nolebant, quod ille homo panem comederet. Homo autẽ dixit,

dixit, quod ipse panem comedere volebat, postquam panis factus erat ad comedendum. Et tunc venerunt ad quẽdam iudicem, qui sententiam protulit, quod homo panem comederet, postquam aqua, farina, & furnus ipsum ad comedendum & viuendum fecerunt, & aquam, farinam, & furnum puniuit, inquantum fini restiterunt, propter quem erat.

De Exemplo fructus arboris sensualis.

NArratur, quod quidam molendinarius vnum porcum nutriebat, cui dabat ad comedendum de blado quod furabatur: quodam die accidit, quod molendinarius dabat porco de blado, & asinus cum illo de illo blado comedere volebat. Molendinarius autem ipsum percussit cum vno baculo, vt non comederet de blado. Multum mirabatur porcus, quoniam molendinarius nolebat quod asinus de blado comederet, & quæsiuit ab asino, quare suus Dominus ipsum percussit? Et ipse dixit ei, quod Dominus suus erat malus & fur, quoniam ipse bladum portabat, & ei iniuriam faciebat, quia ei ad comedendum non dabat. Et porcus dixit ad asinum, quod in hoc apparebat, quod Dominus suus plus ipsum quam asinum diligebat, & quod ipse erat plus honoratus, quoniam non laborabat in portando bladum nec in aliquo alio, & suus Dominus ei dabat ad comedendũ de blado pro sua voluntate, & ad asinum dare nolebat, qui in portando bladum laborabat. Asinus autem dixit ad porcum, quod male videbat amicitiam sui Domini & sui honoris, quia Dominus suus ipsum castrauit, vt filios non faceret, & quod non laboraret, vt pinguis fieret, & cum multum de blado comederet, & esset pinguis, cum vna securi ipsum percuteret, & ipsum in sale poneret, & per fercula ipsum comederet. Multum displicuit porco hoc, quod asinus sibi dixerat, & dixit, quod male ad suum opus bladũ comedebat, quia propter hoc comedebat vt moreretur, etiam quia bladũ furtiũ comedebat, de quo conscientiã propter timorem mortis habebat: idcirco dixit quod iret ad faciendum pœnitẽtiã in quadã vinea in qua erant plures racemi. Et dixit quod nunquã bladum furtiuum comederet, nec esset cum suo Domino, qui ei magnum fecerat vituperium & malum: quoniam ipsum castrauit, quoniam sibi non videbatur quod erat de genere bestiarũ. Et tunc iuit ad vineam & voluit racemos comedere, qui dixerunt ei, quod erant fructus Domini vineæ, & non ipsius qui de vinea minimè cogitabat, de qua homo cogitabat, idcirco peccatum faciebat. Tunc vero porcus dixit quod ipse conscientiã habere nolebat nisi propter timorem mortis, & de racemis comedit pro sua volũtate, interim dũ porcus racemos comedebat, vnus coruus ad ipsum dicebat quod erat fructus Domini vineæ postquam suos racemos comedebat, qui ipsum cum fieret bene pinguis occideret. Tunc vero porcus conscientiam habuit de racemis, quos comedit, & exiuit de vinea, & fugit ad vnam magnã siluam, vbi dixit, quod vellet comedere vt non moreretur. Et diligebat potius esse macer & diu viuere, quam esse pinguis & citò mori.

De Exemplo fructus arboris imaginalis.

NArratur, quod tempus præteritum & tempus futurum supra imaginationem resistebant, quoniam quodlibet ipsorum dicebat quod erat sua. Tempus præteritũ allegauit quod ipsa imaginatio erat sua, quia ipsa imaginabatur res transactas. Tempus vero futurũ dicebat quod imaginatio erat sua, quia futura imaginabatur: dum ita inuicem resistebant, dixit tempus futurum quod vnum iudicem eligerẽt qui illam resistentiam separaret, & dixit quod esset iudex tempus præsens quod erat in medio amborum. Et tempus præteritum dixit quod veritas erat, quod tempus præsens stabat in medio amborum, sed sua voluntas non, quoniam plus futura quam præterita diligebat, & dixit quod habebat pro bono quod intellectus esset iudex, qui est in medio inquantum intelligit præterita & futura. Sed tempus futurum dixit quod nõ esset competens iudex, quoniam maiorem proportionem & concordantiam cum imaginatione habebat in rebus præteritis quam in futuris. Et tunc conuenire non poterãt, nec iudicem communẽ inuenire, quæ inuicem pugnauerunt. Et quia imaginatio plus diligebat esse de tempore præterito quam de futuro, ratione memoriæ quæ ipsam rogauit, tempus futurum per tempus preteritum fuit deuictum, quod dixit ad tempus præsens quod male faciebat, quoniam ipsum non iuuabat postquam ipsum vt plurimum diligebat.

De exemplo fructus arboris humanalis.

NArratur, quod corpus & anima super hominem litigauerũt: quoniam corpus dicebat, quod homo erat suus fructus, anima vero contrarium dicebat. Allegabat autem corpus, quod homo erat suus fructus: quoniam ipse erat de pluribus rebus quam anima: quoniam erat de quatuor arboribus, videlicet de elementali, vegetali, sensuali, & imaginali. Et anima non erat nisi vna arbor tantummodo. Et tunc anima dixit ad corpus, quod nesciebat quid sanctitas dixit ad honorem? Et quid fuit illud? dixit corpus. Narratur (dixit anima) quod quidam Episcopus erat in societate decem Canonicorum, qui erãt homines boni, deuoti, & sanctæ vitæ, qui valde pulchrum officium faciebant in Ecclesia. Episcopus ille magnum habuit desiderium quod esset Archiepiscopus, vt esset magis honoratus, & quod plures haberet canonicos in suo Dominio. Ille Episcopus venit ad curiam qui tractauit, quod esset Archiepiscopus, & quando fuit Archiepiscopus, canonici illius Archiepiscopatus qui non erant homines boni, nec sanctę vitę, Archiepiscopo restiterunt, qui ipsos castigauit, & sibi magnnm laborem dederunt, & dixerunt, quod si ipse de eorum modo non esset, quod ipsum occiderent. Et tunc Archiepiscopus dixit, quod sanctitas facit prælatum & nõ honor, licet sanctitas tot bestias non ducit per viam sicut honor, & dixit, quod libenter redderet honorem propter sanctitatem, si ipsam recuperare posset. Et tunc dixit sanctitas ad honorem, quod ipsa magis cum pace valebat

quam

quam honor cum labore. Etiam dixit anima ad corpus, quod ipsa plus hominem quam ipsum honorauit, quoniam ipsum posuit in homine naturam bestiarum,& ipsa posuit in homine naturam Angelorum.

De Exemplo fructus arboris moralis.

NArratur, quod virtus & meritum sibiinuicem obuiauerunt in arbore morali, quoniam virtus dicebat, quod meritum erat suus fructus. Et meritum dicebat, quod ipse nesciebat quid vnus equus regi dicebat.Et quomodo fuit hoc? dixit virtus. Narratur,dixit meritum, quod quidam rex vnum falconem habebat, qui bene grues accipiebat. Accidit, quod rex quadã die ibat venatum, & cum falcone vnam gruem accipiebat,quæ de nubibus cœli descendit vsque ad terram,& tunc rex valde de illo falcone gaudebat, qui ita bene illam gruem occidit, qui dixit ad falconem, quod multum ipsum diligebat. Equus vero dixit ad regem,quod ipse valde mirabatur,quoniam rex tantum falconem diligebat, qui hoc quod faciebat,non faciebat vt regi placeret.sed vt comedere valeret. Rex autem dixit ad equum, quod sibi non credebat,qui dixit,quod ipse inuidiam habebat,& tũc rex equum percussit cum calcaribus, & fecit illum diu currere: equus autẽ dixit ad regem, quod ipse illud quod dicebat,per experientiam probare poterat, quoniam si dabat falconi ad comedendum, ipse propter suum amorẽ non iret ad accipiendum grues, quoniam ad ipsos non vadit sine magno fastidio. Etiam rex sibi credere debebat, quia ipsum ieiunus portabat & plenus, vbicunque volebat, & cum ipsum cum calcaribus percutiebat & ipse patientiam habebat, quam falco non haberet, si ipsum rex percuteret. Tunc vero rex cognouit, quod equus veritatem dicebat, & dixit ei, quod meritum acquisierat, & quod ipsum plus amare volebat quam falconẽm, qui hoc quod faciebat nõ propter suũ amorem, sed propter suam necessitatẽ faciebat,& cum ei displicebat, ipse ab ipso fugiebat, & ad ipsum redibat, vt ei comestionem daret.

De Exemplo fructus arboris Imperialis.

NArratur,quod corona regis& pax populi sibinuicem obuiauerunt in arbore Imperiali resistendo, quoniam corona dicebat, quod ipsa erat suus fructus. Pax vero populi dicebat quod ipsa erat fructus, & non corona. Corona autem allegabat & dicebat, quod ipsa erat fructus, quia in capite regis, & pax stabat in populo, qui sedebat ad pedes regis. Et pax dixit ad coronam, quod ipsa nesciebat hoc, quod guerra dixit ad equum regis. Et quid fuit hoc? dixit corona. Narratur,dixit pax, quod quidam rex habebat vnum pulchrum equum, qui erat fortis, & valde bene currebat. Ille equus multum quieuerat, & tantum quantum volebat,comedebat,neque aliquem laborem habebat, quoniam rex pacem in sua terra & cum suis vicinis habebat. Accidit autem, quod rex equitauit equum, qui erat pinguis & superbus,& desiderauit hominibus malefacere & equis,quos vituperauit, & tunc regi consulit quod ex toto guerram faceret,vt esset fama, quod ipse erat bonus miles, & quod bonum equum habebat. Rex autem credidit equo, & cum vno Principe

guerram fecit, quem in bello deuicit, & à se suam terram abstulit, & Rex in in equo fugit, & in terram extraneam iuit, & habuit vendere coronam, vt aliquid pro se ad comedẽdum emeret, & in paupertate stetit, & equus deuenit valde macer, quoniam parum habuit ad comedendum, & in luto iacebat, quoniam nõ erat qui stabulum mundaret, Et tunc dixit guerra ad equum, quod consilium quod Regi dederat, contra suam pinguedinem dedit, & contra munditiam sui lecti, etiã contra pulchritudinem suæ bellis.

De Exemplo fructus arboris Apostolicalis.

NArratur, quod honor & saluatio gentium in arbore apostolicali sibi inuicem litigauerunt, quoniam vterque dicebat, quod erat fructus illius arboris apostolicalis. Honor autem allegabat, & dicebat, quod ipse erat fructus, quoniam Papa erat magis honoratus, homo quam alius. Saluatio allegauit, & dicebat, quod ipsa erat multo melior pluribus hominibus, quã honor in vno homine. Idcirco oportebat quod hoc quod erat maius & vtilius esset fructus apostolicalis, quod si non esset, finis nõ esset in summitate arboris quæ fructũ non portaret postquam finis in summitate non esset. Et esset principiũ in sũmitate cum honore, & finis in terra cũ inhonore. Et sic arbor peruersa esset de bono in malum, quæ faceret malum fructum. Et de magnitudine in paruitate, & faceret paruum fructum, & de duratione in corruptione, & fructus esset corruptus, & de potestate in debilitatem. Idcirco fructus vigorem illis, qui ipsum comederent, dare non poterat. Etiam peruersa esset de sapientia in ignorantiam, & non faceret lumen hominibus, vt irent per rectas vias, & de die, etiã sua voluntas esset peruersa de amabilitate in odibilitatem, & sua virtus peruersa esset in vitium, & sua veritas in falsitatem, & sua gloria in pœnam: & sic in toto non esset ita mala arbor, sicut esset arbor apostolicalis, si honor esset in summitate, & finis arboris in terra ad pedem arboris. Idcirco dixit saluatio plurium hominum, quod ipsa stare debuit in summitate, vt arbor esset recta, & quod esset maior arbor totius mundi, & quod honor esset vnus de floribus ex quo nasceretur fructus & exiret, de quo plures homines viuerent in vita æuiterna, & fugerent mortem perpetuam.

De Exemplo fructus arboris Cælestialis.

NArratur, quod magna resistentia fuit inter Solẽ & Regem, qui ex sua vxore habuit vnum filium, quoniam Sol dicebat, quod erat suus filius rationabiliter: sicut homo bonus, qui ratione bonitatis agit bonum. Et Rex dicebat, quod erat suus filius naturaliter: sicut ignis qui naturaliter calefacit, & pater qui naturaliter filiũ facit, & ipsum ex sua vxore habuit, & in sua specie humana, & Sol vxore non habet, nec est homo. Idcirco Rex dixit ad solẽ, quod ipse iudicium nesciebat, quod ipse de suo procuratore dederat. [Et quomodo fuit illud? dixit Sol. Quadam vice, dixit Rex, accidit, quod quidam Procurator meus stetit diu in quadam ciuitate pro me, qui sibi dedit illam ciuitatem ad custo-

custodiendum, vt meum honorem tractaret,& procuraret in illa ciuitate vtilitatem gentium. Et Procurator ille tractauit tantum quantum potuit suum honorem, meum autem nequaquam, & ita diu stetit ille Procurator in illa ciuitate, quod gentes ipsum tenebant sicut Dominum, & illum honorem ipsi faciebant, qui Regi fieri debebat. Accidit autem, quod cum ego veni ad illam ciuitatem, mihi gentes honorem non faciebant,qui fieri debuit Domino & Regi,& illum meum Procuratorem honorauerunt sicut Regem secundùm quod in consuetudine habuerunt. Tunc vero ego dixit ad Procuratorem, quod de illa ciuitate exiret,& iret quæsitum honorem Regis in ciuitate, quæ esset sua: quoniam nollem, quod in mea ciuitate mecum honorem Regis haberet, quoniam in vna ciuitate non sunt bene duo Reges Et tunc Sol ad Regem dixit, quod ipse nesciebat illud quod Mercurius dixerat Alkimistæ. Et quid fuit illud? dixit Rex. Narratur, dixit Sol, quod quidam Alkimista facere volebat in igne argentum de argento viuo, & de argento argentum viuum. Mercurius autē dixit ad Alkimistam, quod argentum viuum erat natum in terra, & quod ipse ipsum fecerat cum consilio Arietis & tauri & suorum fratrum, etiam cum consilio Saturni & suorum amicorum,& quod omnes insimul ante ordinauerunt,quam argentum viuum generatum esset, quod terra esset mater argenti viui, & ipse esset suus pater: idcirco noluit, quod suus filius alium patrem haberet, nec aliam matrem, & suæ voluntati consenserunt Aries,Taurus,& Gemini: & ego,dixit Sol,& omnes mei fratres cōsensimus. Et tunc Alkimista de argento viuo argentum purum facere non potuit: quoniam ipse sine nostra voluntate facere non poterat,nec sine voluntate sui primi patris, neque suæ primæ matris, & tunc Rex cognouit, quod Sol secundum exemplum quod dedit, intendebat dicere quod filius, quem de sua habuit vxore,erat filius Solis,inquantum filius homo generalis:& quod erat filius suus & filius Reginæ, inquantum homo spiritualis.

De Exemplo fructus arboris Angelicalis.

Narratur,q; quidā heremita vidit vnum Angelum,& vnum dæmonem, qui sibi inuicem resistebant: quoniam Angelus dicebat, quod bonum agere erat fructus existere, & dęmon dixit, quod existere erat fructus mali agere. Angelus autem allegabat,& dicebat, quod bonum agere erat fructus existentiæ: quoniam bonitas maior est in recolere, intelligere,& amare Angeli,qui Deum comtemplatur, quam in essentia Angeli. Dæmon vero dicebat, quod bonitas naturalis est mala propter malum recolere, intelligere, & amare. Idcirco dixit heremita, quod ipsi nesciebant, quod quidam Græcus ad vnum Latinum & Saracenum dicebat: quoniam si sciuissent, non restitissent in hoc, in quo resistebant. Et quid est hoc, dixerunt Angelus & dæmon? Narratur, dixit heremita, quod quidā Latinus & Saracenus sibijnuicem in quadam vinea obuiauerunt, in qua erant plures racemi. Et dum ipsi de racemis comedebant, dixit Latinus ad Saracenum, quod de racemis fit vinum:& Saracenus respondit ei, quod de ipsis vinum non fiebat, sed de ipsis fiebat Nabit: quod est dictum in Arabico sicut vinum. Et quia Christianus non intell-

gebat, quid volebat dicere Nabit, nec Saracenus intelligebat, quid volebat dicere vinum, quilibet alij negabant, hoc quod dicebat, & super hoc erant in magna briga, quousque quidam Græcus venit, qui idioma cuiuslibet sciebat: qui dixit, quod vinum & Nabit vnum idem significant secundum realitatem numeri: sed vnum idem non significant in vno eodem idiomate: idcirco eorum contrarietas erat, quia se inuicem non intelligebant. Hoc dicebat heremita ad Angelum & dæmonem, vt Angelus intelligeret quod veritatem dicebat secundum bonum statutum: & dæmon similiter secundum malum statum.

De Exemplo fructus arboris æuiternalis.

Narratur, quod quidam homo de Paradiso & inferno prędicare audiebat, prædicator dicebat, quod boni homines in Paradiso haberent gloriam æuiternam, & mali homines in inferno haberent pœnam æuiternam: post prædicationem, ille homo valdè considerauit in hoc, quod audiuit à prædicatore de gloria Paradisi, & de pœna inferni: & in se sentiebat maiorem timorem de pœnis inferni, quam desiderium de gloria Paradisi, & ita sæpè pœnas inferni considerauit: & ita diu in illa consideratione stetit, quod quasi de Deo, neque de Paradiso recoluit. Et ille magnus timor, quem habuit, ipsum lāguere fecit, qui etiā macer fuit & infirmus: idcirco dixit suæ animæ, quod timor quem habuit, ipsum mori faceret, & tunc proposuit, quod pœnas inferni obliuioni daret, & quod gloriam Paradisi desideraret: quoniam magna bona desiderare facit stare corpus pingue, & sanum, & animam hilarem: sed quia diu stetit in considerando pœnas inferni, & in obliuiscendo Paradisum, vti non poterat ad libitum sua memoria: quoniam nimis ipsam nutriuit in recolendo pœnas, & in obliuiscendo gloriam: idcirco proposuit, quod iret ad quendam amicum suum, qui erat valde sapiens, cui dixit statum suum, vt sibi consilium daret & modum, quod Paradisum recolere posset, & infernum obliuisci: quoniam propter timorem se mori sentiebat. Ille suus amicus dixit ei, quod ratio quæ plus pœnas inferni, quam Paradisum elegit, recolere est, quia plus se, quam Deum diligebat, quare ipse sibi consulit, qnod plus Deum, quam seipsum diligeret: quoniam illa quæ homo plus diligit, plus recolit, & plus timet homo dedecus ipsorum, quam malum illorum, quæ non tantum diligit. Et tunc ille homo incepit plus Deum diligere quam seipsum, & bonitatem Dei sæpius recolere, quam suamet: & dicebat quod ipsa plus valebat quam sua. Et ipse hoc volebat, & dicebat, quod magna ratio erat: quoniam bonitas Dei est fons & fructus, vbi omnia bona colliguntur. Ita fortiter ille homo se assueuit ad recolendum bonitatem Dei, quod timorem de pœnis inferni non habebat, neq; quasi de se curabat: quoniā honorem, quietem nec diuitias diligebat, & tantum erat ei, quando blasphemabatur: sicut quando comedebat, & quando fiebant ei minę, sicut quando fiebant ei salutationes, & quando vituperabatur, sicut quando honorabatur, nec vindictam recolebat: sed quia Deus inhonoratus erat, quem tantum diligebat, in dolore & tristitia permanebat, qui dicebat gentibus. Ha gentes quare peccatis: & quare meum amatum inhonoratis? quoniam si sæpius dolorem

dolorem & malum, quod sequitur peccatum consideraretis, de nulla re hilaritatem haberetis.

De Exemplo fructus arboris maternalis.

NArratur, quod quidam Monachus in consuetudine habebat quod Dominā nostram laudabat, cui dicebat, quod ipsa erat mater recreationis, vt eius filius fructum mundi recuperaret, quem perdidit propter peccatum originale. Idcirco dicebat ad Dominam nostram, quod ipsa erat obligata ad rogandum suum filium pro peccatoribus: quoniam si peccatores non essent, ipsa mater Dei non fuisset. Diu stetit Monachus in tali oratione, tandem quadam nocte accidit, cum Monachi matutinas dixissent, & de Ecclesia exiuissent, Monachus ille venit ad altare, qui Dominam nostram more consueto rogauit, & ipsam sedentem supra altare vidit, quæ flendo dixit hæc verba. Illi qui dicunt, quod peccatum sit mei honoris occasio, mihi magnum inferunt vituperium: quoniam peccatum non potest esse alicuius boni occasio, quod si foret, non esset occasio mali, & illi dicunt mihi magnum honorem, qui dicunt quod ego sum mater Dei, quia Deus voluit esse homo, & ego talibus hominibus sum obligata ad rogandum meum filium, postquam multum per ipsos sum laudata & honorata. Et illi qui dicunt, quod ego mater Dei non essem, si non esset peccatum, dicunt quod fructus maternitatis non est meus filius Iesus Christus, sed peccatum. Idcirco nesciunt illud, quod intellectus ad voluntatem dixit. Et quid fuit illud? dixit Monachus ad Dominam nostram. Narratur, dixit Domina nostra, quod intellectus dixit, quod ipse Trinitatem Dei, incarnationem, & articulos intelligere volebat, & dixit voluntas, quod ipsa nolebat, quod intellectus intelligeret, vt ipse Trinitatem Dei, incarnationem, & articulos Fidei Christianæ crederet, vt magnum meritum ex sua credulitate haberet, & & per magnum meritum, magnam gloriam, quam non haberet, si articulos fidei intelligeret. Intellectus autem respondit, & dixit voluntati, quod secundum hoc quod ipsa dicebat, sequeretur, quod quanto minus articulos intelligeret maiorem gloriam haberet. Et sic in gratia, quæ est cōtraria sui intelligere, esset occasio, per quam ipse haberet magnam gloriam, quare ipse voluntati credere nolebat. Et dixit, quod sicut ipsa volebat magnam gloriam habere per magnum amare, ita volebat ipse gloriam habere per magnum intelligere. Etiam voluntatem reprehendit, & dixit, quod magis erat creatus, vt Deum multum intelligeret, quam vt magnam gloriam haberet: sicut voluntas quæ magis creata erat ad multum Deum amandum, quam ad seipsam. Etiam dixit, quod licet Trinitatem Dei intelligeret, propter hoc non sequeretur, quod ipse perderet habitum fidei: quoniam in principio credidit Trinitatem, & in fine proponebat, quod cum ipsam obliuisceretur, quod ipsam in habitum fidei deponeret, quem retinuit, & in quo ipse ipsam inuenit, cum ipsam intelligere volebat, idcirco dixit, quod fides erat coniuncta sui intelligere, & quod ipse fructum beatum Trinitatis colligebat in intelligere tunc, cum ipsam intelligebat, & in fide tunc cum ipsam credebat, quia ipsam intelligere non poterat. Et tunc Monachus per verba quæ Domina nostra sibi dixerat, dixit

Dominæ

Dominæ nostræ, quod ipsa erat Mater Dei, quia volebat esse homo, & quod erat Mater hominum peccatorum ratione coniunctæ recreationis, sine qua sui filij esse non possent.

De Exemplo fructus arboris Christianalis.

NArratur, quod voluntas intellectum transmisit ad vnum viridarium, in quo erant plures pulchræ & bonæ arbores, inter quas erat vna maior & pulchrior, quæ pulchriorem fructum & meliorem faciebat. Et dixit ad intellectum, quod ei portaret de fructibus illarum arborum: quoniam ipsa de ipsis comedere volebat. Intellectus autem ad illud viridarium perrexit: & quia erat piger, & maius tædium habebat in ascendendo in magnas arbores quam in paruas, attulit de fructibus paruarum arborum voluntatis quæ in ipsis magnum saporem non inuenit, quoniam de paruo fructu nō sequitur magnus sapor, quæ dixit ad intellectum, quod ad viridarium rediret, & quod sibi de melioribus fructibus & magis sapidis afferret, quoniam illi parui fructus ipsam saturare non poterant. Et tunc intellectus habuit redire ad viridarium, & habuit ascendere ad maiores arbores, vnde magnum tædium habuit, & de fructibus voluntati apportauit, ex quibus voluntas se saturare non potuit, quoniam maior erat eius appetitus quam sapor illorum fructuum. Idcirco dixit ad intellectum quod ad viridarium rediret, quoniam sibi de fructibus illarum arborum quæ sunt magis saporosæ & maiores non apportauit, quoniam si sibi apportasset, ipsa saturata fuisset. Tunc vero intellectus ad voluntatem dixit, quod ipsa erat Domina inuidiosa, quæ non plangit laborē suorum seruitorum: nec homo facere potest ad suam voluntatem, nec habuit grates alicui de seruitio, quod sibi faciebat: quoniam ipse sibi argentū portabat, aurum, & lapides pretiosos, poma, ficus, cerasa, equos & falcones, castra, ciuitates & honores, pulchras fœminas, filios & pulchra indumenta, nec se pro contenta tenebat de fructibus quos sibi portauit. Voluntas autem dixit ad intellectum si in illo viridario remansit aliqua arbor, quæ portaret maiorem & meliorem fructum quam aliqua illarum, de quarum fructibus sibi portauit. Intellectus autem respondit ei, quod quædam arbor ibi erat, in qua ipse non ascenderat, quæ maiorem & meliorem fructum faciebat quàm aliqua aliarum, sed in ipsam ascendere nolebat, quoniam nimis erat magnum tædium illis, qui in ipsam ascendere volebant. Tunc autem voluntas dixit ad intellectum quod sibi accideret, sicut accidit cuidā diuiti auaro: & quomodo fuit illud? dixit intellectus. Narratur, dixit voluntas, quod in quadam ciuitate erat quidam homo diues, qui erat multum auarus, quem Rex illius ciuitatis rogauit, quod sibi mille talenta mutuaret. Ipse vero se excusabat, qui dixit quod ipsos mutuare non poterat. Rex autem è conuerso dixit, quod ipse sibi mutuare ipsos poterat; sed ille diues homo ad Regem dixit, quod ipse sibi ipsa talenta mutuare non poterat, quia sua voluntas nolebat, nec ipse suam voluntatem cogere poterat, quæ erat Dei. Tunc autem Rex dixit, quod ipse ex tribus eligeret, quod magis vellet; quæ dicebat ei, quia se vituperatum tenebat, quia ita viliter ei, negabat: mille talenta mutuare: vnum erat, quod ipse debebat comedere

dere

dere quinquaginta cepas crudas in vna hora diei, aut centum ictus siue flagella in vna die acciperet, aut mille taléta mutuaret in illa die. Homo ille auarus considerauit, quod melius esset ei quinquagintem cepas comedere, quam accipere centum ictus siue flagella, vel mille talenta mutuare. Et tunc incepit comedere cepas, & cum viginti comedisset, plus comedere nõ potuit, & omnes per os suum proiecit, & per totam illam diem fuit prope mortem. In crastino vero Rex ab ipso quæsiuit, si sibi mille talenta mutuare volebat, aut centum ictus siue flagella accipere: qui dixit, quod centum ictus siue flagella accipere volebat, & cum triginta ictus siue flagella recepisset, plus sufferre non potuit, qui tunc dixit, quod mille talenta sibi mutuaret. Et sic tu intellectus, dixit voluntas, tedium & laborem in ascendendo habuisti per omnes arbores, quod minime habuisses, si primo mihi de fructu maioris arboris & melioris adduxisses, quem fructũ mihi incontinenti adducas, & scias, quod ego de te non sum contenta, inquantum me inhonorasti, quia mihi cibaria duxisti de modico sapore, & mihi non duxisti ex illis, qui magnam habent saporem. Et tunc intellectus iuit ad magnam arborem, in qua cum magno tedio ascendit, & de branchis inferioribus iustitiã collegit & prudentiam, & cæteras virtutes cardinales, & de branchis supræmis fidem, speciẽ, & charitatem, & de vna alia brancha, quæ erat magis alta, colligebat Iesum Christum, & omnes fructus, & ad voluntatem secum portauit, quæ de virtutibus primo comedit, vt in amando Iesum Christum maiorem saporem inueniret. Et quanto plus de Iesu Christo comedit ipsum amando, magis se sentit saturatam, & maiorem saporem in comedendo inuenit, idcirco cessare à comedendo nolebat, quæ dixit ad intellectum, quod ipse suum laborem obliuisci deberet, & gaudere de placitis, quæ Domina sua in comedendo sentiebat.

De Exemplo fructus arboris Diuinalis.

NArratur, ꝙ quidam Philosophus, qui erat magister in Theologia, in consuetudine habebat, quod cum in studio erat fastiditus, in suo palafreno equitabat, & ibat spaciatum per viridaria & per prata, quæ erant iuxta illam ciuitatem. Accidit autem quadam die, quod ipse æquitabat per vnũ pratum, qui ibat visum vnum pulchrũ fontem, qui erat sub quadam pulchra arbore, quæ pulchris fructibus erat onerata. Dum autem per pratum æquitabat, ipse vnum bouem inuenit, qui iacebat, qui ruminabat herbam quam comederat. Et cum fuit ad fontem, & sub arbore, considerauit quod fons scientiã significabat, quæ ita de intellectu exibat in voluntate, sicut aqua de fonte faciebat in prato, & postmodum considerauit, quod ipse erat similis illi boui, qui herbam ruminabat: quoniam sẽper scire desiderabat, & nunquam contentus fuit de hoc, quod sciebat. Et quando vidit fructus in arbore, considerauit, quis fructus in ipso sequebatur de hoc quod sciebat, postquam de hoc contentus non erat, & plus scire desiderabat. Et cum aliquis cum ipso disputabat, ipse superbus erat per hoc, quod sciebat, & gentibus vituperium dicebat, & errores sæpius contra veritatẽ & doctrinam allegabat, vt gentes non cognoscerent, quod suus intellectus deuictus

fotet per aliquem intellectum. Et dū ita cōsiderabat, de se male contentus erat, qui dixit, quod parū ei proficiebat illud, quod addiscerat, postquam de hoc male contentus erat, nec fructum humilitatis colligerat in eo, quod sciebat. Et sic male contentus de fonte recessit, & quando fuit prope bouem, qui herbam ruminabat, quam comederat, ipse considerauit, quod scientia, quam sciebat, bene digesta non erat. & quod alia vice ipsam tedire volebat, & quod volebat esse in vno loco, vbi pax erat, & quod cum nullo homine aduersitatem haberet de hoc quod ipse sciebat, & quod ex toto fructum scientiæ quæreret, qui de scientia haberi potest. Et tunc ad quendam altum montem ascendit, in quo vnam cameram fecit, & in ipsa studuit, & fructum scientiæ quæsiuit, quem voluntas dilexit. Et per omnes passus suorum librorum per quos transiuit suus intellectus alia vice, transiuit, & cū omnes libros philosophiæ trāsisset, se saturatū scientię non sensiebat, & ad libros theologiæ transiuit, & cum omnes transiret, se saturatum sentiit, qui cognouit, ꝙ theologia fruct⁹ erat philosophiæ, & philosophia erat eius instrumētū, qui tūc ascēdit ad colligēdū fructū in sūma trinitate, considerando productionem personarum diuinarum naturarum, & rationes illius productionis, sicut pater, qui naturaliter filium generat æternaliter & infinitè, ratione magnitudinis ita infinitum, & ratione æternitatis ita æternum, & ratione bonitatis ita bonum, sicut ratione naturæ naturatum siue naturalem, & hoc idem de aliis rationibus diuinis. Considerauit & de productione Spiritus sancti. Et sic ipso existente, & diu fructum colligente in altiori summitate intellectus & voluntatis mortuus fuit, & omnes passus, quos fecit adimpleuit, & cum summa Trinitate stetit eius intellectus completus, & eius voluntas contenta, & Deo sit data gloria, amen.

De Arbore quæstionali.

SVMMARIVM.

ARBOR quæstionalis est de quæstionibus aliarum arborum, & in fine sunt quæstiones centum, formæ & practicæ illarum. Et sunt in præsenti arbore quatuor mille quæstiones. Et similiter in septem partes principales diuiditur, scilicet, in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus.

Radices sunt quæstiones radicum aliarum arborum.

Truncus sunt quæstiones truncorum, &c.

Branchæ sunt quæstiones brancharum, &c.


Rami sunt quæstiones ramorum, &c.

Folia sunt quæstiones foliorum, &c.

Flores sunt quæstiones florum, &c.

Fructus sunt quæstiones fructuum, &c.

De



Arbor Quæſtionalis.

ARBOR iſta diuiditur in ſeptem partes, videlicet in radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores, & fructus. In radicibus quæremus quæſtiones, quæ fient de radicibus aliarum arborum. In trunco quæremus quæſtiones, quæ ſpectant ad naturam truncorum aliarum arborum, & ſic per ordinem. Et hunc proceſſum proponimus tenere, vt doctrinam demus ad ſoluendum quæſtiones peregrinas, quæ fieri poſſent ſecundum naturas aliarum arborum. Quam doctrinam dabimus in ſolutionibus quatuor millium quæſtionum, quas in hac arbore ponere proponimus, quia ſecundum quod illas ſoluemus, ponunt homines qui ſciunt hanc ſcientiam, ſoluere alias quæſtiones peregrinas. Idcircò

dictum est, quod liber iste est arbor scientiæ generalis ad omnes scientias: quoniam de principiis generalibus est constituta, cuius inuestigatio generalis est, & artificialis. Et idem de conclusione huius arboris, quæ est practica cæterarum arborum antecedentium. Solutiones quæstionum breuiori modo quo possumus faciémus. Et hoc ideò est, quia prolixitatem euitamus, & naturaliter in breuiori solutione quæstionis plus est de inuestigatione & de arte; quoniam abreuiatio verborum magis generalis est, quam prolixitas ipsorum, & de hoc doctrinam dedimus in arte inuentiua, & in tabula generali, & in arbore philosophiæ. Processus, quem tenere proponimus in soluendo quæstiones, tribus modis consistit, vnus modus est inquantum responsionem transmittimus ad certa loca arborum antecedentium, in quibus solutionem homo attendere potest secundum naturam illorum locorum, & naturam quæstionis & suorum terminorum. Sicut si fiat quæstio de bonitate ignis, responsio consistit in radicibus arboris elementalis, tali modo quod affirmatio quæstionis ex illo textu trahatur, secundum quod ipse significat melius per vnam partem quam per aliam, textu semper in sua conditione remanente, & definitionibus radicum similiter, & idem est similiter, si quæstio fiat de bonitate piperis. Vult ars, quod homo inquirat solutionem in radicibus arboris vegetalis, & sic per ordinem secundum naturam illarum radicum, & naturas quæstionum, quæ cum radicibus conueniunt. Et hoc idem quod dicimus de radicibus, dicimus de truncis, & de aliis partibus arborum. Idem modus est soluere quæstiones per maximas conditionatas secūdum naturas arborū, illa maxima cum conclusione quæstionis concordante, affirmando aut negando, & si maxima sit aliquibus obscura, consulimus quod ad naturas aliarum arborum, & ad eorum loca recurrant, cum quibus maxima habet cōcordantiam: sicut si quis trahere vellet conclusionem ex ista maxima. Omne principium nobilius est per existere & agere bona opera, quam per existere tantum: hæc maxima generalis est ad omne, quod est dictum in aliis arboribus de principio, & quod est dictum de maiori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, &c. Et quædam sua particularia sunt in radicibus arboris elementalis, & quædam in trunco, & quædam in branchis, & idem per ordinem de cæteris partibus arboris, & de aliis partibus quæ sunt aliarum arborum. Et ad quæstionem vnam maximam facere proponimus secundum hanc secundam inuestigationem, quæ sicut in maxima est composita post quæstionem. Tertius modus solutionis est compositus de priori modo & secundo, secundum quem aliquoties aliquas quæstiones soluere proponimus, ipsas ad loca aliarum arborum transmittendo, & dando vnam maximam ad quæstionem. Et nota, quod quando solutiones duarum aut plurium quæstionum remittuntur ad vnum eundemque locum siue capitulum, tunc post primam quæstionem assignabitur locus solutionis extensæ, sed ad secundam & tertiam, &c. solum dicetur ibidem.

De Radicibus. Et primò de arbore elementali.

CVm ignis sit de bonitate, & duratione, quare facit malum substantiis,

ſtantiis quas comburit? & quare ipſas conſumit? Solutio. Si ignis non eſſet conſumptiuus, non eſſet generatiuus, nec hominibus bonum faceret. Bonitas de quo eſt plena? Solutio. Vade ad bonitatem, quæ eſt in radicibus arboris elementalis. Vtrum bonitas ignis ſit ſubſtantialis? Solutio eſt ibidem. Si bonitas ignis bona non eſſet ſubſtantialiter, eſſet melior ignis per illa, quæ minora ſunt, quam per illa quæ ſunt maiora. Accidentia bonitatis qualia ſunt? Solutio ibidem. Vtrum aliquod magnum ſit magnum ſine magnitudine? Solutio ibidem. Et etiam ſi aliquod ens poſſet eſſe magnum ſine magnitudine, non poſſet eſſe paruum per paruitatem, nec per ſubſtantiam; eſſe magnum. Vtrum ignis ſit maior quam ſua magnitudo? Solutio. Recurre, vt ſuprà. Omnis ſubſtantia eſt maior quam ſua pars. Idcirco magnitudo ignis per ſeipſam ſuppoſitum eſſe non poteſt. Vtrum magnitudo ignis poſſit eſſe otioſa? Solutio. Per totam ſubſtantiam ignis eſt ſucceſſio de ſuo principio, medio, & fine. Vtrum ignis poſſit eſſe magnus extra ſe.? Solutio. Sicut bonitas in magnitudine eſt bona, ſic magnitudo in bonitate eſt magna. Vtrum ignis ſine agere durare poſſit? Solutio. Ignis nunquam foret, ſi eius partes non eſſent. Et recurre ad capitulum de duratione, quod eſt in radicibus arboris elementalis. Vtrum duratio ignis ſit ſubſtantialis? Solutio. Si nulla durabilitas eſſet ſubſtantialis, foret naturaliter duratio magis per aliud durabilis quam per ſeipsã. Vtrum ignis durabilior ſit per formã, quam per materiã? Solutio. Si ignis ſufficientiã haberet lignorum, omnes ſubſtantias elemẽtatas combureret. Quare ignis plus durat in plumbo quam in ferro, cum ferrum fortius ſit quam plumbum? Solutio. Illud elementatum in quo plus eſt de ponderoſitate, propinquius eſt ſuo centro. Vtrum ignis dare poſſet, ſi non acciperet? Solutio. Si ignis dare poſſet ſine accipere, de non eſſe poſſet eſſentiam ſuam multiplicare. Vtrum calor ignis ſuum proprium ſubiectum dimittere poſſit? Solutio. Nulla qualitas appropriata eſt ita durabilis: ſicut propria qualitas. Vtrum calor ignis propriam habeat poteſtatem, aut appropriatam? Sol. Vade ad capitulum de poteſtate, quod in radicibus arboris elementalis. Vtrum ignis à Deo magnam habeat poteſtatem in aqua, ſicut in aëre? Solutio. Quia concordantia & eſſe habent concordantiam, & contrarietas & non eſſe, eſt omnis potentia maior per concordantiam, quam per contrarietatem. Vtrum ignis ſine aëre aquam calefacere poſſit? Solutio. Nulla participatio poteſt eſſe ſine aliqua concordantia. Cum in igne calor & lux ſint æquales, quare poteſt aquam magis calefacere, quam ipſam illuminare? Solutio. Si poteſtas plus non poſſet de vna qualitate quam de alia, in omnibus ſubiectis eſſet poteſtas æqualis. Vtrum ignis in ſe operationem habere poſſet ſine cæteris elementis? Solutio. In omni operatione oportet, quod vna res ſit de alia. Quare ignis qui eſt in ſua ſphæra, habet appetitũ, quod ad ſphærã terræ deſcendat, cum aqua, quæ eſt illi contraria, ſit in medio? Solutio. Illa potentia eſt magna, quæ ſuum contrarium vincit. Et vade ad capitulum de poteſtate ſupra in arbore elementali. Cum ignis diſcretionem non habeat, quæ natura concordantiam habet cum aëre & terra, & contrarietatem cum aqua? Solutio. Recurre ad capitulum de ſa-

pientia supra in radicibus arboris elemẽtalis. Cũ aër & terra contrarientur, quare ignis concordantiam habet cum aëre & cũ terra ? Solutio. Ignis in triangulo naturali est generatio per duas lineas, quæ sunt de concordantia, & est corruptio per vnam lineam, quæ est de duabus contrarietatibus. Vtrum ignis in aqua quam calefacit, inclinationem prius habet ad mouendum aquam quam suam frigiditatem ? Solutio. Omnis motiuitas prius inclinationem habet ad maiorem mobilitatem, quam ad minorem, secundum cursum naturalem. Quare ignis habet appetitum generandi autum, quod in sua specie non est generatum ? Solutio. Nullus appetitus quietem habet in substantia elementata. Et dic vt in capitulo de volũtate in radicibus arboris elementalis. Cum appetitus ignis & aquæ sint de bonitate, quare sunt contrarij ? Solutio, Si ignis & aqua non essent contrarij, generatio non esset, quæ est bona. Vtrum ignis maiorem habeat appetitum ad calefacere, quam ad calefactum ? Solutio. In nullo elementato habet ignis quietem. Cum aqua sit ponderosa, quare habet appetitum, quod ascendat superius ? Solutio. Pauper mercator voluntatem habet eundi ad terras longinquas, vt lucrari valeat, & quod suũ lucrum ad suam domum afferat. Quare ignis cum vna eadem virtute regulam desiccat, & ceram dissoluit ? Solutio. In differentia passionum potentia differat suas actiones. Et dic vt supra de virtute in radicibus arboris elementalis. Vtrum virtus ignis sit ita magna in flamma sicut in carbone? Solutio. Illa virtus quæ suo centro est propinquior, est maior. Quare virtus forte in materia nascitur, & exit in actu ? Solutio. Productio creata est exemplum productionis increatæ. Vtrum ignis suam virtutem aquæ cõminicet ? Solutio. Necessitas legem non habet. Vtrum veritas ignis de sua sit essentia? Solutio. Si substantia ignis de veritate substantiali non esset per seipsã nõ est. Et recurre supra ad capitulũ de veritate in radicibus arboris elementalis. Vtrum substantia ignis veritatem habebat accidentalem ? Solutio ibidem. Vtrum ignis aquam verificet ? Solutio. Ex duabus veritatibus contrariis nascitur tertia veritas, quæ est filia ambarum. Vtrum veritas ignis & veritas aquæ sint contrariæ ? Solutio ibidem, vt supra in capitulo de veritate. Vtrum ignis maiorem habebat delectationem in calefaciendo aërem quam aquam ? Solutio. Nullus homo odit sine passione. Vtrum ignis passionem habebat in desiccando aërem ? Solutio. Cum pater suum filium castigat, passionem habet. Vtrum ignis ita magnam habebat delectationem in comburendo ligna, sicut in calefaciendo ferrum ? Solutio. Plus potest ignis ferrum calefacere quam carbonem. Vtrum ignis tantum acquirat in calefaciendo ferrum, sicut in comburendo ligna ? Solutio. Ignis plus ab aqua se elongat, cum ligna comburit, quam cum ferrum calefacit. Vtrum differentia quæ est inter ignem & aquam sit pars substantialis amborum ? Solutio. Vt supra in capitulo de differentia, quod est in radicibus arboris elementalis. Differentia accidentalis quare est ? Solutio, ibidem. Vtrum differentia sit maior inter corpus hominis & suã animam, quam inter ignem & aquam ? Solutio. Non sunt de vna bonitate differentia corporalis & spiritualis. Vtrum differentia caloris ignis & suæ lucis sit accidentalis ? Solutio. Ignis sine differentia

ferentia accidentali suam similitudinem dare non potest calori allij & piperis. Ignis quare fundit aurum, & non liquefacit lapidem? Solutio. Concordantia ignis vni substantiæ & pluribus sufficit. Vtrum concordantia formæ & materiæ sit substantialis? Solutio. In nullo accidente secundum cursum naturalem est ita magna concordantia, sicut in substantia. Ignis quare aërem calefacit? Solutio. Omnis substantia foret ociosa sine concordantia. Vtrum concordantia quam ignis & aqua habent in ferro sit de contrarietate? Solutio. Siccitas ferri est obiectum ignis, & frigiditas aquæ. Vtrum contrarietas, quæ est inter ignem & aquam sit substantialis? Solutio. Vade ad capitulum de contrarietate in radicibus arboris elementalis. Vtrum aqua ignem possit infrigidare? Solutio. Sine contrarietate circulari elementatum non esset. Et recurre ad locum de contrarietate, vt supra. Cum contrarietas non sit pars substantialis substantiæ, quare concordantia, quæ est pars substantialis substantiæ, ex toto contrarietatem substantiæ elementatę non priuat? Solutio. Nulla propria qualitas est separabilis. Vtrum ignis sit tantum cōtrarius aquæ per calorem, sicut terræ per leuitatem? Solutio. Si lapis grauior esset per aquam, quam per terram, terra eius centrum non esset. Qualia sunt prima principia substantiarum elementatarum? Solutio. Vade ad radices arboris elementalis. Vtrum ignis cum aquam calefacere incipit, prius seipsum, quam aquam calefaciat? Solutio. Ignis aquam calefacit, vt seipsum calefacere possit. Vtrum agens naturale prius incipiat formam quam materiam? Solutio. Agens naturale mouens formam, mouet materiam. Quare ferrum, quod filius est ignis, cum sit calefactum, efficitur frigidum? Solutio. Nulla materia ita magnam habet proportionem cum forma artificiali, sicut cum naturali. Vtrum in ferro dispositio sit principium naturale? Solutio. Nulla dispositio artificialis potest esse sine naturali. Et in hoc passu gaudet Alkimista. Vtrum aër sit propinquior igni quam aquæ? Solutio. Si aër esset propinquior aquæ quam igni, non haberet appetitum recipiendi calorem ab igne. Vtrū aër propinquior sit aquæ quam terræ? Solutio. Omnis participatio est subiecto propinquior per dare quam per auferre. Vtrum aër sit per totum spacium, quod est inter ignem & aquā. Solutio. In nulla vacuitate potest esse participatio. Vtrum calefactum sit propinquius formæ ignis quam eius materiæ? Solutio. Nulla forma seipsam calefacit. Vtrum ignis per se sit siccus? Solutio. Si ignis esset siccus per se, appetitum ad terram non haberet. Vtrum ignis transmutare possit vel conuertere essentiam aëris in suam speciem? Solutio. Finis simplicis elementi est principium elementati compositi. Vtrum in igne suæ partes sint quædam in aliis? Solutio. Omnes partes ignis sunt in circulo. Postquam prima principia sunt inuicem mixta, quare substantiæ elementatę non sunt ad inuicem mixtæ? Solutio. Si asinus esset in boue, & bos in asino, aliqua vacuitas foret in natura. Vtrum ignis maiorem habebat appetitum ad dandum, quam ad recipiendum? Solutio. Dare & complementum concordantiam habent, & recipere & necessitas. Vtrum substantia ignis maiorem habebat concordantiam cum substantia aëris quam cum accidentibus terræ? Solutio. Sustantia ignis

maiorem

maiorē habet concordantiam cum calore, quam cum ficcitate, & cum nigredine. Vtrum in igne fit aliquod maius accidens, quam sua substantia? Solutio. Calor hominis plus valet quam substantia ignis. Vtrum in igne relatio sit maior quam quantitas? Solutio. Illæ creaturæ nobiliores sunt & maiores, quæ Dei maiorem habent similitudinem. Cum aurum sit de igne qui est leuis, quare non ascendit superius naturaliter, & descendit inferius? Solutio. Nunquam ignis æqualitatem caloris & coloris in auro posset habere in sua sphæra, cum ignis & aqua in auro non sint æquales. Vtrum aurum sit æqualitate vacuum? Solutio. In auro calor & lux sunt æquales qualitates, & frigiditas & color sunt æquales qualitates aquæ. Vtrum in auro ignis & aqua sint æquales? Solutio. Require capitulum de æqualitate in radicibus arboris elementalis. Vtrum simpliciter vna substantia possit alij esse æqualis? Solutio. Si elementatum possit esse sine maioritate & minoritate, vacuitas possibilis esset. Qualis est maior minoritas? Solutio. Illa minoritas est maior, quæ cum essentia nullam habet concordantiam. Vtrum maior minoritas realiter sit diuisibilis? Solutio. Si maior minoritas esset diuisibilis, esset sua diuisibilitas in infinitum. Vtrum minor punctus sit mobilis? Solutio. Nulla maior minoritas habet primum neque vltimum. Vtrum aliquod accidens habeat primum vel vltimum? Solutio. Si accidens simpliciter primum haberet vel vltimum, esset substantia.

De Quæstionibus radicum arboris vegetalis.

VTrum bonitas pomi sit de bonitate ignis? Solutio. Recurre ad radices arboris vegetalis. Vtrum malus sapor sit de bonitate arboris elementalis? Solutio. Dulcedo & amarus secundum suam naturam sunt bonæ, Vtrum dulcedo pomi sit qualitas composita de qualitatibus aëris: & de cæteris elementis sub concordantia? Solutio. Cum amaritudine sunt qualitates elementorum contra appetitus animalium. Vtrum vegetatiua viuat de elementatiua? Solutio. Vade ad radices, vt supra. Quare ignis appetit esse in pipere? Solutio. Naturalis virtus est maior in pluribus speciebus quam in vna. Essentia ignis quomodo vadit stare in essentia piperis? Solutio. Vegetatiua de pane facit carnem, & de vino sanguinem. Si ignis sit in pipere, quare non comburit ipsum? Solutio. Ita viuit vegetatiua de igne, sicut flamma de oleo. Ignis quare non habet ita magnam virtutem in cucurbita, sicut in pipere? Solutio. Sicut radices arboris elemētalis sunt in igne per calorem, ita sunt in aqua per frigiditatem. Vegetatiua quomodo deriuatur de elementatiua? Solutio. Sicut radices arboris elemētalis in ignē transeunt in tertium numerum, ita transeunt elementa in tertium numerum in substantiis vegetatis. Vtrum elementa sint actualiter in substantiis vegetatis? Solutio. Si actualiter in ligno ignis non esset, nullus ignis cresceret.

De Quæstionibus radicum arboris sensualis.

VTrum bonitas sensitiua sit de bonitate elementatiua & vegetatiua? Solutio. Vade ad radices arboris sensualis. Bonitas sensitiuæ quare est? Solutio. Ex bonitate farinæ, ex bonitate aquæ, bonitas panis multiplicatur

catur. Vtrum bonitas sensitiuæ sit in bonitate flammæ ignis? Solutio. Sicut de terra fieri possunt tegula, vitrũ, & ferrum, ita de igne fieri possunt flãma, pomũ & caro. Et vade ad radices, vt supra. Cùm caro sit corrupta, quo vadit sua bonitas naturalis? Solutio. Vt in radicibus arboris sensualis. Et intellige exẽplum, quod datur de massa auri, quæ redit ad suum numerum. Bonitas sensitiuæ quare est nobilior, quam bonitas vegetatiuæ? Solutio. Omnis nobilitas maior est in suo toto, quam in aliqua suarum partium. Vtrũ bonitas sensitiuæ sentiat? Solutio. Animal sentit per naturam, & eius rationes sunt instrumenta ad sentiendum. Vtrum bonitas sensitiua sit mortalis? Solutio. Si pars simplex esset mortalis, simplex esset, & non esset. Radices bonitatis sensitiuæ quales sunt? Solutio, vt in radicibus, vt supra. Animal quare habet potos? Solutio ibidẽ. Fœminæ quare non habent capillos in barba sicut homines? Solutio. Illa arbor quæ maiores habet radices, fortior est. Et vade ad radices, vt supra.

De Quæstionibus radicum arboris imaginalis.

IMaginatio est bona, vnde quæritur, de quo est? Solutio. Vade ad radices arboris imaginalis. Imaginatio quomodo est? Solutio ibidem. Vtrum intellectus in sua specie imaginetur, aut in specie imaginatiuæ? Solutio ibidẽ. Vtrum imaginatiua in sua specie figuram attingat, aut in specie sensitiuæ? Solutio Similitudines litterarum sigilli sustentatæ sunt in cera. Et vade ad radices virtutis. Vtrum in tuteri imaginabilitas sit sustentata? Solutio ibidẽ. Vtrum in pomo imaginatiuitas sit sustentata? Solutio ibidem. Imaginatiua species quas accipit, quomodo multiplicat? Solutio ibidem. Imaginatio quid est? Solutio. Sicut primæ formæ sunt sub igne, ita sunt similitudines arboris elementalis, vegetalis, sensualis, & cælestialis, sub imaginatione. Vtrum imaginatio habeat colorem? Solutio. Imaginatio cum similitudine coloris attingit colorem. Vtrum imaginatio seipsam imaginari possit? Solutio. Imaginatio ita paruam habet quantitatem, quod seipsam imaginari non potest.

De Quæstionibus radicum arboris humanalis.

BOnitas corporalis & bonitas spiritualis quomodo coniunguntur & componuntur? Solutio. Vade ad radices arboris humanalis. Vtrum bonitas corporalis & spiritualis sint mixtæ? Solutio. In omni participatione non est mixtio: sicut angelus, qui in ciuitate in qua est, suas partes non miscet cum longo, amplo, & profundo illius loci. Vtrum anima naturam corporalem accipiat? Solutio. In homine differentia conseruat naturam corporalem & spiritualem, & concordantia ipsas concordat. Et vade ad radices virtutis. Homo quomodo ex anima & corpore transit in tertiũ numerum? Solutio ibidem. Vtrum anima ante respondeat quam corpus, cum homo accipit vulnus? Solutio ibidem. Tentationes hominum quomodo veniunt? Solutio ibidem. Vtrum anima plus imaginari diligat quàm sentire? Solutio. Si peccatum non esset plus diligeret anima imaginari quàm sentire.

Cum homo moritur, anima per quem locum exit? Solutio. Nullus locus corporalis est carcer animæ rationalis. Anima rationalis quomodo est forma corporis? Solutio. Vade ad radicem virtutis. Vtrum anima ex corpore meritum producat? Solutio. Heremita quando ociosus est, & per aliquam malam tentationem tentatus incipit rogare Deum & orare, & habet contritionem.

De Quæstionibus radicum primæ arboris moralis.

VIrtus moralis de quo est? Solutio. Sicut ignis est supra primas formas realiter, ita virtus moralis moraliter est supra similitudines arboris humanalis. Et recurre ad radices arboris moralis. Heremita quare vitat sapida cibaria? Solutio. Per mare cibariorum nimis sapidorum vadit tẽperantia periclitando. Quare heremita de monte descendit, & vadit ad ciuitatem visum pulchras mulieres? Solutio. Oculi vident pulchritudines creaturarum, & intellectus boni hominis intelligit pulchritudinem Dei, & voluntas ipsam diligit, & memoria ipsam recolit. Imaginatio quomodo est instrumentum meriti & culpæ? Solutio. Vade ad radicẽ virtutis. Vtrũ homo plus de merito per imaginari acquirat, quàm per sentire? Solutio. In ieiunio est passio sensus in sentiendo, & similitudo passionis est habitus imaginationis. Moralitas memoriæ de quo est? Solutio. Vade ad radicem virtutis. Moralitas vbi stat? Solutio. Heremita est in habitu, de quo est indutus. Moralitas quomodo crescit? Solutio. Ex maiori recolere & intelligere, sequitur maius amare. Et vade ad radicem virtutis. Vtrum verecũdia quam homines habent in faciendo bonum, sit virtus? Solutio. Iesus Christus, nec beata Maria verecundiam habuerunt. Magna gloria, quomodo intrat in hominem? Solutio. Vade ad radicem virtutis.

De Quæstionibus radicum secundæ arboris moralis.

QValia sunt prima principia vitiorum? Solutio. Vade ad radices arboris vitiosæ. Magnitudo quomodo peruersa est de virtute in vitium? Solutio ibidem. Malitia vitij quid est? Solutio ibidem. Cum peccatum nullam habeat entitatem, quare fortius est per antiquitatem, quam per nouitatem? Solutio ibidem. Potestas quomodo potest esse mala? Solutio ibidẽ. Cum radices vitiorum sint priuationes virtutum, quæritur, vtrum ante illas priuationes sint aliæ priuationes, quæ sint principia arboris vitiosæ? Solutio. Sicut in virtutibus sunt prima & secunda intentio: ita in vitiis. Et vade ad radices virtutis. Voluntas vitiosa quid est? Solutio ibidem. Vitium vnde exit, & vbi nascitur? Solutio ibidẽ. Res quæ sunt falsæ, quare videntur esse veræ. Solutio ibidem. Mala tentatio quomodo cognoscitur? Solutio. Delectatio quæ est sub habitu vitioso est illa, in qua vitia quietem habent. Et vade ad radices, vt supra.

De Quæstionibus radicum arboris Imperialis.

VTrum Princeps vti debeat plus de iustitia, quam de misericordia? Solutio. Si homines essent magis boni quam mali, Princeps esset electus, vt indulgeret. Vtrum Princeps melius regnet cum timore, quam cum amore?

amore? Solutio. Si omnes gentes essent bonæ, Princeps non esset. Vtrum bonitas Principis maior sit quam bonitas populi? Solutio. Plures homines vnum equum emerunt. Quare malus Princeps maiorem pœnam habebit in inferno quam alius homo? Solutio. Nulla voluntas ita charè empta est, sicut voluntas Principis. Vtrum Princeps sit plus eligibilis per successioné quam per moralem virtutem? Si lupus pellem mutonis non indueret, ille qui maiorem haberet virtutem, deberet esse Princeps. Princeps quare est? Solutio. Vade ad radices arboris imperialis. Vtrum Princeps magis tractare debeat vtilitatem suam quam sui populi. Solutio. Vnus homo vineam fodit, quæ valet centum talenta vt vnum talentum habeat. Vtrum Princeps ante debeat coronam recolere quam furcas? Solutio. Nullus honor tantum valet sicut iustitia. Vtrum Princeps tantum dormire debeat sicut alius homo? Solutio. In nullo magno periculo habent homines somnū. Quare Princeps maiorem verecundiā habere debeat quam alius homo? Solutio. Vnus homo à pluribus hominibus plures res furatur.

De Quæstionibus radicum arboris Apostolicalis.

Vtrum Prælatus magis sit timibilis, quam amabilis? Solutio. Melior est Prælatus per charitatem, quam per combustionem hæreticorum. Quare est Prælatus? Solutio. Vade ad radices arboris Apostolicalis. Prælatus quomodo virtutibus vti debeat? Solutio ibidem. Vtrum Papa obligatus sit ad tractandum & ordinandum, quod Euangelia per totum mundum prædicentur? Solutio. Nulla potestas data est propter otiositatem. Vtrum Prælatus sit magis eligibilis per charitatem, quam per prudentiam? Solutio. Si non esset consilium, magis de bonitate, intraret in prudentia Prælati, quam in charitate. Vtrum Prælatus maiorem debeat habere concordantiam cum oculis, quam cum auribus? Solutio. Honor Dei magis consistit per audire, quam per videre. Vtrum aliquis Prælatus sit auarus? Solutio. Cuilibet Prælato sufficit vnus ciphus argenti ad potandum. Et vade ad radices virtutis. Quare Ecclesię datum est Imperium? Solutio ibidem. Quare datus est maior honor Papę, quā alicui homini? Solutio. In nullo homine est ita fortiter Deus repræsentatus, sicut in Papa. Quare clerici vxores non habent? Solutio. Difficile est, quod vnus homo possit vti vita contemplatiua, & vita actiua.

De Quæstionibus radicum arboris cœlestialis.

Vtrum firmamentum & quatuor elementa sint de vna materia generali? Solutio. Vade ad radices arboris cœlestialis. Quare corpora supra cœlestia sunt incorruptibilia? Solutio ibidem. Quare flores se vertunt ad solem? Solutio. Inter dare & accipere est concordantia. Vtrum firmamentum moueat seipsum, aut per alium sit motum? Solutio. Si firmamentum seipsum non moueret, non haberet cum mobilitatibus inferioribus ita naturalem concordantiam. Vtrum bonitas firmamenti, ignis, & aquæ sint de vno genere? Solutio. Particulares contrarietates concordantiam habent in vnitate generis. Quare sol habet maiorem concordantiam cum igne, quam cum aqua? So-

lutio. Sol plus diligit lucem ignis, quam albedinem aquæ. Quare sol est magis lucens in meridie, quam in mane? Solutio. Ex ligno viridi exit plus de fumo, quam de sicco. Quare aqua fontium frigidior est in æstate quam in hyeme? Solutio. Hyems amicos solis de domo extrahit. Vtrum sol sit ponderosus? Solutio. Nullus motus circularis mouetur ad inferius. Vtrum sol sit calidus? Solutio. Si sol esset calidus, oporteret quod Venus & Mars essent corruptibiles, & quod ignis omnia combureret.

De Quæstionibus radicum arboris angelicalis.

VTrum sit angelus? Solutio. Quanto substantia est magis simplex, tanto magis actiua poterit esse. Vtrum angelus cum vult agere, prius rationē considerat, quam naturam. Solutio. Nullus angelus tantum est creabilis, sicut Deus est amabilis. Et vade ad radices arboris angelicalis. Vtrum angelus habeat extensitatem? Solutio. Magnitudo angeli ita est impossibilis ad imaginandum: sicut sua bonitas, duratio, potestas, veritas, virtus, voluntas, & sapientia. Vtrum angelus sit corruptibilis? Solutio. Nullus simplex circulus (vt ita loquar) est diuisibilis. Vtrum angelus sit de genere naturali? Solutio. Vade ad radices virtutis. Vtrum naturalis bonitas angeli sit substantialis? Solutio ibidem. Vtrum angelus sit audibilis? Solutio. Inter Deum & creaturam est Idea considerabilis. Vtrum angelus sit de contrariis? Solutio. Nullus angelus secundum naturam est sub genere. Obstinatio mali angeli quomodo est? Solutio. Vade ad radices virtutis, ibidem. Angelus de quo est? Solutio

De Quæstionibus radicum arboris æuiternalis.

VTrum gloria angeli multiplicatur propter bonum, quod facit hominibus? Solutio. Iniuriam faceret Deus malo angelo, si sibi daret tantam pœnam propter vnum peccatum, sicut propter multa. Vtrum angelus faciat bonum hominibus, vt maiorem gloriam acquirat? Solutio. Voluntas Dei voluntates omnium bonorum angelorum complet. Vtrum dæmon homines peccare facit, vt plus habeat de pœna? Solutio. Tota voluntas dæmonis plena est malo. Cum dæmon peccauerit in tempore, quare habet pœnam æuiternalem? Solutio. Vade ad radices arboris æuiternalis. Vtrum tota bonitas naturalis dæmonis sit vacua & ociosa? Solutio. Sine fine nulla substantia est plena. Et vade ad radices virtutis. Vtrum pœna dæmonis sit ita magna sicut sua culpa? Solutio. Omnis culpa est contra infinitam bonitatem, contra quam non est aliqua pœna. Vtrum dæmon plus peccat contra rationes, quam contra naturam? Solutio. Si Deus non esset, & bonus angelus esset, plus diligeret bonus angelus suam naturam, quam suas rationes. Vtrum in malo angelo est ita magna potestas: sicut in bono angelo? Solutio. Nullus dæmon est liber. Vtrum dæmon per seipsum in homine habeat aliquam potestatem? Solutio. Nullus homo viuit de lapidibus. Et vade ad radices virtutis. Vtrum contrarietas sit principium mali angeli? Solutio. Contrarietas naturalis & culpa non sunt vnum idem numero.

De

De Quæstionibus radicum arboris maternalis.

VTrum Domina nostra aliquam occasionem habeat contradicendi peccatori, qui in ipsa habet magnam spem? Solutio. Vade ad radices arboris maternalis. Quare Domina nostra suum filium non rogat de iustitia, & ipsum rogat de misericordia: cum ita sit, quod in suo filio iustitia & misericordia sint æquales? Solutio ibidem. Vtrum Domina nostra suum filium tangat cum iustitia, cum peccatores petunt misericordiam? Solutio. Iniuriam faceret Domina nostra peccatori, qui habet spem in ipsa, & qui quærit misericordiam, si suum filium non rogaret propter eius amorem. Vtrum rationes Dominæ nostræ sint matres hominum peccatorum? Solutio. Inter rationes & naturam Dominæ nostræ est magna concordantia. Vtrum aliqua mater possit esse maior in magnitudine bonitatis, quam illa, quæ est mater finis? Solutio. Nulla bonitas est maior quam finis. Vtrum magnitudini maternitatis sufficeret charitas sine pietate? Solutio. Sine pietate Domina nostra non posset esse mater omnium peccatorum. Vtrum Domina nostra sit magis mater per naturam diuinam Iesu Christi, quam per humanam? Solutio. Iesus Christus inquantum homo se filium non faciebat neque hominem. Beatus Petrus à Domina nostra quæsiuit, quare ipsa plorabat? Solutio. Respondit Domina nostra beato Petro, quod in Hierusalem suus filius est inhonoratus, & quod plures homines ibant ad damnationem, quam ad saluationem in tempore, in quo Raymundus hunc librum composuit. Vtrum Domina nostra sit mater propter peccatum? Solutio. Si Domina nostra mater esset propter peccatum, nullus peccator in ipsa spē haberet: cum ita sit, quod peccatum & sanctitas non habeant concordantiam. Vtrum si peccatum non esset, Domina nostra esset mater Iesu Christi hominis Dei? Solutio. Primæ intentiones non sunt propter secundas, & mattellus & forfices sunt propter clauum.

De Quæstionibus radicum arboris christianalis.

VTrum Deus sit incarnatus? Solutio. Vade ad radices arboris apostolicalis, & ad flores arboris christianalis. Incarnatio quomodo est? Solutio. Vade ad radices arboris christianalis. Vtrum tota natura diuina sit incarnata? Solutio. Bonitas humana Iesu Christi fuit communis ex primis quinque arboribus, & fuit specifica in quantum vnus homo & non plures. Et vade ad radices virtutis. Vtrum bonitas diuina & humana conuersæ fuerunt in incarnatione? Solutio. Ex naturis primarum quinque arborum sequitur homo, & quoniam in illis naturis est differentia, remanent in quolibet homine naturæ distinctæ. Vtrum bonitas humana naturalis sustentata sit in deitate, aut in humanitate Iesu Christi? Solutio. Sicut humanitas est homo in deitate, & est homo per suam naturam, ita rationes humanæ Iesu Christi sunt hoc, quod sunt in rationibus diuinis personæ filij; & remanent rationes hominis in natura hominis. Vtrum bonitas humana sit per totam diuinam? Solutio. Tota diuina bonitas est humana in quantum Deus bonus est bonus homo, scilicet quia bonitas hominis est finita, de sua

conditione non est, quod localiter sit in omnibus locis sæculi, in quibus est Deus homo. Vtrum bonitas humana sit ratio diuinæ bonitati quod bonum hominibus faciat, & quod eorum peccata remittat? Solutio. Per vnionem quæ est corporis & animæ, in quolibet homine, cum corpus hominis habet calorem & sitim, imaginatio imaginatur vmbras & fontes frigidos, & anima ipsos desiderat, & mouet corpus ad ipsos. Vtrum Iesus Christus cum erat in hoc mundo peccare poterat? Solutio. Impossibile est, dum anima sit in corpore, quod corpus sit mortuum. Et vade ad radices virtutis. Vtrum diuina bonitas in cruce fuerit vulnerata? Solutio. Sicut Iesus Christus homo est in deitate, & homo est per suam naturam, fuit diuina bonitas in cruce vulnerata, in quantum Deus homo fuit vulneratus, quæ secundum suam naturam non fuit vulnerata. Vtrum in Domino Iesu Christo elementa sint contraria? Solutio. Sicut Iesus Christus homo est in Deitate, & est homo per suam naturam, ita elementa in corpore Iesu Christi sunt in concordantia, & sunt contraria secundum eorum naturam, quorum contrarietas est oblita, & ad concordantiam reducta.

De Quæstionibus dignitatum Dei arboris diuinalis.

VTrum sit Deus? Solutio. Vade ad flores arboris apostolicalis. Vtrum productio sit in Deo? Solutio. Si in Deo non esset productio, omnes suæ rationes essent ociosæ in extensitate infinita, & in infinita duratione. Et vade ad dignitates, & ad flores arboris diuinalis. Vtrum dignitates Dei sint rationes reales? Solutio. Si dignitates Dei reales non essent rationes, esset natura diuina in se ociosa. Et vade ad dignitates virtutis. Cum dignitates Dei sint vnum idem, quomodo possunt esse plures? Solutio ibidem. Vtrum diuina bonitas sit maior ratio ad producendum maius bonum, quam minus? Solutio. Magnitudo & maioritas concordantiam habent, & paruitas & minoritas. Rationes Dei quare sunt? Solutio. Vade ad dignitates virtutis. Vtrum in Deo aliqua ratio maior sit quam alia? Solutio. Nulla minoritas est infinita. Et vade ad dignitates virtutis. Vtrum Deus in seipso possit esse ociosus? Solutio. Nulla ratio diuina priuari potest. Vtrum Deus bonitatem possit acquirere? Solutio. Bonitas infinita multiplicari non potest, veruntamen bonitatem creatam acquirere potest per incarnationem participatam. Vtrum diuinæ rationes sint creatiuæ? Solutio. Sicut & multo melius homo sentit ratione videndi, audiendi, & sic de aliis sensibus, est Deus creator per suas rationes: & sicut homo sentit per naturam suorum sensuum, est Deus creans per naturam suarum rationum.

De Quæstionibus radicum arboris exemplificalis

QVare milites in bello se ponunt ad mortem ad defendendum Regem eorum Dominum? Solutio. Vade ad primum paragraphū radicū arboris exemplificalis, in quo per similitudinem solutio huius quæstionis significatur. Quare homines gulosi carnes nolunt diuidere in mensa? Solutio ibidem ad secundum paragr. Heremita à Deo quæsiuit, postquam ipsum tantum diligebat, quare ei tot tribulationes dabat? Et quare ita for-

titer

titer ipsum tentare permittebat? Solutio ibidem ad tertium paragr. Quare homines auari priusquam alij moriuntur? Solutio ibidem ad quartum paragr. Quare Deus non exaudit peccatores, quotiens ipsum rogant? Solutio. Vade ad quintum paragr. virtutis. Quod est maius placitum, aut dare aut accipere? Solutio. Vade ad sextum paragr. virtutis. Quare Deus dat tribulationes & passiones hominibus peccatoribus? Solutio. Vade ad septimum paragr. virtutis. Quare est iudex inuentus? Solutio. Vade ad octauum paragraph. Quomodo incipit inimicitia? Solutio. Vade ad nonum paragr. virtutis. Quomodo cognoscuntur falsitates hominum? Solutio ibidem ad decimum paragraph. Quomodo homines se defendere possunt à deceptione? Ibidem ad vndecimum paragra. Quomodo debet homo respondere suo inimico, cum eum vult decipere? Solutio ibidem ad duodecimum paragraph. Quare homines naturalem habent appetitum ad viuendum in hac præsenti vita, cum ita sit, quod alia vita melior sit quam ista? Solutio ibidem ad decimumtertium paragraph. Quare sunt tentationes, & quare homines in hac vita quietem habere non possunt? Solutio ibidem ad decimũquartum paragraph. Quomodo homines suos pueros nutrire debeant? Solutio ibidem ad decimumquintum paragr. Princeps quomodo debet esse familiaris cum suis subditis? Solutio ibidem ad decimumsextum paragr. Publica vtilitas quare habet ita paucos seruitores? Solutio ibidem ad decimumseptimum paragr. Quomodo cognoscitur timor hominum? Solutio ibidem ad decimumoctauum paragr. Data est doctrina quomodo quæstiones morales de exemplis radicum arboris exẽplificalis trahi possunt, ratione cuius doctrinæ homo poterit ex ipsis exemplis trahere quæstiones, quas homo facere potest ex radicibus arborum vegetalis, sensualis, & cæterarum.

De Quæstionibus truncorum. Et primò de trunco arboris elementalis.

Vtrum prima materia stet & participet cum prima forma generali? Solutio. Vade ad truncum arboris elementalis. Hyle de quo est? Solutio ibidem. Formæ naturales & productibiles quomodo sunt in potentia, de qua sunt? Solutio ibidem. Vtrum chaos vniuersale sit corpus? Solutio ibidem. Vtrum ante formam & materiam ex quibus est substantia corporalis, sint alia prima principia ex quorum essentiis sint forma & materia, de quibus est ipsa substantia corporalis? Solutio ibidem. Quomodo plura vnum ens generale multiplicant? Solutio ibidem. Quare chaos generale non est sensibile? Solutio ibidem. Res secundariæ quomodo sunt de primis? Solutio ibidem. Species quomodo ex generalibus deriuantur? Solutio ibidem. Vtrum sit vna generalis quantitas, ex cuius essentia sint plures quantitates specificæ? Solutio ibidem.

De Quæstionibus trunci arboris vegetalis.

Vtrum essentia pomi sit essentia quatuor elementorum? Solutio. Vade ad truncum arboris vegetalis. Vtrum visibilitas pomi sit ex visibilitate lapidis? Solutio. Lapis & pomum in genere participant. Et vade

vade ad truncum virtutis. Quare animal pomum & eius essentiã videre non potest? Solutio ibidem. Vtrum in trunco pomi & pruni sit truncus elementalis? Solutio. Duæ humiditates pomi & pruni sunt ex vna humiditate generali, quæ non posset esse sine subiecto generali. Quare truncus arboris elementalis non occupat locum pomi? Solutio. Nullum principium occupat medium veniendo ad finem suum. Vtrum liquor fici sit de essentia ignis? Solutio Liquor fici est de quatuor qualitatibus generalibus qualificatus,& nulla propria qualitas suum proprium subiectũ dimittit. Pomus Martini vbi erat,antequam esset? Solutio Idea capræ erat causa suæ productionis, in qua idea fuit capra antequam esset; & istud exemplum est mathematicum. Essentia trunci elementalis quomodo significatur in essentia pomi? Solutio. Vade ad truncum virtutis. Vtrum inter visibilitatem & visum sit differentia. Solutio. Nulla forma abstracta est visa. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum visibilitas trunci elementalis sit intra pomum aut extra? Solutio. Figura claui est extra essentiam ferri. Vtrum truncus elementalis sit materia,ex qua truncus pomi viuit? Solutio Nullum humidum radicale sine humido nutrimentali viuere potest.

De Quæstionibus trunci arboris sensualis.

VTrum sensitiua sit ex elementatiua,& ex vegetatiua, & non ex seipsa? Solutio. Si animal posset esse simpliciter ex elementatiua & vegetatiua,equus & pomum possent esse in eadem specie. Et vade ad truncum arboris sensualis. Figuræ trunci elementalis & vegetalis quales sunt in sensuali? Solutio ibidem. Vtrum truncus sensualis viuat ex trunco elementali & vegetali? Solutio. In lampade flamma viuit ex oleo. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum color sanguinis sit ex colore arboris vegetalis? Solutio. Olea inserta in oleastro non est ex oleastro. Vtrum color sanguinis sit potentialiter in lapide & in pomo? Solutio. Color generalis est vbique, sed specialis in omnibus corporibus non est. Quare nullus sensus seipsum sentire potest? Solutio. Quia sensibilitas in abstracto consistit,non potest attingi nisi in figura,sicut figura coloris, quæ in colorato per videre sentitur. Vtrum aliquis sensus substantiam attingat? Solutio. Si sensus intra attingeret,& non extra, figura substãtiæ suum obiectum non esset. Vtrum truncus sensualis cum tangitur, per rationes respondet aut per naturam? Solutio. Dormiebat natura, cuius rationes ipsam euigilauerunt, vt ociosa non esset. Cum sensus tangat,vtrum tangat per suas rationes, aut per suam naturam? Solutio. Totum mouet suas partes,vt moueat seipsum. Vtrum potentia sensiua sit substantialis aut accidentalis? Solutio. Vade ad truncum virtutis.

De quæstionibus trunci arboris imaginalis.

VTrum truncus arboris imaginalis sit ita confusus sicut truncus sensualis? Solutio. Illa substantia magis est confusa, in qua differentia minus habet de entitate. Quare imaginatio substantias spirituales non attingit? Solutio. Si aliqua substantia spiritualis tangi posset, imaginatio ipsam posset imaginari. Vtrum imaginatio

natio habeat deliberationem? Solutio. Si imaginatio deliberationem haberet, respondere posset, antequam tacta esset. Vtrum imago, quæ imminet in speculo, sit de essentia imaginationis? Solutio. Vade ad truncum arboris imaginalis. Vtrum imaginatio realem imaginabilitatem attingat aut figuram illius? Solutio. Sicut faber artificialiter nouam figuram claui trahit de ferro, ita imaginatio naturaliter trahit nouam figuram de imaginabilitate reali. Quare homo, qui nouam figuram suæ faciei vidit in speculo, ipsam ita bene imaginari non poterit, sicut figuram nouam faciei alterius hominis, quam vidit? Solutio. Quanto imago se elongat à subiecto obiecti proprij in appropriato, tanto magis est confusa. Et in hoc passu multum de Philosophia habetur, quæ multiplicari posset secundum processum huius scienciæ. Vtrum imaginatio sit ex reali similitudine, aut ex fantastica? Solutio. Si imaginatio ex similitudinibus realibus non esset, nulla substantia per seipsam imaginabilis esset. Cum equus non sit ex intelligibilitate, quare est intelligibilis? Solutio. Sicut intellectus cum oculis attingit colorem, ex quo fantasticam trahit intelligibilitatem, ita trahit cum imaginatione ex equo fantasticam intelligibilitatem. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum truncus arboris imaginalis cum dissimilitudine suæ naturæ tangi possit? Solutio. Nullus calor cum frigiditate sentitur. Vtrum imaginatio sit ita habitus similitudinũ, sicut color substantiarum coloratarum? Solutio. Si imaginationes substãtiale nõ esset, foret similitudo fontis absens ab animali, quod in ipso portauit, in accidente tantummodo sustentato. Et vade ad truncum, vt supra.

De Quæstionibus trunci arboris humanalis.

Naturę hominis quomodo sibi inuicem respondent? Solutio. Vade ad truncum arboris humanalis. Vtrum in homine sit vna substantia aut plures? Solutio ibidem. Vtrum anima tangi possit? Solutio ibidem. Vtrum homo sit sensibilis? Solutio. Sentit homo bonitatem vini in cipho: sed non totam bonitatem vini in dolio. Vtrum homo cum vna scientia se habere possit ad truncum humanalẽ? Solutio. In flamma ignis conuertitur species olei in ignem, qui ardet in lampade. Et vade ad truncum virtutis: Vtrum anima rationalis sit per totum corpus? Solutio ibidem. Vtrum anima rationalis sit in capillis hominis? Solutio. Si anima rationalis foret in capillis hominis, sentirent capilli in eorum summitate. Vtrum homo qui manum perdit aut pedem, perdat aliquam partem animæ rationalis? Solutio. Nulla substantia spiritualis habet longas, amplas, aut profundas mensuras. Homo quare moritur? Solutio. Rumpitur ampulla, & exit vinum ex ipsa. Anima quomodo mouet corpus? Solutio. Primæ intentiones mouent secundas. Et vade ad truncum virtutis.

De Quæstionibus trunci arboris moralis virtuosæ.

Moralitas quid est? Solutio. Vade ad truncum arboris moralis. Moralitas quomodo durat? Solutio ibidem. Vna moralitas quomodo est contra aliam? Solutio. Quælibet pars arboris moralis suum proprium obiectum habet, aut suum appropriatũ. Et

Mmm

vade ad truncum, vt supra. Vtrum moralitates sint habitus naturales? Solutio. Boni habitus morales sunt naturales in fine hominis per dispositionem, & sunt in principio & medio artificiales per deliberationem & electionem. Vtrum vna moralitas possit esse ex contrariis? Solutio. Impossibile est, quod virtus & vitium ad vnum finem se habeant. Vtrum moralitas sit sensibilis? Solutio. Si moralitas sensibilis esset, oporteret quod esset naturalis. Vtrum in homine æquales moralitates possint esse? Solutio. Propter similitudinem æqualitatis quæ est in trunco morali, sunt moralitates dispositæ, quod sint æquales: sed quia in trunco sunt similitudines maioritatis & minoritatis, non est æqualitas moralitatum in potentia. Vtrum vna moralitas sit ex alia? Solutio. Ex maioribus moralitatibus minores deriuantur. Vtrum vna bona moralitas aliam occupet bonam moralitatem? Solutio. In tactu simplici omnes rationes habituum nō recipiuntur. Vtrum moralitas sit imaginabilis? Solutio. Nulla imaginatio supra seipsam attingit.

De Quæstionibus trunci arboris moralis vitiosæ.

DIspositio vitiorum de quo est? Solutio. Moralitas vitiosa est ex disposita priuatione. Vitium quomodo incipit? Solutio. Cum virtuosus incipit esse ociosus, incipit moralitas vitiosa. Vitium de quo viuit? Solutio. Ex priuatione speciei olei flāma ignis in lampade viuit. Peccatum quomodo multiplicatur? Solutio. Vade ad truncum vitiosum arboris moralis. Peccatum quomodo priuari potest? Solutio. Agens qui mouet formā & materiam ad finem propter quem est, in illo motu culpam non habet. Vtrum truncus vitiosus sit ex partibus naturalibus? Solutio. Sicut lapis quem asinus portat habet naturaliter appetitum descendendi ad terram: ita mundus si Deus ipsum non sustineret, in nihilum tenderet & rediret. Vtrum peccatum habeat aliquam potestatem? Solutio. Vitiosa consuetudo & virtutis priuatio est potestas peccati. Vtrum in trunco vitioso sit electio boni & mali? Solutio. Impossibile est, quod truncus virtuosus & truncus vitiosus in eodem tempore sint in vno homine. Vtrum trūcus vitiosus sit ex plenis partibus? Solutio. Nulla pars est plena, quæ est contra finem. Cum vitium sit ex virtute priuatū, quare est in obiecto reali & naturali sustentatum? Solutio. Ex dispositione priuationis virtutis, & potentiæ virtutis sentit homo se liberum ad eligendum bonum aut malum.

De Quæstionibus trunci arboris Imperialis.

BOnus Princeps quare habet maius meritum, quam alius homo? Solutio. Ille homo qui plus habet de bono, magis à malo est remotus, quam alius homo. Vtrum Princeps debeat suo consanguineo ex delictis citius parcere, quàm alij? Solutio. Difficile est, quod parens Principis sit humilis. Vtrum intellectus plus pertineat ad iustitiam, quam voluntas? Solutio. Nullus intellectus ita cito currere potest, sicut voluntas. Quare Princeps filium suum primogenitum facit heredem? Solutio. Ille qui prius est ad principium, est propinquior fini secūdum cursum naturalem. Princeps vbi thesaurum suum tenet? Solutio.

Thesau-

Thesaurus Principis est in suo ense, & in voluntate gentium. Princeps quare habet timorem? Solutio. Nullus homo tot habet inimicos, sicut Princeps. Princeps quare plus honorem, quam denarios diligit? Solutio. Dominium plurium voluntatum nobilius est & fortius, quam multorum denariorum. Princeps quare debet esse magis humilis, quam alius homo? Solutio. Humilitas, quæ ad magna & ad minora descendit, & in medio æqualia inuenit, in illo homine est, qui est magis subditus. Quare Principi pertinet maior legalitas, quam alteri homini? Solutio. In nullo homine est ita mala traditio, sicut in Principe. Princeps quare habet vxorem? Solutio. Propter amorem quem Princeps habet suo filio diligit suum regnum.

De Quæstionibus trunci arboris Apostolicalis.

APostolicus quare debet esse Dominus Principis? Solutio. Vade ad truncum arboris apostolicalis. Apostolicus quare debet habere maiorem concordantiam cum Principe, quam cum alio homine? Solutio. Timor vineam custodit. Quare Princeps pedem Papæ osculatur? Solutio. In lampade est oleum supra aquam, quia habet concordantiam cum flamma. Apostolicus quare habet ita magnam cathedram? Solutio. Ille homo qui est altior, videt magis longè. Apostolicus quare habet alba indumenta? Solutio. Apostolicus remittit peccata hominum, & aqua albos pannos facit. Apostolicus quare non habet vxorem? Solutio. Si Apostolicus vxorem haberet, ipse in terram respiceret. Quare est imperium? Solutio. Vnus Apostolicus & vnus Imperator totum mundum acquirere possent. Quare non sunt plures Apostolici? Solutio. Vnus Deus est in cœlo, & imago suæ vnitatis vna est in terra. Quare vitium maius est in prælato, quam in alio homine? Solutio. Ille homo qui est altius melius videri potest, quam alius homo. Quare Papa maiori indiget consilio, quam alius homo? Solutio. Quanto persona est communior, tanto indiget consilio generali.

De Quæstionibus trunci arboris Cælestialis.

VTrum firmamentum habeat animam, & si animam habeat, qualis est? Solutio. Vade ad truncum arboris cælestialis. Firmamentum de quo est? Solutio ibidem. Vtrum mobilitas sit de natura firmamenti? Solutio. Omnis pars rotunda appetit motum. Et vade ad truncum, virtutis. Vtrum lux solis descendat hîc inferius? Solutio ibidem. Quare in fluminibus est minus de aqua in æstate, quam in hyeme? Solutio. Aqua in hyeme seminatur, & in æstate colligitur. Et homines ieiuni plus habent de sanguine, quam non ieiuni. Quare in fluminibus est plus in hyeme de aqua, quam in Autumno? Solutio. Dolium vino plenum reddit plus de vino, quam dolium quod est semiplenum. Cum firmamentum sit simpliciter figura circularis, quare influit in inferioribus figuram quadrangularem & triangularem? Solutio. Vade ad truncum virtutis. Quare viget plus de frigiditate in aurora, quam in media nocte? Solutio. Ignis solem rogauit, quod iuuaret eum ad trahendum suum calorem ex aqua. Et vade ad truncum virtutis. Quomodo sol plan-

tam multiplicat? Solutio. Sicut potentia visiua per quantitatem continuam & discretam visibilitatem speciei multiplicat, ita sol per quantitatem continuam & discretam generabilitatem plantę multiplicat. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum sol suam virtutem superius influat, videlicet ad Martem, ad Iouem, & ad Saturnum, & ad Leonem? Solutio. Solum centrum est finis circuli, vt omnia corporalia propter homines existant.

De Quæstionibus trunci arboris Angelicalis.

VTrum in angelo essentia & substantia sint vnum idem? Solutio. In hoc quod accidens non potest esse per suam essentiam, & per substantiam est sustentatum, sequitur differentia inter substantiam & essentiam. Cum angelus non sit corpus, nec de natura corporis, quæritur vtrum suæ partes possint esse inuicem, aliæ in aliis mixtæ? Solutio. Secundum naturam voluntatis amans & amabile sunt in amare. Et vade ad truncum arboris angelicalis. Vtrum angelus habeat figuram? Solutio. Si substantiæ corporales sentiri possent per formam superfluæ forent earum figuræ in natura. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum angelus sit ex forma & materia? Solutio. Si nulla bonificabilitas esset ex essentia bonificantis, nulla bonitas esset magna, nec aliquod bonificare. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum angelus habeat aliquam conditionem corporalem? Solutio. Si angelus aliquam conditionem corporalem haberet, esset vacuitas magnitudinis in differentia, quæ est inter substantiam corporalem & spiritualem. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum angelus intelligere possit substantias corporales sine imaginari & sentire? Solutio. Adeo fortiter quælibet pars angeli est mixta in alia, & coniuncta in trunco angeli, & ita fortiter omnes partes se inuicem iuuant, quod ad accipiendum corporalia obiecta non indiget imaginari nec sentire. Vtrum angelus qui est in Oriente possit illa intelligere, quæ faciunt homines in Occidente? Solutio. Ita & multo melius angelus suum intellectum extendit ad magna & ad parua obiecta sine cremento & extensione suarum partium, sicut imaginatio. Et vade ad truncum virtutis. Vtrum plures angeli in vno loco possint esse? Solutio. Sicut in trunco angeli possunt esse suæ partes, aliæ in aliis sine occupatione loci, ita angeli possunt esse inuicem in vno loco. Postquam angeli à longè intelligunt hoc, quod homines faciunt, quare de cælo descendunt, & sunt in terra cum hominibus? Solutio. In præsentia angeli recipit anima hominis beneficium, quem custodit. Vtrum si vna acus substantiam angeli pungeret, in ipso punctum dimitteret, qui circunferentiam haberet? Solutio. Nulla punctualitas corporalis sustentari potest in amare.

De Quæstionibus trunci arboris æuiternalis.

VTrum in alia vita meritum crescere possit aut diminui? Solutio. Vade ad truncum arboris æuiternalis. Vtrum Deus parcere possit Machometo, qui est in inferno? Solutio ibidem. Vtrum in merito quod in fine colligitur principium & medium remaneant? Solutio. In hac vita meritum sustentatur in principio, & in medio, & in morte, & in fine. Vtrum sit aliquod.

aliquod meritum substantiale: Solutio. Si figura cultelli esset ex essentia ferri, clauus fieri non posset ex illo ferro. Æuiternitas in quo sustentatur? Solutio. In mensuris æternitatis, & iustitiæ Dei, & in principio mundi æuiternitas sustentatur. In inferno tempus & æuiternitas sibi inuicem quomodo correspondent? Solutio. Olea inserta in oleastro in suam materiam conuertit materiam, quæ sibi influitur ex oleastro. Vtrum peccatores in inferno intelligant omnes suas culpas? Solutio. Intelligibilitas iustitiæ Dei magna est, & non parua. Vtrum peccatores in inferno se inuicem cognoscant? Solutio. In igne quilibet carbo suum calorem in alio multiplicat. Infernus quare est? Solutio. Ita Infernus est propter priuationem finis, sicut Paradisus propter attinctionem & possessionem finis. Vtrum inter Paradisum & Infernum sit medium? Solutio. Impossibile est, quod sit mediū, quod cū natura principij & finis non participet.

De Quæstionibus trunci arboris maternalis.

VTrum Domina nostra sit in morte hominum, qui in ipsa spem habent? Solutio. Inter maternitatem Dominæ nostræ & finem, qui est suus filius, est valdè magna concordantia. Domina nostra cum quo peccatoribus respondet, qui ipsam rogant? Solutio. Maternitas Dominæ nostræ fini hominum respondet. Homines quare ita sæpe Dominam nostram reclamant? Solutio. Pueri qui habent famem flent quando suas matres vident. Domina nostra quare habuit ita magnum dolorem per mortem filij sui? Solutio. Scit Domina nostra magnū dolorem, vt magnam pietatem habeat. Domina nostra cum quo suas oues custodit? Solutio. Cum fine maternitatis Domina nostra oues suas à lupis defendit. Vtrum inter Dominam nostram & suum filium sit negatio? Solutio. In magnitudine magni amoris & sapientiæ negatio esse non potest. Vtrū Domina nostra sit mater peccatoris, qui plus seipsum diligit, quam Iesum Christum Filium suum? Solutio. Nulla virtus est mater peccati. Vtrum Domina nostra exaudiat peccatores, qui sibi iustas præces non faciunt? Solutio. Tantum diligit Domina nostra suum filium, quod suos inimicos non exaudiat. Vtrum Domina nostra plus fœminas, quam homines diligat? Solutio. Domina nostra plus similitudines filij sui diligit, quam alias similitudines. Cum Domina nostra sit ita pia, quare de damnatis pietatem non habet? Solutio. Inter pietatē & impietatem concordantia esse non potest.

De Quæstionibus trunci arboris Iesu Christi.

VTrum in Iesu Christo sint duæ personæ, videlicet diuina & humana? Solutio. Iesus Christus est vnus, & si esset in duabus personis, non esset vnus: quoniam essent duæ personæ. Et vade ad truncum arboris Christianalis. Vtrum in Iesu Christo sit vna natura, aut plures? Solutio. Si in Iesu Christo non esset nisi vna natura, non esset homo per humanam naturam, nec esset Deus per diuinam. Vtrum in Domino Iesu Christo sit vna magnitudo, aut plures? Solutio. Si in Domino Iesu Christo non esset nisi vna magnitudo, aut illa magnitudo esset infinita, aut finita, aut infinita & finita. Vtrum in Iesu Christo deitas aliquam mutationē, aut diminutionē

nem accepit. Solutio. Vade ad truncum, vt supra. Vtrum Iesus Christus compositus sit ex natura diuina & humana? Solutio ibidem. Vtrum in Domino Iesu Christo natura diuina & humana in tertium numerum transierint? Solutio ibidem. Filius Dei quare non fuit in pluribus hominibus incarnatus? Solutio. Impossibile est, quod filius Dei cum pluribus hominibus vna persona possit esse. Quare filius Dei naturam angelicam non assumpsit? Solutio. Impossibile est, quod filius Dei in natura angeli cum omnibus creaturis posset participare. Vtrum natura humana Iesu Christi à diuina natura recedere possit? Solutio. Sicut humana natura suam deificationem non elegit, ita separationem à deitate eligere non potest. Quale nomen est maius? Solutio. Qui Christum nominat, de omnibus rebus loquitur.

De Quæstionibus trunci arboris diuinalis.

VTrum in Deo essentia & substantia sint vnum idem? Solutio. Vade ad truncum arboris diuinalis. Vtrum in Deo essentia & esse sint vnum idē numero? Solutio. Esse & non esse sunt contraria, & si in essentia nō esset esse, non foret per seipsam à non esse remota: & in hoc passu cognoscitur, quod in creaturis est differentia inter essentiam & esse, vt essentia sit prope nō esse, de quo ꝓducta est in esse: quoniam si ipsa & esse vnum idem essent, per seipsam esset à non esse remota, & foret æterna, nec posset esse in priuatione: & quia esse sine essentia non potest esse propter dependentiam, quā habet essētia à nō esse, habet esse inclinationē ad nō esse, de quo ꝑ creationē est productum. Et iste passus est principium generale ad cognoscendum plures particulares veritates. Vtrum substantia Dei, quæ est ex suis rationibus, transeat in tertium numerum? Solutio. Vade ad truncum virtutis. Substantia Dei quomodo respondet tunc, cum tangitur? Solutio ibidem. Vtrum bonitas Dei sit generatiua. Solutio ibidem. Vtrum substantia Dei sit composita? Solutio ibidem. Vtrum Deus seipsum annihilare possit? Solutio ibidem. Impossibile est, quod æternitas possit priuari. Vtrum Deus possit annihilare mundum? Solutio. Contra diuinam voluntatem diuina potestas nullam habet possibilitatem. Vtrum Deus contradictionem facere possit? Solutio In Deo nulla est negatio. Vtrum Deus peccatum creare possit? Solutio. Vade ad truncum vt supra, & respice diuinam substantiam, quomodo respondet tunc, cum tangitur, vt ita loquar.

De Quæstionibus trunci arboris exemplificalis. Et primò de elementali.

QVare dicitur omne nimiū est malum? Solutio. Vade ad primum paragr. trunci arboris exemplificalis & elementalis, in quo responsio significatur. Inuidia quomodo incipit? Solutio ibidem ad secundum paragr. Vtrum ignis valeat plus, quam aqua in omnibus rebus? Solutio ibidem ad tertium parag. Prima principia laudis & infamiæ qualia sunt? Solutio ibidem ad quartum paragr. Tristitia quomodo incipit? Solutio ibidem ad quintum paragr. Quale valet plus aut pulchritudo aut vtilitas? Solutio ibidem ad sextum paragr. Preces quomodo sunt exaudibiles?

dibiles? Solutio ibidem ad ſeptimum paragr. Reprehenſio quomodo incipit? Solutio ibidem ad octauum. paragr. Inimicitia quomodo cognoſcitur? Solutio ibidem ad nonum paragr. Inuidia quomodo cognoſcitur? Solutio ibidem ad decimum paragr. Mala voluntas quomodo incipit? Solutio ibidem ad vndecimum paragr. Ira quomodo multiplicatur? Solutio ibidem ad duodecimum paragr. Famulus quare fatigatur in ſeruiendo domino ſuo? Solutio ibidem ad decimumtertium paragr. Falſitas hominis quomodo cognoſcitur? Solutio ibidē ad decimumquartum. paragr. Homines quare conſilio indigent? Solutio ibidem ad decimumquintum paragr. Quomodo debet reſponderi homini qui minatur? Solutio ibidem ad decimumſextum. paragr. Cum homo gibboſus ſe commendat, quomodo ei debeat reſponderi? Solutio ibidem ad decimumſextum paragr. Homines quomodo ſibi inuicem timorem faciunt? Solutio ibidem ad decimumoctauum parag. Quare fundus cacabi in quo oleum bullit non eſt ita calidus ſicut oleum, cum ita ſit quod cum flamma participat. Solutio ibidem ad decimumnonum paragr. Homines quare ſunt magis humiles in terra extranea, quam in eorum terra propria? Solutio ibidem ad vigeſimum paragr. Homines quare ſibi inuicem dicunt opprobria? Solutio ibidem ad vigeſimumprimum paragr. Prima & ſecunda intentio in quo habent differentiam? Solutio ibidem ad vigeſimumſecundum paragr. Aqua quomodo eſt materia ignis? Solutio ibidem ad vigeſimumtertium paragr. Quare quidam homines alios vili pēdunt? Solutio bidem ad vigeſimumquartum paragr. Mors quare propinquior eſt porco pingui, quam macillento? Solutio ibidem ad vigeſimumquintum paragr. Homines diuites quare ſunt pigri? Solutio ibidem ad vigeſimumſextum paragr. Homines auari quare ſunt ſuperbi? Solutio ibidem ad vigeſimumſeptimum paragraph. Rex fatuus quare eſt ſubditus alicuius vilis hominis? Solutio ibidem ad vigeſimumoctauum paragraph. Homines quare plus laborant ad habēdum honorem, quam ad habendum ſanitatem? Solutio ibidem ad vigeſimumnonum paragraph. Gentes quare diligunt vanam gloriam? Solutio ibidem ad trigeſimum paragraph. Cum Rex magis quam alius ſit ſubditus, quare eſt ſuperbus? Solutio ibidem ad trigeſimumprimum paragraph. Homines diuites quare pauperes vili pendunt. Solutio ibidem ad trigeſimumſecundum paragraph. Seruitus quare eſt ſuperba? Solutio ibidem ad trigeſimumtertium paragraph. Materia quare magis ſuperba eſt, quam forma? Solutio, ibidem ad, trigeſſimumquartum. paragraph. Ignis quare eſt ipſi ſentire propinquior, quam aqua? Solutio ibidem ad trigeſimumquintum paragraph. Ruſticus quare eſt Rex in ſua domo? Solutio ibidem ad trigeſimumſextum paragraph. Homo peccator quare eſt ſuperbus de ſuo vitio? Solutio ibidem ad trigeſimumſeptimum paragraph. Maritus & ſua vxor quare habent rixam? Solutio, ibidem ad trigeſſimumoctauum paragraph. Cum nox ſit ex aqua, quare ignis de nocte eſt ſuperbus? Solutio ibidem ad trigeſimumnonum paragraph. Reprehenſio quare eſt periculoſa? Solutio ibidem ad quadrageſimum paragraph.

De

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris vegetalis.

VItrus quare nobilior est in fine, quam in principio? Solutio. Vade ad primum paragraph. trunci antedicti. Vxor fabri, quæ suam faciem depingit, quare manus sui mariti deridet, quæ sunt nigræ? Solutio ibidē ad secundum paragraphum, Vinum quod voluntatem hilarem facit, quare intellectum hominis facit plorare? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Humilitas quomodo homines superbos reprehendit? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Fabæ quare non desiderant naturam habere cinamomi? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Mercator quare deridet rusticum patrem suum? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Cum ex maiori honore possit homo cadere in maius dedecus, quare homines plus maiorem honorem diligunt, quam minorem? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Albedo argenti quare nigredinem ferri deridet? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Rusticus quare Regem qui quiescit, reprehendit? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Superbia quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad decimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum arboris sensualis.

QVare Rex portat ensem? Solutio. Vade ad primum paragraph. prouerbiorū trūci arboris sēsualis. Quare ambę manus sunt amicę? Solutio ibidem paragr. secundo. Superbus quare non vult socium? Solutio ibidē paragr. tertio. Homo fatuus quare vult amari? Solutio ibidem paragr. quarto. Homo subditus quare diligit quietem? Solutio ibidem ad quintum paragr. Dominus quare pietatem de subditis suis non habet. Solutio ibidem ad sextum paragr. Homo luxuriosus quare in manu sua portabat florem lilij? Solutio ibidem paragr. septimo. Leo quare habet timorem de homine? Solutio ibidem paragraph. octauo. Bonum consilium quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad nonum paragr. Canis & lupus qui sunt similes, quare se inuicem odiunt? Solutio ibidem ad decimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris imaginalis.

SVccessio peccati, quomodo est in homine? Solutio. Vade ad primum paragr. prouerbiorū trunci arboris imaginalis. Suspicio quomodo incipit? Solutio ibidem paragr. secundo, Homo qui vult tradere Regem, quare habet timorem? Solutio ibidem ad tertium paragr. Homines quomodo luxuriam abhorrent? Solutio ibidem ad quartum paragr. Honor quomodo durat? Solutio ibidē paragr. quinto. Homo fallus quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad sextum paragr. Quare fit honor militi? Solutio ibidem ad septimum paragr. Fœminæ quare habent maiorem verecundiam, quam homines? Soluto ibidem ad octauum paragr. Paruum capucinum à magno capucino quæsiuit, in quo loco stabat hypocrisis? Soluitio ibidem nono paragr. Homo piger quare est macer? Solutio ibidem ad decimum paragr.

De

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris humanalis.

PEccatum luxuriæ quare propinquius est animæ, quam corpori? Solutio. Vade ad primum paragr. prouerbiorum trunci arboris humanalis. Homo qui alium reprehendit, quare seipsum excusat, cum reprehendit? Solutio ibidem ad secundum paragr. Corpus quomodo est occasio peccati? Solutio ibidem ad tertium paragr. Fur cum suspenditur, quare suum patrem & matrem blasphemat? Solutio ibidem paragr. quarto. Postquam voluntas non sentit, quare per sentire habet culpam? Solutio ibidem ad quintum paragr. Coruus quare cornicem, quæ est nigra, deridet? Solutio ibidem ad sextum paragr. Lupi quare oues comedunt? Solutio ibidem ad septimum paragr. Fœminæ quare maiorem timorem habent, quam homines? Solutio ibidē paragr. octauo. Asinus qui clamabat, quare philomelā derisit, quæ cantauit? Solutio ibidem ad nonum paragr. Homo discretus quare pœnam habet, quando cum homine indiscreto participat? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris moralis.

QVæsitum fuit à peccato, quis erat suus pater? Solutio. Vade ad primum paragr. prouerbiorum trunci arboris moralis. Quare sunt tot mali homines? Solutio ibidem paragraph. secundo. Finis peccati qualis est. Solutio ibidem ad tertium paragr. Quæsitum fuit à peccato, vbi stabat? Solutio ibidem ad quartum paragr. Quæsitum fuit à libero arbitrio, vtrum erat propter peccatum? Solutio ibidem ad quintum paragr. Conscientia ab homine peccatore quæsiuit, quare ipsam non diligebat? Solutio ibidem paragraph. sexto. Quæsitum fuit à peccato, quare malum de sole dicebat? Solutio ibidem ad septimum paragr. Vtrum virtus pœnam habere possit? Solutio ibidem ad octauum paragr. Quæsitum fuit ab annulo Regis, quantum valebat? Solutio ibidem ad nonum paragr. Quæsitum fuit à peccato, quare plus diuites quam pauperes diligebat? Solutio. Diuitiæ hominis auari & ociositas societatem inuicem contraxerunt. Et vade ad decimum paragr. trunci virtutis.

De Quæstionibus prouerbiorum trūci arboris imperialis.

OCiositas à bonitate quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Vade ad primum paragr. trunci antedicti. Quæsitum fuit à magnitudine, ociositas vbi stabat? Solutio ibidem ad secundum paragr. Quæsitum fuit ab homine ocioso, quare minus quam alius homo viuebat? Solutio ibidem ad tertium paragr. Quæsitum fuit à malitia, quis suus filius maior vocabatur? Solutio ibidem ad quartum paragr. Heremita à ciuitate quæsiuit, quare plorabat? Solutio ibidem paragr. quinto. Quæsiuit heremita à ciuitate, de quo erat populata? Solutio ibidem ad sextum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, de quo erat sua corona? Solutio ibidem paragr. septimo. Quæsiuit heremita à ciuitate, quare perdiderat verecundiam? Solutio ibidem ad octauum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, de quo erant messes suæ? Solutio ibidem ad nonum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, quare ibat de

nocte? Solutio ibidem ad decimum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, quare concordantiam non habebat cum bonitate? Solutio ibidem ad vndecimum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate de quo erat induta? Solutio ibidem ad duodecimum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, quis sibi viam ostendit, quando ibat in peregrinatione? Solutio ibidem ad decimumtertium paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, vbi erat hospitium Regis. Solutio ibidem ad decimumquartum paragr. Quæsiuit heremita à ciuitate, quis ipsam spoliauit? Solutio ibidem ad paragr. decimumquintum. Heremita à ciuitate quæsiuit, qualis est plus sapida comestio? Solutio ibidem ad decimumsextum paragr. Heremita à ciuitate quæsiuit, vbi erat suus fons? Solutio ibidem ad decimumseptimum paragr. Heremita à ciuitate quæsiuit, quis ipsam inhonorauit? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum trũci arboris apostolicalis.

HEremita à voluntate quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Vade ad primum paragr. trunci supradicti. Heremita à magnitudine quæsiuit, quò ibat? Solutio ibidem ad secundum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, de quo viuebat? Solutio ibidem ad tertium paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, quod signum in suo vexillo faciebat? Solutio ibidem ad quartum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, vtrum sciebat quæ erat conscientia? Solutio ibidem ad paragr. quintum. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, vtrum suus equus bene currebat? Solutio ibidem paragr. sexto. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, vtrum suus splendor erat per totum mundum? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, an erat infirma? Solutio ibidem paragr. octauo. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, quis eam à malis hominibus custodiebat? Solutio ibidem ad nonum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, quis eam spoliat? Solutio ibidem ad decimum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, de quo erat suus lectus? Solutio ibidem ad vndecimum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, an timorem habebat? Solutio ibidem ad duodecimum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, supra quid ædificata erat? Solutio ibidem ad decimumtertium paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, quales nuncios sibi suus sponsus transmisit? Solutio ibidem ad decimumquartum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, per quem plus erat inhonorata? Solutio ibidem ad decimumquintum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, de quo erat sua corona? Solutio ibidem ad decimumsextum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, quales erant sui consiliarij? Solutio ibidem ad decimumseptimum paragr. Heremita ab Ecclesia quæsiuit, in quo erat sua maior bonitas? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorũ trunci arboris cælestialis.

QVæsitum fuit à bono Rege, quomodo sui consiliarij vocabantur? Solutio. Vade ad primum paragraph. trunci antedicti. Quæsitum fuit ab ense Regis, vnde veniebat, & quò ibat? Solutio ibidem ad secundum paragr. Quæsiuit heremita ab electione, quare plus in secundo motu quam in primo esse diligebat? Solutio ibidem

dem ad tertium paragr. Quæsiuit heremita à prædicatore, si tanta bona exempla dabat hominibus cum manibus sicut cum lingua? Solutio ibidem ad quartum paragr. Quæsiuit heremita à manibus prælati, vtrum de virtutibus aliquem circulum fecerunt? Solutio ibidem ad quintum paragr. A voluntate prælati quæsiuit heremita quò ibat? Solutio ibidem ad sextum paragr. Heremita à firmamento quæsiuit, an dormiebat? Solutio ibidem ad septimum paragr. Heremita à sole quæsiuit, quare erat rotundus? Solutio ibidem ad octauum paragr. Heremita à prælato quæsiuit, quare stabat in medio hominum? Solutio ibidem ad nonum paragr. Equus à prælato quæsiuit, qui supra ipsum equitabat, quare erat ita ponderosus? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorũ trunci arboris angelicalis.

HEremita à malo angelo quæsiuit vtrum in aliquo quietem habebat? Solutio. Vade ad primum paragraph. prouerbiorum trunci arboris angelicalis. Heremita quæsiuit à dæmone, de quo erat plenus? Solutio ibidem ad secundum paragr. Heremita ab angelo quæsiuit, vtrum cum se mouebat de vno loco ad alium, transibat per medium? Solutio ibidem ad tertium paragr. Heremita quæsiuit à sapientia angeli, vtrum erat infirma? Solutio. Respondit sapientia, quod magnitudo veritatis erat sua mater. Et vade ibidem ad quartum paragr. Heremita quæsiuit, vtrum intellectus & voluntas erant suæ alæ? Solutio ibidem ad quintum paragr. Heremita ab angelo quæsiuit, vtrum sẽper erat rotundus? Solutio ibidem ad sextum paragr. Heremita ab angelo quæsiuit, quare erat indiuisibilis? Solutio ibidem ad septimum paragr. Heremita ab angelo quæsiuit, vtrum aliquam deliberationem habeat? Solutio. Nulla deliberatio est in vltimo fine. Et vade ibidem ad octauum paragr. Heremita à dæmone quæsiuit, vtrum erat liber? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Heremita à bono angelo quæsiuit, vtrum erat liber? Solutio. Inter bonum & malum angelum non est aliqua concordantia. Et vade ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorũ trunci arboris æuiternalis.

HEremita à Iesu Christo quæsiuit, quare dixit, quod ille qui non perseueraret vsque ad finem, damnaretur? Solutio. Vade ad primum paragraph. trunci prouerbiorũ arboris æuiternalis. Heremita quæsiuit ab æuiternitate, de quo erat? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Heremita à sole quæsiuit, vtrum post diem iudicij se moueret? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Heremita à motu quæsiuit, vtrum erat de natura infinitatis & æternitatis? Solutio ibidem ad quartũ paragraph. Heremita à mundo quæsiuit, vtrum erat æternus? Solutio ibidem ad quintũ paragraph. Heremita à motu quæsiuit, qualis erat suus carcer? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Heremita quæsiuit à iustitia Dei, vbi erat sine pietate? Solutio ibidem ad septimum paragr. Heremita ab æuiternitate quæsiuit, quare erat? Solutio ibidem ad octauũ paragraph. Heremita ab æuiternitate quæsiuit, quare gentibus ita magnum timorem faciebat? Solutio ibidem ad nonũ paragraph. Heremita ab æternitate &

æuiternitate quæsiuit: si vnquam diuiderent hoc quod acquisierunt? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris maternalis.

QVare nullus homo de Domina nostra debeat desperare? Solutio. Vade ad primum paragr. quæstionis supradictæ. Domina nostra de quo est plena? Solutio ibidem ad secundum paragr. Domina nostra quare est ita potens? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Domina nostra cum quo peccatoribus respondet? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Dæmon de quo maiorem habet timorem? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Domina nostra quid desiderat? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Heremita à Domina nostra quæsiuit, quales erant illi, quos ipsa non audiebat? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Domina nostra quare omnes homines non diligit? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Heremita à Domina nostra quæsiuit, vtrum plusquam vnum filium habebat? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Heremita ab apostolis quæsiuit, vtrum Domina nostra ipsorum erat? Solutio ibidem ad decimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris christianalis.

VTrum Deus plus creaturas diligit propter creationem, quam propter incarnationem? Solutio. Vade ad primum paragraph. trunci antedicti. Heremita à Iesu Christo quæsiuit, quare moriebatur? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Iesus Christus quomodo se excusat Dominæ nostræ, cum non vult veniam dare? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Vtrum aliquo modo possit esse medium inter Deum & creaturam? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Quare Deus naturam humanam assumpsit? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Heremita à Deo quæsiuit, quomodo potest habere maiorem potestatem, & maiorem amorem ad creaturam? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Heremita à voluntate Dei quæsiuit, qualis erat sua consuetudo? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Heremita à Deo quæsiuit, qualis idea est maior? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Heremita à Deo quæsiuit, quomodo melius poterat participare cum creatura? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Heremita à Deo quæsiuit: si humanam naturam in pluribus hominibus accipere posset? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum trunci arboris diuinalis.

HEremita à Deo quæsiuit, quales sunt suæ possibilitates & impossibilitates? Solutio. Vade ad primum paragraph. trunci antedicti. Heremita à Deo quæsiuit, quomodo erat in seipso? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Vtrum Deus & operatio quam Deus in se habet, sint vnũ idem? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Vtrum Deus sit infinitus? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Quæsitum fuit à Deo, vtrum possit esse ociosus? Solutio ibidem ad quintũ paragraph. Vtrum in Deo sit substãtiae? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Quæsitum fuit à Deo vtrum in operationibus, quas habet in se, sit vllum accidens? Solutio ibidem ad septi-

septimum paragraph. Quæsitum fuit à Deo, vtrum posset esse Dei? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Quæsitum fuit à Deo, vtrum sua substantia posset esse charitas sine trinitate? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Quæsitum fuit à diuina voluntate, vtrum suum amare erat substantiare? Solutio ibidem vltimum paragraph. Intelligas, quod si amare diuinæ voluntatis non esset substantiare, diligeret diuina voluntas ociositatem suæ substantiæ. Et si tu lector, qui legis has quæstiones, nescis soluere per passus ad quos te transmitto, iuues te cum branchis arboris apostolicalis, & cum branchis, ramis, & floribus arboris diuinalis.

De Quæstionibus brancharum. Et primò arboris elementalis.

QVæsitvm est, quare sunt quatuor elementa, & non plura, neque pauciora? Solutio. Vade ad branchas arboris elementalis. Quare sunt tres figuræ ex quatuor elementis, & non plures, neque pauciores, videlicet figura circularis, triangularis, & quadrangularis? Solutio ibidem. Vtrum siccitas ignis sit propria qualitas ignis aut appropriata? & hoc idem de calore aëris, & humiditate aquæ, & frigiditate terræ? Solutio. Si ignis esset calidus & siccus per suam naturam, & aër humidus & calidus, & aqua frigida & humida, & terra sicca & frigida, nullum elementum appetitum haberet essendi in alio: sicut aër qui appetitum non haberet ad recipiendum calorem ignis, postquam ipse esset per seipsum calidus: etiam appetitum non haberet in generatione & corruptione substantiarum elementatarum, & possent esse plura elementa, quam quatuor, quod est impossibile secundum cursum naturalem, & secundum quod probatum est in branchis arboris elementalis. Vtrum figuræ plantarum sint naturales, & de generalibus figuris? Solutio. Vade ad branchas, vt supra. Plenitudo substantiæ de quo est? Solutio. Complementum substantiæ elementalis est de radicibus & branchis arboris elementalis. Et vade ad easdem branchas. Elementa quomodo substantiam implent elementatam? Solutio. Circulus, quadrangulus, & triangulus sunt naturalia instrumenta, cum quibus elementa de seipsis substantias elementatas implent. Et vade ad branchas virtutis. Quare substantia elementata non potest esse vacua? Solutio. In mixtione circuli, trianguli, & quadranguli, qui sunt figuræ naturales, elementales & corporales, non potest esse vacuum. Quare vna candela quæ aliam incendit, de sua flamma aliquid non diminuit? Solutio. Truncus ex suis radicibus viuit, & ex trunco branchæ deriuantur, & quædam inuicem cum aliis miscentur, & elementa composita exeunt ex simplicibus, & transeunt per cādelam, quæ aliam candelam incendit. Cum quatuor elementa sint ex eisdem radicibus & ex vno trunco, quare sunt differentia? Solutio. Vade ad branchas, vt supra. Sphæra ignis quare est magis superius, quam sphæræ aliorum elementorum? Solutio ibidem.

De Quæstionibus brancharum arboris vegetalis.

VTrum in ortu pomi nascitur potentia vegetatiua & elementatiua, & vtrum ambæ potentiæ insimul nascantur? Solutio. Panis nascitur in.

furno ex farina & aqua, & cum Martinus ipsum comedit, nascitur elementatiua & vegetatiua ex pane in carne, & corrumpitur species panis & crescit caro Martini. Quare branchæ vegetatiuæ sunt quatuor, & non plures neque pauciores? Solutio. Vade ad branchas arboris vegetalis. Vtrum in pomo appetitiua ex vegetatiua, & appetitiua ex elementatiua vnam tertiam appetitiuam multiplicent, & quod earum species amittant? Solutio. In priuatione partium est totius priuatio. Et vade ad branchas, vt supra. Vtrum in pomo appetitiua vegetata sit per humidum radicale, & elementata per humidum nutrimentale? Solutio. Primæ intentiones mouent secundas ad earum finem: sicut in lampade, in qua flamma ignis mouet flammam olei, quæ est in potentia ad aliam flammam, quæ sit in actu. Vtrum in pomo appetitiua vegetata sit duplex, videlicet quod vna sit radicalis, & alia nutrimentalis? Solutio. Flamma quæ est in lampade, est radicalis, & illa quæ exit de oleo, est nutrimentalis, & cũ ex illa flamma accensa sit vna candela, illa flamma quæ est nutrimẽtalis, quæ exit de oleo, transit in candelam ad existẽdum flamma radicalis, quæ viuit ex flamma, quæ est in cera in potentia, & exit in actu nutrimentalis. Et in hoc passu est valde pulchra philosophia. Vtrum in pomo potentia retentiua sit duplex, videlicet, vtrum illa sit ex vegetatiua & elementatiua? Solutio. Pomus qui pomum producit in actu, aliud pomum retinet in potentia: si tamen elementatiuam nutritiuam retineat, quoniam si illa deficiat, pomum quod est in potentia retineri non potest: sicut flamma quę est in potentia in oleo, quæ perditur, cum oleum deficit flammæ lampadis. In pomo quomodo fit digestio pomi? Solutio. Vade ad branchas virtutis. Pomum quare est porosum? Solutio. Si in pomo pori non essent, truncus elementalis per illud transire non posset, nec digestiua digerere vapores, qui intrant in pomo, nec expulsiua pomi aliquid proiicere posset, & esset ociositas in pomo. Et vade ad branchas virtutis. Vtrum in hyeme pomum sit ociosum? Solutio. Impossibile est quod in subiecto in quo sunt differentia, concordantia & contrarietas sit ociositas. Et vade ad branchas virtutis. Heremita quæsiuit à pomo, quomodo crescebat, & quomodo consummabatur. Solutio ibidem.

De Quæstionibus brancharum arboris sensualis.

Vtrum affatus sit sensus? Solutio. Cum ex affatu maior sequatur operatio quam ex alio sensu, & in homine cum memoria, sapientia & voluntate maiorem habeat concordantiam, quam aliquis aliorum sensuum, suus finis foret in minoritate magnitudinis, bonitatis, virtutis & veritatis, & minus de entitate haberet quam aliquis aliorũ sensuum, quod est impossibile: Et vade ad branchas arboris sensualis. Quare sensus particulares sunt sex, & non plures, neque pauciores? Solutio. Sex rectitudines corporis maiorem habent concordantiam cum sex sensibus, quam non haberẽt si essent plures quam sex, aut pauciores: ex qua maiori concordantia oportet quod nobilior finis sequatur. Et vade ad branchas virtutis. Vtrum sex sensus particulares sint potentiæ substãtiales vel accidentales? Solutio. Si sensus particulares partes substantiales non essent, nulla pars substantiæ esset

esset actiua, neque passiua in sentiendo, & finis sentiendi in accidentibus consisteret, non autem in substantia: & finis sentiendi maior esset in minoritate, & minor in maioritate, cum ita sit, quod substantia cum maioritate habet concordantiam, & accidens cum minoritate. Et vade ad branchas virtutis. Vtrum sensitiua sit duplex? videlicet vna sit illa, q̃ est intra substantiam, sicut visibilitas, quæ est de essentia visitiuitatis, & quod illa sit substantialis, & alia sit sensitiua, quæ sit accidentalis, quam attingunt sensus extra substantiam: sicut est obiectum visum coloratum, quod est lapis, aut pomum, aut equus, in quibus generalis visibilitas accidentalis est seminata? Solutio. Nullus sensus extra substantiam attingit secundam figuram, quæ est accidentalis, & sensus communis est intra substantiã animatam, qui habet sex riuos substantiales, vt probatum est, in quibus accidentia sustentantur: sicut in visibilitate color, & in gustabilitate sapor, & sic de aliis. Et vade ad branchas virtutis. Heremita ab oculis quæsiuit, quomodo videbant, & quomodo in videndo species multiplicabant, & vtrum visitiuum ibat ad obiectum visum, aut è conuerso, aut vtrum vnum cum alio realiter non participaret sed tantummodo per similitudinem? Solutio ibidem. Si autes non essent, vtrum sonus foret in vanum? Solutio. Lapis & lignum, & truncus non sunt in vna specie cum corpore animato, & vade ad branchas virtutis. Odoratus quomodo est assituatus in arbore elementali vegetali & sensuali? Solutio. Vna persicus in pomo inserta fuit, & in illo pomo inserta fuit pirus, quæ pira produxit, quæ sapiunt naturas omnium trium truncorum, & maximè naturam trunci superioris, cum quo sunt in vna specie. Et vade ad branchas virtutis. Heremita à gustu quæsiuit, vnde exibat & vnde nascebatur, & quomodo exibat, & quomodo erat sua natiuitas? Solutio ibidem. Heremita à tactu quæsiuit, per quam qualitatem, cum tangebat, aut tangebatur, fortius sentiebat? Solutio ibidẽ. Heremita ab affatu quæsiuit, quare erat nobilior & vtilior sensus, quam alij. Solutio ibidem.

De Quæstionibus brancharum arboris imaginalis.

Vtrum imaginatiua sit de essentia elementatiuę, vegetatiuę, & sensitiuæ: aut si sit ita vna pars prima in creatione, sicut tres arbores de quibus dictum est? Solutio. Pes in cinere nihil de sua essentia dimittit, nec imaginatio in seipsa se extendit, cum equum imaginatur, nec se restringit, cum imaginatur autem equi: quoniã totum quod facit, ex similitudinibus facit, nec coacta est per tempus, neque per motum. Et vade ad branchas arboris imaginalis. Heremita ab imaginatione quæsiuit, quomodo similitudinem accipiebat à flamma ignis? Solutio ibidem. Heremita ab imaginatione quæsiuit, vtrum ipsa erat ita passiua impressio actiuæ vegetatiuæ, cum qua est coniuncta in animali, sicut cera quæ est passiua impressio actionis litterarum sigilli? Solutio ibidem. Vtrum imaginatiua similitudines attingat visitiuitatis aut visibilitatis in tempore præsenti, quando fiunt impressiones similitudinum actiuarum in passiuis? aut vtrum illas similitudines attingat in tempore præterito trãsactis impressionibus actiuis? Solutio. Impossibile est, quod impressio quam pes facit in cinere,

cinere, videri possit, dum pes stat supra illum, & vade ad branchas virtutis. Vtrum imaginatiua seminata sit in sono tonitrui, aut campanæ, & in voce quam facit lingua, & in nota, quam facit musicus intra affatum, cuius similitudinem extra in villam transiuit? Solutio. Imaginatiuitas, & sua propria imaginabilitas, quæ est de sua essentia, sunt intra animal: & sunt de sua essentia, & partes substantiales, de quibus est imaginatio, & imaginabilitas soni, tonitrui, campanæ, linguæ, & extenditur & sustentatur in primis tribus arboribus, ex qua imaginabilitate imaginatiua intra attrahit, & multiplicat similitudines, quos colligit in imaginabilitate intra. Et vade ad branchas virtutis. Heremita quæsiuit ab imaginatione, vtrum ipsa odorem pomi imaginabatur in naso? Solutio. In illo loco in quo sensus colligit sensibile, faciunt sensitiua & imaginatiua maiorem societatem. Et vade ad branchas virtutis. Heremita ab imaginatione quæsiuit, vtrum sua natura erat fœminina aut masculina? Solutio. In auibus quæ ex rapina viuunt, est natura fœminina maior & & fortior, quam masculina. Et vade ad ramos gustus in branchis arboris imaginalis. Heremita ab imaginatiua quæsiuit, cum quo erat tacta, cum imaginabatur calorem ferri calidi, aut frigiditatem aquæ? Solutio. Tangit affatus intra se vnam similitudinem cum alia, & exit similitudo illius tactus in villa cum motu in sono, cuius imaginatiua similitudines attingit, quos affatus tangit in seipso. Et vade ad branchas virtutis. Quare est imaginatio? Solutio. Si imaginatio non esset, capra timorem de lupo non haberet, nec suum filium congnosceret, nec ad fontem sciret redire.

De Quæstionibus brancharum arboris humanalis corporalium.

Quid est homo? Solutio. Homo est ens homificans & homificabilis, & qui cum pluribus creaturis participat, quam aliqua alia creatura. Cum bonitas magna sit per magnitudinem, & magnitudo sit bona per bonitatem, & asinus habeat maius corpus, quam homo, quare corpus hominis est melius, quam corpus asini? Solutio. In asino minoritas, bonitas, secunda intentio, & magnitudo habent concordantiam, & in homine maioritas, bonitas, prima intentio, & magnitudo habent concordantiam, idcirco differentia facit esse vnam magnitudinem hominis, & aliam magnitudinem asini, & concordantia concordat in bonitate hominis maioritatem & finem, & concordat in bonitate asini minoritaté, & illud quod est propter finem. Heremita ab homine quæsiuit, quot branchas corporales habebat? Solutio. Vade ad branchas corporales arboris humanalis. Quare homo contractus nascitur? Solutio. In generatione hominis contracti dormiunt instinctus & appetitus naturales, & magnitudo, bonitas, virtus, finis, & concordantia, & vigilant minoritas, contrarietas, principium, & medium. Quare aliquis homo sex digitos habet in manu? Solutio. In generatione manus quæ habet sex digitos, dormiebant forma & instinctus naturales, & magnitudo & appetitus naturales vigilabant cum principio materiali. In homine brachium sinistrum quare non est ita forte sicut dextrum, cum ita sit, quod est membrum principale, sit in parte sinistra? Solutio. Balista ita magnum ictum non facit in paruo motu, sicut

in

in magno: neque oculi digitos videre possunt, qui ipsos tangunt. Corpus hominis quare est pilosum? Solutio. Quilibet pilus est instrumētum, cum quo vapor depuratur, qui intrat, & cum quo restringitur vapor, qui exit per poros, vt digestio plures habeat amicos. Homo quare habet ventrem in medio loco corporis? Solutio. Illa virtus est communis, quæ est in medio, & pluribus partibus est magis abundosa, quam illa, quæ est in extremis. Homo quare comedit, & bibit? Solutio. Fusile ferri cum suo motu rotam molendini combureret, si aqua illud non infrigidaret. Homo quare habet duo brachia & duas tibias? Solutio. Quatuor elementa, & duo brachia, & duæ tibiæ hominis in numero habent concordantiam.

De Quæstionibus brancharum spiritualium arboris humanalis.

VTrum tres potentiæ animæ sint substantiales aut accidentales? Solutio. Plus de gloria potest capere substantia, quam accidens, & ex substantia exit maior virtus, quam ex accidente, & maior finis per substantiam consistit, quam per accidens, & Deus multo melius est dispositus, quod recolatur, intelligatur, & ametur cum maiori bonitate, quam cum minori, & nullum accidens naturaliter est ita magnum, sicut substantia. Et vade ad branchas spirituales arboris humanalis. Quare memoria superior est, quam bonitas, magnitudo, duratio, potestas, virtus, veritas, & gloria? Solutio. Deus est recolibilis & non per aliquam bonitatem creatam bonificabilis. Et hoc idem de magnitudine, duratione, & cæteris. Memoria de quo est? Solutio. Vade ad branchas virtutis. Memoria quare est? Solutio ibidem. Cum intellectus humanus sit vnus, & scientiæ sint plures, vtrum omnes scientiæ sint de intellectu? Solutio. Vade ad tertium paragr. de intellectu in branchis virtutis. Cum intellectus Martini sit vnum simplex principium suæ animæ, quæritur vtrum se habeat ad considerandum vniuersalia, vel particularia? Solutio ibidem paragr. quarto. Quæsitum fuit ab intellectu, vtrum ipse esset de forma & de materia? Solutio ibidem ad quintum paragr. Quæsitum fuit ab intellectu, qua natura genera, & species, atque indiuidua considerabat? Solutio ibidem ad sextum paragr. Ignis, pomum, lapis, & asinus, sunt intelligibiles, idcirco quæritur, vtrum illorum intelligibilitas sit ex essentia humani intellectus? Solutio ibidem ad septimum paragr. Intellectus quomodo species multiplicat, & in abstracto formam considerat, quam trahit ex concretis? Solutio ibidem ad octauum paragr. Humanus intellectus quomodo habet passionem per corpus? Solutio ibidem ad nonum paragr. Quare quidam homines subtiliorem habent intellectum, quam alij? Solutio ibidem ad decimum paragr. Quare intellectus, qui non est de natura corporalis motus, subtilius in vno tempore intelligit, quam in alio tempore? Solutio ibidem ad vndecimum paragr. Cum intellectus non sit de natura corporali, quid est illud, de quo potest esse plenus, aut vacuus? Solutio ibidem ad duodecimum paragr. Cum intellectus non sit omnia, quare totalitates rerum intelligit? & cum ipse sit sua totalitas, quomodo aliquam partem intelligere potest? Solutio ibidem ad decimumtertium paragr. Cum intellectus non sit substantia augmentabilis, nec consumpti-

bilis, quomodo extendit suam considerationem & restringit? Solutio ibidem ad decimumquartum paragraph. Cum humanus intellectus primum non habeat neque vltimum corporaliter, quomodo de vno loco in alium se mouet, quando per medium transit? Solutio ibidem ad decimumquintum paragr. Cum intellectus aliquam naturam corporalem non habeat, quomodo substantias molles & duras attingit? Solutio ibidem ad decimumsextum paragr. Humanus intellectus quomodo vnam similitudinem in aliam conuertit, cum facit tunicam suo intelligere ex illis similitudinibus? Solutio ibidem ad decimumseptimum paragr. Cum intellectus sit indiuisibilis, qua natura considerat antecedentia & consequentia rerum & conclusionem illarum? Solutio ibidem ad decimumoctauum paragraph. Cum intellectus non sit augmentabilis, quomodo vadit & venit augmentabilitas habituum? Solutio ibidem ad decimumnonum paragraphum. Cum intellectus sit substantia simplex, dispositio & proportio, quomodo sunt ei formæ appropriatæ? Solutio ibidem ad vigesimum paragr. Cum intellectus non sit substantia diuisibilis, & ordo sit ex pluribus rebus, quomodo est ordo de sua conditione? Solutio ibidem ad vigesimum primum paragr. Cum intellectus sit substantia indiuisibilis, influentia & refluentia quomodo sunt in illo sustentatæ? Solutio ibidem ad vigesimum secundum paragr. Cum intellectus sit substantia indiuisibilis, ortus & exitus quomodo sunt formæ in illo sustentatæ? Solutio ibidem ad vigesimum tertium paragr. Vtrum intelligere sit ex essentia intellectus, cum ita sit, quod vera possit ignorare, & habere opinionem, quod illa sunt falsa, & quia ipse non intelligit, in hominibus qui dormiunt? Solutio ibidem ad vigesimum quartum paragr. Intellectus quomodo seipsum intelligit? Solutio ibidem ad vigesimum quintum paragr. Cum intelligibilitas non sit de essentia pomi, nec visibilitas pomi sit de essentia sensus, & pomum est visibile, quamuis intellectus non esset, vtrum pomum esset intelligibile, supposito quod intellectus esset in priuatione? Solutio ibidem ad vigesimum sextum paragr. Intellectus quomodo attingit vniuersale cum particulare? Solutio ibidē ad vigesimūseptimū par. Heremita ab intellectu quæsiuit, per qualem sensum erat melius practicus, & per qualem melius theoricus? Solutio ibidem ad vigesimum octauum paragr. Vtrum intellectus speculatiuus incipiat prius in suis similitudinibus, quam in similitudinibus obiectorum, quæ inquirit? Solutio ibidem ad vigesimum nonum paragr. Vtrum intellectus ita habeat sex rectitudines spirituales, sicut corpus corporales? Solutio Rectitudines intellectus naturaliter sunt intellectiuum, intelligibile, & intelligere. Et vade ad trigesimum paragr. in branchis antedictis. Cum intellectus non sit de natura masculina neque fœminina; quare subtilior est & fortior in hominibus, quam in mulieribus? Solutio ibidem ad trigesimum primum paragr. Intellectus & sensitiua quomodo habent concordantiam? Solutio ibidem ad trigesimum secundum paragr. Instrumenta intellectus speculatiui qualia sunt? Solutio ibidem ad trigesimum tertium paragr. Intellectus quomodo suum intelligere nutrit ex morali virtute? Solutio ibidem ad trigesimum quartum paragr. Intellectus quomodo-

do

do habet impreſſiones actiuas & paſſiuas? Solutio ibidem ad trigeſimum quintum paragr. Vtrum intellectus ſit de aliquibus principiis primis & generalibus? Solutio ibidem ad trigeſimum ſextum paragr. Vtrum ſit vnus intellectus generalis ad omnes? Solutio ibidem ad trigeſimumſeptimum paragraphum. Heremita ab intellectu quæſiuit, vtrum ſuam neceſſitatem in contingentiam conuertebat? Solutio ibidem ad trigeſimumoctauũ paragr. Iacebat intellectus infirmus & quærebatur ab illo, de quo erat ſua infirmitas? Solutio ibidem ad trigeſimumnonum paragr. Vtrum intellectus ſit vita, aut vita ſit pars ipſius? Solutio ibidem paragr. quadrageſimo. Vtrum intellectus conuertat ſimilitudinem coloris in intelligibilitatem, aut vtrum color in ſe habeat naturam intelligibilitatis? Solutio ibidem ad quadrageſimumprimum paragr. Heremita ab intellectu quæſiuit, quare ſomniant homines? Solutio ibidem ad quadrageſimumſecundum parag. Heremita ab intellectu quæſiuit, vtrum libertatem habebat in intelligendo? Solutio ibidem ad quadrageſimumtertium paragr. Intellectus triſtis quare deſiccat oſſa, cum ita ſit, quod ipſe non ſit de ſicca natura? Solutio ibidem ad quadrageſimumquartum paragr. Prudentia intellectus vbi incipit? Solutio ibidem ad quadrageſimumquintum paragr. Vtrum inter eſſentiam intellectus & ſuum eſſe ſit differentia? Solutio ibidẽ ad quadrageſimumſextum paragr. Heremita à voluntate quæſiuit, de quo erat? Solutio. Vade ad quæſtionẽ de volũtate, quæ eſt in brãchiis ſpiritualibus arboris humanalis. Heremita à voluntate quæſiuit cum ipſa non ſit de natura corporali, quare ignem diligit? Solutio ibidem ad ſecundum paragraphum. Heremita à voluntate quæſiuit, quomodo faciebat pœnitentiam? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Heremita à voluntate quæſiuit, quomodo peccabat? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Vtrum imaginatio ſit ſubiectum libertatis? Solutio ibidem ad quintum paragr. Vtrum in anima memoria, intellectus, & voluntas ſint ſecundum ſuam naturam æquales, & vtrum ſecundum rationes in aliquibus operationibus ſint inæquales? Solutio ibidem ad ſextum & ſeptimum paragr.

De Quæſtionibus brancharum arboris moralis.

Et primò de iuſtitia.

Heremita à Iuriſta quæſiuit, quid eſt iuſtitia? Solutio. Vade ad capitulum de iuſtitia in branchis arboris moralis. Iuſtitia de quo eſt? Solutio ibidem. Iuſtitia quomodo durat? Solutio ibidem. Iuſtitia quare eſt? Solutio ibidem. Vtrum iuſtitia ſit ex rebus viſibilibus? Solutio ibidem. Iniuria de quo eſt? Solutio ibidem. Iniuria de quo modo eſt? Solutio ibidẽ. Vtrum iuſtitia ſit habitus æqualis intellectui, voluntati, & memoriæ? Solutio ibidem. Suppoſito quod iuſtitia non ſit æqualis habitus omnibus tribus potentiis animæ, vtrum ſua inæqualitas eſſet occaſio iniuriæ? Solutio. Magnitudo & maioritas habent concordantiam cum eſſe, paruitas vero & minoritas cum priuatione. Heremita à iuſtitiã quæſiuit, vtrum plures amicos haberet? Solutio. Iuſtitia reſpõdit & dixit, quod pauci ſunt homines,

qui Deum diligunt ſimpliciter propter ſuam bonitatem, magnitudinem, & æternitatem.

De Quæſtionibus prudentiæ.

PRudentia quare eſt? Solutio. Vade ad quęſtionem antedictam in brāchis arboris moralis. Heremita à prudentia quæſiuit, vtrum ſimpliciter maiorem haberet concordantiam cum intellectu quam cum voluntate? Solutio. Vna eſt natura, & in differentia rationum ſunt diuerſi modi. Et vade ad capitulum de prudētia. Vtrum homo ſapiens in iudicio prius conſideret intelligere, quam amare. Solutio ibidem. Vtrum prudentia prius artem conſideret, quam naturam? Solutio. Nullus homo accipere poſſet per vim leonem ſilueſtrem. Heremita à Iuriſta quæſiuit, quare plus prudentia vtebatur cum memoria, quam cum intellectu? Solutio. Omnes bonæ cōſuetudines adhuc in mundo non venerunt. Vtrum prudentia maiorem habeat concordantiam cum oculis, quam cum auribus? Solutio. Experiētia eſt ex oculis, & poſitiones ſunt ex auribus. Heremita à prudentia quæſiuit, an prius haberet bonam opinionem, quam malam? Solutio. Prudentia reſpondit & dixit, quod ipſa ſua germana charitas non erat, quæ per plures homines eſt decepta. Heremita à prudentia quæſiuit, quo tempore in menſa maiorem vim habebat? Solutio. Pauci homines ſunt illi, qui dum famem habent & comedunt, memoriam de temperantia habeant. Heremita à prudentia quæſiuit, vtrum fortior erat in maioribus neceſſitatibus? Solutio. Prudentia reſpondit & dixit, quod in illa omnes homines æquales non erant. Heremita quæſiuit à prudentia, ſi ei erat licitum mentiri? Solutio. Prudentia reſpondit & dixit, quod quædam puella de veneno viuebat.

De quæſtionibus fortitudinis.

FOrtitudo quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionē de fortitudine, quæ eſt in branchis arboris moralis. Fortitudo quomodo eſt? Solutio ibidem. Fortitudo de quo eſt plus? Solutio ibidem. Fortitudo quare eſt? Solutio. Fortitudo eſt, vt homines habere poſſint deliberationem ad vtendum ſuis rationibus. Heremita à fortitudine quæſiuit, vtrum maior erat per amorem, quam per timorem? Solutio. In omni virtute eſt amor ante rationes humanas, & timor retro, cum ita ſit, quod timor ſit conſequentia amoris. Heremita à fortitudine quæſiuit, quem plus diligebat, aut intellectum, aut voluntatem? Solutio. Reſpondit fortitudo, quod intellectus ſibi oſtendit felicitatem & periculum, & voluntas ei conſulebat, quod felicitatem acciperet, & quod de periculo timorem non haberet. Heremita à fortitudine quæſiuit, cum quo bellum vincebat? Solutio. Vade ad quæſtionem virtutis. Heremita à fortitudine quæſiuit, vbi ſtabat? Solutio. Reſpondit fortitudo, quod ipſa erat in omnibus illis, qui ipſam diligebant. Heremita à fortitudine quæſiuit, quomodo creſcebat? Solutio. Reſpondit fortitudo & dixit, quod ipſa talem habebat naturam ſicut contrarietas, quæ quanto plus tangitur, tanto plus creſcit. Heremita à fortitudine quæſiuit, de quo viuebat? Solutio. Reſpondit fortitudo, quod ipſa viuebat ex ſimilitudinibus, quas ſibi ſuę germanę dabant ad comedendum.

De

De Quæſtionibus temperantiæ.

Temperantia quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem de temperentia, quæ eſt in branchis arboris moralis. Quærebatur temperantia, quomodo vocabatur? Solutio. Reſpondit temperantia & dixit, quod ſuum nomen erat ſanitas. Temperantia, dixit heremita, quare medici volunt tibi malum? Solutio. Reſpondit temperantia, quod medici ſibi malum volebant, quia ipſa procurabat quod ipſi eſſent pauperes. A temperantia quærebatur de quo genere erat? Solutio. Reſpondit temperantia, quod iuſtitia & fortitudo ſuæ germanæ erant. Quærebatur à temperantia, de quo viuebat? Solutio. Reſpondit temperantia, quod timor mortis & verecundia ſua cibaria erant. Quærebatur à temperantia, quare plus diligebat ſtare cum Rege, quam cum ruſtico? Solutio. Reſpondit temperantia, quod in illo loco in quo plus lucrari poteſt, & in quo eſt magis neceſſaria ibi ſtabat libentius. Temperantia, dixit heremita, quare habes maiorem timorem de vino, quam de aqua? Solutio. Reſpondit temperantia, quod magnus ſapor ſuam mortem procurabat. Temperantia, dixit heremita, quare es tantum tædioſa? Solutio. Reſpondit temperantia, quod ipſa erat tædioſa, quia homines ſæpè comedunt & bibunt. Quæſitum fuit à temperantia, ſi timorem habebat? Solutio Reſpondit temperantia, quod ipſa timorem habebat omni tempore quod homines conuiuium faciebant, & de cibariis ſapidis loquebantur. Temperantia, dixit heremita, quare es ita macra? Solutio. Reſpondit temperantia, quod ipſa erat macra, quia in menſa fortitudo dormiebat, & memoria ipſam non recolebat.

De Quæſtionibus fidei brancharum arboris moralis.

Heremita à quodam religioſo quęſiuit, quid eſt fides? Solutio. Vade ad ramos de fide in branchis arboris moralis. Fides, dixit heremita, quare es? Solutio ibidem. Fides, quare ploras? Solutio. Reſpondit fides, quod ipſa plorabat, quia lupi oues comedunt. Fides, dixit heremita, diligis veritatem? Solutio. Reſpondit fides, quod ipſa erat veritatis ancilla, & in ipſa veritas ſuam poſuit figuram. Fides, dixit heremita, es inſtrumentum intellectus? Solutio. Reſpondit fides, quod ipſa erat ſcutum intellectus, qui ſcindit & occidit cum enſe ſuos inimicos. Quærebatur à fide, vtrum plures amicos haberet? Solutio. Reſpondit fides, quod ſi ipſa plures amicos haberet, in Hieruſalem lupi non eſſent, qui oues occidunt, nec ſol fruſtra ſuam in fidelibus daret claritatem. Quæſitum fuit à fide, vtrum ipſa in bello prius iret? Solutio. Reſpondit fides, quod in bello ſuum officium erat ſuppoſitio, & intellectus demonſtratio, idcirco præibat. Fides qualia ſunt tua merita? Solutio. Vade ad ramos virtutis. Quæſitum fuit à fide, vtrum intellectum diligeret & ſua merita? Solutio. Reſpondit fides, quod omnis bonus miles diligit ſuum bonum equum. Quæſiuit fides ab intellectu, vtrum plus ipſam diligeret, quam ſeipſum? Solutio. Reſpondit intellectus, quod ipſe maius meritum habebat per intelligere, quam per credere: quoniam per intelligere erat liber, & per credere erat ſubditus, & coactus in hoc, quod faciebat.

De Quæstionibus spei brancharum arboris moralis.

SPes quid est? Solutio. Vade ad ramos de spe in branchis arboris moralis. Spes quare est? Solutio ibidem. Heremita quæsiuit à spe, vtrum aliquem hominem decepisset: Solutio. Respondit spes, quod si ipsa aliquem hominem decepisset, quod contra Dominam nostram fortiter errauisset, quæ ipsam valdè dilexit, & penes filium suum sæpius recoluit: sed eius figura plures homines decipit contra suam formam. Et vade ad ramos virtutis. Quærebatur à spe, vtrum ipsa erat in illis hominibus, qui plus seipsos quam Deum diligunt: Solutio. Respondit spes, quod ipsa erat germana misericordiæ & iustitiæ. Quærebatur à spe, quomodo vincebat iustitiam Dei? Solutio. Respondit spes, quod in hoc quod peccator se iudicabat, & iustitiam Dei diligebat, ipsam misericordiam Dei adducebat, cum qua Deus parcit peccatoribus. Quærebatur à spe quomodo crescebat? Solutio. Vade ad ramos virtutis. Heremita quæsiuit à spe, vtrum timorem habuisset: Solutio. Respōdit spes, quod sēper quando homo sapiens in sua sapientia confidebat, & Rex in sua potestate, & homo sanus in sua sanitate, timorem habebat. Heremita à spe quæsiuit, quare erat maior in hominibus infirmis, quàm in sanis, & in hominibus pauperibus, quam diuitibus? Solutio. Respondit spes, quod in necessitatibus suis homines suos amicos recolunt. Heremita quærebat à spe, vtrum misericordia Dei erat maior, quam peccatum? Solutio. Respondit spes & dixit heremitæ, quod ipse illam quæstionem faceret Dominæ nostræ, quæ de misericordia Dei habebat omne illud quod volebat, tunc cum illi loquitur de illis qui in ipsa confidunt. Heremita à spe quæsiuit, vtrum erat tristis? Solutio. Respondit spes, & dixit heremitæ, quod desperantia eius inimica nunquam aliquem hominem hilarem fecit.

De Quæstionibus charitatis brancharum arboris moralis.

HEremita à prælato quæsiuit, vtrū sciebat quid erat charitas? Solutio. Vade ad quæstionem de charitate in branchis arboris moralis. Quæsitum fuit à charitate, quare erat? Solutio ibidem. Charitas, dixit heremita, de quo es plena? Solutio ibidem. Heremita à charitate quæsiuit, quare erat libentius in hominibus pauperibus, quā in diuitibus? Solutio. Respondit charitas & dixit, quod propter denarios & possessiones vt plurimum erat vilipensa. Quærebatur à charitate, diuites homines cuius sunt? Solutio. Respondit charitas & dixit, quod homines diuites deberent esse procuratores hominum pauperum. Charitas, dixit heremita, quis te inuitauit? Solutio. Respondit charitas & dixit, quod ipsa comedebat ad tabulam iustitiæ & spei. Charitas quare timorem non habes? Solutio. Respondit charitas & dixit, quod ipsa timorem non habet propter hoc, quia suum creatorem plusquam seipsam diligebat. Charitas quare plus diligis esse in voluntate, quam in intellectu? Solutio. Respondit charitas, quod in hac vita voluntas prius erat ad amatum, quam intellectus ad intellectum. Charitas in quo tempore es magis honorata? Solutio. Respondit charitas, quod in illo tempore erat valdè honorata,

norata, in quo publica vtilitas valdè diligebatur. Heremita à charitate quæsiuit, vtrum ipsa erat magna? Solutio. Respondit charitas, quod ipsa erat magna in potentia: quoniam quilibet homo habere potest tantum ex ipsa, quantum vult, sed propter hoc quia paucos amicos habebat, parua erat in actu: idcirco stabat infirma & inter gentes inhonorata; tunc vero heremita plorauit propter illud, quod charitas dicebat.

De Quæstionibus iustitiæ & prudentiæ.

IVstitia & prudentia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad ramos iustitiæ & prudentiæ in branchis arboris moralis. Prudentia quomodo est ancilla iustitiæ, & iustitia prudentiæ? Solutio ibidem. Heremita à iustitia & prudentia quæsiuit, vtrum maiorem haberent concordantiam positiuæ quam demonstratiuæ? Solutio. Respondit prudentia, quod ipsa plus demonstrationem, quam positionem diligebat, quia erat intellectus similitudo: & iustitia respondit, quod in ignorantia intellectus ipsa stabat infirma. Heremita à iudice quæsiuit, vtrum in iudicio plus debebat considerare iustitiam, quam prudentiam? Solutio. Iudex respondit, quod de nocte in sua camera videbat cum lumine literas sui libri, quarum significationem scire desiderabat: vt veritatem dicere posset illis, qui ipsam ab ipso quærebant.

De Quæstionibus iustitiæ & fortitudinis.

FOrtitudo quomodo excitat iustitiam, & quomodo ipsam à lupis custodit? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in brāchis arboris moralis. Iustitia & fortitudo quare voluntatem peccatoris increpabant, cum peccabat? Solutio. Iustitia & fortitudo sunt, vt in electione voluntas habeat deliberationem. Heremita à fortitudine quæsiuit, quare iniuria ita fortiter erat in mundo multiplicata? Solutio. Respondit fortitudo, quod iustitia ipsam quasi totam obliuioni dedit. Heremita à fortitudine quæsiuit, vtrum verecundiam haberet? Solutio. Respondit fortitudo, quod ipsa verecundiam habebat ex defectibus quos iustitia germana sua faciebat in hoc, quod non puniebat illos, qui ipsam inhonorabāt.

De Quæstionibus iustitiæ & temperantiæ.

HEremita à iustitia quæsiuit, quare habebat ita pulchra verba? Solutio. Vade ad quæstionē antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à iustitia quæsiuit, vtrum dolorem in capite habebat? Solutio. Respondit iustitia, quod temperantia sua germana erat. Temperantia, dixit iustitia, quare me in mensa obliuisceris? Solutio. Respondit temperantia, quod ipsam oblita fuit, quia ipsam cum ieiuniis non castigabat. Iudex à iustitia quæsiuit & à temperantia, quomodo iudex occidere posset, & deuincere gulam & iniuriam: quoniam sæpius ipsum tentabant, & impediebant, cum in suo libro legebat, & in iudicio stabat? Solutio. Vade ad ramos virtutis.

De Quæstionibus iustitiæ & fidei.

FIdes à iustitia quæsiuit, vtrum iustum erat quod ipsa esset ita fortiter vituperata per aliquos homines, qu-

qui per ipsam erant ita honorati, & ita diuites? Solutio. Plorabat iustitia, & dixit ad fidem, quod ipsa magnam quæstionem non faciebat, veruntamen illam quæstionem, quam ipsa faciebat, volebat scribere in suo libro, vt in die iudicij ipsam recolere posset. Quærebatur à fide & iustitia, vtrum amicæ erant? Solutio. Vade ad quæstionem iustitiæ & fidei in branchis arboris moralis. Fides, dixit iustitia, & quare fles? Solutio. Iustitia, dixit fides, & quare me non iuuas? Fides, dixit iustitia, habes denarios? Solutio. Respondit fides iustitiæ, quare illam quæstionem voluntati hominum non faciebat, qui tantum ipsos diligunt.

De Quæstionibus iustitiæ & spei.

IVstitia à spe quæsiuit, vtrum in illa aliquando erat fatigata? Solutio. Respondit spes, quod inter ambas semper erat concordantia. Et vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à iustitia & spe quæsiuit, de quo viuebat: Solutio. Responderunt iustitia & spes, quod ipsæ viuebant ex concordantia. Heremita à iustitia quæsiuit, vtrum posset deuinci? Solutio. Respondit iustitia, quod ipsa deuinci non poterat in illis hominibus, qui in ipsa spem habent. Heremita à iustitia quæsiuit, cum ipsa punit peccatores de peccato, quare in ipsa habent spem? Solutio. Iustitia respondit, quod nullus peccator in ipsa spem habebat, qui de suis peccatis non dolebat, contra quem dolorem ipsa nullam iniuriam spei facere poterat.

De Quæstionibus iustitiæ & charitatis.

QVærebatur à iustitia, quare ita fortiter erat irata? Solutio. Respondit iustitia, quod ipsa irata erat, quia charitas ipsam quasi obliuioni dedit. Et vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à iustitia quæsiuit, quare erat ita negociosa: Solutio. Respondit iustitia, quod ipsa laborem habebat, quia charitas ferè perdita erat. Heremita à charitate quæsiuit, vtrū si ipsa in omnibus hominibus esset, iustitia foret ociosa? Solutio. Respondit charitas, quod si ipsa foret in omnibus hominibus, foret iustitia negociosa in remunerando omnes homines per amare. Iustitia, dixit charitas, quare ploras? Solutio. Respondit iustitia, quod ipsa plorabat, quia plures homines ad damnationem, quam ad saluationem iudicabat, & tunc charitas diu cum iustitia plorauit, & dixit, quod ipsæ venerant in supplicio malorum hominum.

De Quæstionibus prudentiæ & fortitudinis.

FOrtitudo cum quo prudentiæ seruit? Solutio. Si fortitudo abstinentiā nō causaret, prudentia deliberationē habere non posset. Et vade ad quæstionē antedictā in brāchis arboris moralis. Prudentia & fortitudo quare sunt amicæ? Solutio. Dum fortitudo abstinentiam producit, prudentia facit comparationem rerum cum differentia, vt faciat bonam electionem. Prudentia quare moritur? Solutio. In consumptione carbonis consumptio flammæ consistit. Fortitudo de quo

quo viuit? Solutio. Vade ad quæstionem virtutis.

De Quæstionibus prudentiæ & temperantiæ.

HEremita à prudentia & temperantia quæsiuit, quæ illarum electionem faciebat? Solutio. Duo homines ad vnam mensam comedebant: vnus autem carnes diuidebat in duas partes æquales in bonitate & pondere, alius verò vnam partem accepit, & aliam suo socio dedit. Et vade ad rubricam antedictam in branchis arboris moralis. Prudentia quomodo est infirma? Solutio. In infirmitate temperantiæ consistit infirmitas prudentiæ. Temperantia quomodo est sana: Solutio. Lumen est in camera: & mercator denarios suos computat. Prudentia & temperantia qua hora diei maiores sũt amicæ? Solutio. Temperantia rogauit prudentiam quod sibi lumen ad mensam faceret: & prudentia rogauit temperantiam, quod suum librum scriberet, dum ipsa comederet.

De Quæstionibus prudentiæ & fidei.

PRudentia & fides quomodo habent concordantiam contra vitia? Solutio. Vade ad rubricam antedictã in branchis arboris moralis. Fides quomodo est subiectum prudentiæ? Solutio. Fides suppositionem facit per credulitatem in principio, cum intellectus inquirit affirmationem & negationẽ, & prudẽtia ex illa suppositione trahit affirmationem aut negationem cum demonstratione. Cum prudentia viuat per intelligere, quare fidem diligit, quam non intelligit? Solutio. Fides est baculus, in quo prudentia infirma se sustinet. Heremita à fide quæsiuit, vtrum erat ita amica voluntaris: sicut intellectus? Solutio. Respondit fides, quod ipsa Domina erat per intellectum, qui sibi obediens erat, & stabat liberè per voluntatem, quæ sibi nullam coactionem faciebat.

De Quæstionibus prudentiæ & spei.

HEremita in via spem inuenit, & ab ipsa quæsiuit quò ibat, & vnde veniebat: Solutio. Vade ad brancha antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à prudentia quæsiuit, quare spem tantum diligebat: Solutio. Respondit prudentia quod spes bonus nuncius erat: quoniam ipsa sibi afferebat bonum Dei, de quo viuebat. Heremita à prudentia quæsiuit, vtrum spes fessa erat: quoniam totiens ibat & redibat? Solutio. Respondit prudentia, quod spes talem naturam habebat, sicut flamma ignis, quæ se mouet, vt viuere possit. Quæsiuit heremita à prudentia, vtrum spem sibi vendere vellet? Solutio. Respondit prudentia, quod si ipsa venderet spem, timorem & indigentiam haberet.

De Quæstionibus prudentiæ & charitatis.

PRudentia, dixit charitas, quare me maiorem non respondes in amando Deum, quam in amando homines, cum ego sim in amando Deum per primam intentionem, & per secundam in amando homines? Solutio. Respõdit prudentia, quod ipsa illam quæstionem faceret voluntati Martini, quę plus suum diligit honorem, & sui filij, quam honorem Dei. Charitas à prudentia quęsiuit, quare dormiebat: quo-

niam quasi totus mundus ad perditionem deueniebat? Solutio. Respondit prudentia, & à charitate quæsiuit deuotio, quare tantum tardabat, & citò non veniebat. Heremita à prudentia quæsiuit & à charitate, vtrum maiorem habeant concordantiam in æqualitate, quam in maioritate & in minoritate? Solutio. Responderunt prudentia & charitas, & dixerunt, quod Deus æqualiter erat intelligibilis & amabilis cum magnitudine bonitatis, & veritatis. Heremita à prudentia & à charitate quæsiuit, vtrum magnam haberent amicitiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis arboris moralis.

De Quæstionibus fortitudinis & temperantiæ.

HEremita à temperantia quæsiuit, cum quo gulam suam inimicam vincebat? Solutio. Vade ad rubricā antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à fortitudine quæsiuit, quis ipsam remunerabat de labore suo? Solutio ibidem. Heremita virtutem inuenit, & ab ipsa quæsiuit, de quo viuebat? Solutio. Respondit virtus, quod ipsa viuebat ex fortitudine in temperantia, & ex temperantia in fortitudine. Et vade ad ramos virtutis. Heremita à temperantia quæsiuit, qua hora diei erat maior? Solutio. Respondit temperantia, quod ipsa erat maior illa hora diei, in qua cum fortitudine tam magnam habebat concordantiam, quod gulam vincebat, ita quod nullam passionem sentiebat.

De Quæstionibus fortitudinis & fidei.

HEremita à fide quæsiuit, cum quo intellectum cogebat? Solutio. Vis suppositionis quæ elegit affirmationem aut negationem sine dubitatione ligat intellectui suas tibias. Et vade ad rubricā antedictam in brāchis arboris moralis. Intellectus quomodo accipit habitum fidei, quem sibi Deus clargitur? Solutio. Sicut voluntas accipit habitum charitatis amando plus Deum quam seipsam, ita intellectus accipit habitum fidei obediendo alij & non sibiipsi. Et vade ad ramos virtutis. Heremita à fide quæsiuit, quomodo crescebat? Solutio. Respondit fides, quod ipsa crescebat tanto fortius, quanto fortitudo cum veritate compellebat intellectum. Heremita à fortitudine quæsiuit, vtrum ita magna erat per demonstrationem, sicut per credulitatem? Solutio. Respondit fortitudo quod ipsa maior erat in fine quam in principio, cum ita sit, quod principium sit ratione finis.

De Quæstionibus fortitudinis & spei.

HEremita à fortitudine quæsiuit, quomodo spe vtebatur? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. A peccatore quærebatur, vtrum fortitudo in illo erat maior cum se iudicabat, aut cum misericordiam Dei sperabat? Solutio. Respondit peccator, quod cum seipsum iudicabat esse dignum pœna magna, passionem sentiebat propter magnum timorem, quem habebat de magna iustitia Dei, quam valdè diligebat, ratione cuius timoris plorabat, & cum in Deo sperabat, & suam spem ad misericordiam Dei transmittebat, nullum dolorem nec passionem sentiebat, & suum cor hilaritate & audacia complebat. Heremita à fortitudine

dine quæsiuit, vtrum vllo tempore deuicta fuerat? Solutio. Respondit fortitudo, quod ipsa erat deuicta sẽper, cum spes ab ipsa recedebat. Heremita à fortitudine quæsiuit, vtrum ipsa spem compellere poterat? Solutio. Respondit fortitudo, quod ipsa spem compellere non poterat: quia Deus ipsam liberè dabat & liberè ibat & veniebat.

De Quæstionibus fortitudinis & charitatis.

HEremita à charitate quęsiuit, quare Deus in hoc mundo tantas suis amicis dabat passiones? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in brãchis arboris moralis. Charitas, dixit heremita, quare Deus mandat homini, quod suum diligat inimicum? Solutio. Respondit charitas, quod Deus vult, quod homo suum inimicum diligebat, vt ipsa magnam habeat fortitudinem. Heremita à charitate quæsiuit, vtrum ipsa maiorem haberet fortitudinem in amãdo suum amicum, quam in amando suum inimicum? Solutio. Respondit charitas, quod ipsa suum amicum diligebat cum concordantia sine passione, & suum inimicum cum contrarietate & passione diligebat, ideoco amare cum vno pede ibat grauiter & cum alio leuiter. Charitas, dixit heremita, quare homo pauper maius habet meritum, si eleemosynam faciat de vno denario, quam homo diues de vno talento? Solutio. Ille maius meritum consequitur, qui cum tota sua potestate facit bonum.

* * *

De Quæstionibus temperantiæ & fidei.

HEremita à fide, & temperantia quæsiuit, vtrum fortitudo ipsas inuitauerat? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à fide quæsiuit, de quo suum ieiunium erat? Solutio. Respondit fides quod ita erat suum ieiunium spiritualiter ex suppositione sine dubitatione, quæ est carcer intellectus: sicut est ieiunium corporaliter ex temperantia in comedendo sapida cibaria & delicata. Heremita à fide quæsiuit, vtrum maior esset in credulitate, quam temperantia in abstinentia? Solutio. Nulla virtus corporalis æqualis potest esse in magnitudine bonitatis cum spirituali virtute. Heremita temperantiam inuenit, à qua petiit, quo ibat? Solutio. Respondit temperantia, quod ipsa ibat ita ad mortificandum saturitatem & saporem supra naturam appetitiuæ: sicut fides ibat ad mortificandum inquisitionem intellectus supra demonstrationem.

De Quæstionibus temperantiæ & spei.

HEremita à temperantia quæsiuit, quomodo amicitiam procurabat inter iustitiam & spem? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Spes quomodo est causa temperantiæ? Solutio ibidem. Heremita à temperantia quæsiuit, de quo erat pannus suæ tunicæ? Solutio. Respondit temperantia, quod pannus suæ tunicæ erat ex iustitia & spe. Heremitã à temperantia quæsiuit, vtrum spem maiorem habere sperabat cum gallinas comedebat: sicut

cum comedebat cepas? Solutio. Respondit temperantia, quod ipsa semper habebat timorem, cum cibaria sapida comedebat, & cum vinum græcum bibebat.

De Quæstionibus temperantiæ & charitatis.

HEremita à temperantia quæsiuit, quare non erat ita magna virtus sicut charitas? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à differentia, temperantia & charitate quæsiuit, in quo erant differentes? Solutio. Respondit differentia, quod temperantia computabat illud quod lucrabatur & expendebat, & charitas dabat omnia, quæ habebat. Temperantia à charitate quæsiuit, vtrum ipsam diligeret? Solutio. Respondit charitas, quod ipsa diligebat omnes illos, qui ipsam habere volebant. Charitas à temperantia quæsiuit, vtrum esset in Rege, ita magna sicut in Regina? Solutio. Respondit temperantia, quod illam quæstionem fortitudini faceret, quæ hoc sciebat.

De Quæstionibus fidei & spei.

QVidam gentilis à quodam christiano quęsiuit, & à quodam Saraceno, quis eorum secundum suam sectam maiorem fidem, & maiorem spem habere poterat? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Gentilis à christiano & Saraceno quæsiuit, quis ipsorum melius dispositus erat ad recolendum misericordiam Dei, & ad habendum timorem de sua iustitia? Solutio ibidem. Gentilis à Christiano & Saraceno quęsiuit, si ambo irent ad infernum, quis ipsorum haberet maiorem pœnam? Solutio. Responderunt Christianus & Saracenus, quod ille maiorem pœnam haberet, qui maiori fidei & spei magis contrarius fuisset, & tunc Gentilis fidem Christianorum laudauit, & malum dicebat de credulitate Saracenorum.

De Quæstionibus fidei & charitatis.

HEremita à fide quæsiuit & à charitate, quare erant ita magnę? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à fide & charitate quæsiuit, si in Deo non esset trinitas personarũ, & quod si Deus non esset incarnatus, vtrum Deus ipsas creare posset in maiori maioritate, quæ creari possent? Solutio ibdem. Cum fides & charitas debeant magnam concordantiam habere, fides quare habet ita paucos amicos? Solutio. Nulla arbor habet culpam, si gelu flores suos comburit. Charitas à fide quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Fides respondit, quod ipsa plorabat, quia in paucis hominibus erat, & quia per plures homines erat inhonorata.

De Quæstionibus spei & charitatis.

SPes quomodo multiplicatur? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à spe quæsiuit, vtrum ipsa posset esse in hac vita æqualis charitati in magnitudine bonitatis? Solutio. Respondit spes, quod si in hac vita ipsa posset esse æqualis charitati, sequeretur de necessitate, quod in alia vita esset in hominibus saluatis, in quibus est charitas. Heremita à spe quæsiuit,

ſiuit, vtrum eſſet ita magna quia virtutem diligebat, ſicut cum vitium odiebat? Solutio. Reſpondit ſpes, quod illam quæſtionem faceret voluntati, quæ maior eſt in magnitudine bonitatis amando, quam odiendo. Heremita à charitate quæſiuit, vtrum eſſet ita magna in amando iuſtitiam Dei, ſicut in amando ſuam miſericordiam? Solutio. Reſpondit charitas, quod ipſa diligebat ſecundum ſuam naturam iuſtitiam Dei, & amabat ſuam miſericordiam, quia ſpes ſibi conſulebat.

De Quæſtionibus ſanctitatis.

SAnctitas quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem antedictam in brãchis arboris moralis. Heremita à prælato quæſiuit, qualis eſt cõmunior virtus? Solutio ibidem. Sanctitas infirma iacebat, & quædã anus ab ea quęſiuit, in quo loco maiorem dolorem ſentiebat? Solutio. Reſpondit ſanctitas, quod in illo loco, per quem ipſa maior erat, fortius erat vulnerata. A ſanctitate quærebatur, in quot hominibus erat? Solutio. Sanctitas reſpondit, quod eius contrarium in tot hominibus erat, quod ipſos computare neſciebat.

De Quæſtionibus patientiæ.

PAtientia quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem antedictam in brãchis arboris moralis. Patientia quare eſt? Solutio. Si patientia non eſſet, fortitudo meritum acquirere cum maioritate non poſſet. Et vade ad quæſtionem virtutis. Patientia quomodo eſt fortior quam fortitudo? Solutio. Quia patientia maiorem habet concordantiam cum humilitate, quam fortitudo, & habet plures amicos, quã fortitudo. A patientia quęrebatur cum quo bellum vincebat? Solutio. Patientia reſpondit, quod ipſa homines ſuperbos deuincebat, & iratos, deriſores, & aduerſitates cum humilitate & ſpe.

De Quæſtionibus abſtinentiæ.

ABſtinentia quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem antedictam in branchis arboris moralis. Abſtinentia quomodo incipit? Solutio ibidem. Abſtinentia quid acquirit? Solutio. Abſtinentia prudentiam, temperantiam, humilitatem, & ſpem acquirit. Abſtinentia quomodo moritur? Solutio. Ibat voluntas ab bellum, nec ſecum prudentiam ducebat, vnde abſtinentia in bello eſt mortua.

De Quæſtionibus humilitatis.

HVmilitas quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem antedictam in branchis arboris moralis. Humilitas quomodo homines aſcendit ad magnitudinem bonitatis? Solutio ibidem. Humilitas quare deſiderat eſſe in tot hominibus. Solutio. Nullus homo ſuperbus parem habere deſiderat. Quidã aſinus ab humilitate quæſiuit in quo ſubiecto erat ſua maior maioritas? Solutio. Reſpondit humilitas, quod aſinus iniuriam faciebat, qui Ieſum Chriſtum obliuioni dabat, qui ſuam ſimilitudinem accipiebat.

De Quæſtionibus pietatis.

PIetas quid eſt? Solutio. Vade ad quæſtionem antedictam in branchis arboris moralis. Quare homo viuus abhorret tangere hominem

mortuum, & non abhorret tangere bestiam mortuam? Solutio ibidem. Heremita à Deo quæsiuit, vtrum ipse haberet ita magnam pietatem de hominibus peccatoribus si non esset incarnatus, crucifixus & mortuus, sicut si sit incarnatus, & inquantum homo crucifixus & mortuus. Solutio ibidem. Quare fœmina naturaliter est magis pia, & maiorem habet timorem quam homo? Solutio ibidem.

De Quæstionibus Castitatis.

CAstitas quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Castitas quare est? Solutio ibidem. Quare fœmina casta plus commendatur propter castitatem, quam homo qui est castus? Solutio. Quidam paruus homo quendam magnum hominem vincebat in bello, propter quod magnam habuit laudem. Quare pater maius habet placitum quod sua filia sit casta, quam suus filius? Solutio. Naturaliter fœminæ maiorem habent verecundiam quam homines, & de verecundia amati habet amicus verecundiam.

De Quæstionibus Largitatis.

LArgitas quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à Deo quæsiuit, vtrum ipse creare posset largitatem in maiori maioritate sine incarnatione? Solutio ibidem. Quare homo largus maius placitum habet in dando, quam in accipiendo? Solutio. Naturaliter ille qui dat remotior est ab auaritia & charitati propinquior quam ille qui accipit. Quare homo senex naturaliter non est ita largus sicut homo iuuenis? Solutio. Naturaliter complexio sanguinis & largitas habent concordantiam, & complexio melancholiæ & auaritia: & sol virtutẽ maiorem dat flori humidæ & calidæ complexionis in ascendendo quàm flori siccæ, & frigidæ complexionis in descendendõ.

De Quæstionibus Legalitatis.

LEgalitas quid est? Solutio. Vade ad rubri. antedictam in branchis arboris moralis. Quare naturaliter homo est magis legalis per amorem quam propter timorem? Solutio. Quia in Deo est amor & non timor, est omnis voluntas propter amare nobilior, quam propter odire. Legalitas cum quo vadit: Solutio ibidem. Legalitas vbi est? Solutio ibidem.

De Quæstionibus Constantiæ.

COnstantia quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Constantia quare est? Solutio. Si equus non fugeret eius ligamen non esset. Et vade ad quæstionem virtutis. Heremita à Rege quæsiuit, vtrum in suo proposito erat magis constans per spem, quam per fortitudinem? Solutio. Respondit Rex, quod ipse suam fortitudinem ad Deum transmittere non posset, ad quẽ suam spem transmittebat. Heremita à constantia quæsiuit, vtrum erat ita propinqua credulitati sicut intelligere? Solutio. Respondit constantia, quod ipsa erat prope dubitationem per credulitatem, & longè per intelligere. Idcircò conscientiam habebat quando faciebat contra hoc quod intelligebat.

De

De Quæstionibus diligentiæ.

Diligentia quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Quare mater est diligentior ad nutriendum suũ filium quando est paruus, quam quando est magnus? Solutio. Puer dum est paruus nutrimentum naturale requirit, & quãdo est magnus morale, quod pater suus ei dare debet. Heremita à mercatore quæsiuit, quare diligentior erat in acquirendo denarios, quam virtutes? Solutio. Respondit mercator & dixit, quod Pater suus erat magis diligens in acquirendo denarios, quam Prælatus suus in acquirendo virtutes. Quare miles est magis diligens in acquirendo honorem & laudem, quam in procurando sanitatem sui corporis? Solutio. Illa quæ Deo sunt magis similia, naturaliter sunt magis desiderabilia.

De Quæstionibus suauitatis.

Suauitas quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Suauitas cuius est filia? Solutio ibidem. Heremita à Domina nostra quæsiuit, vtrum suus filius erat suauis? Solutio. Respondit Domina nostra & dixit heremitæ, quod quæreret à cruce, & à malitia hominũ per quos suus filius summo honore dignus est valdè inhonoratus & vituperatus. Suauitas quare est? Solutio Virtutis.

De Quæstionibus conscientiæ.

Conscientia quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Vtrum primus motus conscientiæ per amorem aut per timorem consistat? Solutio. Forma conscientiæ est propter amorem, & eius figura per timorem, est ergo in conscientia amor causa timoris. Conscientia quare est? Solutio ibidem. Heremita à conscientia quæsiuit, vtrum erat virtus moralis, aut naturalis? Solutio. Respondit conscientia & dixit, quod ipsa virtus naturalis, quæ in virtute morali suam ponebat similitudinem, quam ponere non poterat in illis peccatoribus qui spem non habent.

De Quæstionibus timoris.

Timor quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Heremita à timore quæsiuit, vtrum libertatem habebat? Solutio. Respondit timor & dixit, quod ipsa erat amori contraria, & quia nulla coniuncta creata habent electionem, ipse non posset esse liber. Et in hac solutione multum de Philosophia consistit. Heremita à timore quæsiuit, vtrum erat ita prope verecundiam sicut amor? Solutio. Respondit timor & dixit, quod ipse nil facit cum deliberatione, sed facit totum hoc, quod amor qui est suus Dominus præcipit ei qui ipsum transmittit extra, vt sibi adducat illud quod desiderat contra suos inimicos. Heremita à timore quæsiuit, quare erat? Solutio. Respondit timor & dixit, quod ipse erat, vt minas faceret omnibus illis, qui malum dicunt de amore, qui est Dominus suus. Et vade ad quæstionem vt supra.

De

De Quæstionibus contritionis.

CONtritio quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Contritio de quo est? Solutio. Contritio est ex similitudine conscientiæ, misericordiæ, iustitiæ, & spei. Contritio quare est? Solutio ibidem. Heremita à contritione quæsiuit, quare plorabat, & quare confitebatur? Solutio. Respondit contritio, & dixit, quod ipsa plorabat, quia ipsam pœnitebat de commissis, quæ perpetrauit contra suum Dominum, & confitebatur, vt consilium peteret, quomodo gratiam à suo Domino recuperare posset.

De Quæstionibus verecundiæ.

VErecundia quid est? Solutio. Vade ad quæstionem antedictam in branchis arboris moralis. Cum fœmina naturaliter maiorem habeat verecundiam quam homo, quare homo cum delinquit, maiorem quam fœmina debet habere verecundiam? Solutio. Secundum moralitatem verecundia in fœmina refrenat minoritatem contra delictum, & in homine maioritatem. Et vade ad quæstionem virtutis. Heremita à Domina casta quæsiuit, quare plus abhorrebat luxuriam propter verecundiam quam propter timorem? Solutio. Respondit Domina casta, & dixit, quod nulla qualitas appropriata cum fortitudine habet ita magnam concordantiam sicut propria qualitas. Heremita à Domina pulchra luxuriosa quæsiuit, verũ tantum verecundiam diligebat, sicut Domina casta, quæ est turpis? Solutio. Respondit Domina pulchra dicens, ipsa verecundiam perdidit in hoc, quod perdidit castitatem, & dicit, quod Domina casta verecundiam habere non debebat de turpitudine sua, postquam non poterat esse pulchra, quæ verecundiam habere debebat, vt esset casta.

De Quæstionibus obedientiæ.

OBedientia quid est? Solutio. Vade ad rubricã antedictam in branchis arboris moralis. Heremita ab obedientia Regis quæsiuit, verum erat ita magna sicut obedientia sui populi? Solutio. Illa obedientia quæ est per mortalem bonitatem, est nobilior quam illa quæ est per seruitutem. Heremita ab obedientia quæsiuit, verum ita magnam passionem habebat in Domino sicut in subditis? Solutio. Ille qui pluribus obedit maiorem habet passionẽ, quã ille qui obedit vni. Quidam Rex plorabat, quia non erat filius rustici & rusticæ, & obedientia ab eo quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Respondit Rex & dixit, quod ipse plorabat, quia tantum de libertate non habebat in conscientia sicut filius rustici, quem conscientia dormire permittebat. Secundum processum quẽ tenuimus in faciendo quæstiones ex principalibus virtutibus ad inuicem mixtis, quæstiones facere volumus ex virtutibus consequentibus, quasdam virtutes cum aliis miscendo. Sed quia prolixitatem euitamus, facere noluimus nisi vnam quæstionem ex vna virtute cum alia. Et si tu lector multiplicare volueris quæstiones sub aliqua rubrica illas poteris multiplicare, si vadas ad rubricas antedictas, veluti si volueris q̃stiones multiplicare de sanctitate & patiẽtia, vade ad quatuor quæstiones & earũ solutiones quas diximus de sanctitate, & vade ad alias quatuor quæ-

quæstiones & solutiones, quas diximus de patientia, & ex significatione illarum quam ex ipsis accipies: si ipsas scias intelligere, potes multiplicare quæstiones ad placitum, & vnam solutionem cum alia inuenire, & hæc regula generalis est in tota hac scientiá, ratione cuius intellectus magnam habet materiam ad faciendum plures quæstiones, & ad inquirendum & inueniendum secreta naturalia & moralia.

De Quæstionibus sanctitatis, & virtutum sibi applicatarum.

HEremita à sanctitate quæsiuit, vtrum erat ita generalis virtus per actionẽ, sicut per passionem? Solutio. In quodam sermone in quo quidam Prædicator Deum pluribus hominibus laudabat, affatus habuit magis generalem sanctitatem in laude, quam de Deo dabat, quam aliquis homo in audiendo illam laudem. Abstinentia, dixit heremita, es ita generalis virtus, sicut sanctitas? Solutio. Respondit abstinentia dicens, quod sola sanctitas est virtus generalis. Humilitas, dixit heremita, in qua virtute es maior? Solutio. Respondit humilitas & dixit, quod ipsa maior esse debebat in illa persona, quæ est magis communis. Cum sanctitas sit ita communis virtus, & virtus in homine sit communior quam in fœmina, quare pietas citius plorare facit fœminas quam homines? Solutio. Vna communitas est illa, quæ est moralis, & alia est illa, quæ est naturalis. Heremita à castitate quæsiuit, vtrum erat magis sancta in homine quam in fœmina? Solutio. Respondit castitas & dixit, quod ipsa erat in fœmina magis sancta per verecundiam, & in homine per fortitudinem. Heremita à sanctitate quæsiuit, vtrum maiorem timorem haberet de auaritia, quam de luxuria? Solutio. Respondit sanctitas & dixit, quod homines ita magnam conscientiam non habebát per complexionem sanguinis, sicut per complexionem melancholiæ. Heremita à sanctitate quæsiuit, vtrum haberet tot amicos per verecundiam legalitatis, sicut castitatis? Solutio. Respondit sanctitas & dixit, quod legalitas est communior virtus, quam castitas. Sanctitas, dixit heremita, habes ita magnam constantiam per amare, sicut per intelligere? Solutio. Respondit sanctitas & dixit, quod de illo actu qui citius vadit & venit, maiorem habet timorem, quam de illo qui lentè vadit. Heremita à diligentia quęsiuit, vtrum erat magis sancta per charitaté, quam per prudentiam? Respondit diligentia & dixit, quod ipsa erat sancta per prudentiam in capite, & per charitatem in cauda. Heremita à suauitate quæsiuit, vtrum erat ita sancta per patientiam, sicut per humilitatem? Solutio. Respondit suauitas & dixit, quod ipsa erat magis sancta per patientiam in fortitudine, & per charitatem in humilitate. Sanctitas, dixit heremita, habes ita magnam conscientiam per amorẽ, sicut per timorem? Solutio. Respondit sanctitas & dixit ad heremitam, quod ipse responsionẽ inueniret in significatione suarum quæstionum in sua rubrica antedicta, & in quæstionibus quas de conscientia diximus. Timor, dixit heremita, es ita sanctus per charitatem, sicut per iustitiam? Solutio. Respondit timor & dixit, quod ipse erat seruus charitatis cum iustitia. Heremita à contritione

quæsiuit, vtrum erat ita sancta per ieiunium, sicut per restitutionem denariorum, quos cum vsura acquisiuit? Solutio. Respondit contritio & dixit, quod ipsa erat magis sancta per restitutionem cum fortitudine, & per ieiunium cum temperantia. Heremita à verecundia quæsiuit, vtrum erat ita sancta in Prælato, sicut in Principe? Solutio. Vade ad deffinitionem sanctitatis & verecundiæ, & in significatione illarũ deffinitionum responsionem inuenies. Heremita ab obedientia quæsiuit, vtrum erat ita sancta in intellectu religiosi, sicut in sua voluntate? Solutio. Respondit obedientia & dixit, quod ipsa est magis ancilla in voluntate religiosi, quam in eius intellectu.

De Quæstionibus patientiæ, & virtutum sibi applicatarum.

Heremita à patientia quæsiuit, vtrum erat ita magna virtus in abstinentia hominis, qui abstinet contra iram, cum denarios perdidit aut possessiones, aut cum obstinct, cum filium suum perdidit, aut aliquem suum amicum? Solutio. Respondit patientia & dixit, quod ipsa maiorem habebat parentelam cum abstinentia per naturam interiorem, quam per exteriorẽ. Heremita à patientia quæsiuit, vtrum erat ita magna virtus in homine, cum se humiliabat: sicut erat cum humilitas hominem ascendebat? Solutio. Respondit patientia & dixit, quod cum homo se humiliabat, ipsa vigilabat, & cum humilitas hominem ascendebat, ipsa dormiebat. Patientia dixit heremita, ab homines ita magnã pietatem in flendo, sicut in suspirando? Solutio. Suspiria veniunt ex corde, & lachrymæ ex oculis. Heremita à patientia quæsiuit, vtrum erat ita magna virtus in Domina pulchra & casta, quæ iuuenem habet maritum, & quæ est de luxuria increpata, sicut in Domina pulchra & casta, quæ habet maritum senem, & quæ de luxuria est increpata? Solutio. In minori præsumptione non potest esse ita magna passio, sicut in maiori. Heremita à largitate quæsiuit, vtrum in homine diuite tantum diligebat patientiam, sicut in homine paupere? Solutio. Respondit largitas & dixit, quod ipsa plus patientiam diligebat in illo homine, qui à suo contrario erat remotior. Heremita ab homine legali quæsiuit, qui de traditione erat accusatus, vtrum maiorem haberet patientiam per voluntatem quam per intellectum? Solutio. Respondit homo legalis & dixit, quod secundum quod ipse fortius cum intellectu veritatem accipiebat, aut cum voluntate bonitatem, erat in ipso maior aut minor patientia. Patientia, dixit heremita, habes ita magnam perseuerantiam in temperantia sicut in charitate? Solutio. Respondit patientia & dixit, quod ipsa erat magis extensa virtus per temperantiam, & magis intensa per charitatem. Patientia à diligentia quæsiuit, quare ipsam dormire non permittebat, quoniam nimis vexata erat? Solutio. Respondit diligentia & dixit quod dum patientia dormiebat, ipsa erat ociosa, quæ siquidem ociositas sibi erat magnus labor. Suauitas, dixit heremita, quare ploras? Solutio. Respondit suauitas & dixit, quod ipsa plorabat, vt patientiam excitaret, quæ dormiebat. Conscientia, dixit heremita, diligis patientiam? Solutio. A quodam homine guloso quærebatur, vtrum sciebat quid erat temperantia? qui respondit & dixit, quod ipse sciebat

bat quendam locum, vbi perdices vendebantur, & quandam tabernam, vbi vinum bonum vendebatur. Patientia, dixit heremita, habes timorem? Solutio. Respondit patientia & dixit, quod ipsa timorem habebat omnibus vicibus, in quibus charitas & iustitia erant ociosæ. Patientia, dixit heremita, es ita magna in contritione Prælati, sicut in contritione Principis? Solutio. Nulla contritio potest esse ita magna per res corporales, sicut per res spirituales. Patientia, dixit heremita, quare habes maiorem timorem ex verecundia in temperantia quam in veritate? Solutio. Respondit, quod verecundia quam ipsa in temperantia habebat maior erat in temperantia, quam illa quæ in veritate habebat: quia gentes fortius increpant homines æbrios quam homines mendaces. Heremita à patientia quæsiuit, vtrum erat ita obediens Principi sicut Prælato? Solutio. Respondit patientia & dixit, quod quæstionem facere non oportet de hoc quod homo habet per experientiam.

De Quæstionibus abstinentiæ, & virtutum applicatarum.

HVmilitas ab abstinentia quæsiuit, vtrum erat longior à superbia in sancto Prælato quam in sancto religioso? Solutio. Ille qui habet maiorem famam bonitatis, propinquior est ad hypocrisim. Pietas, dixit heremita, quare maiorem habes abstinentiam in flere hominum quam in flere mulierum? Solutio. Omnis abstinentia maior potest esse cum maiori fortitudine quam cum minori. Castitas, dixit heremita, quare mulieres maiorem habent abstinentiam contra luxuriam quam homines, postquam homines maiorem habent fortitudinem quam fœminæ? Solutio. Maior est abstinentia in fœmina per verecundiam & per timorem, & in homine per fortitudinem & per amorem. Quare homo prodigus maiorem habet abstinentiam in mentiendo quam homo auarus? Solutio. Abstinentia & largitas remotiores sunt ab auaritia & falsitate in homine auaro, quam in prodigo: idcirco falsitas est propinquior homini auaro quam prodigo. Quare homo legalis maiorem habet abstinentiam ad faciendum proditionem quam ad faciendum luxuriam? Solutio. Generalius vitium est proditio quam luxuria. Heremita quæsiuit ab abstinentia, vtrum ante erat tacta cum constantia quam cum timore? Solutio. Nullus timor est ita generalis virtus sicut constantia. Diligentia voluit esse ociosa, & abstinentia dixit ad prudentiam & charitatem, quæ sibi malum de ipsa dixerunt? Solutio. Prudentia & charitas dixerunt ad abstinentiam, quod ipsæ cognoscebant, quod in ociositate diligentiæ contra ipsas erat earum inimica. Suauitas à gula quæsiuit, quare abstinentiam eiicebat de temperentia? Solutio. Respondit gula & dixit, quod ipsa non abiiciebat abstinentiam de temperantia: sed ipsa exiuerat ex ipsa, quia charitas patientia & humilitas in te suauitas stare nolunt. Heremita ab abstinentia quæsiuit, cum quo consulebat? Solutio. Respondit abstinentia & dixit, quod ipsa conscientiam consulebat, cum homines deceptionē facere volebant aut alium defectum. Abstinentia, dixit heremita, habes timorem? Solutio. Respondit abstinentia & dixit, quod si timor non esset, ipsa nihil foret. Abstinentia, dixit heremita, quare es? Solutio. Respondit abstinentia & dixit, quod ipsa erat,

quia contritio magnam passionem donabat. Abstinentia, quare habes passionem? Solutio. Respondit abstinentia & dixit, quod ipsa timorem habebat de verecundia. Heremita ab abstinentia quæsiuit, vtrum erat ita magna in obedientia Abbatis, sicut in obedientia Prioris? Solutio. In illa persona quæ est magis communis, potest abstinentia maiorem habere obedientiam.

De Quæstionibus humilitatis, & virtutum applicatarum.

HEremita ab humilitate quæsiuit, vtrum ita bona erat sicut pietas? Solutio. Respondit humilitas & dixit, quod ipsa non esset hoc, quod est, si diceret, quod pietas non est ita bona sicut ipsa. Heremita à castitate quæsiuit, vtrum naturaliter Domina pulchra debeat esse magis casta quam turpis? Solutio. Respondit castitas & dixit, quod Domina pulchra erat superba propter suam pulchritudinem, veruntamen habebat plures inimicos quam Domina turpis. Heremita ab humilitate quæsiuit, vtrum stabat in hominibus auaris? Solutio. Respondit humilitas, quod sua figura erat in hominibus auaris, & eius forma in hominibus largis, idcircò homines auari sunt humiles exterius, & superbi interius, sicut homines hypocritæ. Heremita ab humilitate quæsiuit, vtrum ipsa descendebat ad legalitatem, vt ad maiorem bonitatem ascēderet? Solutio. Respondit humilitas, quod si ipsa descendebat ad legalitatem, vt ad maiorem bonitatem ascenderet, cōtra suam naturam faceret, quę semper descendere desiderat: sed quia ipsa ad legalitatem descendebat, inquantum se sibi humiliabat, ascendebat legalitas ad maiorem bonitatem propter hoc quod ipsa sibi donabat, & in ascensu legalitatis ipsa ascendebat. Et in hoc passu est multum de Philosophia. Heremita à constantia quæsiuit, vtrum humilitas erat in illo proposito, cum ascendebat, in quo erat cum descendebat? Solutio. Respondit constantia, quod humilitas erat in quodam monacho claustrali, in quo fuit superbia, quando fuit Abbas. Heremita ab humilitate quæsiuit, quare plorabat? Respondit humilitas, quod diligentia plures habebat scholas & scholares iuris, quam Theologia. Heremita ab humilitate quæsiuit & à suauitate, quare ita libenter erant in hominibus magis nobilibus, quam in minus nobilibus: quoniam apparebat, quod ipsæ erant superbæ? Solutio. Respōderunt suauitas & humilitas, quod magna nobilitas in leone consistit, qui non respondet ad iram parui canis, qui latrando sibi minatur. Heremita ab humilitate quæsiuit, vtrū habebat ita magnā conscientiā in ascendendo, sicut in descendendo? Respondit humilitas, quod ille qui magis altè ascendit, magis inferius cadere potest: idcirco quando delinquit, maiorē conscientiā habere debet. Heremita ab humilitate quæsiuit, vtrum habebat ita magnum timorem in ascendendo sicut in descendendo? Solutio. Respondit humilitas, quod nullum timorem habuit in descendendo: sicut superbia nullum habet timorem in ascendendo. Heremita ab humilitate quæsiuit, vtrum contritionem habebat cum peccabat? Solutio. Respondit humilitas quod illa sēper contritionem habebat cum ascendebat, licet non peccabat. Idcirco quanto magis ascendebat de seipsa hominibus humilibus plus donabat. Heremita ab humilitate quæsiuit,

nit, vtrum verecundiā habebat? Solutio Respondit humilitas, quod ipsa verecundiā non habebat cum descēdebat: sed quando ascendebat: & tunc heremita cognouit per hoc quod humilitas dixit, quare homines hypocritæ verecundiam non habent. Humilitas, dixit heremita, es libera? Solutio. Respondit humilitas, quod superbia quæ est suum contrarium est subdita inobedientiæ.

De Quæstionibus pietatis, & virtutum sibi applicatarum.

Pietas, dixit heremita, quare es maior in fœmina casta, quam in luxuriosa? Solutio. Respondit pietas, ꝙ fœmina casta est in ordine, in quo ipsa maior esse potest, quam extra ordinem. Heremita à largitate quæsiuit, quare homines largi citius plorant, quam homines auari? Solutio. Respondit largitas, quod homines largi pietatem habent, quæ est mater fletuum, & homines auari crudelitatem habent, quæ homines pauperes deridet. Heremita à legalitate quæsiuit, quis pietatem deridebat? Solutio. Respondit legalitas, quod homo falsus flet vt suspiret, vt legalis appareat. Cum in fœmina tantum non sit de constantia, sicut in homine: quare citius ad pietatem mouetur quam homo? Solutio. Minor virtus prius mouetur quam maior, veruntamen maior maiorem habet motum. Heremita à diligentia principis quæsiuit, vtrum pietatem de Saracenis habebat, qui vadunt in infernum? Solutio. Respondit diligentia principis, quod illam quæstionem faceret diligentiæ Prælat. Pietas & suauitas plorabant; & heremita ab eis quæsiuit, quare plorabant? Solutio. Responderunt pietas & suauitas, quod ipsæ plorabant, quia non erant in coronis principum tantum dilectæ sicut aurum & lapides pretiosi. Cõscientia, dixit heremita, quare habes naturam tristitiæ? Solutio. Respondit conscientia, quod ipsa naturam tristitiæ habebat, vt pietas peccata sua ploraret. Pietas, dixit heremita, habes timorem? Solutio. Respondit pietas, quod erat signum quod timor in suo vexillo portabat. Contritio, dixit heremita, quomodo es cognita? Solutio. Respondit contritio, quod ipsa cognita erat cum lachrymis pietatis, & erat incognita cũ lachrymis hominum falsorum qui plorant, vt homines legales decipere possint. Pietas, dixit heremita, habes verecundiam? Solutio. Respondit pietas, quod ipsa plorabat, quia pietatem de principe habebat, qui verecundiam habet in rogando Deum, & in loquendo eum hominibus humilibus, quia magnam pœnam propter illam verecundiam habebunt. Heremita à pietate quæsiuit, vtrum libertatem habebat, cum plorabat & suspirabat? Solutio. Respondit pietas, quod quanto magis plorabat, & suspirabat, tanto magis liberam se sentiebat, ideirco cognoscebat quod sua libertas stabat in flere, & suspirare propter peccata hominum inobedientium virtutibus.

De Quæstionibus castitatis, & virtutum applicatarum.

Heremita à largitate quæsiuit, vtrum erat ita magna in Domina casta, sicut in Domina luxuriosa? Solutio. Respondit largitas, quod sua figura magna erat in homine prodigo, & sua forma in homine largo. Heremita à castitate quæsiuit, vtrum erat virtus in homine proditore? Solutio.

Respondit castitas, quod in homine proditore, qui non est luxuriosus, stabat ita sua similitudo, sicut similitudo hominis viui in similitudine hominis mortui. Castitas, dixit heremita, cum luxuria te tangit, cum qua virtute maiorem constantiam habes? Solutio. Respondit castitas, quod cum seipsa maiorem constantiam habebat, quia ipsa erat magis contraria luxurię, quam aliqua alia virtus. Quidam mercator magnam diligentiam habebat in lucrando denarios, vt sua vxor nobiliter iret induta, à quo mercatore heremita quæsiuit, vtrum habebat ita magnam diligentiam in procurando castitatem suæ vxoris, sicut pulchra indumenta? Solutio. Respondit mercator heremitæ, quod sua vxor sibi promiserat, quod quanto nobilius ipsam induceret, ipsa magis casta esset, & quod ipse ei credebat. Suauitas, dixit heremita, quare es maior in Domina luxuriosa, quam in casta? Solutio. Respondit suauitas, quod Domina luxuriosa suā accipiebat similitudinem, vt suum maritum deciperet cum similitudine amoris. Castitas, dixit heremita, cum te tangit luxuria, quā consulis? Solutio. Respondit castitas, quod ipsa conscientiam consulebat, quæ nunquam luxuriæ est amica. Quidam senex quandam fœminam iuuenem accepit in vxorem, à quo castitas quæsiuit, vtrum timorem de luxuria habebat? Solutio. Respondit homo senex, quod ipse timorem non habebat de luxuria, & dixit castitas, quod hoc bene apparebat. Quidam homo senex à castitate quæsiuit, vtrum iuuenem vxorem acciperet? Solutio. Respondit castitas, quod nullus homo senex, qui facit defectum contra suam vxorem iuuenem, ei satisfactionem facere non potest, idcirco quilibet homo senex in accipiendo vxorem iuuenem debet conscientiam, contritionem, & timorem, & verecundiam habere. Heremita à castitate quæsiuit, quare homines iuuenes de ipsa habent verecundiam? Solutio. Respondit castitas, quod homines iuuenes non considerant pœnas inferni, ad quas vadunt homines luxuriosi, nec sciunt, quid est verecundia. Castitas, dixit heremita, quare es tristis, cum tu sis ita bona? Solutio. Respondit castitas, quod ipsa erat tristis, quia plures homines plus luxuriæ, quam sibi obediunt.

De Quæstionibus largitatis, & virtutum applicatarum.

Legalitas à largitate quæsiuit cuius hominis societas stat magis periculosa? Solutio. Respondit largitas, quod nullus homo est peior socius, quam homo auarus. Largitas à constantia quæsiuit, vtrum ipsa possit in verbis confidere, quibus homo auarus aliquid suo amico promittebat? Solutio. Respondit constantia, quod homo auarus est magis mendax quam aliquis alius homo. Mercator à diligentia quæsiuit, quare non erat tam magnum mercimonium largitatis sicut auaritiæ? Solutio. Exaltauit se diligentia, quod ipsa culpam non habebat, quia ipsa nulli se negabat qui ipsam volebat. Suauitas, dixit heremita, quare estis maior in largitate, quam in auaritia? Solutio. Respondit suauitas, quod cum homo denarios hominis auari tangit, ipse auarus citò irascitur, qui siquidem denarij homines auaros superbos faciunt. Largitas à conscientia quæsiuit, quare non erat in hominibus diuitibus auaris qui denarios pauperum faciunt esse ociosos? Solu

Solutio. Excusauit se conscientia, quod auaritia hoc nolebat. Largitas, dixit heremita, auaritia quare timorem non habet de iudice? Solutio. Respondit largitas, quod auaritiá plures denarios habebat, cum quibus iudicem tacere faciebat. Contritio, dixit heremita, quare estis maior in homine largo quam in homine auaro? Solutio. Respondit contritio, quod homo auarus est maior inimicus restitutionis, quam alius homo. Heremita à largitate quæsiuit, vtrum verecundiam habebat, quia auaritia plures amicos quam ipsa habebat? Solutio. Respondit largitas, quod non tantum verecundiam habebat, immò tristis erat & sæpe plorabat. Heremita ab obedientia quæsiuit, vtrum erat ita magna in largitate, sicut in auaritia. Solutio. Respondit obedientia, quod ipsa maior erat in largitate, secundum voluntatem, & in auaritia secundum corpus.

De Quæstionibus legalitatis, & virtutum applicatarum.

Constantia, dixit heremita, quare maiorem amicitiam habes cum legalitate, quam cum falsitate? Solutio. Respondit constantia, quod homo legalis suam cameram in rupe ędificat, & homo falsus in arena. Legalitas, dixit diligentia, cur ploras? Solutio. Respondit legalitas, quod ipsa erat falsitatis amica, hoc sciebat. Homines legales quare speciosè loquuntur, & per viam humiliter vadunt? Solutio. Homines falsi citò loquuntur, vt deliberationem ad dicendum veritatem non habeant, & vadunt superbè, vt homo de ipsis timorem habeat. Homines legales quare se non excusant ita fortiter, cum homo ipsos increpat de falsitate, sicut homines falsi se excusant? Solutio. Legalitas non habet ita magnum timorem, sicut falsitas, quia in veritate confidit, hoc scit conscientia. Heremita à legalitate quæsiuit, de quo habebat maiorem timorem? Solutio. Respondit legalitas, quod ipsa timorem habebat maiorem de falso testimonio, quam de aliqua alia re. Heremita à legalitate quæsiuit, vtrum contritionem habebat, cum confitebatur? Solutio. Respondit legalitas, quod ipsa erat confessioni hominis falsi contraria, qui cum falsitate confitetur. Heremita à legalitate quęsiuit, quare erat rubeus color in facie hominis legalis, qui iniuste est reprehensus? Solutio. Respondit legalitas & dixit, quod ipsa ita sanguinem mouebat ad colorem rubeum in facie cum verecundia, cum iniustè fuerat reprehensa, sicut falsitas cum timore colorem croceum, cum secundum veritatem est reprehensa. Heremita à legalitate quæsiuit, vtrũ vllo tempore fuerat peccato obediens? Solutio. Nulla falsitas est obediens virtuti.

De Quæstionibus constantiæ, & virtutum applicatarum.

Constantia, dixit heremita, habes diligentiam? Solutio. Respondit constantia, quod Hierusalem fieret illa quæstio, quæ hoc sciebat. Heremita à constantia quæsiuit, vtrum suauitatem habebat? Solutio. Respódit constantia heremitę, quęrens ab eo vtrum quærebat de illa suauitate quæ erat tempore Apostolorum, vel de illa quę est in tempore in quo sumus. Heremita à constantia quæsiuit, vtrum erat fundamentum conscientiæ? Solutio. Respondit, quod ipse qui totiens

tiens apostata fuit, illud sciebat. Constantia, dixit heremita, habes timorem? Solutio. Respondit constantia quod ipsa timorem habebat de homine infirmo qui suum bonum propositum mutat in malum, quando est curatus. Constantia, habes contritionem? Solutio. Respondit constantia, quod ipsa contritionem habebat, dum homines erant infirmi. Constantia, dixit heremita, habes verecundiam? Solutio. Respondit constantia, quod ipsa verecundiam habebebat semper cum homines se de bono iactabant, quod faciebant. Obedientia à constantia quæsiuit, vtrum ipsam diligebat tantum per timorem sicut per amorem? Solutio. Respondit constantia, quod ipsa non facit aliquid pro denariis.

De Quæstionibus diligentiæ, & virtutum applicatarum.

Diligentia quæsiuit à suauitate, quare ibat spaciosè? Solutio Respondit suauitas, quod ipsa ibat citò cum constantia, & spaciosè cum patientia & humilitate. Heremita à diligētia quæsiuit, quare ita fortiter currebat? Solutio. Respondit diligentia, quod ipsa currebat ita fortiter, quia conscientia hoc sibi consulebat. Diligentia, dixit heremita, habes timorem? Solutio. Respondit diligentia quod ipsa timorem habebat de cibariis delicatis, & mollibus lectis, & pluribus tunicis, quæ homines pigros faciunt. Diligentia habes contritionem? Solutio. Respondit diligentia, quod ipsa contritionem habere non poterat in hominibus pinguibus. Diligentia habes verecundiam? Solutio. Respondit diligentia, quod ipsa verecundiam habebat de hominibus plenis vini, & carnium gallinarum, qui hoc quod promittunt, non tenēt, & dicunt, quod magnum tædium est ire per mundum ad honorandum Deum. Diligētia, dixit heremita, cum quo pigritiam vincis, quæ est tuum contrarium? Solutio. Respondit diligentia, quod ipsa suum contrarium vincebat cum charitate & prudentia.

De Quæstionibus suauitatis, & virtutum applicatarum.

Homo discretus quare considerat prius illud, quod loquitur? Solutio. Suauitas & conscientia in sermonibus causant Rhetoricam, bonitatem, charitatem, patientiam, & humilitatem. Suauitas, dixit heremita, habes timorem de superbia? Solutio. Respondit suauitas, quod nullus homo habet timorem de superbia, qui humilitatem diligit & patientiam. Suauitas, dixit heremita, habes contritionem? Solutio. Respondit suauitas quod illa cōtritionem in sua hypocrisi non habebat. Suauitas, dixit heremita, quare loqueris ita spaciosè & lentè? Solutio. Respondit suauitas, quod ipsa ita spaciosè & lentè loquebatur, quia habet verecundiam mentiendi. Suauitas, dixit heremita, cum quibus virtutibus es magis obediens? Solutio. Respondit suauitas, quod ipsa maiorem habebat parētelam cum charitate, patiētia, & humilitate, quam cum aliis virtutibus.

De Quæstionibus conscientiæ, & virtutum applicatarum.

Conscientia, dixit heremita, quare maiorem habes concordantiam cum timore, quam cum amore? Solutio. Respondit conscientia, quod suū officium ita erat ex minis sicut erat ex spe, & ex promissionibus. Conscientia

tia

tia, quis est tuus cōfessor? Sol. Respōdit conscientia, quod contritio suam confessionem audiebat: quoniam scire volebat quomodo minas faciebat hominibus qui malè faciunt, & quomodo hominibus consulebat quod faciant bonum. Heremita à conscientia quæsiuit, vtrum verecundiam habebat? Solutio. Respondit conscientia, quod ipsa verecundiam habebat sæpius in leuatione mensæ, cum homines erant pleni vini, qui credebant me habere, quia contra temperantiam defecerunt, quam quidem verecundiam in principio mensæ habere voluissem. Conscientia, dixit heremita, quare es semper tristis? Solutio. Respondit conscientia, quod ipsa erat semper tristis, quia semper erat ancilla.

De Quæstionibus timoris, & virtutum applicatarum.

HEremita à contritione quæsiuit, vtrum maiorem habeat concordantiam cum timore, quam cum amore? Solutio. Respondit contritio, quod amor ipsam cum timore mouebat. Cum verecundia sit bona virtus, quare homines habent ipsam cum timore? Solutio. Sicut faciendo bonum non rident homines: sicut naturaliter in faciendo bonum verecundiam non habent. Obedientia cum sit ita bona virtus, quomodo homines ipsam tantum timent? Solutio. Naturaliter intellectus & voluntas libertatem desiderant.

De Quæstionibus contritionis, & virtutum applicatarum.

VErecundia, dixit heremita, quare es? Solutio. Respondit verecundia, quod ipsa erat, vt ipsa contritionem haberet de hypocrisi quam habebat, quia ipse solus existebat, & herbas crudas comedebat, & supra postē iacebat. Heremita ab obedientia quæsiuit, vtrum ita magnam contritionem habebat in Prælato sicut in Canonico? Solutio. Respondit obedientia heremitæ, quod ipse magnam quæstionem non faciebat, quare sibi responsio non conueniebat.

De Quæstionibus verecundiæ & obedientiæ.

HEremita ab obedientia quæsiuit, vtrum verecundiam habebat? Solutio. Respondit obedientia, quod ipse illā quæstionem sensitiuæ faceret, cui plures homines erant obedientes, quam intellectiuæ.

De Quæstionibus brancharum arboris moralis vitiosæ, & primò de gula.

GVla quid est? Solutio: Vade ad branchas vitiosas arboris moralis & ad rubri. de gula. Gula quare est? Solutio. Gulla est, quia abstinentia, fortitudo, & prudentia non iuuant tēperantiam contra voluntatem, quæ cū appetitiua vegetali maiorem habet concordantiam, quam cum digestiua. Gula de quo est? Solutio. Gula est ex priuato fine tēperantiæ & de ociositate iustitiæ, prudentiæ, & fortitudinis. Gula quomodo est? Solutio. Gula est cum imaginatione quæ delectationem comedendi & bibendi imaginatur in sapore sensitiua, se ipsam mouente cum instinctu naturali vegetatiuæ ad nimis magnum finem sentiēdi in gustando, contra ordinem recolendi, intelligendi, & amandi.

De Quæstionibus auaritiæ.

AVaritia quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis in rubri. de auaritia. Largitas ab auaritia quæsiuit, vtrum erat creatura? Solutio Respondit auaritia, quod ipsa creatura non erat, sed erat similitudo contra spem, quæ facit fines denariorum esse ociosos, & etiam fines substantiarum vegetatarum. Largitas ab homine auaro quæsiuit, cum quo auaritiam producebat? Solutio. Respondit homo auarus, quod auaritiam producebat cum similitudine bonitatis contra finem bonitatis illo fine debito hominibus, qui necessitatem habent de bonis quæ ipse aggregat, de quibus sua voluntas iustitiam non producit, nec prudentiam, fortitudinem, charitatem, neque spem. Auaritia, dixit largitas, quare es mihi contraria? Solutio. Respondit auaritia, quod sibi erat contraria, quia iustitia, prudentia, fortitudo, charitas & spes, suæ amicæ non erant.

De Quæstionibus luxuriæ.

LVxuria quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis in rubrica de luxuria. Luxuria de quo est? Solutio. Est de instinctu & appetitu elemẽtali, vegetali, sensuali & imaginali, & ex inordinato appetitu rationali contra ordinem carnalis copulæ. Luxuria quare est? Solutio. Luxuria est propter nimiam abũdantiam comedendi & bibendi: illa abundantia directa siue ordinata ad carnales delectationes per voluntatem desideratas, & per intellectum intellectas, & per memoriam recolitas, & per imaginationem imaginatas, non coactas per iustitiam, nec reprehensas per prudentiam, nec per fortitudinem deuictas, nec per abstinentiam ligatas, nec in ordine matrimonij positas. Castitas à luxuria quæsiuit, quare habebat maiorem cum voluntate concordantiã quam cũ memoria & cum intellectu? Solutio. Respondit luxuria, quod voluntas est potentia, quæ citius accipit suum obiectum, quam memoria & intellectus, de quibus timorem habet in principio, vt non consulant iustitiã, prudentiam, & fortitudinem, quæ sæpius voluntatem reprehendunt, quia diligit vitia.

De Quæstionibus superbiæ.

SVperbia quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis. Superbia de quo est? Solutio. Superbia est ex humilitatis priuatione, & est ex inordinato appetitu, qui magna in bonitate desiderat magnitudine non debita in maioritate illi, qui desiderat, & qui suam maioritatẽ sui proximi obliuiscitur, & qui minoritatẽ illius recolit, & qui suiipsius minoritatẽ obliuiscitur. Superbia quare est? Solutio. Superbia est, quia humilitas non est. Humilitas à superbia quæsiuit, quare maiorem habeat concordantiam cum intellectu, quam cum memoria nec voluntate? Solutio. Respondit superbia, quod intellectus ita propriè se habet ad intelligere, sicut ignis ad calefacere & ad lucere, sed voluntas est magis variabilis, & idem de memoria ad desiderandum res debitas & indebitas, quam intellectus ad intelligendum res veras & non veras: idcirco homo superbus qui non considerat suos defectus, & defectus alienos considerat, maiorem habet concordãtiam cum intellectu, quam cum aliis potentiis.

De-

De Quæstionibus Accidiæ.

ACcidia quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis. Accidia de quo est? Solutio. Accidia est ex finibus ociosis, & ex tristi appetitu, quia fines non sunt ociosi. Accidia quare est? Solutio. Accidia est, quia diligentia finium moralium non est. Diligentia ab accidia quæsiuit, quare maiorem concordantiam cum intellectu habebat, quam cum memoria nec voluntate? Solutio. Respondit accidia, quod intellectus est illa potentia quæ maiorem laborem habet in inueniendo suum objectum, quam aliqua alia potentia: quoniam ipse primo species inquirit cum quibus secreta attingit & rerum veritates, & in inquirendo illas species habet magnum laborem, cum ita sit, quod secreta & veritates rerum sint valdè fortiter absconditæ, & sub pluribus falsis similitudinibus, & ex illis speciebus quas accipit intellectus & colligit ad reuelandum secreta & veritates, accipit & colligit voluntas lumen ad diligendum suum obiectum amando vel odiendo, & illas species quas intellectus accipit & inuenit, memoriæ tradit seu recommittit, & in ipsa antiquas facit, & alias nouas inquirit, & sic facit habitum scientiæ de quo se induit, & de quo practicam habent memoria & voluntas, quæ non habent ità magnum laborem in accipiendo earum obiecta cum lumine inuento: sicut intellectus qui nouiter illud lumen inuenit, & quia intellectus maiorem laborem habet, citius attædiatur quam memoria: nec voluntas idcircò pigritiæ est propinquior, quæ est media tunica, quam voluntas nec memoria.

De Quæstionibus inuidiæ.

INuidia quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis. Inuidia de quo est? Solutio. Inuidia est de appetitu qui desiderat bona aliena possidere, quæ sunt aliis appropriata & data secundum ordinem iustitiæ & charitatis. Inuidia quare est? Solutio. Inuidia est, quia iustitiam, charitatem, & spem voluntas non desiderat, sed earum contraria desiderat, & in memoria reponit. Iustitia, charitas, & spes ab inuidia quæsiuerunt, quare maiorem concordantiam habet cum memoria, quam cum intellectu nec voluntate? Solutio. Respondit inuidia, quod memoria maiorem concordantiam habebat cum complexione terræ, quam cum aliqua alia complexione aliorum elementorum: idcirco erat ei auaritia appropriata: quoniam memoria requirit habere plures species, de quibus ita thesaurum facit cum ociositate: sicut homo auarus ex pluribus denariis, quos ociosos in arca facit esse: idcirco homines inuidiosi sunt pigri, & plura habere desiderant absque eorum labore, quam alij homines habent cum labore acquisita, vel quæ eis propter aliquem finem sunt collecta.

De Quæstionibus iræ.

IRa quid est? Solutio. Vade ad branchas vitiosas arboris moralis. Ira de quo est? Solutio. Ira est ex odibilitate & tristi appetitu subito motu contra iustitiam, fortitudinem, & charitatem, sine deliberatione prudentiæ. Ira quare est? Solutio. Ira est, quia patientia non est, & quia abstinētia voluntatem non refrænat, priuat habitum charita-

tis, & quæ intellectum spoliat de prudentia, & memoria de iustitia, & seipsam de fortitudine. Patientia ab ira quæsiuit, quare cum voluntate maiorem concordantiam habebat, quam cum memoria nec intellectu: Solutio. Respondit ira, quod voluntas subitum motum habet, & non faciebat aliquam deliberationem in accipiendo suum obiectum, quousque intellectus, prudentia vel suo contrario vtitur: idcirco, quia voluntas sine deliberatione & consilio se mouet ad odiendum tunc, cum intellectus ociosus consistit, maiorem motum habet quam intellectus, nec memoria, cum in ea natura sit habere motum subitaneum sine deliberatione recolendi & intelligendi.

De Quæstionibus gulæ & auaritiæ.

GVla & auaritia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis arboris moralis. Cum homo auarus multum non vult expendere, & homo gulosus multum vult comedere, auaritia & gula quare habent concordantiam, & non sunt contrariæ? Solutio. Gula & auaritia in diuersis hominibus sunt contrariæ, & in vno homine possunt concordantiam habere: sicut homo gulosus qui est auarus aliis hominibus, vt multum comedere possit, & quod possit emere cibaria delicata. Auaritia & gula quomodo sunt contrariæ? Solutio. Gula est contra sanitatem hominis auari vt multum comedere possit: idcirco est contra subiectum auaritiæ, & auaritia est contra gulam, in quantum tenet cibaria delicata ociosa, quæ possent emere, & gula vellet comedere, sed auaritia ei dare non vult: idcirco aliqui homines auari gulosi se debilitant & corrumpunt in comedendo cibaria, quæ cum paucis denariis sunt empta, & quæ non sunt delicata. Charitas & temperantia plorabant, à quibus petiit heremita, quare plorabant? Solutio. Responderunt, quod ipsæ plorabant, quia earum contraria plusquam ipsæ diligebantur, & plures habebant amicos.

De Quæstionibus gulæ & luxuriæ.

GVla & luxuria quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Quare homines luxuriosi & gulosi sunt magis pauperes & minus viuunt quam alij homines? Solutio ibidem. Heremita à gula quæsiuit, vtrum erat ita malum vitium sicut luxuria? Solutio. Respondit gula, quod ipsa non erat causa culpæ alteri nisi suo subiecto, & luxuria est causa culpæ homini & fœminæ. Quare plures mulieres sunt luxuriosæ quam gulosæ? Solutio. Pulchræ mulieres ad luxuriam per homines inuitantur fortius quam ad gulam.

De Quæstionibus gulæ & superbiæ.

GVla & superbia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Gula, dixit heremita, es ita malum vitium sicut superbia? Solutio. Respondit gula, quod ipsa erat peius vitium quam superbia in sensitiua, & superbia erat peius vitium quam ipsa in intellectiua. Gula quomodo est superbia? Solutio. Gula est superbia, quia vult quod appetitus sensualis sit Dominus intellectualis. Plorabant gula & superbia, & heremita ab eis quæsiuit, quare plorabant? Solutio. Responderunt gula &

la & ſuperbia, quod ipſæ plorabant, quia ipſe carnes non comedebat, nec vinum bibebat, nec pulchra indumenta induebat.

De Quæſtionibus gulæ & accidiæ.

GVla & accidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitioſis arboris moralis. Heremita à gula quæſiuit, vtrum erat ita malum vitium ſicut accidia? Solutio. Reſpondit gula, quod ipſa non eſt ita commune vitium ſicut accidia. Heremita ab accidia, & gula quæſiuit, quale ſignum in ſcuto faciebant? Solutio. Reſponderunt gula & accidia, quod ipſæ ſignum triſtitiæ faciebant, & pigritiæ cum homines nimis comederēt, & cum homines ſani temperantiam lucrati fuerint, bonos mores, denarios & bonam famam. Gula & accidia, dixit heremita, qualis eſt veſter finis? Solutio. Vade ad riburi. antedictam.

De Quæſtionibus gulæ & inuidiæ.

GVla & inuidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubri. antedictam in brāchis vitioſis arboris moralis. Gula, dixit heremita, es ita malum vitium ſicut inuidia? Solutio. Reſpondit gula, quod homo inuidioſus inuidiam habere poteſt ieiunus & plenus, & eſt magis contraria charitati quam illa. Gula & inuidia, dixit heremita, quare eſtis amicæ? Solutio. Reſponderunt gula & inuidia, quod ipſæ amicæ erant, quia timorem de earum inimicis habebant. Heremita à gula & inuidia quæſiuit, cum eas perderet, vbi eas citius inueniret? Solutio. Reſponderunt gula & inuidia, quod ipſæ erant libenter in hominibus diuitibus, qui plures habent denarios, & plus bonum diligunt ſpeciale contra publicum, quam homines pauperes.

De Quæſtionibus gulæ & iræ.

GVla & ira quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubri. antedictam in branchis vitioſis arboris moralis. Gula, dixit heremita, es ita malum vitium ſicut ira? Solutio. Reſpondit gula, quod ipſa corpus hominis lente occidebat, & ira ſubito & cito. Heremita à gula & ira quæſiuit, vtrum timorem habebant? Solutio. Reſpondit gula & dixit, quod ipſa timorem habebat de temperantia: & ira dixit, quod ipſa timorē habebat de patientia. Gula & ira venditis vos per denarios? Solutio. Reſponderunt gula & ira, & dixerunt, quod non vendebantur pro denariis, ſed ſe dabant libenter omnibus qui ipſas volebant.

De Quæſtionibus auaritiæ & luxuriæ.

AVaritia & luxuria quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad brāchas vitioſas arboris moralis in rubrica antedicta. Luxuria, dixit heremita, es ita malum vitium ſicut auaritia? Solutio. Reſpondit luxuria, & dixit, quod ipſa non erat ita fortiter contra naturam ſicut auaritia, nec erat ita publicum vitium. Heremita à vetula luxurioſa quæſiuit, quare non habebat ita magnum placitum de luxuria ſuæ nurus, ſicut de luxuria ſuæ filiæ? Solutio. Reſpondit vetula & dixit, quod ipſa plus denarios propter ſuā filiā diligebat, quapropter nurū ſuam. & plus ſuā ſimilitudinē luxuriæ diligebat in illa fœmina quam plus diligebat. Vetula luxurioſa, dixit heremita, quare tuum filium reprehen-

dis de luxuria, non autem tuam filiam? Solutio. Respondit vetula & dixit, quod suus filius suũ corpus consumebat, & propter luxuriã denarios expendebat: sua vero filia ipsos lucrabatur, quæ luxuriam corã ipsa faciebat, filius autem suus non etiam cum sua filia de luxuria sine verecundia loquebatur, & sibi placita referebat, quæ cum hominibus habuerat, de quibus placitis verecundiam habebat, quod suo filio ipsa diceret.

De Quæstionibus auaritiæ & superbiæ.

Avaritia & superbia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in brãchis vitiosis arboris moralis. Auaritia, dixit heremita, es ita malum vitium, sicut superbia? Solutio. Respondit auaritia & dixit, quod ipsa erat peius vitium quam superbia contra restitutionem in puncto mortis, & superbia erat peius vitium quam illa, cum ita contra veniam in puncto mortis. Superbia, dixit auaritia, quare es contra honorem Dei, & tu auaritia, quare es contra finem bonorum temporalium, & vos, dixit heremita, quare inuicem vos reprehenditis, postquam virtuti estis contrariæ? Solutio. Respondit superbia, quod ipsa erat contra Deum, quoniam parem habere nolebat in magnitudine potestatis. Et auaritia dixit, quod ipsa erat contra finem bonorum temporalium, quia charitas dormiebat. Et ambæ ad heremitam dixerunt, quod ipsæ se inuicem reprehendebant, quia cum inuidia concordantiam habebant. Auaritia & superbia, habetis ita magnam concordãtiam in homine sene, sicut in homine iuuene? Solutio. Respondit superbia, quod ipsa maior erat in homine iuuene, inquantum corpus, & inquantum anima in sene. Et auaritia dixit, quod ipsa erat in homine sene maior corporaliter & spiritualiter, quam in homine iuuene.

De Quæstionibus auaritiæ & accidiæ.

Avaritia & accidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in brãchis vitiosis arboris moralis. Heremita ab auaritia & accidia quæsiuit, quæ ipsarum est peius vitium? Solutio. Respondit auaritia, quod ipsa erat peior quam accidia in infirmitate hominis diuitis auari. Et accidia dixit, quod ipsa erat peior in sanitate hominum suorum amicorum quam auaritia, quia erat vitium, quod non erat tam cognitum, nec quod tantum timeatur sicut auaritia. Heremita ab vno mercatore auaro quæsiuit, quare tot denarios non habebat sicut alius mercator amicus largitatis? Solutio. Vade vt supra. Heremita à ciuitate Hierusalem quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Respondit ciuitas Hierusalem, quod auaritia & accidia hoc sciebant.

De Quæstionibus auaritiæ & inuidiæ.

Avaritia & inuidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in brãchis vitiosis arboris moralis. Heremita à peccato quæsiuit, vtrum erat ita magnum in auaritia, sicut in inuidia? Solutio. Respondit peccatum, quod maius erat in auaritia intensiuè, & in inuidia extensiuè. Heremita ab auaritia & inuidia quæsiuit, si erant perdite vel

vel amissæ, vbi possent inueniri? Solutio. Responderunt, quod ipsi qui ipsas inuenire vellent, ipsas in pulchris domibus inquirerent, in pulchris equis, in pulchris vestibus, in tecaciis plenis denariorū, in horreis plenis frumento, & in lachrymis pauperum. Et tunc heremita dixit, quod citò poterant inueniri. Heremita ab auaritia quæsiuit & inuidia vtrum erant de magno genere? Solutio, Responderunt auaritia & inuidia quod earum genus multum erat antiquum, & maxime erant in summitatibus arborum.

De Quæstionibus auaritiæ, & iræ.

AVaritia & ira quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Auaritia, dixit heremita, es ita malum vitium sicut ira? Solutio. Respondit auaritia, quod ira currebat citius ad malum contra bonum, quam illa. Auaritia ab ira quæsiuit, quare denarios quos ipsa cum labore acquisiuerat, ad fortunam perdendi ponebat, tunc cum homines occidere volebat: Solutio. Respondit ira, quod ipsa damnum alicuius non plangebat. Ira, dixit auaritia, posses me vindicare de largitate, quæ de me malum pauperibus dicere facit? Solutio. Respondit ira, quod ipsam vindicare poterat de largitate, dum tamen ipsa litem inter homines diuites procuraret, qui eleemosynam pauperibus faciunt.

De Quæstionibus luxuriæ & superbiæ.

LVxuria & superbia quomodo habent concordantiam? Solutio, Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Heremita à luxuria & superbia quæsiuit, quæ ipsarum est peius vitium? Solutio. Respondit luxuria, quod ipsa erat peius vitium in corpore: & superbia dixit, quod ipsa erat peius vitium in anima. Tunc vero heremita cognouit, quæ ipsarum erat peius vitium. Quare vetula fœmina luxuriosa non est ita superba, sicut fœmina iuuenis luxuriosa? Solutio. Mulieres iuuenes magis rogantur quam senes. Heremita luxuriam & superbiam inuenit, quæ inuicem loquebantur, & quæsiuit ab eis, de quo loquebantur? Solutio. Responderunt superbia & luxuria, quod semper loquebantur de his quæ magis diligebant, aut de illis quæ valdè odiebant. Et tunc dixit luxuria ad heremitam, quod ipsa nolebat esse sua vxor: & superbia dixit, quod ipsa nolebat esse sua socia, quoniam pulchram figuram non habebat, nec equum equitabat, nec pulchra habebat indumenta, nec domicellos, qui ei seruirent, & habebat barbam albam, & cibaria macillenta comedebat. Respondit eis heremita, quod huiusmodi diligebat, vt earum societatem non haberet: quoniam nimis erant malæ bestiæ.

De Quæstionibus luxuriæ, & accidiæ.

LVxuria & accidia quomodo habēt concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Heremita à luxuria & accidia quæsiuit, quæ ipsarum est peius vitium? Solutio. Respondit luxuria, quod ipsa erat peius vitium in sanguine, & accidia in melancholia. Accidia, dixit heremita, quare plus luxuriam diligis in magis nobilibus mulieribus,

lieribus, quam in minus nobilibus? Solutio. Respondit accidia, quod ipsa plus diligebat luxuriam in nobilioribus mulieribus, quam in minus nobilibus, vt esset magna, & vt maius malum procurare posset. Luxuria, dixit heremita, es ociosa in homine sene luxurioso, qui cum muliere iacere non potest? Solutio. Respondit luxuria, quod accidia sua amica hoc sciebat, quæ homines castos blasphemabat.

De Quæstionibus luxuriæ, & inuidiæ.

LVxuria & inuidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Heremita à luxuria quæsiuit, vtrum erat ita malum vitium sicut inuidia? Solutio. Respondit luxuria, quod ipsa erat peius vitium in tangendo, & inuidia in videndo. Quare mulier melius est disposita, quod sit luxuriosa quam inuidiosa, & homo quod sit inuidiosus, quam quod sit luxuriosus? Solutio. Nullam mulierem decet ita bene habere diuitias sicut hominem, & omnis voluntas coacta desiderat esse libera. Quare mulieres plus reprehenduntur de luxuria, quam homines de inuidia? Solutio. Iudicium fœminarum non est ita magnum sicut iudicium hominum.

De Quæstionibus luxuriæ, & iræ.

LVxuria & ira quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Heremita à luxuria & ab ira quæsiuit, quæ ipsarum est magis mala? Solutio. Respondit luxuria, quod ipsa timorem habebat aliquotiens. Et dixit ira, quod nunquam timorem habebat. Quidam dare volebat mulierem iuuenem in vxorem cuidam homini veteri: qui ab ipsa quæsiuit, vtrum sibi placebat? Solutio. Respondit domicella, quod si ipse ipsam habere volebat in vxorem, & inuicem litigarent, non esset, qui pacem poneret inter ipsos. Quare homo luxuriosus iratus non est contra suum peccatum, & est iratus contra suam vxorem luxuriosam? Solutio. Quilibet gallus Dominus est in suo fimario.

De Quæstionibus superbiæ, & accidiæ.

SVperbia & accidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Superbia, dixit heremita, es ita malum vitium sicut accidia? Solutio. Dixit superbia, quod ipsa magis Deo erat contraria, quam accidia: quoniam ipsa volebat esse sine pari. Heremita à superbia quæsiuit & ab accidia, vtrum erant contrariæ? Solutio. Responderunt, quod ipsæ contrariæ erant, inquantum in hominibus quælibet volebat esse maior quam alia. Superbia ab accidia quæsiuit vbi stabat? Solutio. Dixit accidia, quod plures domum suam sciebant.

De Quæstionibus superbiæ, & inuidiæ.

SVperbia & inuidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Heremita à superbia quæsiuit, & ab inuidia, quæ ipsarum erat peius vitium? Solutio. Dixit superbia, quod ipsa erat peius

peius vitium in dæmonibus, & dixit inuidia, quod ipsa erat maius vitium in hominibus. Heremita à superbia quæsiuit, vtrum de ipso habebat inuidiam? Solutio. Respondit superbia, quod ipsa inuidiam non habebat de homine paupere malè induto, qui fabas comedit. Heremita à superbia quæsiuit, vtrum erat de sua parentela? Solutio. Respondit superbia, quod sua hypocrisis hoc sciebat.

De Quæstionibus superbiæ, & iræ.

SVperbia & ira quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Superbia & ira quæsiuerunt ab heremita, vtrum sciret quæ illarum esset maior? Solutio. Respondit heremita, quod ipse ambarum æqualitatem sciebat, quoniam superbia aliquem honorem non habebat, nec ira aliquod placitum. Quare homo superbus citius est iratus, quam alius homo? Solutio. Nullus homo habet tot contraria, sicut homo superbus. Ab homine paupere quæsiuit heremita, vtrum sciret domum in qua sunt superbia & ira? Solutio. Respondit homo pauper, quod faceret illam quæstionem hominibus diuitibus, qui vanam gloriam diligunt.

De Quæstionibus accidiæ, & inuidiæ.

ACcidia & inuidia quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in brāchis vitiosis arboris moralis. Heremita ab accidia & inuidia quæsiuit, quomodo vna est maior alia? Solutio. Respondit accidia, quod ipsa erat maior quam inuidia in homine paupere, inuidia vero dixit, quod ipsa maior erat quam accidia in homine diuite. Quæsiuit heremita ab inferno, vtrum in illo tot homines erant per inuidiam, sicut per accidiam? Solutio. Nullum peccatum est ita contrarium vtilitati publici sicut accidia. Accidia & inuidia ab heremita quæsiuerunt, quam ipsarum sua hypocrisis diligebat? Solutio. Respondit heremita, quod sua hypocrisis habere vult bonam famam, quam habent sancti homines, & sua accidia abhorret bonam famam omnium hominum.

De Quæstionibus accidiæ, & iræ.

ACcidia & ira quomodo habent concordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Accidia & ira, dixit heremita, habetis æqualitatem in malo? Solutio. Dixit accidia, quod ipsa nullum bonum diligebat, ira vero dixit, quod ipsa nullum malum odiebat. Quæsiuit heremita ab accidia & ira, vtrum erant contrariæ? Solutio. Dixerunt accidia & ira, quod ipsæ erant contrariæ, in quantum accidia ibat lentè, & ira citò. Quæsiuit heremita ab accidia & ira, vtrum erant de vno genere? Solutio. Responderunt, quod ira erat de genere ignis, & accidia de genere aquæ.

De Quæstionibus inuidiæ, & iræ.

INuidia & ira qnomodo habent cōcordantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in branchis vitiosis arboris moralis. Quæsiuit heremita ab inferno, quæ erat maior procuratrix mali, aut inuidia, aut ira? Solutio. Respondit infernus, quod inuidia homines adducebat sibi, qui iniuriosè

bonum diligunt, & ira sibi homines adducebat, qui iniutiosè malum diligunt. Et túc heremita cognouit, quod ira est peius vitium quam inuidia. Quare homines diuites maiorem habent inuidiam, & citius irascuntur quam pauperes? Solutio. Infantes cum nimis comederint, plorant, & cum famem habent, similiter. Heremita plenum & vacuum inuenit in via, & quæsiuit ab eis quo ibant? Solutio. Dixit vacuum, quod ibat ad inuidiam, quæ est vacua boni, & plenum dixit, quod ibat ad iram, quæ est plena mali.

De Quæstionibus vitiorum consequentium. Et primò de iniuria.

INiuria quid est? Solutio. Vade ad primum paragraph. de vitiis consequentibus in branchis vitiosis arboris moralis. Iniuria de quo est? Solutio. Iniutia est ex priuatione iustitiæ. Iniutia quare est? Solutio. Iniuria est, quia iustitia non est. Quæsiuit heremita ab iniutia, cum quo sensu maiorem habet concotdantiam? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa maiorem concordantiam habebat cum affatu, & cum auditu, quia ipsi sunt duo sensus, per quos est habitus iustitiæ in Iuristis.

De Quæstionibus indiscretionis.

INdiscretio quid est? Solutio. Vade ad secundum paragtaphum. Indiscretio de quo est? Solutio. Indiscretio est de priuatione prudentiæ. Indiscretio quare est? Solutio. Indiscretio est, quia prudentia non est. Indiscretio, dixit heremita, contra quam potentiam animæ es magis fortis? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa erat magis contraria intellectui, quam memoriæ & voluntati, quia intellectus & prudentia magnam habent amicitiam.

De Quæstionibus debilitatis cordis.

DEbilitas cordis quid est? Solutio. Vade ad tertium paragr. Debilitas cordis quare est? Solutio. Debilitas cordis est, quia homines fragiles & vulpini spem obliuiscuntur & verecundiam, & sæpius considerant illa, quæ periculosa sunt. Quare homines sanguinei sunt magis audaces, quam flegmatici? Solutio. Ignis sanguinem effundit, & aqua ipsum restringit. Quare homines post comestionem sūt magis audaces, quam homines ieiuni? Solutio. In hominibus post comestionem spiritus vitales messes faciunt: & in ieiunis ipsas fecerunt: idcirco virtus cordis magis est extensa, per omnia membra corporis hominis prāsi, quam hominis ieiuni.

De Quæstionibus intemperantiæ.

INtemperantia quid est? Solutio. Vade ad capitulum de intemperantia in paragr. quarto. Intempetantia quare est? Solutio. Intemperantia est, quia fortitudo non est contra gulam. Heremita quæsiuit à temperantia, vtrum intemperantia sit creatura? Solutio. Respondit temperātia, quod omnis creatura naturaliter est bona, & si intemperantia esset creatura, esset ipsa bona, & non bona naturaliter, quod est contradictio. Quæsiuit heremita ab intemperantia, vtrum timorem haberet maiorem de fortitudine, quam de prudentia? Solutio. Respondit intemperantia,

rantia, quod ipsa timorem non habebat de fortitudine dum prudentia dormiebat.

De Quæstionibus infidelitatis.

INfidelitas quid est? Solutio. Vade ad quintum paragr. Infidelitas de quo est? Solutio. Infidelitas est ex erroribus quos intellectus humanus supponit veros esse contra articulos Fidei Catholicæ. Infidelitas quare est? Solutio. Infidelitas est propter absentiam bonorum pastorũ, qui bene suas oues non custodiunt: & est materialiter, vt sancti homines Christiani materiam habeant ad faciendum bonum magnum in destruendo errores, & in sustinendo passiones pro laudando & prædicãdo nomen Domini Iesu Christi. Infidelitas quomodo potest destrui? Solutio. Infidelitas destrui potest cum diligentia bonorum pastorum, secundum modum quem Raymundus posuit in sua petitione, quam ipse Domino Papæ, & eius collegio præsentauit.

De Quæstionibus desperantiæ.

DEsperantia quid est? Solutio. Vade ad sextum paragr. Desperantia quare est? Solutio. Deus permittit esse desperantiam, vt sit materia hominibus, quod in Domina nostra habeãt magnam spem. Quomodo est desperantia? Solutio. Desperantia est, inquantum homines peccatores recolunt magnam iustitiam Dei, & obliuiscuntur suam magnam misericordiam. Homines desperati, quare sunt tristes? Solutio. Homines desperati sunt tristes, quia desperantia timorem inducit & permittit malum, & nullum bonum.

De Quæstionibus crudelitatis.

CRudelitas quid est? Solutio. Vade ad septimum paragr. Heremita à crudelitate quæsiuit, quare stabat libentius in hominibus diuitibus, quam in pauperibus? Solutio. Respondit crudelitas, quod inuidiam & auaritiam plus diligunt homines diuites, quam pauperes. Crudelitas, dixit heremita, petes veniam à Deo in præsentia pauperum? Solutio. Respondit crudelitas, quod non est ausa dicere falsum in præsentia testium. Crudelitas cum quo vincis charitatem? Solutio. Respondit crudelitas, quod ipsa charitatem vincebat cum pigritia amatiuitatis, & cum desperantia, auaritia & superbia.

De Quæstionibus proditionis.

PRoditio quid est? Solutio. Vade ad octauum paragr. antedictum. Proditio, quomodo potest destrui? Solutio ibidem. Legalitas, dixit heremita, cum quo vitio proditio est tibi magis contraria? Solutio. Respondit legalitas, quod proditio sibi erat contraria cum luxuria in hominibus iuuenibus, & cum auaritia in hominibus senibus. Heremita quæsiuit à proditione, cum quo sensu erat magis contraria legalitati. Solutio. Respondit proditio, quod nullus sensus est ita communis ad procurandum falsitatem sicut affatus.

De Quæstionibus homicidij.

HOmicidium quid est? Solutio. Vade ad nonum paragr. Homicidium, dixit vita, quomodo posses destrui? Solutio ibidem. Homicidium,

dixit heremita de quo sẽsu habes maiorem timorẽ? Solutio. Per nullũ alium sensum moriuntur tot homines sicut per gustam, tunc vero heremita cognouit, quod per nullũ sensum viuũt tantum homines, sicut per gustum & temperantiam. Vita, dixit heremita, cum qua potentia animæ homicidium est tibi magis contrarium? Solutio. Respondit vita quod nulla potentia spiritualis auscultat ita parum rationem, sicut voluntas.

De Quæstionibus latrociniȷ.

LAtrocinium quid est? Solutio. Vade ad decimum paragr. Latrocinium, dixit heremita, quis est tuus maior amicus? Solutio ibidem. Latrocinium cui es plus furatus? Solutio. Respõdit latrocinium, quod Deo plus furatum est quam alicui alij. Latrocinium quas res es Deo magis furatũ? Solutio. Respondit latrocinium, quod plus furatum est Deo de veritate & honore, quam de aliqua alia re: quoniam plures homines sunt in errore, quam in veritate, & plures homines laborant ad acquirendum honorem proprium, quam ad honorandum Deum. Et tunc heremita dixit ad latrocinum, quod ipsum valde malum vitium erat.

De Quæstionibus mendaciȷ.

MEntiri quid est? Solutio. Vade ad decimum-primum paragra. Mentiri, dixit heremita, quales sunt tui maiores inimici? Solutio ibidem. Mentiri in quo sensu es maius? Solutio. Respondit mentiri, quod nullus sensus contra naturam mentiebatur, nisi affatus tantummodo, & tunc heremita cougnouit, quod affatus cũ veritatem dicebat, plus erat amicus Dei, quam nullus alius seruus. Quæsiuit heremita à voluntate, vtrum habebat ita magnam culpam in mentiendo, sicut intellectus? Solutio Respondit voluntas, quod quæreret hoc à veritate quæ est obiectum intellectus.

De Quæstionibus maledictionis.

MAledicere quid est? Solutio. Vade ad duodecimum paragraphum. Maledicere, quales sunt tui maiores inimici? Solutio ibidem. Maledicere de quo plus dicis de malo? Solutio. Respondit maledicere, quod plus dicebat de malo de illo qui plus valet: tunc vero heremita cognouit, quod volebat hoc dicere de Christo de quo mali Christiani malum dicunt dum ludunt ad taxillos: & infideles, qui sunt plures quam Christiani, qui de Domino Iesu Christo dicunt multum de malo, de quo dicit malum voluntas, quæ ipsum tantum non diligit sicut seipsam. Maledicere, quare es maius quam benedicere? Solutio. Respondit maledicere, quod maius erat quam benedicere, quia plures habebat procuratores, & quia quando lupi comedunt oues fugiunt pastores.

De Quæstionibus impatientiæ

IMpatientia quid est? Solutio. Vade ad decimumtertium paragraph. Impatientia de quo habes timorem? Solutio ibidem. Impatientia quomodo deuinceris? Solutio ibidem. Impatientia quare habes ita magnam audaciam, & es ita superba? Solutio. Impatientia dixit, quod dum ita sit sua amica, non habet timorem quod sit deuicta.

De

De Quæstionibus inconstantiæ.

INconstantia quid est? Solutio. Vade ad decimumquartum paragrap. Inconstantia, qui vocantur tui maiores inimici? Solutio ibidem. Inconstantia, quis sensus tecum maiorem habet concordantiam? Solutio. Inconstantia dixit, quod affatus erat ille sensus qui est minus stabilis. Inconstantia quare habes maiorem concordantiam cum voluntate, quam cum intellectu? Solutio. Inconstantia dixit, quod voluntas leuiter se vertebat de vno proposito ad aliud sine deliberatione: sed intellectus cum volebat loqui antequam loqueretur diu considerabat cum deliberatione, in hoc quod dicere volebat, propter quod ipsa sibi malum volebant.

De Quæstionibus immunditiæ.

IMmunditia quid est? Solutio. Vade ad decimumquintũ paragraphum. Immunditia quare es ita magna? Solutio. Respondit, quod ipsa erat ita magna, quoniam erat magis contraria, quam aliud vitium, communi habitui virtutis. Immunditia quare est maior spiritualiter, quam corporaliter? Solutio. Nulla munditia est ita magna sensualiter, sicut intellectualiter. Immũditia de qua aqua habes maiorem timorem? Solutio. Immunditia dixit, quod de aqua quam oculi lachrymando emittunt per contritionem, maiorem habebat timorem, quam de aqua, cum qua pulchræ Dominæ suam faciem lauant.

De Quæstionibus falsitatis.

FAlsitas quid est? Solutio. Vade ad decimumsextum par. Falsitas de quo maiorem habes timorem? Solutio. Respondit falsitas, quod ipsa maiorem timorem habet de morte hypocrisis & symoniæ, quam de morte alicuius alterius vitij. Falsitas es ita fortis sicut veritas? Solutio ibidem. Cum tu falsitas non sis ita fortis sicut veritas, quare stas in pluribus hominibus, quam veritas? Solutio. Falsitas dixit, quod quæreret hoc à pastoribus qui malè oues custodiunt.

De Quæstionibus pigritiæ.

PIgritia quid est? Solutio. Vade ad decimumseptimum paragraphum. Vsura quare est? Solutio ibidem. Pigritia quo vadis? Solutio. Pigritia dixit, ꝙ ipsa ibat ad morandum in hominibus pinguibus, qui habent bonos lectos, & qui cibaria delicata comedunt. Pigritia quare es magis in hominibus diuitibus, quam in hominibus pauperibus? Solutio. Propter indigentiam carnium comedit lupus de racemis.

De Quæstionibus incurialitatis.

INcurialitas quid est? Solutio. Vade ad decimum-octauum paragraph. Incurialitas quomodo deuincitur per curialitatem? Solutio ibidem. Incurialitas, dixit heremita, quare ploras? Solutio. Respondit quod ipsa plorat, quia homines hypocritæ curialitatem diligunt, vt inter gentes bonam famam habeant. Et hoc idem faciunt homines superbi. Incurialitas es dilecta per gulam? Solutio. Respondit incurialitas, quod illam quæstionem faceret curialitati, quæ plorat, dum homines gulosi comedunt.

De Quæstionibus inobedientiæ.

INobedientia quid est ? Solutio. Vade ad decimumnonum paragr. Inobedientia quomodo potest deuinci ? Solutio ibidem. Inobedientia cui es magis communis ? Solutio. Quia affatus plura facit mandata quam alius sensus, sunt plures homines ipsi inobedientes, quam alicui alij sensui. Inobedientia quare rides ? Solutio. Respondit inobedientia, quod ipsa ridebar, quia homines amici obedientiæ sunt capti.

De Quæstionibus mixtionis vitiorum consequentium.

Et primò de iniuria.

INiuria & discretio quomodo habetis concordantiam ? Solutio. Vade ad quæstiones iniuriæ & indiscretionis, in quibus earum concordantia significatur quam habent contra iustitiam & prudentiam. Fragilitas quo vadis ? Solutio. Respondit fragilitas quod ipsa ad iniutiam ibat, quæ ipsam rogauerat, quod ipsam iuuaret ad deuincendum iustitiam. Intemperantia habes amicam? Solutio. Respondit intemperantia quod iniuria erat amica sua in mensa dum iustitia dormiebat. Iniuria & infidelitas quare habetis in mundo ita magnam potestatem ? Solutio. Responderunt iniuria & infidelitas, quod pastores dormiunt, & iudices denarios diligunt, & superbia Dominum non habet. Iniuria quare estis hilaris? Solutio. Respondit iniuria ꝙ ipsa erat hilaris, qa iniuria faciebat misericordiæ Dei in peccatores qui spem in ipsa non habent. Iniuria quare tenes denarios hominis diuitis ociosos ? Solutio. Respondit iniuria quod ipsa erat amica credulitatis quæ claudit portas hominibus pauperibus. Iniuria quare perditionem facis ? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa perditionem faciebat, quia illegalitas est sua consanguinea. Iniuria es tu in Rege qui suos homines mori facit in bello ? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa erat in Rege, si Rex sine iustitia bellum faciebat. Iudex latro quare facit homines latrones suspendi ? Solutio. Respondit iniuria, quod iudex latro homines latrones suspendi facit quia ipsa est vxor sua. Iniuria quare facitis mentiri homines ? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa faciebat mẽtiri homines, vt ciuitas inferni esset populata de multis hominibus. Iniuria quales sunt vestræ mensuræ ? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa mensurabat cum maledicere & blasphemare virtutes sanctorum hominum, quia cum iustitia habent concordantiam. Iniuria de quo habes timorem? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa timorem habebat de patientia quæ sępius ipsam deuicerat. Iniuria de quo est vestra potestas ? Solutio. Respondit iniuria, quod sua potestas erat de priuatione iustitiæ & constantiæ. Iniuria cum quo lauas faciem tuam? Solutio. Iniuria dixit, quod suam faciem lauabat cum aqua quæ exit de oculis hominum, qui rident tunc, cum deridente sanctos homines. Iniuria quis scripsit tuum librum ? Solutio. Dixit iniuria, quod ipsa & falsitas ipsum scripserant, vt iustitia & legalitas in ipso non sint scriptæ. Iniuria cui cõmodauistis equum vestrum ? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa suum equum cõmodauit pigritiæ, & iustitiæ. Iniuria quo iuit vestra incurialitas ? Solutio. Respondit iniuria, quod transmiserat ipsam

ipsam ad intemperantiam, ad superbiam, & ad infamiam. Iniuria fuisti vnquam obediens? Solutio. Respondit iniuria, quod ipsa erat obediens superbiæ, luxuriæ, auaritiæ, & cæteris suis sociis.

De Quæstionibus indiscretionis, & vitiorum mixtorum.

INdiscretio, de quo est vestra vis? Solutio. Respōdit indiscretio, quod sua vis erat de fragilitate quam miles habet in bello contra animositatem. Intemperantia vbi est vestrum hospitium? Solutio. Respondit, quod ipsa hospitabatur in indiscretione quā homines gulosi habent in comedendo & bibendo. Indiscretio quare es ita magna? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa crescebat omni tempore, quo lupi oues comedunt. Indiscretio quare es desperata? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa erat desperata, quia prudentia non loquebatur hominibus peccatoribus de magna misericordia Dei. Indiscretio quare es ita crudelis? Solutio. Respondit indiscretio, quod sua credulitas crescebat dum prudentia charitatem obliuiscebatur. Indiscretio, fecisti vnquam proditionem? Solutio. Respondit indiscretio quod ipsa proditionem faciebat semper cum homines sua peccata propter verecundiam confiteri dimittunt. Indiscretio occidisti vnquam aliquem hominem? Solutio. Respondit indiscretio quod infernus hoc sciebat, in quo tot homines vadunt propter ignorantiam & stultitiam. Indiscretio fecisti vnquam latrocinium? Solutio. Dixit indiscretio, quod ipsa sæpius furata est denarios pauperibus, vt famem haberēt, & ipsos dabat diuitibus, vt de eorum diuitiis vanam gloriam haberent. Indiscretio dixisti vnquam mendacium? Solutio. Dixit indiscretio, quod illa sæpius mentiebatur in sartore, qui pannos vendit, qui sæpè dicit, quod Deus eum non iuuet, vt lucrari possit quinque solidos. Indiscretio dixisti vnquam malum de bona Domina? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa malum dicebat de bonis Dominabus, vt luxuria in mūdo magnam famam haberet. Indiscretio quare es impatiens? Solutio. Dixit indiscretio, quod ipsa impatiens erat, quia prudentia dormiebat, & ita vigilabat. Indiscretio vos quæ non intelligitis, quomodo de inconstantia cognitionem habetis? Solutio. Indiscretio dixit, quod in hoc quod ipsa ignorabat, constantia habebat cognitionem de inconstantia. Indiscretio de quo est vestra immunditia? Solutio. Dixit indiscretio, quod sua immunditia erat de culpabili recolere, amare, ignorare, videre, audire, loqui, gustare, & tangere. Indiscretio tu quæ es priuatio prudentiæ, quomodo cognitionem habes de falsitate? Solutio. Indiscretio dixit, quod ipsa cognitionem habebat de falsitate cum iuuamine suorum sociorum, qui ipsam iuuant contra prudentiam in eligendo minora bona & dimittendo maiora, & in accipiendo maiora mala & dimittendo minora. Indiscretio quare es pigra ad faciendum bonum? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa erat pigra ad faciendum bonum, quia erat diligens ad faciendum malum. Indiscretio quare es malè edocta? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa erat male edocta, quia credebat facere placitū hominibus tunc, cum eis tædiū & displicitum faciebat. Indiscretio fuisti vnquam obediens? Solutio. Respondit indiscretio, quod ipsa erat obediens

omni

omni tempore, quo homines loquuntur stultè.

De Quæstionibus fragilitatis, & vitiorum mixtorum.

FRagilitas habes cognitionem de temperantia? Solutio. Dixit fragilitas, quod intemperantia sua amica sibi malum dixerat de temperantia multotiens, vt illa sibi malum diceret de fortitudine. Fragile cor, quare sunt tot infideles in mundo? Solutio. Respondit timidum cor, quod peteret hoc à pastoribus, qui maiorem timorem habent de morte corporis, quam de morte animæ. Fragile cor, quare es desperatum? Solutio. Respondit timidú cor, quod ipsum erat desperatú, quia habebat multos amicos, & fortitudo habebat paucos. Fragile cor, quare non habes magnam charitatem? Solutio. Timidum cor dixit, quod ipsum nó habebat magnam charitatem, quia diligebat habere magnam crudelitatem. Cor fragile, est in te aliquid de legalitate? Solutio. Respondit, quod ita erat plenum proditione, quod ex legalitate in ipso nil intrare poterat. Cor debile, scis quid est mors animæ? Solutio. Respondit, quod nesciebat quid erat mors animæ, quia tota die considerabat in morte corporis: de qua magnum habuit timorem. Cor fragile, postquam habes tot denarios, quare non das pauperibus? Solutio. Respondit, quod nolebat illis dare denarios, quibus ipsos est furatus. Cor fragile, quare non habes verecundiá mentiendi? Solutio. Respondit, quod verecundiam habebat dicendi veritatem, vt mendacium odio non haberet: ꝙ multú diligebat. Fragile cor, quare malú dicis de hominibus qui sunt audaces, & qui sunt amici largitatis? Solutio. Respondit, quod ipsú malum dicebat de hominibus qui sunt audaces, quia timorem de morte non habent, nec de paupertate. Cor fragile, quare patiétiam non habes? Solutio. Respondit, ꝙ si patiétiá haberet, esset de genere fortitudinis, quæ est suum contrarium. Cor fragile, quare non habes constantiam, & es ita sicut folium arboris, quod ad omnes ventos se vertit? Solutio. Respondit, quod erat ita plenum fragilitate, quod in illo quod faciebat, vel dicebat, deliberationem habere nó poterat, nec abstinentiam. Fragile cor, cum quo manus & faciem lauas? Solutio. Respondit, quod cum tristitia, timore, mendacio, & auaritia. Fragile cor, quare facis falsitatem? Solutio. Respondit, quod falsitatem faciebat, quia legalitas & fortitudo societatem contraxerunt. Fragile cor, quare diligentiam non habes? Solutio. Respondit, quod diligentiam habere non poterat, quia multum delectabat in comededo & dormiendo. Fragile cor, quare es malè edoctum? Solutio. Respondit, quod erat malè edoctum, quia sui oculi verecundiam non habebant, nec suæ manus largitatem, & de scientia Rhetoricæ nihil didicerat. Cor fragile, postquam es totum timor, quare non es obediens, vt Prælatus tibi malum non faciat? Solutio. Respondit, quod timorem de Prælato non habebat, qui fuit electus symoniacè: quoniam ipse inimicus est forritudinis, quæ est sibi contraria.

De Quæstionibus intemperantiæ, & vitiorum mixtorum.

INtemperantia, cum Saraceni Fidem non habeant, quare odiunt te plusquam Christiani? Solutio. Deus sustinet quod infideles habeant aliquos bonos

bonos mores, ad reprehendendum aliquos malos Christianos qui Fidem habent, & malos mores. Intemperantia quæ est tua consuetudo? Solutio. Respondit intemperantia, quod ipsa ponebat homines in spe temperantiæ in principio mēsę, & in medio loco eijciebat temperantiam de mensa. Intemperantia es medicus? Solutio. Dixit intemperantia, quod ipsa erat medicus, qui cum crudelitate occidebat pauperes contra charitatem, & cum seipsa diuites, qui sunt amici sui. Intemperantia quare proditionem facis illis, qui in te confidunt? Solutio. Dixit intemperantia, quod ipsa habebat officium in prodendo amicos suos. Intemperantia cum quo occidis homines? Solutio. Intemperantia dixit, quod ipsa homines occidebat cum pluribus cibariis delicatis, & in comedendo pluribus horis diei. Intemperantia quomodo temperantiam furata es Monacho, qui ipsam in refectorio habebat? Solutio. intemperantia dixit, quod ipsa furata fuit temperantiam Monacho, quem Abbas inuitauerat in infirmitorio. Intemperantia quem modum habes in mentiendo? Solutio. Respondit intemperantia, quod ipsa modum mentiendi habebat, in quantum sanitatem promittebat & hilaritatem in comedendo plura cibaria delicata, ratione quorum tristitiam dabat & infirmitatem illis, qui ex ipsis nimis comedebant. Intemperantia quare dicis malum de temperantia quæ est ita bona virtus? Solutio. Dixit intemperantia, quod non est mirum, si vnum contrarium dicit malum de alio contrario. Intemperantia quare homines qui nimis comederint, sunt impatientes? Solutio. Dixit intemperantia, quod illi sunt impatientes, quia instinctus naturalis sentit principium infirmitatis, quam ipsa in mensa procurauerat. Intemperantia quid cum bono vino forti operaris? Solutio. Dixit intemperantia, quod ipsa plura opera facere sciebat, inter quæ erat inconstantia vna ex ipsis. Intemperantia quare spuunt totiens homines? Solutio Dixit intemperantia, quod homines totiens spuunt, quia ipsos nimis comedere faciebat & potare. Intemperantia fecisti vnquam falsitatem? Solutio. Dixit, & respondit quod ipsa multotiens falsitates faciebat cuidam heremitæ, qui non comedebat nisi panem & aquam per hypocrisim, quo debilitabatur. Intemperantia quare sunt homines pigri in Augusto? Solutio. Respondit quod homines pigri sunt in Augusto, quia pleni sunt ficubus & musto. Intemperantia in quo tempore es edocta? Solutio. Dixit intemperantia, quod ipsa erat edocta ad leuationem mensæ cum homines saturati erant cibo & potu. Intemperantia fuisti vnquam obediens temperantiæ? Solutio. Intemperantia dixit quod ipsa fuerat multotiens obediens temperantiæ quæ homines comedere parum faciebat in cœna, vt ipsos nimis comedere faceret in prandio.

De Quæstionibus infidelitatis & vitiorum mixtorum.

INfidelitas, quare spem non habes? Solutio. Respondit infidelitas, quod ipsa habere non poterat, quia fides & spes inuicem concordant. Infidelitas vestri amici possunt habere charitatem cōtra crudelitatem, cum faciunt eleemosynam pauperibus? Solutio. Dixit infidelitas, quod sui consequaces qui eleemosynam faciunt figuram habent charitatis & non formam: quoniam si formam haberent, concor-

dantiam cum fide haberent, quæ est sibi contraria. Infidelitas, quomodo facis proditionem? Solutio. Murilegus similitudinem facit, quod sit cuniculus, cum planat aures suas, & caudam abscondit, vt cuniculos accipiat, & vulpis se fingit gallinam, vt ad eam pulli veniant. Infidelitas quomodo homicidium facis? Solutio. Respondit, quod ipsa homicidium faciebat cum ignorantia & falsitate, & ociositate pastorum. Infidelitas cum quo facis latrocinium? Solutio. Dixit infidelitas, quod illa animas hominum furabatur cum ignorantia, & vituperio fidei christianæ. Infidelitas quare ex mendacio viuis in tot hominibus? Solutio. Dixit infidelitas quod ipsa viuebat ex mendacio in pluribus hominibus: quia pauci homines sciunt, & volunt dicere veritatem. Infidelitas es irata: quoniam christiani de te malum dicunt? Solutio. Infidelitas dixit, quod ipsa non curabat de hoc, quod christiani de ipsa malum dicebant: quoniam per plures homines erat laudata, quam blasphemata. Infidelitas, habes impatientiam? Solutio. Respondit, quod habere non debebat impatientiam postquam ciuitatem Hierosolymitanam possidebat, sed impatientia ad fidem romanam spectabat. Infidelitas es fortiter ædificata? Solutio. Dixit infidelitas, quod ædificium suum munitum erat de ferro, lignis, & ignorantia: idcirco timorem non habebat, quod deuinceretur. Infidelitas habes immunditiam? Solutio. Dixit infidelitas, quod Saraceni mappas non tenent in mensa, & cum comedunt, suos digitos lauabant, & sunt magis quam alij homines luxuriosi. Infidelitas, vestra falsitas posset destrui? Solutio. Dixit infidelitas, quod possibilitas suæ destructionis est scripta per Raymundum in suo libro. Infidelitas habes pigritiam? Solutio. Dixit infidelitas, quod si est vnus christianus, centum sunt illi, qui non sunt christiani: idcirco pigritiam habebat: quoniam christianos non destruebat, veruntamen diligētiam habebat in terra Suriç, Turquiæ, & Barbariæ, quæ Christianorum esse solebant. Infidelitas, habes aliquam curialitatem? Solutio. Infidelitas dixit, quod ipsa curialis erat in Synagoga Iudæorum, quos bene colere facit diem Sabbati. Infidelitas, habes plures homines obedientes? Solutio. Dixit infidelitas, quod quæreret hoc à meridie & oriente, qui sunt pleni sua gente.

De Quæstionibus desperantiæ, & vitiorum mixtorum.

DEsperantia habes maiorem crudelitatem, quam spes charitatem? Solutio. Respondit desperantia, quod illa quæstio fieret bursis pauperum & lupis, qui oues comedunt. Desperantia, quare proditionem facis? Solutio. Desperantia dixit, quod ipsa proditionem facit, quia legalitas cum spe concordantiam habet. Desperantia cum quo animas hominum occidis? Solutio. Dixit desperantia, quod ipsa animas hominem occidit, in quantum in puncto mortis eis promittebat discretionem, confessionem, contritionem, & satisfactionem: quoniam in illo puncto imaginatio fortius fontes frigidos imaginatur, quam peccata hominum, & misericordiam Dei. Desperantia, quomodo spem hominibus furaris? Solutio. Dixit desperantia, quod ipsa spem hominibus est furata induendo suam similitudinem. Desperantia, quomodo dicis mendacium? Solutio. Respondit desperantia, quod ipsa.

ipsa mentiebatur, in quantum fingebat se hominibus pauperibus quod ipsa erat in hominibus auaris, largitas & spes. Desperantia de quo dicis libentius malum? Solutio. Respondit desperantia, quod ipsa sæpius malum dicebat de hominibus pauperibus, qui in diuitibus spem habent. Desperantia vbi stas? Solutio. Respondit desperantia, quod ipsa erat in impatientia hominum, qui verecundiam non habent. Desperantia habes constantiam? Solutio. Respondit desperantia, quod auaritia hoc sciebat, quæ ipsam associabat vsque ad punctum mortis, & post mortem ibat ad standum in inferno sine aliqua mutatione. Desperantia habes sanctitatem? Solutio. Respondit desperantia, quod ipsa erat vna species immunditiæ peccati. Desperãtia dixisti vnquam veritatem? Solutio. Dixit desperantia, quod ipsa officium mentiendi habebat in sanitate hominum, & in eorum infirmitate. Desperantia habes negligentiam? Solutio. Desperantia respondit, quod non apparebat, quod ipsa pigritiam haberet in infirmitate hominis, qui moritur sine spe. Desperantia habes aliquam bonam consuetudinem? Solutio. Dixit desperantia, quod illa quæstio fieret spei, quæ plorabat, quia homines restitutionem non faciunt in eorum vita, & habent maiorem spem in suis filiis, quod pro eorum delictis satisfaciant, quam in seipsis. Desperantia habes plures subditos? Solutio. Dixit desperantia, quod illam quæstionem faceret inferno, cui dedit tot gentes.

De Quæstionibus crudelitatis, & vitiorum mixtorum.

Crudelitas fecisti vnquam proditionem Deo? Solutio. Respondit, quod ipsa proditionem multotiens fecerat propter denarios, quos ab hominibus pauperibus auferebat, & diuitibus donabat. Crudelitas quomodo facis homicidium? Solutio. Dixit crudelitas, quod ipsa homicidium faciebat in priuando charitatem & in producendo auaritiam. Crudelitas es oues furata? Solutio. Dixit crudelitas, quod non tantummodo oues furata fuerat, imo plures pastores occiderat. Crudelitas quare mentiris? Solutio. Respondit, quod ipsa mentiebatur, quia charitas veritatem dicebat. Crudelitas quare malum dicis de charitate? Solutio. Dixit crudelitas, quod ipsa malum de charitate dicebat, quia est thesaurus hominum pauperum. Crudelitas, quare es impatiens, cum pauperes à te eleemosynam quærunt? Solutio. Dixit crudelitas, quod ipsa erat impatiens, quia pauperes ab ea eleemosynam per charitatem quærunt. Crudelitas stas firmiter? Solutio. Respondit, quod ipsa semper firmiter stabat contra charitatem, pietatem & humilitatem. Crudelitas cum quo lauas tuos pedes? Solutio. Dixit crudelitas, quod ipsa suos pedes lauat cum immundicia peccati. Crudelitas de quo genere exiuisti? Solutio. Respondit, quod ipsa exiuit de falsitate, quæ erat sua mater, & de superbia, quæ est suus pater. Crudelitas habes pigritiam? Solutio. Dixit crudelitas, quod non apparebat, inquantum charitas est quasi tota perdita. Crudelitas, quare es malè edocta? Solitio. Dixit, quod ipsa erat malè edocta, quia verecundiã non timebat. Crudelitas esses bona monacha? Solutio. Respondit, quod ipsa est de genere inobedientiæ.

De Quæstionibus proditionis, & vitiorum mixtorum.

PRoditio vbi es incepta? Solutio. Respondit, quod ipsa principium habuit tunc, cum Caïn Abel suum fratrem occidit per inuidiam & per auaritiam, idcirco quia erat de tali genere, erat de parentela mortis. Proditio posset homo te furari? Solutio. Dixit, quod non oportebat, quod homo ipsam furaretur, quoniam ipsa se daret cuilibet homini, qui ipsam habere vellet. Proditio, cuius sensus es magis amica? Solutio. Respondit, quod ipsa plus affatum quam alium sensum diligebat, quia ipse plura mendacia dicebat, & cũ illo procurabat deceptionem, quam facit hominibus. Proditio quare dicis malum de bonitate & charitate? Solutio. Dixit, quod propter hoc malum de charitate & bonitate dicebat, quoniam germanæ sunt legalitatis. Proditio, quare es impatiẽs? Solutio. Respondit, quod ipsa erat impatiens, quia superbia est suus frater, & ira est sua germana, & contrarietas est sua mater. Proditio, cum quo stas firma? Solutio. Respondit, quod ipsa stabar firma cum inuidia & auaritia. Proditio, es munda de peccato? Solutio. Respondit, quod ipsa confessionem non diligebar nec pœnitentiam. Proditio, de quo es munita? Solutio. Dixit, quod ipsa munita erat de inuidia, auaritia, falsitate & superbia, vt occidere possit legalitatem, quæ est sibi contraria. Proditio habes pigritiam? Solutio. Dixit, quod illam quæstionẽ faceret Dominabus & castellis, in quibus ipsa totiens fuerat. Et dixit, quod legalitas paucos amicos habet. Proditio, vbi stas libentius? Solutio. Respondit, quod [illegible]curialitas est eius vexillum. Proditio, vbi eras obediens? Solutio. Respondit, quod ipsa fuerat multotiens obediens luxuriæ & argento.

De Quæstionibus homicidij, & vitiorum mixtorum.

HOmicidium, quare occidis homines? Solutio Respondit homicidium, quod homines occidebat, quia furari non poterat Homicidium cum quo occidis bonitatem? Solutio. Respõdit, quod bonitatẽ occidebat cum falso testimonio. Homicidium quis dicit de te malum? Solutio. Dixit homicidium, quod Rex iustus malum de ipso dicebat, cum homines suspendi faciebat. Homicidium habes magnã potestatem? Solutio. Dixit homicidium, quod illam quæstionem faceret magnitudini impatiẽtiæ cum qua homines occidebat. Homicidium, de quo est vestrum ædificium? Solutio. Respondit, q̃ suum ædificiũ erat super inuidiam, auaritiam & superbiam. Homicidium sunt mundæ vestes tuæ? Solutio. Respondit, quod nullus carnifex mundas habet vestes. Homicidiũ diligis falsitatem? Solutio. Dixit, quod illam quæstionem faceret ad hypocrisim, cum qua animas hominum occidebat. Homicidium habes pigritiã? Solutio: Dixit, quod ciuitas Hierusalem hoc sciebat. Homicidium cum quo es malè edoctum? Solutio. Dixit, quod male erat edoctum cum inuidia, ira, superbia, auaritia, & credulitate. Homicidium, es obediens? Solutio. Dixit homicidium, quod erat obediens iudici propter argentum, & principi propter honorem.

De

De Quæstionibus latrocinij, & vitiorum mixtorum.

LAtrocinium, quare non habes verecundiam in mentiendo? Solutio. Respondit, quod non poterat vti officio suo sine mentiri. Latrocinium cum quo bonitatem furatis? Solutio. Dixit, quod bonitatem furabatur, cum maledicere, symonia & hypocrisi. Latrocinium, quare es impatiens? Solutio. Dixit, quod erat impatiens, quia furcas non recolebat. Latrocinium, habes infirmitatem? Solutio. Dixit, quod iustitia Regis ipsum tremere faciebat. Latrocinium, quare vadis de nocte? Solutio. Dixit, quod ibat de nocte vt gentes sua turpia indumenta non viderent. Latrocinium, quare es illegale? Solutio. Dixit, quod illegale erat, quia cum legalitate gentes decipere non poterat. Latrocinium, quare es? Solutio. Dixit, quod erat, quia pigritiam habebat in fodiendo vineam, & in eundo mercatum. Latrocinium, fuisti vnquam obediens? Solutio. Dixit, quod ipsum erat obediens sæpe ad suum displicitum furcis. Latrocinium, es edoctum? Solutio. Dixit, quod illam quæstionem faceret symoniæ, quæ episcopatum est furata, & quod similiter illam quæstionem faceret hypocrisi, quæ sanctitatem erat furata.

De Quæstionibus mendacij, maledicendi, & vitiorum mixtorum cum ea.

MEntiri & maledicere quare sociatat in fecistis? Solutio. Dixerunt, quod societatem fecerunt, vt bonitatem destruerent & veritatem, quæ sunt amicæ. Quare homines mendaces magis sunt impatientes, quã alij? Solutio. Homo mendax semper cum reprehenditur, se excusat. Mentiri de quo est tuum fundamentum? Solutio. Dixit, quod suum fundamẽtum erat de superbia, inuidia, ira, auaritia, & hypocrisi. Heremita ab ore quæsiuit, vtrum erat ita turpe per mẽtiri, sicut camisia leprosi per lepram? Solutio. Respondit os, quod illam quæstionem faceret hypocrisi, quæ turpior est, quam camisia leprosi? Mẽtiri quomodo facis falsitatem? Solutio. Respondit, quod symonia & hypocrisis hoc sciebant. Mentiri, habes diligentiam? Solutio. Dixit, quod per totum mundum semen suum seminauit. Mentiri, es bene edoctum? Solutio. Respondit, quod didicerat rhetoricam, vt gentes decipere posset. Mentiri, fuisti obediens? Solutio. Dixit mentiri, quod illam quæstionem Tartatis faceret, & Iudæis, & Saracenis, & argento Christianorum, & habitui hypocrisis.

De Quæstionibus maledicendi, & vitiorum mixtorum.

MAledicere, quare malum dicis de hominibus humilibus cum patientiam habent? Solutio. Dixit, quod ipsa erat de genere superbiæ, iræ & crudelitatis. Maledicere, quare non dicis malum de inconstantia, quæ est malum vitium? Solutio. Dixit maledicere, quod ipsum nolebat suam germanam inhonorare, de qua sancti homines dicunt malum. Maledicere, quare malum dicis de clericis? Solutio. Dixit maledicere, quod malum de clericis dicebat, quia vitia peius stabant in illis, quam in aliis hominibus. Maledicere, quare non dicis malum de symonia & hypocrisi? Solutio.

Dixit maledicere, quod malũ non dicebat niſi cum falſitate. Maledicere, es pigrum? Solutio. Dixit, quod de nullo tantum malum 'dictum eſt, ſicut de trinitate Dei & eius incarnatione. Maledicere, quare incurialiter loqueris? Solutio. Dixit, quod ſuperbia, ira & inuidia ſibi conſulebant. Maledicere, habes plures amicos? Solutio. Dixit, quod maior pars hominum pauperum & diuitum ſibi obediebant.

De Quæstionibus impatientiæ, & vitiorum mixtorum.

IMpatientia & inconſtantia quare eſtis amicæ? Solutio. Reſponderunt, quod ipſę erant amicæ, quia plures habebant amicos. Impatientia, quare es turpis? Solutio. Dixit, quod ipſa erat pulchra ad iram & ad ſuperbiam, quæ multum ipſam diligunt. Impatientia, homines hypocritæ quare ſunt ita fortiter veſtri amici? Solutio. Dixit, quod ipſa diligebat homines hypocritas, quia decipiunt homines legales, qui ſunt ſancti homines. Impatientia, quare habes plures amicos, quam patientia? Solutio. Dixit impatientia, quod ipſa erat magis diligens cum ira, quam patientia cum abſtinentia. Impatientia, quare es malè edocta? Solutio. Reſpondit impatientia, quod ipſa erat malè edocta, quia eum gula & cum ſuperbia, ira & auaritia fecerat ſocietatem. Impatientia, quare es inobediens abſtinentiæ? Solutio. Dixit, quod erat inobediens abſtinentiæ, quia erat conſanguinea patientiæ.

De Quæſtionibus inconſtantiæ, & vitiorum mixtorum.

INconſtantia, quare es turpis? Solutio. Dixit, quod ipſa erat turpis, quia conſtantia erat vna ſpecies ſanctitatis. Inconſtantia, quare es falſa? Solutio. Dixit, quod ipſa erat falſa, quoniam ſi per vnum modum non poſſet homines legales decipere, ipſos per alium modum decipiebat. Inconſtantia, es pigra? Solutio. Dixit, quod ipſa erat ita diligens, quod homines ipſam in veritate inuenire non poterant. Inconſtantia, quare es in vno tempore edocta, & in alio malè edocta? Solutio. Dixit, quod ipſa erat malè edocta, vt vituperia dicere poſſet. Inconſtantia, cui es magis inobediens? Solutio. Dixit, quod indiſcretio, luxuria, ſuperbia, gula & auaritia hoc ſciebant.

De Quæſtionibus immunditiæ, & vitiorum mixtorum.

IMmunditia es ita magna in hypocriſi, ſicut in ſotularibus? Solutio. Dixit, quod falſitas hoc ſciebat. Immunditia, habes pigritiam? Solutio. Dixit, quod quæreret hoc à luxuria, quam in pluribus hominibus procurabat. Immunditia, quare loqueris dum comedis, & tenes os plenum? Solutio. Dixit, quod ipſa & incurialitas ſocietatem fecerunt. Immunditia, habes timorem? Solutio. Reſpondit, & dixit, quod illam quæſtionem faceret ſanctitati & obedientiæ, quæ plorabant.

De Quæſtionibus falſitatis, & vitiorum mixtorum.

FAlſitas habes pigritiam? Solutio. Dixit, quod illam quęſtionem faceret Iudicibus & Aduocatis, qui lites prolongant ruſticis. Falſitas quomodo es cognita? Solutio. Dixit quod de incurialitate, & de hypocriſi erat ſuum vexillum. Falſitas, cui es magis inobe-

inobediens? Solutio. Dixit, quod mercatori in quo tot homines confidunt.

De Quæstionibus pigritiæ, & vitiorum mixtorum.

PIgritia, quare es malè edocta? Solutio. Dixit, quod illa erat malè edocta, quia nimis comederat, & sibi placebat multum dormire. Pigritia, es obediens? Solutio. Respondit, quod ipsa obediens erat caseo recenti & pani calido.

De Quæstionibus incurialitatis, & inobedientiæ.

INcurialitas, es alicui obediens? Solutio. Respondit, quod illa erat obediens homini guloso, qui carnes ad mensam diuidit, & suo socio dicit, quod eligat ex duabus partibus illam partem quam voluerit.

De Quæstionibus branchis arboris Imperialis.

Et primò de Baronibus.

HEremita à Domino Papa quæsiuit, quare Christianus Imperator dedit Imperium Ecclesiæ Romanæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Heremita à Rege quæsiuit, cum quibus hominibus maiorem amicitiam habere debet. Solutio ibidem. Heremita à Filio Baronis quæsiuit, vtrum plus Regem diligere debeat, quam suũ Patrem? Solutio. Nullus miles tantum est amabilis, sicut bonus Princeps. Heremita à Rege quæsiuit, vtrum sibi erat licitum emere Baroniam? Solutio vt supra.

De Quæstionibus militum.

QVæsiuit heremita à Rege, quare sunt milites? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare milites debent esse magis audaces, quam alij homines? Solutio ibidem. A quodam milite quæsiuit heremita, vtrum ordinem militiæ sciebat? Solutio. Dixit miles, qood ipse ordinem militiæ nesciebat, & suum Patrem increpauit, qui sibi illum ordinem militiæ non scripserat: quia si vnus liber artis militiæ factus fuisset, plures milites humiles essent, qui superbi sunt, luxuriosi, & audaces, qui sunt timidi, & diuites, qui sunt pauperes, & honorati, qui sunt inhonorati. Miles, dixit heremita, cum quo militiam conseruas? Solutio. Dixit miles, quod ipse militiam conseruat cum ense Regis, qui facit suam coronam esse communem.

De Quæstionibus Burgensium.

BVrgenses quare sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Burgenses quare debent esse liberi? Solutio. Sic oportet Burgensem habere libertatem ad ordinandum ciuitatem, sicut oportet milites libertatem habere ad custodiendum vias & coronam Regis. Quæsiuit à Burgense heremita, quare diuitiæ suæ tantum non durabant, sicut diuitiæ alterius hominis? Solutio. Nullus homo est tantum ociosus sicut burgensis. Quæsiuit heremita à burgense, quare minus viuebat quam alius homo? Solutio. Dixit burgensis, quod ociositas & cibaria delicata hoc sciebant.

De

De Quæstionibus consilij.

QVæsiuit heremita à Principe, de quibus personis suum consilium esse debebat? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Ab ense regis quæsiuit heremita, quare non erat rectus? Solutio. Dixit ensis, quod ipse obliquus erat, quia Rex bonum consilium non habebat. Quæsiuit heremita, vtrum consilium Regis de pluribus personis esse debebat? Solutio. Quanto plures personę sunt in cōsilio Regis, maior est confusio consilij & sua secreta sunt minora. Quæsiuit heremita à Rege, de quibus hominibus maiorem habebat timorem? Solutio. Dixit Rex, quod nulli homines sibi possent facere tantum de malo, sicut illi de consilio suo, nec ipsum tantum decipere. Tunc dixit heremita Regi, quod non haberet homines in consilio suo negligentes, indiscretos, crudeles, superbos, iniuriosos, & quod maxime plus hominem auarum euitaret, quam alium hominem, quia homo auarus facit omnia propter denarios.

De Quæstionibus procuratorum.

QVæsiuit heremita à Rege, sui procuratores de quo debebant esse induti? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Quæsiuit heremita à Rege, vtrum habebat bonos procuratores? Solutio. Dixit Rex, quod suus populus hoc sciebat. Quæsiuit heremita à Rege, vtrum in procuratione habebat symoniam? Solutio. Dixit Rex, quod quæreret hoc ab auaritia. Rex, dixit heremita, vbi est legalitas & tuæ diuitiæ? Solutio. Dixit Rex, quod legalitas & suæ diuitiæ sunt in illis hominibus quos ipse cogit esse procuratores.

De Quæstionibus iudicum.

REx, dixit heremita, quales conditiones requirit bonus iudex? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quidam Rex fecit iudicem vnum hominem pauperem in vna magna ciuitate, qui à iudice quæsiuit, quid prius considerabat in suo iudicio, aut diuitias aut iustitiam? Solutio. Respondit iudex, quod ipse leges addiscerat, vt honorem haberet & diuitias. Iustitia à iudice quæsiuit, quare in suo iudicio mentiebatur? Solutio. Dixit iudex, quod ipse mentiebatur, quia Rex sibi paucos denarios dabat, & seruitium à gentibus accipiebat. Rex à ciuitate quæsiuit, quare plorabat? Solutio. Nullus iudex est communis qui diu stat in vna ciuitate.

De Quæstionibus Aduocatorum.

REx, dixit heremita, quales conditiones debent tui Aduocati habere? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsiuit heremita à Rege, vtrum in vna ciuitate debeant esse plures Aduocati? Solutio. in multitudine Aduocatorum est confusio litium. Quæsiuit heremita ab Aduocatis, quare tantum lites prolongant? Solutio. Dixerunt Aduocati, quod denarij rusticorum hoc sciebant. Aduocati, dixit heremita, quis pro vobis in alio mundo aduocabit? Solutio. Responderunt Aduocati, quod lachrymæ rusticorum hoc sciebant.

De Quæstionibus sagionum vel nunciorum.

REx, dixit heremita, de quibus conditionibus debent esse tui sagiones?

giones? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sagio, dixit heremita, quare es superbus? Solutio. Dixit sagio, quod ipse erat similitudo Regis. Quæsiuit à dæmone heremita, quales homines plus ipsum in hoc mundo significabant secundum eorũ officium? Solutio. Dæmon dixit, quod sagiones sunt illi homines; qui habent suam similitudinem in tormentando homines. Quæsiuit heremita à Dæmone, quis est maior sagio inferni? Solutio. Dixit Dæmon, quod maior sagio quem sciebat erat malus Rex.

De Quæstionibus inquisitorum.

REx, dixit heremita, quales inquisitores debes habere? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsiuit Rex à suis inquisitoribus, vtrum ipsi in suo officio fuissent fideles? Solutio. Responderunt inquisitores, quod in suo officio fideles fuissent, si inquisitionem contra ipsum fecissent. Rex, dixit heremita, habes verecundiam? Solutio. Dixit Rex, quod ipse verecundiam habebat, quia contra iudicem inquisitionem fieri faciebat, non autem contra semetipsum. Quæsiuit heremita ab inquisitione, quare plorabat? Solutio. Dixit inquisitio, quod plorabat, quia ad summitates magnarum arborum non ascendebat.

De Quæstionibus confessoris.

REx, dixit heremita, quem confessorem debes habere? Solutio, Vade ad rubricam antedictam. Rex quare habes confessorem? Solutio. Respondit Rex, quod confessorem habere volebat, vt conscientiam haberet. Confessor Regis quare ploras? Solutio. Dixit confessor, quod ipse plorabat, quia ociosus erat. Rex quare ploras? Solutio. Dixit Rex, quod ipse plorabat, quia hypocrysis stabat in suo confessore.

De Quæstionibus brancharum arboris Apostolicalis.

QVærebatur à summo Pontifice, quales erant suæ branchæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Brancha de quo viuis? Solutio. Dixit brancha, quod viuebat ex concordantia quam habet cum trunco & cum aliis branchis. Branchæ, dixit heremita, velletis esse truncus? Solutio. Responderunt, nullum particulare secundum cursum naturalem est contra suum vniuersale. Brancha quare es ita magna? Solutio. Dixit brancha, quod ipsa erat ita magna, vt esset proportionata cum magnitudine trunci, qui est valdè magnus. Brancha es bona? Solutio. Dixit brancha, quod quæreret à suis operibus. Brancha quare es? Solutio. Nullus truncus est bonus sine branchis. Brancha quot sunt branchæ cæli? Solutio. Dixit brancha, quod duodecim Prouinciæ erant in mundo. Brancha quot sunt rami cæli? Solutio. Dixit brancha, quod quatuor sunt virtutes Cardinales, & tres Theologales. Brancha habes conscientiam de lupis qui comedunt oues? Solutio. Dixit brancha, quod cæteræ branchæ hoc sciebant. Brancha eris ita alta & ita magna in die iudicij? Solutio. Dixit brancha, quod quæreret hoc à suo libro.

De Quæstionibus brancharum arboris Cælestialis.

BRanchæ arboris cælestialis, quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam

antedictam. Quare ſunt duodecim ſigna, & non plura nec pauciora? Solutio. Secundum diſpoſitionem ſubſtantiarum inferiorum ſunt quatuor tempora anni, & oportet quod quodlibet tempus ſit de triangulo: ſicut ver, qui habet vnam lineam calidam, & aliam humidam in concordantia, & aliam in contrarietate humiditatis & ſiccitatis. Et vade, ad rub. virtutis. Quare ſigna motū habent circularē? Solutio. Nulla continuatio poteſt eſſe in maiori motu quadranguli, & trianguli, quam in circulo. Quare Aries ſe mouet ad Taurū, & Taurus ad Gemini, & Aries non ſe mouet ad Piſcem, nec Piſcis ad Aquarium? Solutio. Naturaliter ignis ſe mouet ad aërem per concordantiam caloris, & ſi aër ſe moueret ad ignem per concordantiam humiditatis, eſſet ignis de complexione calida & humida. Et ſi aqua ad aërem ſe moueret, eſſet aër de complexione humida & frigida, & ęſtas ſe moueret ad ver, & ver ad hyemem, & agricultor in ęſtate ſeminaret, & in hyeme forent meſſes. Quæſiuit heremita à vere, qualia ſunt ſua ſigna? Solutio. Vade ad rubri. virtutis. Aſtronomus quare toties errat in ſuo iudicio? Solutio ibidem. Vtrum Philoſophi antiqui errauerunt in appropriationibus qualitatum & maſculinitatis & fœminitatis, quas duodecim ſignis, & ſeptem planetis attribuerunt? Solutio ibidem. Quare Aries eſt de cōplexione ignis, & Piſcis de complexione aquæ? Solutio. In quolibet triangulo naturali oportet eſſe participationem contrariorum, idcirco Aries & Piſcis participant per contrarietatē in vere & in hyeme, vt ignis actionem habeat in generatione, & aqua paſſionem in corruptione. Quare Gemini eſt de complexione aëris, & Cancer de complexione aquæ? Solutio. In quolibet triangulo naturali oportet eſſe concordantiam qualitatum propriarum & appropriatarum, vt ſit generatio & proportionatum temperamentum. Ab Ariete quæſiuit heremita, cum quo ſigno maiorem habebat concordantiam, & cum quo maiorem habebat contrarietatem? Solutio. Reſpondit Aries, quod maiorem habebat concordātiam cum Tauro, quoniam ad illum ſe mouet ſine medio, & maiorem habebat contrarietatem cum Piſce, quoniam ad ipſum ſe mouebat cum medio, idcirco ignis maiorem habebat concordantiam cum partibus, quæ ſunt ſupra ſe, & minorem cum partibus, quæ ſunt ſub ſe.

De Quæſtionibus brancharum arboris Angelicalis.

Principales proprietates, Angelorum quales ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A bonitate Angeli quæſiuit heremita, vtrum erat ita principalis ratio ipſius Angeli ſicut intellectus? Solutio ibidem. Bonitas Angeli, dixit heremita, quare non es ita principalis ratio, ſicut intellectus? Solutio. Dixit bonitas, quod Deus eſt intelligibilis, & non bonificabilis. Angele, dixit heremita, quare tuæ rationes principales ſunt tres, & non plures neque pauciores? Solutio. Dixit angelus, quod Deus nō poterat eſſe ſibi obiectum niſi per recolere, intelligere & amare tantummodo. Quæſiuit heremita ab intellectu Angeli, quare erat formaliter? Solutio. Dixit intellectus, quod ipſe formaliter erat per propriam intellectiuitatem & intelligibilitatem. Intellectus

lectus Angeli quare est finaliter? Solutio. Respondit intellectus, quod ipse erat finaliter, quia Deus est intelligibilis. Intellectus Angeli de quo est, & quomodo est? Solutio. Vade ad rubri. virtutis. Intellectus Angeli, dixit heremitas, es cum memoria & voluntate ex vna eadem bonitate? Solutio. Dixit intellectus, quod vna est bonitas secundum naturam, & plures sunt rationes, vnus sit actus bonitatis per intelligere, & alius per recolere, & alius per amare. Et vade ad rubri. virtutis. Angele, de quo est tua bonitas moralis, & idem de tuo intelligere? Solutio ibidem.

De Quæstionibus brancharum arboris æuiternalis.

Quæsiuit heremita ab æuiternitate, quales sunt suæ branchæ? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Æuiternitas quomodo sunt tuæ branchæ? Solutio ibidem. Æuiternitas, quare habes duas branchas & non plures, & quare duas & non vnam tantum? Solutio. Omnis moralitas est bona aut mala. Quæsiuit heremita à paradiso, vtrum sit cœlum empireum? Solutio. Respondit paradisus, quod si lux sanctorum corporum concretorum & glorificatorum de continua luce non esset, non posset esse in maiori actu suarum rationum. Et vade ad rubri. antedictam. Ab inferno quæsiuit heremita, de quo erat suus color? Solutio. Nullus color est luci tantum contrarius, sicut niger color. Quæsiuit heremita ab æuiternitate, vtrum in paradiso sit vmbra? Solutio. Si cœlum empireum non esset de luce, quodlibet corpus stans inter duo corpora vmbrā faceret. Quæsiuit heremita ab inferno, vtrum in ipso erat lux? Solutio. Respondit infernus, quod illam quæstionem faceret sulphuri, & fumo ligni viridis, quod ignis comburit. Heremita ab Inferno quæsiuit, quare erat æuiternalis? Solutio. Dixit Infernus, quod ipse erat æuiternus, vt iustitia Dei non esset ociosa. Inferne, de quo est tuum principium? Solutio. Dixit Infernus, quod suum principium erat ex priuatione complemēti. Inferne, quare es ita magnus? Solutio. Dixit Infernus, quod ipse erat ita magnus, quia Deus modicum recolitur, cognoscitur, & amatur.

De Quæstionibus brancharum arboris maternalis.

Quæsiuit hæremita à Domina nostra, quot erant suæ branchæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsiuit heremita à Domina nostra, quomodo cōsistit Mater Dei? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à branchis maternitatis, quomodo exeunt de trūco? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à maternitate, vtrum suæ branchæ erant magnæ? Solutio. Respondit maternitas, quod illam quęstionem suæ filiationi faceret, & peccatoribus, qui sibi quotidiè spem transmittunt, qui dicunt ei, quod ipsi volunt esse sui filij, quia est mater misericordiæ. Quæsiuit heremita à Domina nostra, quomodo est mater misericordiæ? Solutio. Dixit Domina nostra, quod ipsa est Mater misericordiæ, ipsa existente Matre Filij Dei per hominem. Est etiam Mater misericordiæ, quia Filius suus ipsam exaudit de quolibet, pro quo ipsum rogat. Quæsiuit heremita à dæmone, quare plorabat? Solutio. Dixit dæmon, quod ipse plorabat, quia Domina nostra est Mater misericordiæ. Quæsiuit heremita à branchis Domi-

næ nostræ, de quo sunt suæ vmbræ? Solutio. Dixerunt branchæ, quod suæ vmbræ sunt de spe & misericordia. Quæsiuit heremita ab vmbra brancharum, de quo erat suus color? Solutio. Responderunt, quod color de quo est earum vmbra, est de amore, fide, & spe. Quæsiuit heremita à Domina nostra, qualem de suis branchis plus diligebat? Solutio. Dixit Domina, quod illa quæstio fieret maiori amabilitati. Quæsiuit heremita à Domina nostra, vtrum ipsa sit maior maternitas? Solutio. Dixit Domina nostra, quod illa quæstio fieret suis maioribus branchis.

De Quæstionibus brancharum arboris Iesu Christi.

NAturæ Domini Iesu Christi quot sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare in Domino Iesu Christo sunt duæ naturæ, & non plures, vel quare non habet vnam naturam tantummodo? Solutio. Sine duabus naturis non potest esse Deus & homo: & si plus duabus naturis haberet, non esset verus homo. Natura humana Iesu Christi de quot naturis est. Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Natura diuina & humana Iesu Christi, quomodo participabant in hac vita præsenti? Solutio ibidem. Dominus Iesus Christus, quomodo in hac vita attingebat obiecta? Solutio ibidem. Dominus Iesus Christus, quomodo est vna persona ex duabus naturis? Solutio ibidem. Bonitas diuina & humana Iesu Christi, existente vna persona, quomodo sunt distinctæ? Solutio ibidem. Cum Deus sit substantia spiritualis, quomodo potuit tangi, vulnerari, & habere famem, sitim, & mortem? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à Deo, quomodo potest facere vnam creaturam, quæ sit finis & complementum omnium creaturarū? Solutio ibidem. Dominus Iesus Christus de quo est? Solutio ibidem.

De Quæstionibus diuinarum personarum. Et primò de Patre.

IN Deo quomodo respondent sibi inuicem sua natura, & suæ rationes? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Actus diuinarum rationum quomodo sunt? Solutio ibidem. Actus diuinarum rationum, quomodo sunt infiniti? Solutio ibidem. Operatio, quam Deus habet in seipso, de quo est? Solutio ibidem. Deus, quare est Pater? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à Deo, vtrum erat sibi magis propriū magnum producere, quam paruum, & æternum, quam non æternum, & maius bonum, quam minus bonum? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à Deo Patre, vtrum Filium ex matre producat? Solutio. Si Deus Pater Filium ex matre produceret, non esset totus Filius ex Patre. Quæsiuit heremita à Deo Patre, vtrum fuit antequam Filius? Solutio. In productione quæ est de æuiternitate, non est anterioritas. Quæsiuit heremita à Patre, vtrum Filium producat in quantitate? Solutio. In productione quæ est de infinitate, non possunt esse locus, nec quantitas.

De Quæstionibus personæ Filij.

PAter quomodo est ante Filium? Solutio. Vade ad rubricam antedictā. Quomodo Pater est commune suppositum? Solutio. Pater inquantum est Pater ex natura, est suppositum singulare: & inquantum respondet in producendo suum Filium omnibus suis rationibus

rationibus eſt ſuppoſitum commune, quod de omnibus & cum omnibus ſuis rationibus, & per omnes ſuas rationes filium producit. Filius quomodo eſt de paſſione ? Solutio. Pater inquantum ſuam actiuitatem conſiderat, de ſua actiuitate poſſibilitatem conſiderat. Et vade ad rubri. virtutis. Filius quomodo eſt de Patre, & non de alio ? Solutio. Pater in conſiderãdo ſuam poſſitiuitatem, & de ſua propria bonitate, infinitate, æternitate, & cæteris poſſibilitatem conſiderat. Filius, quomodo eſt poſſibilis & poſſitus? Solutio. In Deo ſe habent relatiuè poſſitiuitas, quæ eſt pater, & poſſibilitas, quæ eſt filius. Et quia Deus eſt purus actus, æternus, infinitus, & completus, eſt filius poſſitus, & ideo in filio poſſitus & poſſibilis ſunt vnũ idẽ, & poſſunt eſſe omnes actus rationum æternaliter & infinitè. Pater & Filius quomodo ſunt diſtinctæ ? Solutio. Vade ad rubr. virtutis. Pater & Filius quomodo ſunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vna natura, vna bonitas, vna magnitudo, vna æternitas, &c. Solut. Si infinies & infinibilis, æternãs & æternabilis, poſſificãs & poſſificabilis, poſſũt eſſe differentes eſſentiæ, ſubſtantiæ, & naturæ, & differentes bonitates, contradictio poſſet eſſe ens reale, quæ contradictio eſt impoſſibilis. Quæſiuit heremita à Filio, vtrum erat ex materia, aut ſi erat materia ? Solutio. Vade ad rub. virtutis. Filius quomodo eſt Filius ? Solutio ibidem. Quæſiuit heremita à Filio, vtrum erat augmentabilis ? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus ſancti Spiritus.

SPiritus ſãctus quomodo eſt paſſiua ſpirabilitas ſine materia ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Spiritus ſanctus, quomodo eſt tertia perſona. Solutio ibidem. Spiritus ſanctus, quomodo eſt à Patre & Filio: Solutio ibid. Cum Pater & Filius ſint perſonæ diſtinctæ, quomodo ſunt vna ſpiratiuitas ? Solutio: Pater & Filius ſunt diſtincti per proprias proprietates, & ſunt vna ſpiratiuitas per communem ſpiratiuitatem. Cum Spiritus ſanctus ſit ex Patre & Filio, quomodo eſt vna ſpirabilitas, vna perſona & non plures? Solutio. Spiritus ſanctus eſt ex Patre & Filio, inquantum eſt ex communi ſpiratiuitate, & eſt vna perſona, & vna ſpirabilitas, inquantum eſt ex vna ſpiratiuitate, & non ex pluribus. Spiritus ſanctus quomodo eſt æqualis Patri & Filio ? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Pater & Filius quomodo ſunt æquales in Spiritu ſancto ? Solutio. In hoc quod Pater & Filius æqualiter ſe inuicem diligunt, & ſunt vna ſpiratiuitas & non plures, ſunt æquales in Spiritu ſancto. Pater & Spiritus ſanctus, quomodo ſunt æquales in Filio? Solutio. Pater de toto ſeipſo Filium generat, & Filius de toto ſeipſo Spiritum ſanctum ſpirat. Filius & Spiritus ſanctus quomodo ſunt æquales in Patre ? Solutio. Filius de toto ſeipſo ſpirat Spiritum ſanctum, & eſt totus genitus à toto Patre, & Pater de toto ſeipſo ſpirat Spiritum ſanctum, qui eſt totus ſpiratus ex toto Patre. Cum Spiritus ſanctus ſit ex Patre & Filio, quomodo eſt totus ex Patre, & totus ex Filio ? Solutio. In hoc quod Pater & Filius ſunt diſtinctæ perſonæ, eſt Spiritus ſanctus ex Patre & Filio: & inquãtum Pater & Filius ſunt vna ſpiratiuitas, & non plures, Spiritus ſanctus eſt vna ſpirabilitas, & non plures: & eſt totus Spiritus ſanctus ex Patre, & eſt totus ex Filio.

De Quæstionibus Trinitatis.

QVare sunt tres personæ, & non plures, neque pauciores? Solut. Vade ad rubricam antedictã in brãchis arb diuinalis. Quæsiuit heremita à bonitate Dei, in quo numero potest esse magis magna? Solutio ibidem. Æternitas Dei secundum quem numerum potest esse magna? Solutio ibidem. Bonitas Dei quomodo esset parua, si essent minus tribus personis diuinis? Solutio ibidem. Cum Pater sit bonificans, & Filius sit bonificabilis in generare, & sanctus Spiritus sit bonificare in spirare, & nullus istorum triũ sit alius, quare bonitas non est in quarto numero? Solutio ibidem. Cum filius sit bonificabilis in generare, & sit bonificans in spirare, quare filius non est vna persona in generare, & alia in spirare? Solutio. Filius est vna persona in quantum generabilitas in qua est personatus & personabilis æternaliter & infinitè, & in quantum Spiritum sanctum spirat, est personans, & non personatus: sicut homo, & multo melius, qui in quantum est filius, est personatus & persona, & in quantum alium hominem generat, est personans & non personatus. Filius qui est generabilis & est generatus, quare non est vna persona, in quantum generabilitas, & alia persona in quãtũ est generatus? Solutio. Filius est vna persona, in quantum principiatus est in æternitate, & est illa eadem persona, in quantum est principiabilis, & si esset duæ personæ, æternitas esset ociosa inter principians & principiabilem, & non esset generare, nec principiare, nec æternare inter principiantem, & principiabilem, generantem, & generabilem, æternantem & æternabilem. Pater in quantum generat Filium est Pater, & in quantum spirat Spiritum sanctum non est Pater: quoniam si esset Pater, Spiritus sanctus esset Filius. Quare ergo Pater nõ est vna persona in quantum Pater est, & alia persona in quantum non est Pater? Solutio. Pater est vna persona, in quantum est Pater, & non est alia persona, in quantum non est Pater: quoniam si esset alia persona, non generaret ex toto seipso Filium, & si esset vna persona, in quantum generat, & alia in quantum spirat, non spiraret de toto seipso Spiritum sanctum, & esset maior quam Filius, & Spiritus sanctus, & sua essentia diuisa esset in partes, & esset pars in Deo, & illa esset minor quam totum, & quia Deus est infinitus, non possunt esse in illo minoritas, nec maioritas, neque partes, nec plures essentiæ. Est ergo Pater vna persona generans & spirãs, sicut ignis, & multo melius adhuc, qui est vna substantia in lucificando, & calefaciendo, & in producendo differentes substantias elementatas, quæ sunt de sua essentia & natura: sicut piper, alleum, &c. Spiritus sanctus quare non spirat, aut non generat, vel non producit aliquam personam per aliquem modum, aut quare non est duæ personæ? Solutio. Dictum est iam quod in bonitate esset minoritas, si in illa esset necessaria alia proprietas, quæ non esset bonificatiuitas, nec bonificabilitas, nec bonificare. Et Spiritus sanctus licet sit ex Patre, & Filio, non potest esse duæ personæ, cum sit de vna spiratiuitate, vt dictum est.

De Quæstionibus brancharũ arboris exemplificalis. Et primò elementalium.

QVare elementa quietem non habent in subiectis elementatis, postquam

postquam se habent ad finem illarum? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Quæsiuit heremita à voluntate, quare multotiens est confusa in electione? Solutio ibidem. Voluntas, dixit heremita, habes quietem in amare & in odire? Solutio. Nulla quies potest esse de contrariis finibus. Et vade ad exemplum, virtutis. Libertas, dixit heremita, quomodo potes esse in seruitute existente hoc quod es, sine priuatione aliqua tuarum conditionum? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris vegetalis.

VNus homo quomodo accipit modum in decipiendo alium hominem? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Vnus homo quomodo scit se custodire à deceptione, quam alius homo sibi vult facere? Solutio ibidem. Quare homines qui expectant ordinare suum testamentum & facere satisfactionem de commissis, cum sint infirmi pro maiori parte decipiuntur? Solutio ibidem. Quare homines imaginari debent, recolere & amare temperantiam in principio mensæ? Solutio ibidem.

De quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris sensualis.

A Natura quæsiuit heremita, quare retrahat magis fortis quam consuetudo? Solutio. Vade ad exemplum branchæ arboris sensualis. Magna cõtrarietas quomodo vincit & destruit paruam concordantiam? Solutio. Vade ad exemplum brancharum arboris sensualis. Nouus honor quare debet euitare societatem antiqui honoris? Solutio ibidem. Homo diues quare debet euitare societatem hominis pauperis? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris imaginalis.

AB imaginatione quærebatur, quis ipsam vincebat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A discretione quærebatur, quis ipsam vincebat? Solutio ibidem. Quærebatur ab homine, qui est in mortali peccato, vtrum vti debeat bonis, quæ possidet? Solutio ibidem. Ab indiscretione quærebatur, in quo est maior? Solutio. Nulla indiscretio maior est quam illa, per quam homo in suo mortali inimico habet confidentiam. Et vade ad exemplum virtutis.

De Quæstionibus brancharum arboris humanalis & corporalis.

QVærebatur ab arte, vtrum esset maior, quam ius? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Quærebat Rex à Raymundo, quomodo cognosceret bonum nuncium, quem transmittere vellet ad quendam Principem: Solutio ibidem. Quærebatur à Rege, quomodo cognoscebat inimicitiam hominis? Solutio ibidem. Quærebatur à dæmone, quomodo homines decipiebat? Solutio ibidem.

De Quæstionibus arboris exemplificalis, brancharum humanarum spiritualium.

A Philosopho quærebatur, qualis potentia animæ prius suum accipit obiectum? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Quærebatur à Philosopho, qualis potentia animæ facit suppositionem, & qualis demonstra-

monstrationem? Solutio ibidem. A Philosopho quærebatur, qualis est ille modus, ratione cuius voluntas præcedit intellectum, & qualis ille modus, ratione cuius intellectus præcedit voluntatem? Solutio ibidem. A Philosopho quærebatur, vtrum modum sciret, secundum quem credulitas est lumen intelligentiæ? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris moralis.

A Rege quærebatur, vtrum sciebat conditiones, quę ad nuncios spectant? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. A Rege quærebatur, vtrum conditiones sciebat, quæ ad legationem spectant? Solutio ibidem. Quærebatur à Rege, vtrum debeat explorare conditiones Imperatoris, ad quem suos nuncios transmittebat, secundum quas ordinare debebat suam legationem? Solutio ibidem. A Rege quærebatur vtrum in suo consilio esset aliquis, qui sciret artem generalem Raymundi, cum qua cognoscere posset, vtrum legati, quos transmittit, legationem debeant obtinere? Solutio. Respondit Rex, quod ipse de arte illa magnum bonum audiebat: & placeret sibi, quod aliquis homo sui consilij ipsam sciret, vt sibi consilium daret artificialiter: cum ita sit, quod consilium sit super quæstiones: & ars Raymundi generalis sit ad soluendum quæstiones, secundum quod dici audiebat: quoniam in nullo est ita necessaria clara determinatio quæstionis: sicut in consilio Regis.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris Imperialis.

QVærebatur à Rege vtrum sciebat suos Barones castigare, quando delinquunt? Solutio. Vade ad exemplum rubri. antedictæ. Quærebatur à Rege, si ipse habebat timorem à suo comite, quem reprehenderat coram suo populo, de vno magno defectu quem fecerat? Solutio ibidem. Quærebatur à Rege, quare homo nobilis, qui cum ipso manducat in vna mensa, reputat sibi ad dedecus, si in eadem mensa manducat rusticus? Solutio ibidem. Quærebatur à Rege, vtrum sciebat, quare rusticus, qui cum illo comedit in vna mensa, reputat sibi ad dedecus? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris Apostolicalis.

QVærebatur ab homine paupere, vtrum sciebat modum, ratione cuius diuitiæ acquirebantur ex denariis & virtutibus? Solutio. Vade ad exẽplum rubricæ antedictæ. Ab homine quærebatur, vtrum sciret modum secundum quem diuitiæ denariorum & virtutum consumebantur? Solutio ibidem. Ab ancilla quærebatur qualis Dominus est magis tędiosus ad seruiendum? Solutio ibidem. A peregrino quærebatur, cum quo homine est melior societas? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplificalibus brancharum arboris Cælestialis.

AB Astronomo quærebatur, quomodo gentes decipiebat? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Ab Astronomo quærebatur, vtrum suum iudicium esset de necessitate? Solutio ibidem, Quærebatur ab Astronomo, vtrum consuetudo naturam vincat? Solutio ibidem. Quærebatur ab infirmo, vtrum sua infirmitas per timorem crescebat, quem sibi falsus me

ſus medicus faciebat, qui dicebat, quod ſua infirmitas erat magna, vt faceret ipſi timorem mortis, propter quem ſua infirmitas creſceret, & vt denarios plures haberet tenendo ipſum in magna infirmitate. Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus, brancarum arboris Angelicalis.

QVærebatur à ſancto Michaële, à ſancto Gabriele, & à Seraphino, vtrum inuidiam habebant? Solutio. Vna & eadem bonitas ſufficit bonificatiuo, bonificabili, & bonificare. Et vade ad rubricam antedictã. A memoria quærebatur, & à voluntate, & intellectu ſancti Gabrielis, vtrum inuidiam habebant? Solutio. Vna eadem bonitas ſufficit memoratiuitati, intellectiuitati, & amatiuitati. Ab homine paupere quærebatur, vtrum vellet eſſe diues? Solutio. Dixit homo pauper, quod ipſe volebat eſſe diues, dum tamen dormire non perderet. Et vade ad rubricam virtutis. Quærebatur à ſancto Michaële, quomodo de hominibus auaris cognitionem habebat? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus brancharum arboris æuiternalis.

A Lucifero quærebatur, quare ſuum intellectum maledixit? Solutio. Vade ad exemplum rubri. antedictæ. A Lucifero quærebatur, quare ſpem non habebat? Solutio ibidem. A Rege quærebatur, quem domicellum eligere debebat in ſeruitorem? Solutio ibidem. A Raymundo quærebatur, quare ſuum eſſe maledixit? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus branchарum arboris maternalis.

A Domina noſtra quærebatur, vtrum matrem habebat? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. A Domina noſtra quęrebatur, quomodo erat mater mundi? Solutio ibidem. A mundo quærebatur, vtrum erat ſatur? Solutio ibidem. Homo qui habet ſpem, quare timorem non habet? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus brancharum arboris Ieſu Chriſti.

QVærebatur ab heremita, quem modum tenebat in diſputando cum infidelibus? Solutio. Vade ad exemplum rubricæ antedictæ. Quærebatur à Raym. quomodo gratia de cœlo deſcendebat? Solutio ibidem. A Raym. quærebatur, vtrum vnquam in fide dubitabat? Solutio ibidem. Raymunde, ſcis modum ſecundum quem Deus naturam humanam aſſumpſit? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus brancharum arboris diuinalis.

QVærebatur, vtrum Deus poterat eſſe perfectus niſi in ipſo foret productio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A Deo quærebatur, vtrum in ſeipſo finem habebat, aut in alio? Solutio ibidem. A Deo quærebatur, vtrum erat ita magnus per agere, ſicut per exiſtere? Solutio ibidem. Quærebatur à Deo, quomodo erat ita magnus per agere, ſicut per exiſtere? Solutio ibidem.

De Quæstionibus ramorum.

Et Primò de arbore elementali.

ELEMENTA composita quare sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Elementa composita de quo sunt? Solutio ibidem. Quare ignitiuitas est magis intensa forma, quam ignibilitas materia? Solutio. Forma est simplex per actionem, & materia duplex est per passionem, quoniam vna est materia intra, quæ est de vna & eadem essentia cum forma, sicut materia ignis simplicis, & alia est materia extra, de qua est elementarum. Idcirco in arbore branchæ significant elementa simplicia, & rami elementa composita, in quibus fiunt flores, fructus, & renouatio in vere: quia elementa sunt magis digesta, & mixta in ramis, quam in brachis. Elementa composita vbi sunt? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Elementa quomodo se inuicem mortificant? Solutio ibidem. Elementa quomodo transeunt ex numero simplici in numero composito, & quomodo remanent in illo numero simplici quem habet quælibet simplex elementum per se? Solutio ibidem. Formæ primæ, quomodo participant in simplicibus substantiis cum compositis? Solutio ibidem. Elementa quomodo stant inuicem in mixto? Solutio ibidem. Ignis qui leuis est, quare descendit hic inferius, & aqua quæ est ponderosa, quare ascendit superius? Solutio ibidem. Motus quem inuicem habent elementa, quomodo durat? Solutio ibidem.

De Quæstionibus ramorum arboris vegetalis.

RAmi pomerij de quo sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Philosophus à ramo pomerij Martini quærebatur, vtrū erat in potentia in ramo arboris elementalis? Solutio. Clauus quem faber producit ex ferro prius fuit in lapide per dispositionem, quam in ferro per potentiam. Philosophus à ramo pomerij Martini quęrebat, vtrum suus numerus fuit appetibilis in ramo elementali? Solutio. Species naturales comfusæ sunt in generibus, & exeunt in numero appropriato & desiderato vno ab alio differentæ. A ramo pomerij Martini quæsiuit Philosophus de quo erat sua augmentatio? Solutio. Secundum quod humidum nutrimentale exit à ramo elementali, in specie rami vegetalis se extendit, & multiplicat ramus radicalis in sua specie. Philosophus à ramo pomerij Martini quæsiuit, quis ipsum mouit de ramo elementali, & ipsum posuit in specie vegetali? Solutio. Agens naturale ita naturaliter trahit ex generibus indiuidua, & ipsa in species ponit sicut faber, qui de massa ferri clauum trahit & cultellum, & artificialiter ipsos ponit in diuersis figuris. Philosophus, à ramo pomerij quæsiuit, vtrum ad se trahat materiam rami elementalis, & vtrum ramus elementalis trahat ipsam ad se? Solutio. Quia nulla materia est actiua, sed est pura passio, nulla materia seipsam influit. Philosophus à ramo quæsiuit, vtrum ramus elemētalis, inquātū forma suā materiā influat ramo vegetali? Solu. Finis habitādi mouet formā camerę, quę mouet suā materiam ad primū finē. A ramo pomerij Martini

Martini quæſiuit Philoſophus, cum ipſe ſit vnus ramus, quomodo in ipſo plures rami ſunt in potentia? Solutio. Ferrum maſſæ eſt vnum, in quo erant in potentia ferrum claui & ferrũ cultelli. A ramo pomerij Martini quęſiuit Philoſophus, vtrũ ſit viſibilis? So. Dixit ramus, quod ipſe erat duplex, & quod erat viſibilis, inquantũ eſt natura rami elementalis, & eſt inuiſibilis, inquantum eſt vegetalis. A ramo pomerij Martini quæſiuit Philoſophus, vtrum ſui flores plus in natura participant cum illo ſecundum arborem vegetalem, aut ſecundum arborem elementalem? Solutio. Omnis participatio maior eſt per ſpeciem, quam per genus.

De Quæſtionibus ramorum arboris ſenſualis.

Rami arboris ſenſualis de quo ſũt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Rami arboris ſenſualis quomodo ſunt? Solutio ibidem. Rami arboris ſenſualis quales ſunt? Solutio ibidem. Philoſophus à ramis equi Martini quæſiuit, quomodo ſunt aſſituati? Solutio ibidem. Ab oculis equi Martini quærebat Philoſophus, quot ſunt ſui rami? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Philoſophus quæſiuit, vtrum viſibilitas pomi propinquior ſit viſitiuitati, quam viſibilitas lapidis aut flammæ? Solutio. Omnis viſitiuitas plus participat intra cum viſibilitate vegetali, quam elementali: ſed quia vegetatiua videri non poteſt, nec ſuum proprium indiuiduum ſimplex, fortius ipſa viſitiuitas participat cum viſibilitate lapidis & flammæ quã cum viſibilitate vegetali. Iddeirco lapis & flamma ſunt viſibiliores quã pomum. Philoſophus à luxuria quæſiuit, vtrum ita fortiter participabat cũ corde, ſicut cum oculis? Solutio. Reſpõdit luxuria, ꝙ intra cũ corde participabat, & extra cũ oculis. Philoſophus à viſitiuitate quæſiuit, & ab audiuitate, vtrum erant differentes ratione oculorum & aurium, aut per ſeipſas? Solutio. Si differentia viſitiuitatis & audiciuitatis non eſſet propria, ſed eſſet appropriata, potentia ſenſitiua non haberet naturalem communitatem per ſeipſam. Philoſophus à corde quęſiuit, quare maiorem concordantiam habet cum placibili odore, quam cum pulchro colore? Solutio. Nullus color extra realiter venit ad cor.

De Quæſtionibus ramorum arboris Imaginalis.

Rami imaginatiuè, quales ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Rami imaginatiuè quot ſunt? Solutio ibidem. Imaginatio, quomodo imaginatur? Solutio ibidẽ. Ab imaginatione quæſiuit heremita, vtrum cũ imaginatur flammam ignis, imaginatur æqualiter figuram & ſplẽdorem? Solutio. Quia lux eſt inſtrumentum ad videndum, & figuram eſt accidens commune ad videndum & tangendum, imaginatur imaginatiua fortius lucem in principio, quam figuram: ſed quia figura plus participat cũ extẽſitate corporali imaginatur fortius imaginatiua figuram in aſſituatione, quam lucem. Imaginatio, dixit heremita, imaginaris æqualiter in imaginatione pomi generationem & corruptionem? Solutio. Cum ratione finis ſit principium, imaginatur imaginatio per vegetatiuam generationẽ, & per elementatiuam corruptionem. Imaginatiua, dixit heremita, cum equum imaginaris, quam ſimilitudinẽ

similitudinem tangis ante? Solutio. Respondit imaginatiua, quod ipsa ante visibilitatem tangebat, quam vegetabilitatem vel elementabilitatem, quia visibilitas est propinquior naturæ videndi, quam vegetabilitas vel elementabilitas. Imaginatiua quare habes maius placitum in imaginando rosam, quam in imaginando leprosos? Solutio. In difformitate figuræ imaginatiua est infirma. Imaginatio, potes spem imaginari? Solutio. Respondit imaginatio, quod ipsa nullum obiectum accipere potest sine figura. Imaginatio cum leprosos imaginaris, quare facis tuum subiectum leprosum. Solutio. Respondit, quod non faciebat semper suum subiectum leprosũ, quod est homo, sed cum accidit quod homo de tota sua potestate lepram imaginatur ratione magni timoris aut magnæ horribilitatis, dixit quod ipsa haber ita magnam potestatem in sensitiua in peruertendo ipsam in speciem lepræ: sicut habet ira in peruertendo hominem in speciem stultitiæ.

De Quæstionibus ramorum arboris Humanalis.

RAmi arboris humanalis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quærebatur ab homine, vtrum suum pedem elementet? Solutio. Dixit homo, quod ipse suum pedem elementabat, sicut totum, quod vtitur sua parte, & trahit partes, quæ sunt extra, & ipsas ponit intra: sicut nasus qui accipit vapores extra, homine respirante, & intra ipsas ponente, vt humidum radicale habeat de quo viuat. Homo, dixit heremita, vegetas tu pedem tuum? Solutio. Comedit homo panem, & bibit vinum, & sua vegetatiua cõuertit panem in carnem, & vinum in sanguinem, & vtitur homo sua parte: sicut instrumento, quod est pars hominis, & vtitur instrumento suæ animæ, & in hoc passu est multum de Philosophia. Homo, dixit heremita, sensas pedem tuum? Solutio. Olea in oleastro inserta in suam speciẽ conuertit materiam oleastri, & sensitiuum conuertit in suum proprium sensibile, extra quod venit per elemẽtationem & vegetationem, quæ sunt sua instrumenta & subiecta suo aduentui, & ex ipsis exeunt in speciẽ sentiendi. Homo, dixit heremita, rationaris tuum pedem? Solutio. Dixit homo quod suus pes erat pars sui corporis, quẽ anima stare facit in specie hominis, homine suas potentias mouente spirituales, sicut instrumenta in sustentando corpus in speciẽ hominis, & illis potentiis natura sua vtentibus, ita corpus rationando: sicut ignis qui suum mouet calorem in calefaciendo aquã, cum qua participat in substantia elementata. Homo, dixit heremita, volificas tuam voluntatem? Solutio. Dixit homo, quod sua voluntas est ex volitiuo, volibili, & velle, & ipso mouente suam voluntatem ad obiectum volibile vtitur sua voluntas natura sua: sicut ignis qui mouendo suum calorem in calefaciendo aquam vtitur suo calore & natura. Idcirco dixit homo, quod ipse volificabat suam voluntatẽ, inquantum ipsam mouebat ad vtendum natura sua, quæ siquidem volificatio accidentalis est & moralis, vnde velle quod est intra naturale, habitum moralem induit secundum virtutem aut vitium. Homo, dixit heremita, tui rami quomodo sunt in continua quantitate & discreta? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Homo quomodo moreris? Solutio ibidem. Quæsiuit heremita à lingua hominis muti, quare non

non loquebatur ? Solutio. Dixit lingua, quod affatus sine audire denunciare non poterat in verbo similitudinem suæ conceptionis interioris.

De Quæstionibus ramorum virtutum moralium.

RAmi morales quales sunt ? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Rami morales de quo sunt ? Solutio ibidem. Heremita quæsiuit à Martino, vtrum intelligere quod habet, cum Raymundum intelligit, sic intelligere quod habet, cum intelligit Petrum? Solutio ibidem. Martine, dixit heremita, tuum imaginari quomodo induis moralitate ? Solutio. Dixit Martinus, quod ipse suum imaginari moralitate induit imaginando obiectum imaginabile cum habitibus virtutum aut vitiorum. Martine, tuum visum quomodo induis moralitate ? Solutio. Dixit Martinus, quod ipse suum visum induebat moralitate, induendo videre suum, quod est intra, de videre quod acquirit extra. Martine, tuum loqui quomodo induis moralitate ? Solutio. Dixit Martinus, quod ipse suum loqui induebat moralitate ipsum assuescendo bonis verbis, aut malis, aut virtutis, aut falsis. Martine, quomodo es iustus ? Solutio. Dixit Martinus, quod ipse erat iustus vtendo iustitia. Martine quomodo vteris iustitia? Solutio. Dixit Martinus, quod ipse iustitia vtebatur in iustificando suum recolere, intelligere, & amare, & in iustificando sua verba. Martine, quomodo vteris iniuria ? Solutio. Respondit Martinus, quod ipse iniuria vtebatur diligendo hoc, quod diligere non debebat, & odiendo hoc, quod odire debebat, & dicendo hoc, quod dicere non debebat, & tacendo hoc, quod tacere non debebat. Martine, tuum amare quomodo renouas ? Solutio. Dixit Martinus, quod suum amare renouabat in dimittendo vnum obiectum, & accipiendo aliud obiectum.

De Quæstionibus ramorum vitiorum.

RAmi vitiorum de quo sunt ? Solutio. Vade ad rubri. antedictam Rami vitiorum quales sunt ? Solutio ibidem. Gula, dixit heremita, quomodo es peccatum ? Solutio. Dixit gula, quod ipsa erat peccatum in mutatione intentionis comedendi, videlicet volendo comedere per delectationem, & non ratione viuendi. Gula, quomodo es magna ? Solutio. Dixit gula, quod erat magna in multiplicando mutationem intentionis comedendi per delectationem contra viuere. Gula, de quo viuis ? Solutio. Dixit gula, quod ipsa viuebat de mutatione intentionis comedendi. Gula, quomodo moreris ? Solutio. Dixit gula, quod ipsa tunc moriebatur, cum homines comedebant, vt essent sani, & quod viuerent. Gula, habes aures ? Solutio. Dixit gula, quod aures non habebat, dum famem habebat, & cum comedebat, aures habebat, cum quibus audiebat verba, quæ conscientia dicebat. Quæsiuit heremita à gula Martini, vtrum ipsa erat vnum peccatum aut plura ? Solutio. Respondit gula, quod ipsa erat vnus habitus maternalis, qui plures habebat filios suos : sicut vnus homo, qui plures habet vestes. Gula, de quo es plena ? Solutio. Respondit gula, quod erat plena priuatione temperantiæ. Gula quis est tuus Pater ? Solutio. Dixit gula, quod ille homo est suus Pater, qui temperantiã non habet.

De Quæstionibus ramorum arboris Imperialis.

RAmi arboris Imperialis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Rami arboris Imperialis quot sunt? Solutio ibidem. Rami Principis per quales ramos melius significantur? Solutio ibidem. A ramis Principis quæsiuit heremita, vtrum sint generales aut speciales? Solutio. Dixerunt rami quod secundum officium Principis sunt generales, & secundum quod Princeps est vnus homo, sunt speciales.

De Quæstionibus iustitiæ Principis.

PRinceps, dixit heremita, diligis plus tuam iustitiam specialem, quam tuam generalem? Solutio. Dixit Princeps, quod ipse subditus est publicæ vtilitati: idcirco libertatem non habet secundum iustitiam ad diligendum tantum speciale bonum, sicut publicum. Princeps, quare es communis persona? Solutio. Dixit Princeps, quod ipse erat communis persona, vt iustitia sit in hominibus. Quærebatur à Principe, vtrum ipse plus iustitiam, quam charitatem diligebat? Solutio. Respōdit Princeps, quod ipse plus iustitiam, quam charitatem diligebat, inquantum est persona communis: & inquantum est vnus homo, plus diligebat charitatem, quam iustitiam. Princeps, diligis plus tuum filium, quam tuum populum? Solutio. Iustitia non consentit quod plus bonum speciale, quam bonum publicum diligatur.

De Quæstionibus amoris Principis.

A Principe fuit quæsitum, qualis debebat esse suus amor? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris imperialis. Quærebatur à Principe, quomodo ita diu regnabat? Solutio ibidem. Quæsitum fuit à Principe, quare plus suum populum timere se faciebat, quam amare? Solutio. Nullus homo superbus aliquid facit propter amorem. A Principe quærebatur, quare timorem habebat? Solutio. Dixit Princeps, quod timorem propter hoc habebat, quod plus suus populus ipsum timebat, quam diligebat.

De Quæstionibus timoris Principis.

A Principe fuit quæsitum, qualis debet esse suus timor, & qualis sui populi? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris imperialis. Quærebatur à Principe, vtrum maiorem timorem habebat de amore, quam de morte? Solutio. Bonus Princeps propter amorem sui populi in bello periculo mortis se exponit. Ab amore & timore quærebatur, in quo concordantiam maiorem habebant? Solutio. Amor & timor responderunt, quod quæstio illa fieri debet bono Principi, & bono populo. A Principe quæsitum fuit, vtrum de suo populo maiorem timorem habebat, quam de Deo? Solutio. Respondit Princeps, quod de timore Dei sequitur libertas, & de timore sui populi sequitur seruitus.

De Quæstionibus sapiētiæ Principis.

COnditiones Principis quales sūt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Per quam conditionem est Princeps magis timibilis? Solutio ibidem.

A Principe quærebatur, vtrũ necessariũ erat tantũ sibi charitatẽ diligere, sicut sapientiã? Sol. Princeps dixit q; secũdũ suum officium sapientia erat sibi magis necessaria, quam charitas, quia sapientia concordantiam habet cum iustitia, & charitas cum denariis. A sapientia Principis fuit quæsitum, vtrum timorem habebat? Solutio. Sapientia Principis respõdit, quod secundum suam naturam timorem non habebat, nec secundum naturam iustitiæ & ensis, qui sunt sui amici.

De Quæstionibus potestatis Principis.

A Principe fuit quæsitum, quare potens esse desiderabat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris imperialis. A Principe quærebatur, vtrum plus sapientiam quam potestatem diligebat? Solutio. Princeps dixit, quod cum sapientia sui consilij regnabat. Potestas Principis quare ploras? Solutio. Respondit potestas, quod plorabat, quia Princeps ipsam destinent otiosam, & fortiter ipsam in faciendo malum vexabat. A potestate Principis quærebat vtrum timorem habebat? Solutio. Potestas respondit, quod habebat timorem de libertate populi sui, quæ crescebat.

De Quæstionibus honoris Principis.

A Principe quærebatur, de quo erat suus honor? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris Imperialis. Princeps quare plus honorem diligis, quam denarios? Solutio. Princeps dixit, quod ipse per honorem magis erat imago Dei, quam per denarios. Honor Principis quare ploras? Solutio. Honor dixit, quod plorabat, quia Princeps ipsum inhonoratum detinebat, inquantum plus seipsum quam Deum honorare affectabat. Honor Principis habes timorem? Solutio. Nullus honor de ita alto in infirmum cadere potest, sicut honor Principis.

De Quæstionibus libertatis Principis.

A Principe fuit quæsitum, vtrum ipse sciebat quid est sua libertas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris Imperialis. Princeps quare ploras? Solutio. Dixit Princeps, quod plorabat quia populus suus plus propter timorem, quam propter amorem ipsum diligebat. Princeps quare habes libertatem? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. A libertate Principis quærebatur, quomodo in seruitutem deueniebat? Solutio ibidem.

De Quæstionibus ramorum arboris Apostolicalis.

Rami arboris apostolicalis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ab Ecclesia quæsitum fuit, quare sua sunt præcepta? Solutio ibidem. Ecclesia quare ploras? Solutio. Respõdit Ecclesia, quod plorabar, quia omnes gentes sibi non sunt obedientes. Festum quare ploras? Solutio. Respondit festum quod plorabat, quia Iudei melius sua Sabbata colebant, quam Christiani dies dominicos.

De

De Quæſtionibus primi præcepti arboris Apoſtolicalis.

PRæceptum in quo eſt maius? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in ramis arboris apoſtolicalis. A voluntate quærebatur, vtrum tota obligata erat ad diligendum bonum, & ad euitandum malum? Solutio ibidem. Voluntas, cum tu ſis naturaliter libera, quare eſt tibi factum mandatum? Solutio. Dixit voluntas, quod ipſa eſt libera, vt liberè Deum diligat, & eſt in ſeruitute, vt ſit obediens. Voluntas, quare tibi præceptum eſt, quod Deum pluſquam teipſam diligas, & tuum proximum tantum, ſicut temetipſam? Solutio. Voluntas reſpondit, quod amabilitas Dei eſt maior, quam ſua, & amabilitas ſui proximi æqualis eſt ſuæ amabilitati.

De Quæſtionibus intellectus, qui eſt in radicibus arboris Apoſtolicalis.

AB intellectu quærebatur, in quo eſt magis ſubditus? Solutio Vade ad rubricam antedictam. Cum intellectus ſis liber, quare eſt tibi factum præceptum? Solutio. Dixit intellectus, ꝙ ſibi eſt factum præceptũ, quia poſitus eſt in perſona communi, & quod per timorem ſua tota poteſtate vtatur ad oſtendendum veritatẽ Fidei Eccleſiæ Romanæ Sacroſanctæ. Quærebatur à beato Petro quare Dominus Ieſus Chriſtus ſibi ter præcepit, quod paſceret oues ſuas? Solutio. Quilibet prælatus cognoſcere debet ſuum Dominum, ſeipſum, & ſuum proximum, & debet amare iterum ſuum Dominum, ſeipſum, & ſuũ proximum, & recolere debet ſuum Dominum, ſeipſum, & ſuum proximum. Quærebatur ab intellectu, vtrum culpam haberet, ſi non procuraſſet toto ſuo poſſe honorem Dei & vtilitatem ſui proximi? Solutio. Reſpondit intellectus, quod Deus non tantummodo præceptum facit parti ſubſtantiæ, ſed facit præceptum toti ſubſtantiæ; & hoc facit, quia Dominus eſt totius ſubſtantiæ, & vt tota ſubſtantia ſit obediens, ratione cuius obedientiæ tota ſubſtantia meritum habeat & gloriam.

De Quæſtionibus tertij præcepti ramorum arboris Apoſtolicalis.

A Memoria quæſitum fuit, in qua perſona eſt magis obligata ad recolendum Deum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Memoria, quare tibi factum eſt præceptum magnum & de magnis rebus? Solutio. Memoria dixit, quod præceptum magnum, eſt, quia Dominus magnus eſt, & dignus magno honore, & etiam quia ipſa magna eſt in poteſtate procurandi magnum bonum, & euitandi magnum malum. Memoria quare ploras? Solutio. Dixit memoria, quod ipſa plorabat, quoniam conſcientiam habebat, quia Dominus Ieſus Chriſtus non eſt recolitus, nec honoratus per totum mundum. Memoria vteris ne toto tuo poſſe ad eſſendum obediens? Solutio. Memoria dixit, quod hanc quæſtionem, ciuitatẽ Hieruſalem faceret, in qua eſt vnus liber, in quo ſcripta ſunt omnia ſua opera.

De Quæſtionibus quarti præcepti ramorum arboris Apoſtolicalis.

AB imaginatione quærebatur, in qua perſona eſt magis obligata? Solutio.

Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginatio quærebat à cruce, quare stabat in Ecclesia? Solutio. Crux dixit, quod ipsa in Ecclesia stabat vt ipsa magnam passionē quam Deus in ipsa sustinuit recoleret. Ab imagine Dominæ nostræ quæsiuit imaginatio, quare in Ecclesia erat depicta? Solutio. Imago respondit, quod ipsa in Ecclesia erat depicta, vt peccatoribus bonitatem Dominæ nostræ ostēderet, & quod spem in Domina nostra habeant. A figura inferni in Ecclesia depicta quæsiuit imaginatio, quid in Ecclesia faciebat? Solutio. Figura inferni dixit, quod ipsa erat in Ecclesia, vt peccatores inobedientes mandatis Dei recolerent magnas pœnas inferni, & vt de illis magnum habeant timorem.

De Quæstionibus quinti præcepti arboris Apostolicalis.

A Potentia sensitiua est quæsitum, vtrum in parte aut in toto sit sibi præceptum ipsa existente parte hominis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsitum fuit cui sensui factum est maius præceptum? Solutio. Per nullum sensum Deus tantum honorari potest sicut per affatum & auditum. Quærebatur ab affatu, in quo magis erat ociosus? Solutio. Affatus respondit, quod fortius erat ociosus ad ostendendum veritatem fidei Christianæ per totum mundum, quam in aliqua alia re, cum ita sit, quod ad ostendendum veritatem fidei Christianæ sit magis obligatus. Auditus habes conscientiam? Solutio. Auditus dixit, quod ipse conscientiam habet, quia Euangelia non erant audita per vniuersum mundum.

De Quæstionibus sexti præcepti arboris Apostolicalis.

POtentia vegetatiua es obligata ad obediendum Domino tuo, qui te creauit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Potentia vegetatiua es ociosa? Solutio. Granaria sunt plena blado, quod equos pingues facit, & pauperes macerat. Vegetatiua es bene diuisa? Solutio. Respondit vegetatiua, quod pauperibus illa quæstio fieret. Vegetatiua de quo es? Solutio. Respondit vegetatiua, quod ipsa est de charitate, iustitia, & temperantia.

De Quæstionibus septimi præcepti ramorum arboris Apostolicalis.

POtentia elementatiua es obligata ad seruiendum Deo? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quærebatur ab auro & argento, vtrum erant ociosa? Solutio. Responderunt, quod quæstio illa fieret auaritiæ & pauperibus. Argentum vbi est tuum centrum? Solutio. Dixit argentum, quod suum centrum est in scriniis cum auaritia, & in pauperibus cum charitate. Argentum quare es ita magnum? Solutio. Argentum dixit, quod est ita magnum, vt diuitibus & pauperibus sufficiat.

De Quæstionibus ramorum arboris Cælestialis.

RAmi arboris cælestialis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A planetis quærebat philosophus, quomodo eorum qualitates appropriatæ debeant ordinari? Solutio ibidem. Philosophus quærebat ab igne, vtrum influentiam recipiebat à leone aut à Sole? Solutio. Flos accipit

generationem & principium in ramo, qui venit ex radicibus, ex trunco, & ex branchis. Sol. Dixit Philosophus, de quo es? Solutio. Ramus pomerij est ex radicibus, ex trunco, & ex branchis. Sol, quare est tuus motus ab occidente ab orientem? Solutio. Ex duobus motibus contrariis maiores exeunt impressiones & passiones. Sol, quare mouetur de oriente ad occidentem cum naturaliter moueatur de occidente ad orientem? Solutio. Marinarius qui se mouet de prora nauis ad puppim, mouetur in motu nauis de puppi ad proram. Quare Saturnus est de complexione terræ? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Saturnus quare dies sabbathi est tuus? Solutio. In septimana non est aliqua dies ita alta, sicut dies sabbathi. Philosophus à Sole quærebat, vtrum faciem habebat? Solutio. Illæ partes nobiliores sunt, qui prius vadunt, quam illæ quæ vltimò. Philosophus à sole quæsiuit, quare faciebat, 365. dies, & sex horas in anno, & non plures, neque pauciores? Et etiam à planetis quæsiuit quare sunt septem, & non plures, neque pauciores? Solutio. Vade ad rubr. virtutis.

De Quæstionibus ramorum arboris Angelicalis.

Rami arboris angelicalis quales sũt? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Ab angelo fuit quæsitũ quomodo rami sui erant mixti? Solutio ibidem. Quæsitum fuit ab Angelo, vnde sua influentia exit? Solutio. Ex virtute brancharum pomerij exeunt rami, ex quibus exeunt flores & fructus. Quæsitum est à ramo angeli, quomodo stat supra branchas? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Intelligere angeli quomodo est magnum? Solutio ibidem. Obstinatio angeli mali, quare est? Solutio ibidem. Intelligere angeli est successiuè aut subitò? Solutio ibidem. Angelus habet deliberationem ad faciendum bonum? Solutio ibidem. Quærebatur ab angelo, quare maius habet intelligere, quam homo, cum ita sit, quod homo participet cũ omnibus creaturis? Solutio ibidem. Quærebatur ab angelo, qui oculos corporales non habet, quomodo conuertebat visibilitatem coloris, in visibilitatem intelligendi? Solutio ibidem.

De Quæstionibus ramorum arboris æuiternalis.

Rami arboris æuiternalis quales sunt, & quot sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsitum fuit à Paradiso, vtrum aliquod meritum sit ita magnum, sicut ipse est? Solutio. Nullum meritum bonitatis acquisitum est in æuiternitate. Ab inferno quærebatur, vtrum culpa peccatoris sit ita magna, sicut ipse? Solutio. Omnis culpa est contra infinitatem Dei. Quærebatur à iustitia Dei, vtrum sit Purgatorium? Solutio. Si Purgatorium non esset, iustitia Dei esset ociosa in quibusdam hominibus peccatoribus, qui in hac vita pœnitentiam non agunt. Quæsitum est à Purgatorio, de quo est? Solutio. Purgatorium dixit, quod est de capite æuiternitatis Inferni, & de priuatione caudæ. A peccatoribus fuit quæsitum, vtrum illi qui sunt in Purgatorio, desiderant ad hanc vitam redire, vt de Purgatorio exire possint? Solutio. Ad fugiendum pœnas maiores, homines desiderant pœnas minores. Paradise, habes pietatem de illis hominibus, qui sunt in Inferno? Solutio. Paradisus respondit, quod tantum iustitiam Dei diligebat,

bat, quod amor non vult, quod ipse pietatem habeat de illis, qui ipsum blasphemant. Inferne, diligis aliquem hominem, qui sit in Paradiso? Solutio. Dixit Infernus, quod ipse nullum bonum diligebat, quia totus est peruersus ad malum diligendum. Inferne es saturatus? Solutio. In nulla substantia, in quo finis est in priuatione potest fieri saturatio. Inferne, quare Deum, qui est bonus, blasphemas? Solutio. Infernus respondit, quod ipse totus in malum est peruersus, & est ita contrarius Paradiso: sicut color niger contrarius est albo colori.

De Quæstionibus ramorum arboris maternalis.

Rami arboris maternalis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A Domina nostra quærebatur, quomodo est mater misericordiæ? Solutio ibidem. Quærebatur à sancto Gabriele, quare nullus homo peccator habet desperantiam? Solutio. Sanctus Gabriël dixit, quod nullus qui benè Dominam nostram cognosceret, desperantiam habere posset. Ab vno magno peccatore quærebatur, quare habebat spem in Domina nostra? Solutio. Dixit peccator, quod ipse spem habebat in Domina nostra, quia sua spes est similitudo spei Dominæ nostræ. A Domina nostra quærebatur cum peccatores sint contra suum Filium, quare pietatem habet de ipsis? Solutio. Dixit Domina nostra, quod ipsa non habebat pietatem de peccatoribus, qui pietatem non habét, sicut de ipsis, qui spem non habent, non habet pietatem. Pietas quare ploras? Solutio. Dixit pietas, quod plorabat, quia magna in hominibus non erat. Peccator, quare habes spem in Domina nostra? Solutio. Peccator dixit, quod spem in Domina nostra habebat, quia sua erat aduocata. Peccator, cum Domina nostra est tua aduocata, & tu quare non es aduocatus in honorando ipsam per mundum vniuersum? Solutio. Peccator respondit, quod ex tunc suum posse faceret in honorando ipsam. Regina vxor Regis, quare non es superba? Solutio. Regina respondit, quod ipsa proposuerat quod omni tempore foret humilis, postquam ipsa viderat Filium Dominæ nostræ in pariete iacere depictum inter bouem & asinum. Filia Regis, quare diligis virginitatem, & non vis habere maritum? Solutio. Dixit Filia Regis, quod ipsa virginitatem diligebat, vt in aliquo similis esset Dominæ nostræ, quam plusquam seipsam diligebat.

De Quæstionibuss ramorum arboris Iesu Christi.

Rami arboris Iesu Christi quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A Domina nostra fuit quæsitum, vtrum plus Filium suum, quam seipsam diligebat? Solutio. Domina nostra respondit quod ipsa ab ipso inhonorata erat, à quo huiusmodi quæstio sibi facta erat, cum ita sit, quod suus Filius amabilior est, quam omnes creaturæ. Quæsitum est à Domina nostra, vtrum Deus creare posset aliquam creaturam suo Filio nobiliorem? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Quæsitum est à Domina nostra, vtrum amor quem habuit natura diuina ad humanam personam producit? Solutio. Domina nostra dixit, quod in incarnatione natura diuina humanitatem assumpsit, & non personam: quoniam iam persona erat, & ideo personam

assumere non indigebat. Quæsitum est à Domina nostra, vtrum Filius suus secundum naturam suam humanam omnes creaturas & omnia opera earum intelligat & rationes ? Solutio. Domina nostra dixit, quod secundum naturam nulla pars mundi intelligere potest omnes mundi intelligibilitates, cum ita sit, quod nulla pars possit totaliter comprehendere totum, sed inquantum suus Filius est Deus, totum mundum & omnes suas partes intelligit. A Domina nostra quærebatur, vtrum suus filius est melior quam omnes creaturæ? Solutio. Domina nostra respondit, quod quia Deus diligit esse Filium suum, & non diligit esse aliam creaturam, est melior Filius suus quam omnes creaturæ. A Domina nostra quæsitum est, vtrum Deus plus diligit Filium suum quam omnes creaturas ? Solutio. Domina nostra dixit, quod amatus quem amans diligit esse, est magis amatus quam alius amatus, quem amans non vult esse. Quærebatur à Domina nostra, vtrum Filius suus inquantum homo totam naturam diuinam & omnes rationes diuinas intelligat ? Solutio. Domina nostra respondit, quod Filius suus inquantum homo rationes infinitas & infinitam naturam comprehendere non potest, cum sit finitus, sed inquantum Filius suus Deus est, omnes rationes diuinas & totam diuinam naturam intelligit. A Domina nostra fuit quæsitum, postquam omnes homines sunt de natura Filij, quare sustinet quod aliquis homo sit in seruitute diaboli in inferno ? Solutio. Domina dixit, quod Filius suus plus diligit iustitiam Dei, quam suam humanam naturam. A Domina nostra fuit quæsitum, vtrum Filius suus inquantum homo aliquem peccatorem ad damnationem iudicabat, cum ita sit, quod quilibet peccator sit de sua natura, & etiam quia ipsa rogat Filium suum pro peccatoribus, & suus Filius ei magnum habet amorem ? Solutio. Domina nostra respondit, quod inquantum Filius suus est Deus & homo, & ambæ naturæ vna sunt persona, est vnum iudicium illius personæ, sed inquantum vna est natura diuina & alia est natura humana, Filius suus inquantum homo & natura hominis rogat pro peccatoribus diuinam personam, per cuius preces dixit Domina nostra, quod ipsa est mater peccatorum, qui in ipsa spem habent.

De Quæstionibus ramorum arboris diuinalis.

RAmi arboris diuinalis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Rami arboris diuinalis quomodo sunt? Solutio ibidē. Deus quomodo generat & spirat ? Solutio ibidē. Generatio & spiratio quomodo sunt hoc quod sunt ? Solutio ibidem. Diuina bonitas quomodo est ratio diuinæ naturæ ? Solutio ibidem. Diuina bonitas quomodo est ratio aliis diuinis rationibus ? Solutio ibidem. Deus quomodo est purus actus? Solutio ibidem. A bonitate diuina quærebatur, vtrum suus actus est moralis aut naturalis ? Solutio. Nulla moralitas est æterna & infinita. Et vade ad rubricam virtutis. Generatio & spiratio in Deo quomodo sunt distinctæ? Solutio ibidem. Deus quomodo est principium in seipso ? Solutio ibidem.

De Quæstio

De Quæſtionibus ramorum arboris exemplificalis, & elementalis.

A Cucurbita quærebatur & à pipere, quod eorum eſt Deo ſimilius? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Ignis quomodo ſignificat productionem diuinarum perſonarum? Solutio ibidem. Ocioſitas ignis quomodo ſignificat incarnationem Filij Dei? Solutio. Si Deus non diligeret eſſe incarnatus, diligeret eſſe ocioſus in creãdo nobiliorem creaturam, quæ creari poteſt. Et vade ad rubricam virtutis. Cum Chriſtiani ſint in veritate, & omnes alij homines ſint in errore, quare ſunt ita pauci in comparatione aliarum nationum, & quare tot illorum exiſtunt in peccato? Solutio ibidem.

De quæſtionibus prouerbiorum, ramorum arboris vegetalis.

A Priuatione quærebatur, vtrum habebat aliquam entitatem poſitiuam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pulchritudo Dominæ cum eſt mortua, vbi ſtat? Solutio ibidem ad primum paragr. Pulchritudo Dei quomodo eſt pulchritudo hominum? Solutio ibidem ad primum paragraph. Pulchritudo quomodo ſtat in mare? Solutio ibidem ad ſecundũ paragraph. A caſtitate quærebatur, quare pulchrior eſt, quam facies pulchræ Dominæ? Solutio ibidem ad tertium paragraph. A bonitate fuit quæſitum, quare pulchrior eſt in anima, quam in corpore? Solutio. Mantellus, & cætera ornamenta pulchræ Dominæ faciunt luxuriam ſæpius recoli & ſuperbiam, quam bonum recolere & amare. Et vade ibidem ad quartum paragrap. A pulchritudine Dominæ quæſitum eſt, vtrum ſit mortua aut viua? Solut. ibidem ad quintum paragraph. Ancilla quare ploras? Solutio ibidem ad ſextum paragraph. Pulchritudo Dominæ es bona? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Ab auro & argento quærebatur, vtrum plus, quam aliqua pulchritudo valebant? Solutio ibidem ad octauum paragraphum. Pulchritudo in quo es immortalis? Solutio ibidem ad nonum paragraphum. Pulchritudo in quo es maior? Solutio ibidem ad decimum paragr. Quare Domina pulchra ſpeculum rupit? Solutio ibidem ad vndecimum paragraphum.

De Quæſtionibus prouerbiorum ramorum arboris ſenſualis.

A Vditus, quis tibi pulchritudinem Dominæ manifeſtabat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Auditus, quale nomen pulchrius & generalius eſt? Solutio ibidem ad primum paragr. Quærebatur à participatione in quo eſt maior? Solutio ibidem ad ſecundum paragr. A morte quærebatur, quis eam occidit & deuicit? Solutio ibidem ad tertium paragr. A iuſtitia quærebatur, qualis eſt maior iu-

dex? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Ab oculis quærebatur in quo eſt eorum maior gloria? Solutio ibidem ad quintum paragr. A mundo quæſitum eſt quare creatus eſt? Solutio ibidem ad ſextum paragr. A pietate quærebatur in quo eſt maior? Solutio ibidem ad ſeptimum para. Error, quare es ita magnus? Solutio. Propter priuationem charitatis eſt error multiplicatus. Et vade ad octauum paragr. rubri. antedictæ. A Ieſu Chriſto quærebatur, vtrum oblitus eſt ſuā ciuitatem Hieruſalem? Solutio. Ieſus Chriſtus illos paſtores recolit, qui ſuā ciuitatem Hieruſalem obliuiſcuntur. Et vade ad nonum paragr. rubri. antedictæ. A bonitate quærebatur, in quo eſt melius ipſam recolere, intelligere, & amare? Solutio ibidem ad decimum paragraph. Affatus quæſiuit, de quo erat melius loquendum. Solutio ibidem ad vndecimum paragraphum.

De Quæſtionibus prouerbiorum ramorum arboris imaginalis.

QVærebatur ab imaginatione, cum quo diuitias hominū reuelauit? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Imaginatio, quare plures homines diuites pauperes deueniunt? Solutio ibidem. Guſtus, quare te occidit auaritia? Solutio ibidem. Guſtus, quare de oculis conquereris? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus exemplificalibus ramorum arboris humanalis.

QVærebatur ab oratione quomodo ad cœlum aſcendebat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ab intentione quærebatur quæ eſt ratio quare plures Chriſtiani vadunt ad infernum? Solutio ibidem. Oratio, quare imaginationem dimiſiſti? Solutio ibidem. Ab oratione quæſitum eſt, quomodo homines veniunt ad ſaluationem? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus prouerbiorum ramorum arboris moralis.

A Libertate quærebatur, vtrum ipſa Regem conſulebat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Maius bonum quis te conſulit? Solutio ibidem. Sancte homo, quare non diligis venerari, & quare verecūdiam non habes, quando es inhonoratus? Solutio ibidem. Sancte homo, quomodo tuis amicis conſulis? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus prouerbiorum ramorum arboris Imperialis.

Et primò de Iniuſtitia.

REx cum coronatur, quomodo incipere debet ad regnandum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. A Rege quærebatur, quare triſtitiam habebat? Solutio ibidem in rubrica de iuſtitia. Diuina voluntas, quomodo habere potes quicquid vis? Solutio ibidem ad ſecundum paragr. Largitas Dei das adeo nobile donum bonitati, ſicut voluntati? Solutio ibidem ad tertium paragr. Iuſtitia Dei es ocioſa? Solutio ibidem ad quartum paragr. Iuſtitia & miſericordia Dei eſtis æquales in bonitate, poteſtate, ſapientia, & voluntate? Solutio ibidem ad quintum paragr. Quærebatur à Deo quare naturam humanam aſſumpſi? Solutio ibidem ad ſextum paragr. Iuſtitia, dixit peccator, quid mihi affers? Solutio ibidem ad ſeptimum paragr. Peccator, quare temetipſum iudicas?

Solu

Solutio ibidem ad octauum paragrap. Iustitia, quare melius quam aurum & gentum vales? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Peccator cui teipsum exhibes? Solutio ibidem ad decimum paragr. Misericordia & charitas, quis est in vestra societate? Solutio ibidem ad vndecimum paragraphum.

De Quæstionibus sapientiæ.

Peccator quid desideras? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sapientia Dei intelligis omnia? Solutio ibidem ad secundum paragr. A bonitate Dei quærebatur, vtrum bonificabilitas erat de sua natura? Solutio ibidem ad tertium paragrphum. Intellectus Dei quomodo est magnus? Solutio ibidem ad quartum paragr. Intentio quomodo est ratio productioni? Solutio ibidem ad quintum paragr. Intelligere, quare es in sapientia Dei? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Intelligere Dei, quomodo es remotum à contrarietate? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Sapientia Dei, in quo homine es maior? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Intellectus creatus, quomodo obligatus es ad multum intelligendum? Solutio ibidē ad nonum paragraph. Ab æqualitate quærebatur, quomodo in Deo consistit? Solutio ibidem ad decimum paragraphum.

De Quæstionibus amoris.

Quærebatur à Deo de quo memoriam habet? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Voluntas diuina es ita magna, sicut magnitudo? Solutio ibidem ad secundum paragraph. A Deo quæsitum est, vtrum in Deo sit odire? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Diuina veritas quomodo es ita magna? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Diuina voluntas, quomodo es perfecta? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Peccator à charitate quæsiuit, vtrum sibi dare posset? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Heremita à Deo quæsiuit, quomodo sibi cauere posset, quod peccatum nō committeret? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Charitas, dixit heremita, posses emi pro denariis, pro castris, & pro ciuitatibus? Solutio ibid. ad octauum paragraph. Quidam Rex à quodam quæsiuit sapiente, quomodo sibi cauere posset, quod aliquis homo ipsum non decipiat? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Homo pauper à Deo quæsiuit, quomodo majus donum dare posset? Solutio ibid. ad decimum paragraph.

De Quæstionibus potestatis.

Heremita à Deo quæsiuit, vtrum per seipsum, aut per alium est Deus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsiuit heremita à Deo, vtrum sua potestas quantitatem habebat? Solutio ibidem ad secundum paragraph. A potestate Dei quæsiuit heremita, quomodo bonitati sufficere potest? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Heremita quæsiuit à Deo, vtrum aliquam personam deïficare posset? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Heremita à potestate quęsiuit, quomodo est Deus? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Deus quomodo miracula facere potest? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Potestas in quo est nobilior? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Potestas in quo est magis vtilis? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Potestas

ſtas quomodo potes melius te communicare? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Poteſtas per quem modum te fortiorem oſtendis? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæſtionibus timoris.

HEremita à Deo quæſiuit, quare timorem non habet? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus quare es maior Dominus? Solutio ibidem ad ſecundum paragraph. Timor quid eſt? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Timor quomodo es melior? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Timor quomodo facis hominem legalem? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Timor quomodo es cauſa honoris? Solutio ibidem ad ſextum paragraph. Timor quomodo es in æqualitate poteſtatis & bonitatis? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Timor debes tantum miſericordiam timere ſicut iuſtitiam? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Timor ad quid es vtilis? Solutio ibid. ad nonum paragraph. Timor in quo tempore es melior? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæſtionibus honoris.

HOnor, quare ploras? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Voluntas, quomodo facis Deo honorem? Solutio ibidem ad ſecundum paragr. Hypocrita, ſcis Deum honorare? Solutio ibidem ad tertium paragraphum. Nomen Dei, es multum honoratum? Solutio ibidem ad quartum paragrap. Iuſtitia quare rides? Solutio ibidem ad quintum paragr. Honor quomodo potes eſſe maior? Solutio ibidem ad ſextum paragraph. Peccatum quare rides? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Honor regis quomodo vadis? Solutio ibidem ad octauum paragrap. Superbia quare ploras? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Iuſtitia quid ſcribis? Solutio ibidem. ad decimum paragraphum.

De Quæſtionibus libertatis.

HEremita quæſiuit à Deo, quomodo eſt liber? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Poteſtas Dei, habes libertatem? Solutio ibidem ad ſecundum paragrap. Poteſtas per teipſam habes libertatem? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Libertas quomodo es maior? Solutio ibidem ad quartum paragr. Libertas, poſſes emi? Solutio ibidem ad quintum paragr. Libertas, quare es in ſeruitute? Solutio ibidem ad ſextum paragr. Libertas quare es? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Peccator, habes libertatem quod exeas de peccato? Solutio ibidem ad octauum paragr. Virtus potes eſſe in ſeruitute? Solutio ibidem ad nonum paragr. Seruitus vales plus, quam libertas? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæſtionibus exemplorum ramorum arboris Apoſtolicalis.

PVnctus tranſcendens, in quo ſtas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Heremita quæſiuit à voluntate & ab intellectu, vtrum ſint magni in poteſtate? Solutio ibidem. Intellectus, quale eſt tuum meritum? Solutio ibidem. Imaginatio, quomodo deuinceris? Solutio ibidem.

De

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris Cælestialis.

TEntatio quare es? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Tentatio quomodo es deuicta? Solutio ibidem. Gemini à cancro quæsiuit, quare maiorem concordantiam habet cum Saturno, quam cum Ioue? Solutio ibidem. Sagittarius à Saturno & à Ioue quæsiuit, quare est vnus iuxta alium postquam contrariantur? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris Angelicalis.

PRior quare bonus es ad essendum Abbas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Capitulum quare es infirmum? Solutio ibidem. Capitulum, quomodo potes esse sanum? Solutio ibidem. Abbas quare timorem habes de toxica? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris Æuiternalis.

COnfessio, quomodo vincis peccatum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Confessio, quare bonum est te vti? Solutio ibidem. Confessio, quare ploras? Solutio ibidem. Confessio, habes ita magnum timorem sicut verecundiam? Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris maternalis.

VOluntas, de quo societatem diligis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Voluntas, quis tibi consulit quod non sis ociosa? Solutio ibidem. Princeps vitiose, quare diligentiam habes ad faciendum malum? Solutio ibidem. Potestas Principis, quare timorem habes: Solutio ibidem.

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris Iesu Christi.

PEccator à misericordia quæsiuit, quomodo iustitiam Dei deuincere posset? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Misericordia à peccatore quæsiuit, quare erat in tristitia? Solutio ibidem. Peccator à misericordia quæsiuit, quomodo desperantiam deuincere posset? Solutio ibidem. Peccator à misericordia quæsiuit, quomodo renrationem cognoscere posset? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus exemplorum ramorum arboris diuinalis.

QVærebatur à dare, quare plus homines hilares faciebat, quam accipere? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Verecundia, dixit heremita, quare plus es in accipere secundum virtutem, quam in dare? Solutio ibidem. Necessitas, habes à Deo magnã concordantiam cum accipere sicut largitas cum dare? Solutio ibidem. Quærebatur à charitate, quomodo concordantiam habebat cum accipere. Solutio ibidem.

De Quæstionibus Foliorum. Et primò arboris elementalis.

De Quantitate.

QVÆREBATVR à quantitate ignis, vtrum substantialis esset, aut accidentalis? Solutio. Si quantitas esset pars substantialis

ſubſtantiæ, bonitas & magnitudo, duratio, poteſtas, & aliæ radices arboris elementalis eſſent ita magnæ, & ita bonæ per vnam quantitatem ſicut per aliam. Et vade ad rubricam antedictam. Quantitas, quomodo es & de quo es? Solutio ibidem. Quantitas continua quomodo es, & diſcreta? Solutio ibidem. Quantitas, quare es? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus foliorum arboris vegetalis.

De Quantitate.

QVærebatur à quantitate piperis, vtrum eſſet de quantitate ignis & aliorum elementorum? Solutio. Quantitas oleæ & oleaſtri in quo olea inſerta eſt, ſunt quantitates diſcretę de vna continua quantitate, & quantitas oleæ viuit de quantitate oleaſtri. Et vade ad folia arboris vegetalis. A colore roſæ quæſitum eſt, vtrum ſua quantitas ſit compoſita? Solutio. Subſtantia roſæ compoſita eſt de eſſentia arboris elementalis, & vegetalis, ſub cuius compoſitione omnes ſuæ partes ſunt compoſitæ. Et in hoc paſſu magnum ſecretum naturale reuelatum eſt. Quærebatur à roſa quomodo quātitas ſua creſcebat? Solutio. In quantitate aquæ conſiſtit in potentia quantitas roſæ priuſquam generetur, & cum roſa creſcit ſua quantitas crementum accipit ex quantitate quę eſt in potentia in aqua. A ſapore pomi quærebatur, vtrum habebat quantitatem vnam aut plures? Solutio. Quia pomum eſt de elementatiua, & vegetatiua eius ſapor duas habet quantitates.

De Quæſtionibus foliorum arboris ſenſualis.

De Quantitate.

A Quantitate equi quærebatur, vtrum ſit ſimplex, aut compoſita? Solutio. Vade ad folia antedicta. Quæſitum eſt à quantitate equi, quare non eſt viſibilis poſtquam equus eſt viſibilis? Solutio. Color equi tantummodo eſt ex arbore elementali ſicut ſuus calor, & quia viſitiuitas eſt tantum ex arbore ſenſuali, nulla quantitas coloris eſt viſibilis: & quia ſubſtantia equi ex omnibus tribus arboribus eſt compoſita per accidens eſt viſibilis. Quærebatur ab equo, quomodo ſuæ quantitates ad inuicem ſunt mixtæ, cum ita ſit, quod illæ non ſint partes ſubſtantiales? Solutio. In motu nauis mouentur marinarij de vno loco in alium. Et vade ad folia virtutis. Ab equo quærebatur, vtrum in illo quantitas ſui ſenſus ſit de quantitate ſui coloris & ſaporis? Solutio. Nullum humidum radicale eſt idem numero cum humido nutrimentali, & hoc facit differentia, quæ eſſentias per ſpecies facit eſſe differentes.

De Quæſtionibus foliorum arboris imaginalis.

De Quantitate.

AB imaginatione quęrebatur quomodo quantitatem ſubſtantiarum accipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginatio, accipis ante ſimilitudinem quantitatis elementalis, quam vegetalis & ſenſualis? Solutio. Omne ſubiectum magis imaginabile eſt per colorem, quam per ſaporem

saporem vel per sentire. Ab imaginatione quærebatur, quomodo numerum ternarium imaginatur? Solutio. Imaginatio respondit, quod ipsa primo quantitatem vnius imaginabatur, & postmodum quantitatem secundi, deinde quantitatem tertij ex his omnibus tribus quantitatibus particularibus vnam communem quantitatem trahebat, existentem sub numero ternario. Et vade ad rubricã virtutis. Ab imaginatione quærebatur, vtrum numerus quem illa producit aliquam habeat quantitatem realem, vel si sit tantum ex similitudinibus? Solutio. Imaginatio respondit, quod ille numerus quem illa ex substantiis producit, non dicit aliquam realem entitatem secundum naturam substantiarum ex quibus ipsa numerum trahit, sed inquantum in seipsa numerum illum sustentat est actus, quem ipsa in numero habet ens reale in hoc quod est actus suus, qui est de natura sua & virtute, & in hoc passu est plurimum de Philosophia.

De Quæstionibus foliorum arboris humanalis.

De Quantitate.

QVærebatur à quantitate hominis quomodo ex pluribus est vna? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Anima, dixit heremita, cum tu quantitatem extensiuam non habes, quomodo per totum corpus Martini es extensa? Solutio. Sicut in pomo sapor potest per totum colorem extendi, quamuis sapor non sit de specie coloris, ita anima rationalis per totum corpus extendi potest, quamuis sua quantitas naturam non habeat longi, ampli & profundi. Anima rationalis cum tua substantia non sit augmentabilis, & es per totum corpus hominis magni, quomodo potes per totum ipsum esse, cum tu tota in illo corpore eras, cum erat paruum? Solutio. Sicut sapor pomi in colore extensus est, licet non sit de genere coloris, ita anima rationalis extensa est secundum quod corpus extenditur, licet non sit de natura longi, ampli & profundi. Anima rationalis, habes quantitatem? Solutio. Vade ad rubricam virtutis.

De Quæstionibus foliorum virtutum moralium.

De Quantitate.

IVstitia, cum tu quantitatem non habes realem, quomodo crescere potes aut diminui? Solutio. Imaginatio crescit & similitudinem substantiæ diminuit, quamuis illa similitudo ens reale non sit, quam multiplicat vel diminuit, secundum quod imaginatio magnum aut paruum habet actum. Iustitia tua quantitas est visibilis? Solutio. Nulla moralitas potest esse visibilis, quia colorem non habet. Iustitia crescis in actu per potentiam, aut per obiectum? Solutio. Nulla passio multiplicat seipsam. A iustitia quærebatur, vtrum quantitatem habebat? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus foliorum arboris vitiosæ.

De Quantitate.

LVxuria, habes quantitatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Luxuria, quomodo crescis aut diminuis, cum tu sis priuatio castitatis, & priuatio non sit subiectum quanti-

tatis quæ sit suus habitus? Solutio ibidem. Luxuria habes aliquam quantitatem realem? Solutio. Luxuria respondit, quod ipsa habere non poterat aliquam quantitatem realem, postquam erat pura priuatio castitatis. Luxuria postquam nulla priuatio moralis ponit aliquam realem entitatem, de quo est tua quantitas? Solutio. Luxuria respondit, quod ipsa erat ex motu inordinato contra ordinem & matrimonium. Et vade ad rubricã virtutis.

De Quæstionibus foliorum arboris imperialis.

De Quantitate.

IVdex quomodo debet vti quantitate in iudicio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Scientia iuris ciuilis quomodo poni potest in cæteris terminis? Solutio ibidem. Emptio & venditio quomodo conditionatæ sunt per quantitatem? Solutio ibidem. Iudex cum quo veritatem inueniet? Solutio ibidem.

De Quæstionibus foliorum arboris Apostolicalis.

De Quantitate.

QVæritur vtrum in summa Trinitate sit quantitas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum personæ diuinæ distinctæ sint, quomodo possunt esse sine quantitate? Solutio. In nullo supposito quod sit de natura infinitatis & æternitatis, potest esse quantitas. Essentia diuina cum sit in distinctis personis, cum quo est indiuisibilis? Solutio. Pater est tota essentia, & de toto se ipso Filium producit, remanet ergo tota essentia in Patre & in Filio, & idem est de Spiritu sancto. Cum diuina bonitas non sit bonitas creata, quomodo potest esse sine quãtitate, ipsa existente terminata in bonitate creata? Solutio. In pomo sapor non est de natura coloris, & terminatus est per distinctionem in colore.

De Quæstionibus foliorum arboris Cælestialis.

De Quantitate.

QVomodo quantitas in firmamento consideratur? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In sole quomodo discretæ quantitates considerantur? Solutio ibidem. Quantitas ignis quomodo influentiam recipit à quantitate solis, qui suum proprium subiectum non dimittit? Solutio ibidem. Discretæ quantitates firmamenti quomodo stant sub vna quantitate continua? Solutio. In bonitate bonificans, bonificabile, & bonificare, distincta sunt per quantitates discretas, quæ sunt de communi quantitate bonitatis.

De Quæstionibus foliorum arboris Angelicalis

De Quantitate.

QVæritur, vtrum Angelus habeat quantitatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum Angelus naturam corporis non habeat, suæ discretæ quantitates, quomodo sunt inuicem coniunctæ? Solutio. Amans stat in amato per amare, & in motu nauis mouentur marinarij. Discretæ quantitates substãtiæ Angeli multiplicant communem quantitatem assituatam in circulo, aut in triangulo

gulo, aut quadrangulo? Solutio. In substantiis spiritualibus sunt ita discretæ quantitates in figura numeri, sicut in corporalibus in figura circuli, trianguli, aut quadranguli. Vtrum plures sint boni Angeli, quam mali, cum plures homines sint mali quam boni? Solutio. Nulla magnitudo mali Angeli cum magnitudine Dei habet concordantiam.

De Quæstionibus foliorum arboris æuiternalis.

De Quantitate.

ÆViternitas quomodo habet quantitatem? Solutio. Vade ad folia antedicta. Lucifer considerat numerum annorum? Solutio. In flamma ignis non est nox, nec in Cælo empireo non est nisi vna dies. Dæmon quare non habet spem? Solutio. Si in inferno haberet æuiternitas annorum numerum, quilibet damnatus habere posset spem in Deo. Vnus angelus habet ita magnam quantitatem sicut alius? Solutio. Omnia opera meritoria angelorum non sunt æqualia.

De Quæstionibus foliorum arboris maternalis.

De Quantitate.

QVæ est maior maternitas? Solutio. Vade ad folia antedicta. Moralis quantitas Dominæ nostræ est adeò magna sicut naturalis? Solutio. Quantitas naturalis humanitatis Christi, non est de morali quantitate Dominæ nostræ. Pietas Dominæ nostræ est maior, quam culpa peccatoris? Solutio Vade ad rubr. virtutis. Domina nostra considerat numerum hominum saluatorum & damnatorum? Solutio. Qualibet die Domina nostra suum Filium rogat, quod ipsam faciat matrem plurium hominum.

De Quæstionibus foliorum arboris Iesu Christi.

De Quantitate.

NAtura diuina cum sit infinita, quomodo participare potest cum quantitate? Solutio. Vade ad folia antedicta. Humanitas Christi cum terminatam habeat quantitatem, quomodo ex illa tota persona quæ est Deus, potest indui, quæ siquidem persona est infinita? Solutio. Diuina voluntas quæ est persona, vult quod totus Filius sit incarnatus: & potestas Dei perficere potest omne id, quod vult voluntas, quæ est infinita. Diuina natura Iesu Christi quæ est persona, quomodo sine quantitate consistit, & quod Filius incarnatus sit, & non Pater, nec Spiritus sanctus? Solutio. Calor piperis, & calor flammæ, inquantum calor, non est diuisibilis. Cum Filius sit incarnatus, & non Pater, nec Spiritus sanctus, participant tantum Pater & Spiritus sanctus, cum natura humana, sicut Filius? Solutio. In essentia in qua quantitas non est, non potest esse comparatio maioritatis & minoritatis.

De Quæstionibus foliorum arboris diuinalis.

De Quantitate.

CVm in Deo sit bonitas vna ratio, & magnitudo alia, & idem est de æternitate, potestate, & cæteris, quomodo possunt esse sine quantitate? So-

lutio. Quia bonitas & magnitudo, & aliæ rationes sunt in vno eodem numero: non potest esse in illis quantitas, quamuis sint rationes reales. Et vade ad folia antedicta. Cum Pater generet Filium, & non Spiritum sanctum, & spiret sanctum Spiritum & non spiret Filium, quomodo potest esse sua productio sine quantitate? Solutio. Ignis tegulam desiccat, & ceram dissoluit, ita quod diuersitas operis differentis, per differentiam subiectorum virtutem ignis non diuersificat. Substantia Dei quomodo potest esse extensa per totum intra firmamentum, & extra sine quantitate? Solutio. Extensitas substantiæ spiritualis quantitatem non habet, neque mensuras, postquam non habet figuram circuli, quadranguli, nec trianguli. Et dicimus, quod est extensa, vt ipsam per totum intelligamus. Essentia diuina quomodo potest esse communis omnibus tribus personis diuinis sine quãtitate, cum ita sit, quod communitas sit ex pluribus? Solutio. Communitas essentiæ consistit per quantitatem numeri, vnde sequitur pluralitas personarum. Et vade ad folia antedicta.

De Quæstionibus foliorum arboris exemplificalis.

De Quantitate.

Sapientia & iustitia Dei habent æqualiter potestatem? Solutio. Vade ad folia antedicta. Æqualitas prædestinationis, & liberi arbitrij quomodo intelligitur? Solutio ibidem. Voluntas & intellectus hominis, quomodo se inuicem compellunt. Solutio ibid. Homo prædestinatus potest damnari? Solutio ibidem.

De Quæstionibus foliorum arboris elementalis.

De Qualitate.

Ignis quare est ignis, & non est aliud elementum? Solutio. Sicut substantia est per formam & per materiam, hoc quod est: & non est accidens: ita ignis, quia habet propriam qualitatem, quam non habet aliquod aliud elementum: determinatum est, quod sit tantum ignis, & non aliud elementum. Et vade ad rubricam antedictam. Qualitas quare est? Solutio. Si qualitas non esset, nullum obiectum esset intelligibile: & omnes creaturæ essent idem numero. Et vade ad rubricam antedictam. Calor aëris si esset sua propria qualitas, quid sequeretur? Solutio. Per propriam qualitatem, & per appropriatam est concordantia, & actio & passio in substantiis. Vnum & idem elementum, quomodo potest esse simplex & compositum? Solutio. Vade ad rubr. virtutis.

De Quæstionibus qualitatis arboris vegetalis.

Qualitas est visibilis? Solutio. Vade ad folia arboris vegetalis. Dulcedo pomi est simplex qualitas, aut composita? Solutio. Dulcedo pomi, inquantum est ex plúribus saporibus, est composita, & inquantum est in vno numero in pomo, est simplex qualitas. Cum qualitas non sit pars substantialis, quomodo intrare potest compositionem cum alia qualitate? Solutio. In mõtu nauis mouentur marinarij. Qualitates elementorum & substantiarum vegetatarum, quomodo intrant compositionem? Solutio. Vade ad rubr. virtutis.

De

De Quæſtionibus qualitatis arboris ſenſualis.

CAlor quem homo ſentit, de quo eſt: Solutio. Calor ſimplex eſt de igne, & compoſitus eſt de aëre & de terra, & eſt de ſenſitiua per ſentire: ſicut martellus, qui eſt claui, & idem eſt per vegetare. Et vade ad folia arboris ſenſualis. Guſtus quomodo dat placitum per comedere, & viſus per videre? Solutio. ibidem. Dulcedo quam homo ſentit in pomo, quomodo ducitur de potentia in actum? Solutio ibidem. Sentire de quo viuit? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus qualitatis arboris imaginalis.

IMaginatio quomodo ſimilitudinem qualitatis realis accipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum bonitas moralis Martini non ſit ſenſibilis, imaginatio quomodo ipſã imaginari poteſt: Solutio. Ex ordine ſubſtãtiatum viſibilium trahit imaginatio ſimilitudinem in abſtracto. Sermones quos dixit Rex, accipit ipſos intellectus aut imaginatiua poteſtia? Solutio. Imaginatio eſt inſtrumentum, quod ſtat in medio intellectus & ſenſus in ſermonibus, quos dixit Rex. Sermones quos memoria recolit, imaginatur ipſos? Solutio. Ita eſt imaginatio inſtrumentum memoriandi, ſicut eſt intelligendi & amandi.

De Quæſtionibus qualitatis arboris humanalis.

QValitates hominis, quomodo sũt inuicem alligatæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Calor hominis eſt qualitas illius aut ignis? Solutio. Calor aëris eſt qualitas appropriata ipſi aëri, & eſt qualitas propria ignis. Triſtitia hominis eſt propria qualitas corporis vel animæ? Solutio. Vna qualitas eſt illa, quæ dat paſſionem corporalem, & alia illa, quæ dat paſſionem ſpiritualem. Bonitas moralis Martini eſt qualitas corporalis? Solutio. Propriè iuſtitia eſt qualitas animæ acquiſita & corpori appropriata.

De Quæſtionibus qualitatis virtutum arboris moralis.

MOralis virtus Martini quomodo determinata eſt per qualitatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Prudentia Martini eſt de vna qualitate vel de pluribus? Solutio. In vno intelligere colliguntur & coniunguntur plures ſimilitudines Et vade ad rubricam antedictam. Vna moralitas eſt alterius qualitas: Solutio. In pipere paſſiuè ſunt ſiccitas, humiditas & frigiditas ex calore, & in lampade calor olei eſt ex calore flammæ. Moralis qualitas quomodo creſcit? Solutio. Ex multitudine lignorum creſcit flamma, quæ ligna comburit.

De Quæſtionibus qualitatis vitiorum arboris moralis.

AVaritia, quomodo es mala? Solutio. Auaritia reſpondit, quod ipſa mala eſt, quia per malitiã eſt qualis, ſicut magnitudo quæ eſt qualis bona per bonitatem. Et vade ad rubricam antedictam. Qualitas mala quomodo multiplicatis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vitioſa qualitas, cum ſis priuatio virtutis, in quo ſubiecto es ſuſtentata? Solutio ibidem.

Auaritia

Auaritia,es qualitas per Martinum,cuius es habitus? Solutio.Si auaritia esset qualitas per seipsam in Martino,cuius est habitus,per ipsam culpam non haberet.

De Quæstionibus qualitatis arboris imperialis.

MErcator promittit dare bonum aurum, & non dat bonum, & miles promittit vendere bonum equũ, & non védit bonum, idcirco est quæstio, vtrum venditio valeat aut non? Solutio. Iustitia non vult, quod aliqua stabilitas stet per priuatas promissiones. Miles promittit vendere bonum equum, & vendit bonum, & mercator promittit dare bonum aurum, & non dat bonum, quæritur, vtrum venditio valeat,aut non? Solutio. Nulla substantia potest esse sine omnibus illis partibus, quæ sibi sunt necessariæ. Mercator tentat equum, & non est bonus, quem miles dicit esse bonum, & mercator vitium equi non cognoscit, & credit, quod sit bonus, & soluit aurum, & in crastino cognoscit, quod equus bonus non est:quæritur vtrum venditio valear, aut non? Solutio. Iustitia vult secundum Imperatorem, quod mercator prudentia vtatur, & si non vult vti, quod puniatur. Papa vero vult, quod miles vtatur conscientia, & si non vult vti, iustitia Dei vult, quod in alio seculo puniatur,aut quod in isto seculo pœnitẽtiam agat Quidam facit testamentum,in quo dicit, quod vxor sua quæ est prægnans: si duos habeat filios, quod ille qui primo nascatur, hæres sit denariorum suorum. Tandem vxor sua duos habet filios, quæ nescit, quis illorum primo natus est, quæritur, quomodo adimplebitur voluntas testatoris? Solutio. In ignorantia antecedentis coniuncta ignoratur,& in æqualitate paternitatis sunt denarij æqualiter diuisibiles.

De Quæstionibus qualitatis arboris Apostolicalis. De Baptismo.

BAptismus quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Baptismus quomodo hominem mundat à peccato? Solutio ibidem. Puer qui intellectum non habet, & qui Baptismo non consenrit, quomodo mundatur per sacramẽtum? Solutio. In puero sunt quinque arbores, quatuor impressionem Sacramenti accipiunt; Quinta vero impressionem Sacramẽti accipit in potentia: sicut pomum in quo accepta est potentia generandi aliud pomum, quæ in actum venit per Sacramentum Confirmationis. Si puer moritur,antequam veniat ad Sacramentum Confirmationis, proficit sibi aliquid illud Sacramentum? Solutio. Impressiones aliarum arborum illos mundant, qui culpam peccatot originalis portabant, & quintæ arbori fit gratia per cõcordantiam aliarũ:sine qua gratia iustitia Dei iniuriam faceret primis arboribus, quæ caractetem Sacramenti receperunt.

De Quæstionibus Confirmationis.

COnfirmatio quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si puer non vult consentire Confirmationi, vel sibi aliquid Sacramentum Baptismi? Solutio. In destructione formę est materia destructa,Pueri qui moriũtur anteq̃ sint cõfirmati vadũt in Purgatoriũ? Solu. Anima pueri baptizati qui confirmatus non est, caracterem Sacramenti in potentia recipit qui culpam non habet;

bet: si in hoc seculo ratione non est vsus, quia instrumentum non habuit, cum quo vti posset. Si homo confirmatus non est, & credit quod sit confirmatus, & moritur antequam sit cōfirmatus, est mundatus à peccato originali? Solutio. Bona intentio culpam & peccatum consumit.

De Quæstionibus matrimonij.

MAtrimonium quid est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Matrimonium quare est? Solutio ibidem. Matrimonium quomodo est? Solutio ibidem. Martinus matrimonium consentit, & vxor eius interius non consentit, sed exterius per verba, quæro vtrum valet matrimonium? Solutio. Duo sunt iura, vnum est interius, & aliud exterius, secundum ius exterius est ligata fœmina vxor Martini, quæ contra hoc quod erat interius, suum mouebat affatum, aliud ius interius stat liberum, & si postmodum consentiat, captum est. Et vade ad rubricam virtutis.

De Quæstionibus Eucharistiæ.

SAcramentum altaris quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sacramentum altaris ad quid proficit? Solut. Nulla vtilitas est maior huiusmodi, quam sua bonitate cum Deo vti Et vade ad rubr. virtutis. Cum Christus sit in cælo, quomodo potest esse in vno tempore in pluribus altaribus, & suum corpus quomodo potest esse in hostia, quæ est ita parua, & cum materia panis in suo corpore sit transsubstantiata, quare corpus Christi non crescit? & quare sensus ipsum in Sacramento non attingit, videlicet videndo, gustando, odorando, & tangendo? Solutio ibidem. Quod est maius & nobilius opus, quod Deus & homo facere possunt in hoc mundo? Solutio. In maiori participatione Dei & hominis, maius & nobilius opus consistit. Et vade ad rubricam virtutis.

De Quæstionibus Ordinis.

ORdo quare est? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Quare nullus homo Sacramentum altaris facere potest, nisi sit presbyter? Solutio. Nullus finis magis nobilis stat sine ordinato principio, & ordinato medio. Presbyter qui excommunicatus est, quare Sacramentum altaris conficere potest? Solutio. Litteræ quæ sunt in cera, non sunt de essentia sigilli, nec de essentia hominis qui illas litteras ponit in cera cum sigillo, sed tantummodo litteræ quæ sunt in cera sunt impressiones litterarum sigilli, licet homo sit bonus aut malus. In quo stat maius peccatum? Solutio. In illo homine, in quo potest esse maior virtus, potest esse maius peccatum.

De Quæstionibus Pœnitentiæ.

POenitentia quid est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pœnitentia quare est? Solutio ibidem. Confessio quare est? Solutio. Confessio est, vt pœnitentia possit esse: quoniam sine confessione presbyter nesciret pœnitentiam dare, nec habere cogitationem de satisfactione. Quare presbyter potest homini, qui sibi confitetur culpam dimittere, & sibiipsi dimittere non potest? Solutio. Claues beati Petri omnibus hominibus sunt communes, idcirco oportet quemlibet presbyterum esse sub iudicio alterius.

De Quæstionibus extremæ vnctionis.

EXtremavnctio quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si patiens discretionem non habet, quid prodest ei extremavnctio? Solutio ibidem. Si Martinus sine extremavnctione moriatur, & moritur absque peccato mortali, potest ne saluari? Solutio. Per priuationem formarum quæ sunt de bene esse, formæ quæ necessariæ sunt, in tempore necessitatis non destituuntur. Quare extremavnctio non datur pueris? Raymun. noluit ad quæstionem respondere, quia quæstio non fuit magna.

De Quæstionibus qualitatis aliorum foliorum arboris Apostolicalis.

CVm in Deo sint plures dignitates, & quælibet sit alia, quare quælibet est dicta qualis, & non alia? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si bonitas Dei non esset substantialis qualitas, esset licitum in illa dicere qualis bonificans, quale bonificare? Solutio ibidem. Si in Deo non essent proprietates personales, esset licitum dicere, quod in illo esset vnus intelligens, & alius intelligibilis, & aliud intelligere? Solutio ibidem. Sine qualitate essentiali existente in Deo, possent esse in Deo bonificatio, magnificatio, & possificatio, & sic de aliis? Solutio ibidem.

De Quæstionibus qualitatis arboris Cælestialis.

QVare dicitur, quod Saturnus est malus, & Sol calidus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vmbra de quo est? Solutio ibidem. Postquam Arieti est appropriata qualitas ignis, quare Libræ est appropriata qualitas aëris, & non qualitas aquæ, quæ est appropriata Scorpioni, qui est propinquior Arieti quam Libra, quæ cum Ariete stat in opposito? Solutio. Raymund. dixit, quod ipse quæstionem illam soluere nesciuit per suam artem: quoniam videbatur ei, quod positio quam antiqui fecerunt in illa appropriatione, non sit vera nec necessaria: Idcirco non est mirum si Astronomi errant in eorum iudicio. Luna quare est de complexione aquæ? Solutio. In participatione ignis & Lunæ efficitur temperamentum caloris & frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, vt elementa possint de influentia quintæ essentiæ accipere.

De Quæstionibus qualitatis arboris Angelicalis.

IN Angelo quomodo est qualitas appropriata? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Beatus Michaël qui speciem fantasticam per imaginationem non multiplicat, quomodo potest plus vnum obiectum diligere quam aliud? Solutio ibidem. Beatus Michaël facit aliquam negationem? Solutio ibidem. Beato Michaëli est adeo naturale secundum suam propriam qualitatem diligere vnum Angelum de minori bonitate, sicut alium de maiori? Solutio. Deus secundum suam charitatem tantum amare potest minorem bonitatem, sicut maiorem: sed minor bonitas hoc sustinere non potest, nec iustitia hoc vult. Et vade ad rubr. virtutis.

De Quæstionibus qualitatis arboris æuiternalis.

QValitas moralis beati Petri, quæ eminata est in certa quantitate, quomodo est æuiterna? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pœna Machometi quare est æuiterna, cum ita sit, quod suum peccatum finitum sit & terminatum? Solutio ibidem. Moralis qualitas beati Petri est multiplicabilis? Solutio. Cauda æuiternitatis non sustinet quod in illa sit aliqua multiplicatio. Lucifer quare libertatem non habet ad faciendum bonum? Solutio. Vade ad rubr. virtutis.

De Quæstionibus qualitatis arboris maternalis.

QValitates morales Dominæ nostræ quantum sunt magnæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare peccator habet culpam, cum habet desperantiam, quia suum peccatum est magnum? Solutio ibidem. Domina nostra potest negare alicui peccatori, qui ipsam cum contritione rogat & amore? Solutio ibidem. Cum tot & tanta sint peccata, & virtutes sint paucæ in hominibus, & Deus sit iustus, quomodo sustinere potest in mundo tot malos homines? Solutio. Naturaliter quælibet mater pietatem habet de passione Filij sui.

De Quæstionibus qualitatis arboris Iesu Christi.

DEus potest acquirere virtutes morales? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iesus Christus quare promisit se vendi, ligari, verberari, & Crucifigi? Solutio ibidem. Iesus Christus quare mulierem & pueros siue filios non habuit? Solutio ibidem. Iesus Christus quare erat pauper? Solutio ibidem.

De Quæstionibus qualitatis arboris Diuinalis.

QValitates Dei quare non sunt accidentales? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus diligit Martinum, quando bonus est, & non diligit eũ, quando malus est, eius amare quare non est accidentale? Solutio. Si cera esset regula, ita benè ignis ipsã desiccaret sicut vitrum & carbonẽ desiccat. Cum Deus bonus sit per bonitatẽ, & magnus per magnitudinẽ, quomodo potest ipse esse sua bonitas? Solutio. Si Deus non esset sua bonitas, non sufficeret infinita magnitudo naturæ neque bonitati, & foret finita: & idem est de sua potestate infinita, & hoc esset malum & vitiosum. Pater generat Filium, & quia Pater & Filius distinctæ sunt personæ, & Pater generat Filium de sua bonitate, quare bonitas Patris & Filij non sunt duæ bonitates: & idem est de aliis rationibus? Solutio. Rationes & natura sunt vnum idem numero, vt natura non sit bona & magna accidentaliter: & quia Pater filium generat de sua natura, & de sua bonitate, infinitate, & æternitate, est Pater vnus, & alius filius per generationem, & bonitas & natura amborum, vnum sunt per infinitatem & æternitatem.

De Quæstionibus qualitatis arboris exemplificalis.

POmum quod est in pomerio, quare appetitum habet descendendi in terram? Solutio. Vade ad exemplum antedictum. Cerasum quod sus co-

medebat, quare plorabat & ridebat? Solutio. Quodlibet suppositum plorat, inquantum suum numerum perdit: & ridet, inquantum speciem suam multiplicat. Quare plantæ maximè colorem habent viridem? Solutio. Quia confusio est materia priuationis aut generationis, & color viridis est magis confusus, quam alius, est color viridis magis generalis plantis, quam alius color. Quare plantæ folia cadere permittunt? Solutio. Ita habet folium appetitum multiplicandi suam speciem, sicut fructus. Et vade ad exemplum virtutis.

De Quæstionibus relationis arboris elementalis.

Relatio in quot species consistit? Solutio? Vade ad rubricã antedictam. In igne simplici quomodo est relatio? Solutio. Substantia ignis est ex forma & ex materia, quæ se habent relatiuè per actionem & passionem: & transit in tertium numerum substantialiter generando ex igne simplici ignem compositum cum cæteris elementis coniunctum. Relatio quid est: Solutio. Relatio est respectus principiorum, quorum alia sine aliis esse non possunt. Relatio est maior per concordantiam, quam per contrarietatem? Solutio. Relatio est maior per concordantiam in generatione, & per contrarietatem in corruptione.

De quæstionibus relationis arboris vegetalis.

Relatio pomi, & relatio elementorum quomodo aggregantur in pomo? Solutio. Ignis (idem est de cæteris elementis) se habet ad calefaciendum, & pomerium ad pomificandum. Idcirco ambæ relationes in pomo aggregantur, & eorum extremitates, ex quibus vna relatio communis est composita. Relatio pomi priusquam erat, vbi stabat? Solutio. In pomerio est pomum potentialiter per generationem: & illa potentia sustentatur in vegetatione inserta in elemẽtatione. In pomo quis considerat extremitates relationis secundum cursum naturalem? Solutio. In radicibus pomerij sunt instinctus & appetitus naturales, qui opera pomerij comprehendunt secundum naturas eorum. Cum pomum sit putridum, quo vadit sua relatio numeralis? Solutio. Numerus pomi deuenit in priuationem: & ex essentia sua nutrimentum & virtutem accipiunt aliæ relationes, quæ in illo erunt in potentia.

De quæstionibus relationis arboris sensualis.

Cum homo pomum dulce comedit, in quo amaritudinem sentit, quomodo est relatio inter gustatiuum & gustabile? Solutio. Inter gustatiuum & gustabile est duplex relatio, & est in gustare triplex, per sentire in corruptione gustantis & gustabilis. Stat relatio in oculis inter visitiuum & visibile, aut inter oculos & colorem parietis? Solutio. Relatio quæ est intra, est ex visitiuo & visibili, quorum oculi sunt instrumenta & organa, & visibilitas parietis est similitudo, quam visitiuum intra accipit in visibilitate intra. Idcirco relatio intra attingit extra suã similitudinem. Visitiuum & visibile se habent relatiuè in videndo, & auditum & audibile in audiendo: & sic de aliis sensibus: quoniam quilibet suã propriam habet relationem: quare ergo dicitur, quod homo videt & audit?

Solu

Solutio. Videre eſt propria qualitas oculorum, & oculi ſunt ita hominibus appropriati: ſicut pars ſuo toti,& inſtrumentum agenti. Martinus qui eſt pater Guillelmi,cum eſt mortuus, vbi eſt illa relatio? Solutio. Solus intellectus facit relationem inter Martinum & Guillelmum exterius, & cum Martinus Guillelmum generabat, ſtabat relatio intra naturaliter.

De quæſtionibus relationis arboris imaginalis.

IMaginatio quomodo accipit relationem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginatio cum quo ſenſu habet cum relatione maiorem concordantiam? Solutio. Nulla relatio eſt ita palpabilis imaginatiuè: ſicut relatio patris & filij, quæ accepta eſt per videre. Imaginatio habet aliquam entitatem relationis? Solutio. Nulla forma eſt ſine actione, nec vlla materia ſine paſſione. Imaginatio poteſt de colore trahere relationem? Solutio. In magna intenſitate albedinis ſubſtantiæ albæ,conſiderari poteſt magna intenſitas nigredinis, & parua intenſitas albedinis.

De quæſtionibus relationis arboris humanalis.

RElatio qualis eſt, quæ in homine eſt magis naturalis? Solutio. Nulla relatio eſt ita homini naturalis, ſicut ipſa per quam ipſa eſt diffinibilis, videlicet relatio bonificatiui, bonificabilis, & bonificare.Quare homo eſt magis diffinibilis per relationem, quam per aliquod aliud accidens? Solutio. Nullum accidens accipit ita fortiter partes neceſſarias in ſubſtantia,ſicut facit relatio. In relatione bonificationis conſiſtit relatio animæ & corporis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In anima rationali conſiſtit relatio? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus relationis virtutum arboris moralis.

RElatio quomodo conſiſtit in virtute morali?Solutio Vade ad rubricam antedictam. Habitus virtutis conſiſtit relatio,cum homo vtitur virtute? Solutio. In habitu virtutis eſt actio relationis in potentia, & cum homo vtitur virtute, habet forma ſuum obiectum in actu. Et vade ad rubri. virtutis. Relatio in virtute morali habet aliquam entitatem? Solutio. Sine aliqua entitate nulla ſimilitudo eſſe poteſt. Eſt relatio inter vnam virtutem & aliam? Solutio. Sine concordantia virtutum, nulla virtus poſſet eſſe contra vitium.

De quæſtionibus relationis vitiorum arboris moralis.

IN habitu vitioſo relatio quomodo conſiſtit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Relatio vitij quomodo incipit?Solutiò ibidem. Inter gulam & luxuriam, relatio quomodo eſt aſſituata? Solutio. Per abundantiam arboris elementalis,vegetalis,ſenſualis & imaginalis, anima rationalis tentatur gula & luxuria, quam quidem tentationem facit aſſituatio gulæ & luxuriæ obluiſcẽdo caſtitatem & temperantiam. Cum ita ſit motus ſubitaneus,poteſt relatio in illa habere aliquam aſſituationem? Solutio Nulla ita eſt ſine triſtitia & paſſione agentis.

De Quæstionibus relationis arboris Imperialis.

INstrumentum quod fit supra emptionem & venditionem quomodo debet esse conditionatum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare seruus in testimonium Domini sui non admittitur? Solutio. Relatio Domini & seruitutis non est causa æquali iudicio. Iudex vidit Martinum occidere Petrum, coram quo Iudice Martinus non est accusatus, sed Guillelmus accusatur & à Iudice punitur, quare Iudex Guillelmum punit, & non Martinum? Solutio. In iudicio Iudex non est per relationem suorum oculorum, sed per relationem suarum curiam. Scientia iuris ciuilis quomodo posset applicari sub breuibus principiis, & generalibus per illa iudicata? Solutio. Vade ad folia arboris imperialis, & habeas cognitionem de substantiis naturalibus per hunc librum, & idem est de accidentibus substantiarum naturalium & moralium, & inquiras per illa secundum doctrinam, quam damus in soluendo quæstiones per relationes, & per alia accidentia.

De Quæstionibus relationis arboris Apostolicalis.

IN summa Trinitate quomodo est relatio substantialis absque aliquo accidente? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Relatio diuinarum personarũ est de proprietatibus, aut est de essentia? Solutio. In diuina voluntate est relatio communis, sicut voluntas quæ communis est per essentiam, & in amante, amabili, & amare, ita est relatio sustentata in proprietatibus personalibus, sicut voluntas: & hoc requirit æternitas, vt relatio non sit accidentalis. Relatio posset esse inter Patrem & Filium sine Spiritu sancto? Solutio. Nulla relatio potest esse perfecta, sine singulari proprietate & communi. Spiritus sanctus Patrem diligit, est ergo relatio inter Patrem & Spiritum sanctum per naturam amoris, & idem est de Spiritu sancto qui diligit Filium & etiam seipsum. Et ideo quæro, vtrum in hoc amare, quod habet Spiritus sanctus, sit relatio singularis & communis, de qua sequitur productio personæ? Solutio. In amare Spiritus sancti est relatio amatiua, quæ est propria & singularis proprietas Spiritus sancti, scilicet sua persona actiua in amare, & passibilitas suæ amabilitatis est cum amatiuitate vna eadem persona per essentiam, & communis relatio quæ est de amabilitate Patris & Filij, est ita spiritui sancto quies, licet personam non producat: sicut Patri & Filio est quies communis relatio in producendo Spiritum sanctum. Et in hoc passu multũ est de Theologia.

De Quæstionibus relationis arboris cælestialis.

RElatio quomodo est in sole? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Relatio quomodo est intra Arietem, Taurũ, & Gemini? Solutio. Aries est calidus, Gemini similiter, & Aries actiuè, & Gemini passiuè: & relatio eorum est in concordantia per dualitatem, & relatio quæ est triplex, est per contrarietatem Tauri, qui cum Ariete habet concordantiam per siccitatem, & cum Gemini habet contrarietatem per frigiditatem, & siccitatem: idcirco Gemini non est ita fortis in Ioue, sicut Taurus in Saturno. Quomodo est relatio inter Martem & Solem, qui sunt de complexione ignis? Solu-

Solutio. Mars accipit calorem de Ioue, & illum dat ſoli, & Sol dat illum Veneri, qui eſt de complexione de Ioue: idcirco eorum relatio eſt in concordantia. Et hoc idem eſt de relatione quam habent per contrarietatem contra Iouem & Venerē, in quantum ſunt contra humiditatem cum eorum ſiccitate, in qua habent concordantiam. Aries & Libra quomodo relatiuè ſe habent? Solutio. Aries & Libra relatiuè ſe habent per primam horam diei & noctis. Veruntamen Raymundus dixit, quod contentus non erat de poſitionibus antiquorum, qui attribuerunt complexionem aëris Libræ, cum Aries ſit in Vere in cōplexione ignis: cum ita ſit, quod propria hora diei ſit de complexione aëris, & propria hora noctis ſit de complexione terræ.

De Quæſtionibus relationis arboris Angelicalis.

QVomodo eſt in Angelis relatio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Eſt in Angelo relatio angelificatiui, angelificabilis, & angelificare? Solutio. Quia nullus Angelus eſt ex alio Angelo, ſed de ſeipſo, non poteſt in Angelo, eſſe relatio antedicta. Relatio æqualitatis quæ eſt inter vnum Angelum & alium, dicit aliquam entitatem poſitiuam, aut tantummodo eſt intentionalis? Solutio. Nulla relatio realis eſt extra ſubſtantiam. Relatio quam ſanctus Michaël habet in ſua voluntate, amantis, & amabilis, amando ſemetipſum, de quo eſt? Solutio. Inter alia principia ſubſtantiæ ſancti Michaëlis eſt relatio vnum principium, quod ponit cum differentia in voluntate potentiam, obiectum, & actum, quæ ſunt de eius eſſentia. Et in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia.

De Quæſtionibus relationis arboris Æuiternalis.

IN æuiternitate quomodo eſt relatio? Solutio. Vade ad rubricā antedictā. Corpus beatificatorum quomodo erit ſubiectum relationis calefactiui & calefactibilis igne exiſtente calefactiuo & aqua calefactibili? Solutio. In capite æuiternitatis relationes ſunt in quiete, vt in cauda durare poſſint. Corpora damnatorum in inferno quomodo ſunt incorruptibilia, relationibus eorum in contrariis ſubiectis exiſtentibus? Solutio. In carcere iuſtitiæ ſunt conſummabilitates damnatorum incarceratæ. Amatiuitas de Lucifero habet proprium amabile? Solutio. Si Lucifer proprium amabile haberet, quod peruerſum non eſſet in odibilitatem, pœnam non haberet.

De Quæſtionibus relationis arboris maternalis.

QVæ eſt maior relatio, quam Deus creauit inter duas perſonas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quomodo Deus creare potuit maiorē relationem filij & matris? Solutio ibidem. Sine incarnatione Deus poſſet creare relationem in ita magna maioritate amoris, quod ipſa maiorem creare non poſſet? Solutio ibidem. Quæ eſt maior relatio, quæ poſſit eſſe inter miſericordiam & peccatorem? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus relationis arboris Ieſu Chriſti.

QVæ eſt illa maior relatio, quæ eſt inter Deum & creaturam? Solutio.

lutio. Vade ad rubricam antedictam. Est vera ista prædicatio, Deus mortuus fuit? Solutio. Prædicatio est vera secundum relationem mortis humanæ, Deo existente illo homine, qui mortuus fuit. Est vera ista prædicatio, Deus naturam humanam assumpsit, & non hominem? Solutio. Prædicatio est vera, quia de natura humana fecit Deus hominem in seipso. In Iesu Christo facit Deus se de humanitate hominem, aut humanitas facit Deum hominem? Solutio. In incarnatione non est relatio homificatiui & homificabilis, qui sunt tantummodo de natura humana, quod si esset, sequeretur, quod homo se deificaret, & Deum hominem faceret.

De Quæstionibus relationis arboris Diuinalis.

QVomodo per relationes dignitatum diuinarum oporteat esse productionem personarum in diuina essentia? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus in quantum intelligit seipsum Patrem producit Filium, & in quantum amat Filium, spirat Spiritum sanctum, & in quantum intelligit seipsum Deum, non producit seipsum: quæro ergo, per quam naturam per vnum intelligere est productio, & per illudmet intelligere non est productio, cum ita sit, quod in Deo non sit nisi vnum intelligere? Solutio. Ignis cum vno eodem calore diuersas facit operationes, oportet ergo quod vnum sit calefacere in communitate, & quod ex ipso plura sequantur calefacta, quia operationes sunt plures. Et vade ad rubricam antedictam. Filius & Pater relatiuè se habent, & Filius intelligit seipsum, & non producit Patrem, & Patrem intelligit seipsum, & producit Filiū: quæro ergo, cū in hac relatione sit æquale intelligere Patris & Filij, quomodo per vnum intelligere sequitur productio, & per aliud non? Solutio. In diuina relatione est ita nobilis quies, sicut productio. Et vade ad rubricam virtutis. Diuina relatio quomodo potest esse actiua & passiua absque natura accidentis? Solutio. Pater se Deum Patrem intelligit, & ideo intelligit Filium Deum, & Pater est actiuus, & Filius passiuus in intelligere: & quia in intelligere Deus est intellectus, illa relatio non potest esse accidentalis: quoniam si esset accidentalis, non esset per illud intelligere Deus intellectus, cum ita sit, quod in Deo non possit esse accidens, & ad hoc concurrunt omnes dignitates diuinæ. Et vade ad rubricam vt supra.

De Quæstionibus relationis arboris exemplificalis sensualis.

QVare sunt tot homines peccatores? Solutio. Deum tantum decet honor, & quilibet homo ipsum vult habere. Magna bonitas vbi inuenitur? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Qualis est maior labor, qui sit in hoc mundo? Solutio. Nullus labor in hoc mundo est maior quā conseruare honorem. Et vade ad rubricam antedictam. Qualis sensus requirit maiorem honorem? Solutio. Affatus & auditus famam procurant, quam homines plusquam aliud desiderant.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris elementalis.

ACtio & passio elementorum vbi incipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Est aliqua actio & passio

passio substantialis ? Solutio ibidem. Quomodo actio exit & diriuatur de actione,& passio de passione ? Solutio ibidem. Forma ignis potest habere actionem in sua propria materia,quamuis ignis compositus non sit cum alio elemento ? Solutio. Fusile molendini lignum in quo mouetur,combureret, si aqua illud non infrigidaret.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris vegetalis.

QVomodo in pomo sunt actiones & passiones potentiæ elementatiuæ, & vegetatiuæ coniunctæ? Solutio. In lampade calor ignis mouet calorem olei:qui mouet materiam olei flamma ignis. Vegetatiua mouet elementatiuam in pomo aut è conuerso ? Solutio. Fines substantiarum mouent principia & media, vt ipsæ sint, & principia & media mouent partes,per quas fines sunt,& sunt hoc quod sunt. In pomo actiones & passiones sunt accidentales aut substantiales ? Solutio. Primariæ actiones & passiones sunt substantiales, in quibus accidétales sustentantur, ipsis existentibus instrumentis substantialium. In pomo accidens quomodo potest habere actionem & passionem ? Solutio. Martellus qui mouet clauum, est substantia, & in quantum motus est per manum, est eius motus passiuus, & in quantum mouet clauum, est actiuus.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris sensualis.

IN substantia sensata quomodo sunt actiones & passiones aggregatæ ex tribus arboribus ? Solutio. Vade ad folia antedicta arboris sensualis. Homo qui placitum sentit in comedendo aut in bibendo, & sic de cæteris sensibus, est ipse agens in sentire aut patiens? Solutio. Totum mouet suas partes actiuas in suis passiuis, & ideo per vnum modum est agens, & per alium patiens.Homo qui sentit dolorem,sensus ille est per elementatiuam aut per vegetatiuam, aut per sensitiuam ? Solutio.Elementatiua & vegetatiua tangunt sensitiuam, & sensitiua sentit tactum illarum. Obiectum mouet potentiam, aut potentia obiectum ? Solutio. In actu qui est inter potentiam & obiectum, obuiant sibi simul actio & passio, & actio venit ex parte potentiæ, & passio ex parte obiecti, & secundum quod potentia placitum inuenit in similitudine obiecti, suum motum multiplicat.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris imaginalis.

IMaginatiua quomodo accipit similitudines reales actionum & passionum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginatiua quomodo est actiua in mouendo sensitiuam ad sentiendum? Solutio. Imaginatiua imaginando visibilitatem, imaginatur pulchritudinem fœminæ,& tunc visitiuitatem tangit, cum qua participat, & visitiuitas suam propriam tangit visibilitatem,& ipsam mouet ad similitudinem visibilitatis extra repræsentatæ per imaginatiuam : idcirco imaginatiua est agens, in quantum repræsentat visibilitatem & pulchritudinem,& visitiuitas est actiua, in quantum se mouet ad visibilitatem extra, & in illo motu mouet sensum tactus, cum quo participat Et in hoc passu cognoscitur quomodo vna forma mouet aliam, & quomodo passiones extra sunt materia

motibus qui sunt intra. Cum imaginatiua similitudinem accipit ab obiecto, imprimit obiectum illam similitudinem in illa, aut imaginatiua imprimit illam similitudinem in seipsa? Solutio. Amicus qui multum suum amatum diligit, bonitatem considerat amati sui, & ex similitudine illius bonitatis suum induit amare, quod habet passionem, in quantum est ex illa similitudine, & actionem habet, in quãtum est actus motus per amicum. Imaginatiua per quem sensum est magis actiua & passiua? Solutio. Quia imaginatiua primo accipit per videre, est magis fortis per visum, qui sibi dat magis palpabiliter similitudines obiectorum, quam aliquis alius sensus; & ideò magis est eius operatio per figuram in circulo, quadrangulo, aut triangulo extensam.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris humanalis.

IN homine quomodo sunt actiones & passiones? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginatiua sub qua potentia animæ rationalis est magis passiua? Solutio. Potentia intellectiua primo informat passionem imaginatiuæ, & ideo imaginatiua magis est obediens intellectiuæ, quam memoratiuæ vel volitiuæ secundum modum inquisitionis & multiplicationis specierum, & eius quies magis est in memoratiua, & suus labor in volitiua. Quæ potentia est magis actiua in sensitiua, aut memoratiua, aut intellectiua, aut volitiua? Solutio. Per audire memoratiua est magis actiua in sensitiua, & per videre & affari intellectiua, & per gustare, & per odorare, & tangere volitiua. In memoratiua quæ est magis actiua, aut intellectiua aut volitiua? Solutio. Intellectiua per seipsam species ponit in memoratiua, & cum licentia volitiuæ ipsas trahit.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris moralis virtuosæ.

ACtio & passio quomodo sunt in moralibus virtutibus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In virtute morali potest esse actio sine passione? Solutio ibidem. Quæ est magis actiua virtus, aut prudentia, aut iustitia? Solutio. Prudentia materiam præparat, & iustitia ex ipsa operatur. Fortitudo est maior virtus per passionem, quam per actionem? Solutio. Passio fortitudinis fortior est per charitatem & spem, & sua actio per fidem, iustitiam, prudentiam & temperantiam.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris moralis vitiosæ.

SVnt actio & passio in vitiis & peccatis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ira sub qua potentia animæ est magis actiua & passiua? Solutio ibidem. In quo vitio plus est de actione? Solutio. Nullum vitium stare vult ita altè, sicut superbia. Quod vitium dat maiorem laborem? Solutio. Nemo dormit ita parum, sicut homo auarus.

De quæstionibus actionis & passionis arboris imperialis.

IN iure quomodo sunt actio & passio assituatę? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In medio loco horti vnius rustici qui est iuxta castrũ, oritur quidam fons, & communis fons castri est multum à castro remotus,

quæri

quæritur ergo vtrum ille fons qui est prope castrum debeat esse communis, aut non? Solutio. Vtilitas communis est actiua, & specialis passiua. Duo rustici vnum habent asinum, & vnus rusticus vult ire cum illo asino ad forum ad emendum bladum, alius vero rusticus vult, quod asinus vadat ad forum, quia vult vendere suam partem, & emere bladum, modo quæritur, vtrū asinus tantum stare debeat in foro quousque rusticus partē suam vendiderit, aut quousque alius rusticus bladum emptum in foro duxerit ad suam domum super asinum? Solutio. Illa actio est maior quæ passionem habet magis prope & magis determinate. Quædam Domina & suus maritus vnum habent captiuum æqualiter, & maritus est zelopitus de illo captiuo & de Domina vxore sua, Domina existente bona & casta, maritus vero vult vendere suam partem cuidam homini, veruntamen vxor suā partē vēdere nō vult, vt ipsa melius in sua domo de sua parte seruitium possit accipere, Domina allegāte, quod vnus sine voluntate alterius partem suam vendere non potest. Ideo quæritur vtrum maritus suam partem vendere possit aut non, postquam est Zelotipus de sua vxore & captiuo? Solutio. Quia opinio nō est certa, actionem non habet ad destruendum conditionem & promissionem.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris Apostolicalis.

QVomodo possunt esse in summa Trinitate actio & passio, & quod non sint accidentia? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quidam Abbas vult gallinas comedere in infirmitorio, & facit præceptum cuidam Monacho, qui matutinas dicit in choro cum aliis Monachis, quod vadat ad præparandum illas gallinas, modo quæritur, vtrum Monachus debeat esse obediēs Abbati? Solutio. Nulla relatiua sine magna necessitate habet passionem. Quidam Abbas timorē habet de toxica, & præceptum facit cuidam Monacho, quod sibi afferat scutellam, & quod comedat primo de illo cibo, sed Monachus qui scutellam de coco accipit, nescit vtrum in scutella sit toxica, aut non, modo quæritur, vtrum Monachus debeat esse obediens Abbati in illo casu? Solutio. De nulla re incerta debet fieri promissio. Quidam Prior denarios habet pro suo patrimonio, & habet vnam sororem, quæ maritari non potest, si ipse illi non dat illos denarios, Abbas vero & conuentus magnam habent necessitatem de illis danariis, quia conuentus est in magno debito. Modo quæritur, vtrum Prior conscientiam habere debeat ad dandum denarios ad maritādum sororem suam, aut ad necessitatem sui conuentus? Solutio. Qui se seruituti obligat, omnibus suis bonis dat passionem.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris cœlestialis.

QVis planeta est magis passiuus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare sol habet magis virtutem actiuam, quam alij planetæ? Solutio. Virtus quæ est in medio, est magis intensa, quam virtus, quæ est in extremis. Quare luna maiorem dat experientiam de suis proprietatibus, quam aliquis alius planeta? Solutio. Vade ad rubr. virtutis. Cū sol corporaliter non participet cū igne per contra-

ctum, nec suę qualitates proprium subiectum dimittunt, quomodo ignis habet per solem passionem, & sol in ipso actionem? Solutio. Quia materia quintæ essentiæ & quartæ substãtiarum mundi participant in vna generali bonificabilitate, habet bonificatiuitas solis actionem in bonificabilitate ignis. Et vade ad rubricã, vt supra.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris Angelicalis.

IN Angelo actio & passio quomodo sunt assituatæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum sanctus Michaël oculos non habeat, quomodo habet actionem in attingendo colorē Martini? Solutio. Sicut sanctus miracula facit supra cursum naturalem propter sanctitatem, ita Angelus propter magnitudinem magnæ intellectiuitatis attingit coloratum supra cursum visibilitatis. In substantia sancti Michaëlis & in suis rationibus sunt æquales actio & passio? Solutio. Secundum cursum naturalem sanctus Michaël postquam fuit beatificatus & confirmatus, tota sua virtus est in actu. Boni angeli quomodo habent actionem in malis Angelis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris æuiternalis.

IN æuiternitate actio & passio quomodo sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ignis habet actionem in anima Machometi? Solutio. Nulla substantia corporalis substantiam spiritualem secundum cursum naturalem tangit, veruntamen secundum opinionem sanctorum ignis dat passionem animabus supra cursum naturalem. Cum dęmon sit substantia spiritualis, quomodo actionem habet in corporibus damnatorum? Solutio. In hominibus dæmoniacis dæmon accipit similitudinem alicuius complexionis illius corporis, cum qua ipsum tormētat. Vnus dæmon dat passionem alteri dæmoni? Solutio. De omni mala participatione sequitur passio.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris maternalis.

DOmina nostra quomodo actionem habet supra dæmones? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Domina nostra quomodo habet actionem in suo filio: qui est Dominus creaturarum? Solutio ibidem. Peccatores quomodo habent actionem in Domina nostra? Solutio. Spes quam peccator habet in Domina nostra Dominam nostram obligat ad habendum pietatem. Domina nostra habet passionem, quia filius suus ita parũ appreciatur in mundo, cognoscitur, & amatur? Solutio. Domina nostra passionem nõ habet per suum filium, qui ita est gloria exaltatus & in bonitate, quod de nullo hic inferius indiget, veruntamen passionem habet de peccatoribus cum pietate, qui in illa spem habeant.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris Iesu Christi.

IN Iesu Christo quomodo sunt actiones & passiones? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Natura diuina passionem habuit in cruce? Solutio Deus inquantum homo ita habuit in cruce passionem: sicut anima Christi inquantum homo. Et vade ad rubricam virtutis. In corpore Christi habet aqua passionem per ignem? Solutio. Passio quã aqua habet per ignem

in

in corpore Christi, ita est in quiete: sicut est passio magnitudinis in quiete, accipiendo bonitatem de bonitate. Iesus Christus habet passionem, quia lupi tantum comedunt de ouibus suis? Solutio. Iesus Christus passionem habet de ouibus suis cum charitate & pietate: & habet actionem cum iustitia, cum qua pastoribus minatur, qui bene oues non custodiunt.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris diuinalis.

QVomodo persona patris est actiua: & persona filij passiua? Solutio. Quia Deus se cognoscit ita bonum & ita magnum, & sic de cæteris rationibus, per agentiam: sicut per existentiam, est actiuitas in patre, & passibilitas in filio, vt agere, hoc est producere, sit ita magnum sicut existere. Cũ pater sit actiuus & filius passiuus, quomodo conuertitur passibilitas filij, cum actiuitate patris in vna actiuitate spiratiua? Solutio. Diligit pater filiũ, & filius patrem diligit. Idcirco generabilis passibilitas est amatiuitas in amando patrem. Spiritus sanctus qui est pura passio patris & filij, quomodo est in pura actione? Solutio. Spirabilitas ita conuertitur cum amare, Spiritu sancto amante patrem & filium: sicut generabilitas conuertitur cum amare, filio amante patrem. Spiritus sanctus est materiabilis, postquam est spirabilis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus actionis & passionis arboris exemplificalis.

QVomodo sunt homines obstinati inter actionem & passionem? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Passio quam dat contritio quomodo est bona? Solutio ibidem. Peccator quomodo peccatum suum mortificare potest. Solutio ibidem. Cum pœnæ inferni sunt ita magnæ, quare peccatores ita paruum habent timorem? Solutio ibidem.

De Quæstionibus habitus arboris elementalis.

PRimi habitus naturales quales sũt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ignis habet in habitu calorem: vbi est ergo ille habitus, dum ignis est in lapide, à quo trahitur cum ferro? Solutio. Ignis qui est in lapide compositus est, & in omni composito elementato est calefacere, quod est actus caloris: est ergo habitus ignis in lapide, & exit in aërem, cum trahitur ex lapide cum ferro. Habitus ignis simplicis vbi est? Solutio. Ignis simplex calidus est per suam naturam & suum subiectum est substantia ignis simplicis: & in illo habitu est in potentia habitus ignis compositi, qui aquam in olla calefacit. Ante habitum ignis simplicis est alius habitus caloris? Solutio. Substantia ignis simplicis est ex radicibus arboris elementalis: & sicut per genus & differentiam diuersificatæ sunt species, ita per habitum caloris diuersificata est substantia ignis ab aliis substantiis, radicibus existentibus communibus, pluribus substantiis specificatis, vni substantiæ per calorem, & alij per humiditatem: & sic de cæteris habitibus naturalibus.

De Quæstionibus habitus arboris vegetalis.

HAbitus pomi, vbi est antequam sit generatum? Solutio. Habi-

tus eſt in potentia in habitu pomerij, qui eſt communis habitus ad generandum plura poma. Ante habitum pomi,qui eſt in potentia in pomerio,eſt alius habitus,qui ſit habitus pomi ? Solutio. Habitus pomerij, qui generatus non eſt, eſt in potentia in vegeratiua, quę communem habitum habet ad plures plantas. Ante habitũ communem vegetatiuæ, eſt alius habitus, qui ſit de ſuo genere ? Solutio. Sicut olea in oleaſtro inſerta dicit ſubſtantiam poſitiuam differentem per eſſentiam à ſubſtantia oleaſtri, ita habitus communis vegetalis in vegetatiua ſuſtentatus eſt primus habitus ſuæ ſpeciei, & eſt inſertus in habitu arboris elementalis, cuius qualitates in ſuam ſpeciem producit,quia ſicut olea producit habitum oleaſtri in ſuam ſpeciem, producit arboris vegetalis calorem ignis in ſuam ſpeciẽ,& illum calorem producit in dactili & in fructu. Habitus pomi putrefacti quo vadit ? Solutio. Omnes habitus plantarum quæ corrumpuntur, deueniunt in priuationem ſecundum numerum, & materia & forma ſubſtantiarum corruptarum ad ſubſtantiam redeunt vegetalem communem, & per conſequens hoc quod pertinet ad elementa rediit ad ſubſtantiam elementalem communem, & ambæ ſubſtantiæ cõmunes ſunt vnum chaos commune confuſum, quod eſt truncus arboris vegetalis communis ad omnes plantas exiſtentes in illo, illę plantæ quæ non ſunt in potentia habitus,quarum ſunt in potentia in habitu communi, quas agens naturale producit in actu cum renouatione nouorum numerorum.

***

De Quæſtionibus habitus arboris ſenſualis.

HAbitus arboris ſenſualis qui ſunt? Solutio. Vade ad folia arboris ſenſualis. Habitus ſenſus quomodo eſt aſſituatus in habitu vegetali & elementali ? Solutio. Sicut humidum radicale aſſituatum eſt in nutrimẽtali, cõuertendo in ſuã ſpeciem illud,quod venit, ita habitus ſenſualis aſſituatus eſt in vegetali & elementali, ſenſu conuertente illud, quod ex duabus arboribus ſibi aduenit. In lacte quod puer ſugit de mamilla, eſt habitus ſenſualis ? Solutio. Habitus ſenſualis fœminæ in lacte ponit in potentia habitum ſenſualem,quem habitum puer ducit in actu, qui illud lac de mamilla matris ſugit:de quo ſuus viuit habitus radicalis.Habitus potentiæ expulſiuæ, qui eſt in embrione, ſtat in illo in potentia vel in actu ? Solutio. Habitus potentiæ expulſiuę ſtat in embrione in actu : de quo ſequitur materia, quam fœmina proijcit cum puero, quando naſcitur.

De Quæſtionibus habitus arboris imaginalis.

IMaginatiua quomodo habitus ſubſtantiarum attingit ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Depictor qui hominem in pariete depingit,illę habitus hominis depacti antequam fuit, vbi erat ? Solutio. Habitus quos imaginatiua habet in potentia, ſunt ex ſimilitudinibus aggregatis, & in habitu communi imaginationis poſitis, qui ſimilitudines nouas redire facit: ſicut plures plantæ corruptæ, quarum vegetationes ſunt poſitæ in vna vegetatione communi, quæ redire facit nouas

uas

uas plantas. Capra quæ lupum non vidit, quomodo habet in habitu timorem, quem de ipso habet, cum ipsum videt? Solutio. In capra participat arbor imaginalis cum sensuali, vegetali & elementali, in quantum substantia capræ est ex substantia quatuor arborum, & ratione instinctuum naturalium quatuor arborum excitata est imaginatio capræ ad imaginandum mortem, cum lupum videt, qui naturaliter est suus inimicus. Cum imaginatio sit habitus positiuus, cum capra moritur, quo vadit ille habitus? Solutio. Habitus numeralis imaginationis capræ Martini perditur, & essentia imaginationis ita rediit ad communem imaginationem: sicut vegetatiua capræ ad communem vegetationem, & calor capræ ad communem calorem.

De Quæstionibus habitus arboris humanalis.

Habitus arboris humanalis quales sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Faber quomodo habet in habitu ad faciendum cultellum? Solutio. Vade ad rubricam quæ est de ferraria. Vnus faber quomodo habet in habitu ad faciendum cultellum vnum meliorem, quam alius faber? Solutio. Ille qui prima principia prius considerat, melius scit ducere illorum similitudines in suum effectum. Faber quomodo habet in habitu ad faciendum vnam figuram de ferro, quam nullo tempore vidit? Solutio. Per naturam imaginationis quæ in habitu habet chimeram compositam de similitudine hominis & piscis, hominis & bouis, & sic de aliis similitudinibus suo libito, inuenit faber figuras nouas.

De Quæstionibus ædificatoriæ.

Habitus ædificatorius quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vnus homo quare plus diligit addiscere artem ædificatoriam, quam artem fabrilem, aut è conuerso? Solutio. In quolibet homine assituati sunt habitus primarum quinque arborum, & homo qui naturaliter se plus habet ad discendum artem ædificatoriam, quam artem fabrilem, melius proportionatus est cum vegetatiua, quam homo qui plus diligit artem fabrilem, quam artem ædificatoriam, qui melius proportionatus est cum elementatiua de qua est ferrum, quam homo qui plus diligit artem ædificatoriam quam fabrilem. Quare vnus homo vult esse carpentarius & non vult esse carnifex? Solutio. Responsio huius quæstionis consistit in responsione quæstionis antedictæ. Carpentarius quomodo habet in habitu ad faciendum de ligno figuras nouas, sicut ille qui primo inuenit figuram nauis aut scutella? Solutio. Fines qui sunt necessarij ad viuendum habitus communes excitant, vt se habeant ad speciales secundum instinctus & appetitus naturales.

De Quæstionibus Sartoriæ.

Sartor quomodo incipit addiscere suam artem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sartor quomodo procedit in sua arte? Solutio ibidem. Cum actus & forfices sint de ferro, quis prius in habitu habuit acum & forfices, aut faber, aut sartor? Solutio. Vltimi fines ducunt habitus ex primis. Sartor quomodo bene discere potest artem sartoriam? Solutio. Ille bene suam artem addiscit, qui bene considerate

ſideratc ſcit primos habitus & vltimos. Et vade ad rubricam, vt ſupra.

De Quæstionibus Agriculturæ.

PRincipia agriculturæ qualia ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum nulla ars mechanica ſit ita neceſſaria ſicut agricultura, quare ruſticus eſt minus honoratus quam alter mechanicus? Solutio. Secundum curſum naturalem publica vtilitas magis eſt amabilis quam ſpecialis: idcirco ille facit contra naturam qui non facit plus honorem ruſtico quam magiſtro, qui turrem facit, aut nauem. In qua arte ſunt plures Philoſophi? Solutio. Secundum experientiam nulli homines tantum ſciunt de Philoſophia ſicut ruſtici. In artibus mechanicis quales homines maiorem habent ſpem? Solutio. Nullus mechanicus maiorem habet ſpem quam ruſticus, qui bladum ſeminat, & terram fodit.

De Quæstionibus mercimoniæ.

PRincipia mercimoniæ qualia ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Mercator quomodo poteſt eſſe ſubtilis in ſua arte? Solutio ibidem. Quare mercatores plures habent denarios quam alij homines? Solutio. Ille qui computat illud quod expendit & lucratur, & qui ſæpius cambit, plures habet denarios quam alius homo. Quare mercatores magis ſunt legales: quam alij homines? Solutio. Nullus mechanicus tantam habet neceſſitatem legalitatis ſicut mercator.

De Quæstionibus marinariæ.

PRincipia marinariæ qualia ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quis prius fuit in habitu, aut remus, aut velum? Solutio. Quia imaginatio prius imaginatur motum de vno loco in alium in terra quam in mari, & illum motum cum motu pedum imaginatur, & non cum motu venti, imaginatur ante in mari motum per ramos quam per velum, & homo qui pedem non habet, primo imaginatur crocam, ſeu baculum, in quo ſuſtentetur, vt moueri poſſit. Quis ante nauem imaginatus fuit, aut marinarius, aut mercator? Solutio. Primus marinarius diſcretus fuit mercator, qui ire per mare deſiderauit, vt denarios lucrari poſſet, quare mercimonia eſt cauſa artis marinariæ. Quare marinarij audaciores ſunt quam alij homines? Solutio Nulli homines tam ſæpè timorem habent, ſicut marinarij.

De Quæstionibus militiæ.

QVæ ſunt principia militiæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Militia fuit prius conſiderata per iudicem quam per militem? Solutio. Si miles prius militiam conſideraret quam iudex, inimicus iuſtitiæ non eſſet. Miles conſiderat ante enſem quam ſcutum? Solutio. In bello eſt enſis ad vulnerandum & occidendum, & ſcutum eſt propter timorem mortis. Vtrum miles ante enſem conſiderat quam ſagittam? Solutio. Enſis conſideratur propter audaciam, & ſagitta propter timorem.

De Quæstionibus Grammaticæ.

QVæ ſunt principia Grammaticæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vtrum Grammatica prius conſiderata ſi per Rhetoricum quam per Grammaticum? Solutio. Ita eſt

Rhetorica

Rhetorica finis Grãmaticæ: ſicut habitare eſt finis cameræ. Vtrum grammatica prius fuit conſiderata propter neceſſitatem affatus quam propter ſuam rhetoricam? Solutio. Magna pax foret in mundo ſi grammaticã Latinorum ſcirent omnes nationes. Quare grammaticus vtitur plus nomine & verbo, quam logicus? Solutio. Scientia quæ magis generalis eſt, non indiget tot in terminis ſicut alia ſcientia.

De Quæſtionibus Logicæ.

QVæ ſunt principia Logicæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vtrum rhetorica adeo eſt neceſſaria ars ſicut logica? Solutio. Per rhetoricam mouetur Princeps ad pietatem, & per logicam ad iuſtitiam. Quare logici propinquiores ſunt quod ſint fantaſtici, quam alij homines? Solutio. Nullus homo vtitur intentionibus ita frequenter ſicut logicus, nec habet ita magnũ placitũ de ſophiſmis. Vtrum logicus prius conſiderat genus quam ſpeciem, & ſpeciem quã indiuiduũ, & ſubſtãtiam ꝗ accidens? Solutio. Vltimi fines prius ſunt in natura, quam primi in intellectu ſpecutlatiuo. Et in practico ante ſunt primi quã vltimi, ſicut in arte fabrili, in qua voluntas ante deſiderat clauum quam martellum, ſed faber ante facit martellum quam clauum.

De Quæſtionibus Rhetoricæ.

PRincipia Rhetoricæ quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Rhetoricus quomodo magnam habet materiam ad inueniendum nouos modos & pulchros ad vtendum ſua ſcientia? Solutio ibidem. Quis ante artem rhetoricam conſiderat, aut imaginatio, aut aures? Solutio. Ita eſt Rhetorica per aures per primam intentionem, ſicut imaginatio per figuras ſubſtantiarum. Rhetorica eſt ita pulchra per verba humilia & pia, ſicut ꝑ vera? Solutio. Affatus ante conſiderat eſſe quam bene eſſe, & ideo Rhetoricus eſt per bene eſſe, & eius finis eſt per eſſe in quo veritas cognoſcatur, idcirco plures contingit quod Rhetorica homines, mouet ad pietatẽ, & ad charitatem cum falſis verbis.

De Quæſtionibus Arithmeticæ.

PRincipia Arithmeticæ quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Arithmeticus conſiderat ante quantitatem numerorum, quam ſubſtantiarum? Solutio. Sicut naturalis entia realia ante quam intentionalia conſiderat, & logicus intentionalia quam realia, ita arithmeticus ante cõſiderat ſimilitudines numerorum realium, quam quantitates illorum: geometricus vero contrarium facit. Arithmeticus conſiderat ante numerum duorum, quam vnius? Solutio. Geometricus ante continuam quantitatem quam diſcretam conſiderat, & arithmeticus facit in contrarium. Quare arithmeticus magis habet certas menſuras, quam geometricus? Solutio. Diuiſio quantitatis continuæ eſt multum plus difficilis, quam diuiſio quantitatis diſcretæ.

De Quæſtionibus Geometriæ.

PRincipia Geometriæ quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare geometricus ante lineam diametralem conſiderat, quam triangularem? Solutio. Figura circularis ita cito diuiſibilis non eſt in æqua-

libus partibus ſicut figura triangularis. Quare Geometricus primo multiplicat duo ex vno, & quatuor ex duobus, & octo ex quatuor, quam tria ex vno & ſex ex tribus, & duodecim ex ſex ? Solutio. Illas mẽnſuras quæ citius multiplicant numerum, Geometricus primo conſiderat, cum ita ſit, quod quantitas continua ante ſit diuiſibilis in diſcretam per numerum dualem, quam ternalem. Idcirco Geometri dicunt, quod numerus dualis eſt ita multiplicatio ſuarum menſurarum in duplicãdo, ſicut in arte arithmeticæ vnius in numerando vnum poſt alium. Marinarij quomodo mẽſurãt miliaria in mari? Sol. Marinarij cõſiderãt quatuor vẽtos generales, videlicet vẽtũ oriẽtalẽ, occidentalẽ, meridionalem, & ventum ſeptemtrionalem, ſimiliter alios quatuor ventos qui ex primis exeunt, conſiderant, videlicet grec, exaloch, lebig, & maeſtre, & centum circulos conſiderant in quo venti angulos faciunt, deinde conſiderant per vẽtũ orientalem nauem euntem centum miliaria à centro quot ſunt miliaria vſque ad ventum de exaloch, & miliaria duplicant vſque ad ducenta miliaria, & cognoſcunt quod miliaria ſunt multiplicata, quæ ſunt ducenta à vento orientali, vſque ad ventum de exaloch per multiplicationem miliarium, quæ ſunt de termino centenario orientis vſque ad terminum de exaloch. Et ad hoc inſtrumentum habent chartam, compaſſum, acum, & ſtellam maris.

De Quæſtionibus Muſicæ.

PRincipia Muſicæ quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Muſicus conſiderat ante accentus litterarum vocalium, quam conſonantium, tunc cum artem muſicæ inuenit ? Solutio. Ars muſicæ ſimilitudo ſoni & vocis de arbore elementali egreſſa, in qua ſe habet primo ſecundũ naturam ad ſua accidentia quam ad accidentia, aliarum arborum. Muſicus in qua litera vocali primo incipit ad conſiderandum artem muſicæ? Solutio. Nullus accentus ita communis eſt, nec ita leuis, ſicut accentus de a. Et ideo pueri antę incipiunt in accidentibus de a. quàm in accidentibus aliarum litterarum, & idem faciũt homines cum moriuntur, qui plus plangunt per a. quã per alias litteras. Quare fœminæ plus vtuntur accidentibus de i. quam de a? Solutio. Quia fœminæ nodum in gutture non habent ſicut homines, vocem magis ſubtilem habent quam homines.

De Quæſtionibus Aſtronomiæ.

PRincipia Aſtronomiæ quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Aſtronomus conſiderat ante in ſole habitum caloris quam lucis? Solutio. Nullus habitus appropriatus eſt ita conſiderabilis ſicut habitus proprius. Aſtronomus quomodo facit iudicium? Solutio. Aſtronomus conſiderat reſpectum, quem vnum ſignũ habet cum alio, & quem habet cum vna planeta per reſpectum lineæ diametricæ, & facit iudicium de hominibus qui naſcuntur in illa linea, aut qui in illa faciunt, petitiones quos iudicat ſecundum conditiones ſigni & planetæ. Et valde ad rubricam virtutis. Quare ſcientia aſtronomiæ magis incerta eſt quam alia? Solutio. De nulla ſcientia eſt ita grauis experientia ſicut de aſtronomia, nec aliqua ſcientia eſt ita poſitiua ſicut illa.

De

De Quæstionibus Iuris.

PRincipia iuris quæ sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iurista scientiam positiuam iuris quomodo potest ducere ad necessarias ostensiones? Solutio. Per processum huius libri potest Iurista veritatem inuenire & probare de illis rebus quæ ad scientiam iuris pertinent. Quare. Iurista plus vtitur habitu memoriæ quam habitu intellectus, cum ita sit, quod Iurista maiorem habet concordantiam cum intellectu, quam cum memoria? Solu. Iuristæ plus vtuntur habitu memoriæ, quā intellectus, qa antiqui sciētiā Iuris super habitū memoriæ fundauerūt. Idcirco est sciētia cōfusa & prolixa, & est de particularibus, ratione cuius cōfusionis durāt lites ita diu, & quidā Iuristæ sunt cōtra alios in diuersis opinionibus. Quidā fecit testamētū, & dixit quod si vxor sua quæ prægnās erat filium haberet, quod tres partes omnium bonornm suorum haberet, & eius vxor quartam partem, & si filiam haberet volebat testator quod eius vxor tres partes omnium bonorū suorum haberet, & sua filia quartam partem. Mortuus est testator, & vxor filium & filiam habuit, modo quæritur quot partes de bonis mariti vxor habere debet? Solutio. Inter maioritatem & minoritatem stat æqualitas, & illud quod non est in maioritate neque in minoritate, neque in æqualitate non est aliquid, mulier est maior in bonis sui mariti per suam filiam & minor per suum filiū: oportet ergo quod in bonis sit æqualis postquam est in illis inter maioritatē & minoritatem, oportet ergo de bonis mariti fieri octo partes æquales de quibus mulier vxor testatoris habere debet tres partes ratione filiæ suæ, & vnā partē ratione filij sui, & filius habere debet tres partes, & filia vnā, & sic cōpleta est voluntas testatoris. Multū placuit heremitæ solutio quam Ray. fecit & dixit, q̄ sicut Ray. illā soluit quæstionē cum principiis suæ artis quæ sūt maioritas, minoritas, & æqualitas possent alię quęstiones iuris per naturales rationes iuris determinari, sequēdo processum illius artis & huius scientiæ.

De Quæstionibus Medicinæ.

QVomodo sunt principia medicinæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictā. Quare plures homines per medicos moriūtur, quā curātur? Solu. ibidē. Quomodo principia medicinæ possent duci ad principia generalia? Solut. Principia medicinæ ad principia generalia possēt duci secūdū hūc modū, ignis est in pipere in quarto gradu caloris, & terra in tertio siccitatis, & aër in secūdo humiditatis, & aqua in primo. Et in cinamomo ignis est in tertio gradu caloris, terra in secūdo siccitatis, & aër in primo, & aqua est ingradata, videlicet factis quatuor partibus de vno gradu aqua in cinamomo non habet nisi tres partes, & in fœniculo ignis est in secundo gradu caloris, & terra in primo siccitatis, & aër habet in ipso tres partes humiditatis, & aqua habet duas partes frigiditatis, & in anisio est ignis in primo gradu caloris, & terra habet in ipso tres partes siccitatis, & aër habet duas humiditatis, & & aqua habet vnam partem frigiditatis. Est ergo ignis gradatus in planetis, quæ de sua sunt complexione quatuor modis, & idem est de aëre, aqua, & terra, sicut aqua quæ in canphora est in quarto gradu frigiditatis & aër in tertio gradu humiditatis, & terra in secūdo siccitatis, & ignis in primo gradu caloris, & sic suo modo de aliis

elementis. Cum quodlibet elementum quatuor habeat genera graduum in plantis, vt supra significatum est, possunt medici & ordinare & facere, sexdecim electuaria generalia, sicut ex plantis quæ sunt de complexione ignis, ex quibus fieri possunt quatuor electuaria generalia contra complexionem aquæ per frigiditatem & humiditaté: sicut vnum electuariũ quod sit in quarto gradu caloris, secũdum quod est piper & aliud electuarium in tertio gradu caloris, secundũ quod cynamomum graduatum est: & aliud in secundo gradu caloris, sicut fœniculus est graduatus, & aliud in vno gradu caloris, secundum quod anisium est graduatum. Ordinatis ita quatuor electuariis antedictis de complexione ignis possent medici quatuor facere electuaria de complexione aëris, & quatuor de complexione aquæ, & quatuor de complexione terræ: & sic medici habere possũt sexdecim electuaria, generalia ad curandum infirmitates, quæ sunt per quatuor qualitates generales, ita quod si infirmitas Martini est per febrem, quæ sit in quarto gradu caloris, medicus dare debet contra calorem illud electuarium, quod sit de complexione aquæ in quarto gradu frigiditatis, & illum gradum frigiditatis iuuare debet cum secundo gradu humiditatis aëris, & cum primo gradu siccitatis terræ. Et si infirmitas sit in tertio gradu caloris, ipsam curare debet cum quarto gradu frigiditatis. Et si sit in secundo gradu caloris medicus illam curare debet cum tertio gradu frigiditatis. Et si infirmitas sit in primo gradu caloris, illam curare debet cum secundo gradu frigiditatis. Et è conuerso, si infirmitas sit in quarto gradu frigiditatis, aut in tertio, aut in secundo, aut in primo medicus debet esse contra illam infirmitatem cum quatuor electuariis, quæ sunt de complexione ignis, & hoc de gradu in gradum, vt dictum est. Et idem sequitur, si infirmitas sit ratione complexionis aëris aut terræ, quod si infirmitas sit interpolata, videlicet per æquales complexiones, veluti si sit per ignem & per aërem, medici miscere debent electuaria, quæ sint de complexione aquæ & terræ, & illa gradare contra infirmitatem secundũ ordinem supradictum. Et hæc est vna species & vna regula, secundum quam medici ordinare possunt medicinam ad principia generalia. Medici quomodo cognitionem habere possunt de gradibus infirmitatum? Solutio. In die naturali sunt viginti quatuor horæ in quatuor partes diuisæ, & quælibet pars appropriata est illi elemento, quod est de sua complexione: sicut triangulus, qui est in regione de mane vsque ad meridiem, qui maximè est de complexione aëris, & ille triangulus qui est de meridie vsque ad noctem, est de complexione ignis, & ille qui est de occasu solis vsque ad mediam noctem, est de complexione terræ, & ille qui est de media nocte vsque ad ortum solis, est de complexione aquæ. Regnat ergo infirmitas secundum triangulos antedictos, & secundum quod infirmitas incipit aut finitur in illis quatuor regionibus, medicus cognoscere potest gradum infirmitatis, veluti si febris incipiat in prima hora diei, est in primo gradu humiditatis, & si in secunda hora diei est in secundo, & si in tertia est in tertio: & si in quarta est in quarto: & hoc secundũ febrem tertianam, quæ posita est inter calidũ & humidũ: quod si febris sit tertiana simpliciter per coleram, sequetur ordinem meridiei

diei vsque ad occasum solis, secundum ordinem quem diximus de mane vsque ad meridiem: quod si tertiana sit duplex, sequetur ordinem antedictum dupliciter: quod si sit quotidiana, sequetur antedictũ ordinem tripliciter: & si sit continua, sequetur prædictum ordinem per totum circulum: & idem de quartana secundum quod incipiet in sua regione in circulo. Et sic medici possunt gradus infirmitatum cognoscere, & illos gradus concordare cum gradibus electuariorum. Et de hac materia locuti sumus magis prolixè in principiis, quæ fecimus de medicina. Multum placuit heremitæ ordo, quem Raym. dixit, & mirabatur, quare antiqui medici nullum ordinem generalem in suis scriptis posuerunt.

De Quæstionibus Philosophiæ.

PRincipia Philosophiæ quæ sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ordo Philosophiæ quid est? Solutio. Ordo Philosophiæ significatus est in processu huius scientiæ. Quæ scientia est magis generalis? Solutio. Quia Philosophia habet magis generalia principia quam alia scientia, ideo magis generalis est. Cum Philosophia sit ita generalis scientia, quare non sunt multi Philosophi? Solutio. Intellectus Philosophi plus laborat quam alius, & Philosophia non tantum diligit denarios: sicut faciunt Ius & Medicina.

De Quæstionibus Theologiæ.

QVæ sunt principia Theologiæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Theologia quomodo potest ad certos terminos duci? Solutio. Hoc significatum est in arbore Christianali & diuinali. Quare Theologi plus vtuntur positione, quam ostensione? Solutio. Positio per credulitatem leuis est, & ostensio per intelligere grauis. Raymonde, credis tu quod adhuc erit tempus, quod Theologia erit scientia ostensiua plusquam positiua? Solutio. In Theologia plus est de veritate quam in alia scientia, quia nobilius habet subiectum & sua principia per prophetias fuerunt, quæ sunt de positionibus, & sua media per miracula fuerunt, quæ medicinę sunt, infirmitatum, veritatum: oportet ergo quod suus finis sit de ostensionibus: quoniam si non esset, Deus iniuriam faceret humano intellectui & supremę veritati, & contemplationi amborum.

De Quæstionibus habitus arboris moralis virtuosæ.

HAbitus virtutum qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fides quare non est habitus naturalis? Solutio ibidem. Vnus homo credit Deum esse, & credit quod sit bonus, infinitus & æternus, ille homo ita diu studet in Philosophia & Theologia, quod per studium & per gratiam Dei attingit Deum esse per necessarias rationes, per quas attingit Deum esse bonum, infinitum & æternum, idcirco quæro, vtrum in illo homine sit habitus fidei? Solutio. Ille homo qui prius credebat Deum esse, & postmodum intelligit Deum esse, habitum habet fidei, sed ipsum non habet secundum modum quo prius habuit: quoniam nunc cum Deum intelligit, habet habitum fidei per conscientiam: sicut homo qui credit vt intelligere possit, & non posset intelligere illud obiectum si prius in illo non

diderit,& hoc Isaias propheta significauit,inquantum dixit,si non credítis, non intelligentis , & ideo in illa coniuncta meritum restauratur per fidem, & adhuc est in illo homine habitus fidei, qui Deum intelligit esse, inquantum supponit quod si Deum non intelligeret,aut dubitaret ipsum esse aliquo modo aut per aliquam tentationem, quod ipse rediret ad credendum Deum esse. Si melius est credere Trinitatem,& esse incarnationem & alios articulos fidei Romanæ,quam illos intelligere , quare Theologi nituntur quantum possunt illos intelligere ? Solutio. Deus non creauit hominem principaliter,vt per suam credulitatem meritum acquirat, immo principaliter ipsum creauit, vt ipsum Deum diligat & intelligat : quoniam nobilior finis est Deum amare & intelligere,quam in Deum credere tantum , & ipsum non intelligere , & voluntas potest plus Deum amare,si intellectus ipsum per intelligere contemplatur, quam si tantum per credentiam ipsum contéplatur. Et ideo Theologi sequuntur instinctum & appetitum naturalem nobilioris finis. Et male dicunt illi qui dicunt, quod homo articulos fidei intelligere non debet , vt per suam credulitatem meritum acquirat,& per maius meritum maiorem gloriam. Et inquantum hoc dicunt , significant quod ipsi sint creati propter se , non autem propter Deum , & meritum ignorant , quod maius habet intellectus per intelligere quam per credentiam:quoniam grauius est inquirere & inuenire rationes & ostensiones intelligendo Deum esse,quam positiuè credere Deum esse , est,quia intellectus per intelligere fortius disponit obiectum memoriæ & voluntati,quã per credulitatem.

De Quæstionibus habitus arboris moralis vitiosæ.

QVomodo sunt habitus vitiorum ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vnus homo est in habitu castitatis, & vna pulchra domina ante ipsum transit, ille autem homo placita luxuriæ considerat, & sua sensitiua calorem sentit, propter illam considerationem quæro vtrum ille homo perdit habitum castitatis ? Solutio. Habitus virtutum & vitiorum aliquando in principiis participant, vnde ille homo per habitum luxuriæ tangitur , & tangitur in principio habitus castitatis secundum naturam arboris elementalis,vegetatiuę,sensitiuę,& imaginatiuæ , & ille tactus repræsentatur memoriæ & intellectui, & postmodum venit ad voluntatem , & si voluntas consentit , habitus luxuriæ in medio transit,& venit ad finem , & habitus castitatis non habet principium, medium nec finem , in quo sit sustentatus,quod si voluntas non consentit, est habitus luxuriæ extra triangulum, quem tangit in principiis quæ diximus , & homo est in passione tentationis & in bello virtutis & vitij , & si vincit, habet meritum , & si est deuictus , habet culpam. Raymunde secundum quod tu dicis, meritum aut culpa de voluntate venit , postquam ipsa elegit,aut non vult eligere & ideo quæro, in quo habent culpam intellectus & memoria,imaginatio sensitiua, vegetatiua, & elementatiua ? Solutio. Si memoria & intellectus diu remanent , & sic de imaginatione in obiecto luxuriæ , delectantibus se inuicem sensitiua, vegetatiua , & elementatiua in illa delectatione mouent voluntatem ad eligendum carnalem delectationem,

tionem, & ideo culpam habent. Et si memoria cito obliuiscatur, & intellectus delectationem ignorat, & memoria recolit, & intellectus intelligit iudicium Dei & culpam, & imaginatio immunditiam subiecti imaginatur, habent meritum, & ligant voluntatem ad odiendum luxuriam, & refrænant sensitiuam, vegetatiuam, & elemẽtatiuã. Vnus homo est superbus, veruntamẽ est castus, quæro quomodo habitus superbiæ & habitus castitatis insimul in illo homine stare possunt? Solutio. In pipere calor & frigiditas participant, existente calore in quarto gradu, & frigiditate in primo, sic simili modo possunt esse superbia & castitas in homine, vno habitu existente in maiori gradu, & alio in minori. Et sicut calor & frigiditas possunt esse in pipere, quia frigiditas concordantiam habet cum humiditate aëris, & cum siccitate terræ, cum qua calor ignis concordantiam habet, sic in aliquo homine esse possunt per aliqua media duo habitus contrarij, & si habitus virtutis est in maiori gradu, habitus vitij est in peccato veniali: & si habitus vitij est in maiori gradu, est in peccato mortali.

De Quæstionibus habitus arboris Imperialis.

VNus miles vnum equum vendit, qui non videt de vno oculo, emptor vero hoc non cognoscit, nec miles qui hoc scit, dicit emptori, quæro vtrum emptor ille possit reddere equum militi, & recuperare suos denarios? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vnus miles & vnus Burgensis æqualiter habent vnum castrum, miles vero habet inimicos, qui sibi malum & guerram in illo castro faciunt, quæro vtrum Burgensis iuuare debeat militem aut non? Solutio. Illę partes diuisibiles sunt, quæ in communitate concordantiam non habent, & si æqualiter diuisæ non sunt, debent portare passionem. Vnus homo habet vnum pratum iuxta vnum fluuium, in quo est vnus suus asinus. Vnus vero piscator ligat suam barcham cum vno fermento ad ripam illius prati. Asinus autem barcham intrauit ad potandum, & postquam potauerit, fermentem comedit, & barcha & asinus vadunt per flumen tantum quod barcha rumpitur & asinus moritur. Quæro vtrum Dominus asini satisfacere debeat piscatori pro barcha sua, aut piscator satisfacere debeat Domino prati pro asino suo? Solutio. Secundum arborem elementalem & vegetalem est barcha, supposito quod piscator ius habeat ad ligandum suam barcham ad illud pratum. Et asinus est per arborem elementalem, vegetalem, sensualem, & imaginalem, idcirco asinus est in actione, & barcha in passione, & de actione & passione huiusmodi non sequitur vitium morale. Et quia Dominus barchæ, nec Dominus asini in arbore rationali peccant, nec in imaginali, nec in sensuali: sed tantummodo in elementali & vegetali, in quibus æqualiter errant sine vitio morali, æqualiter debent habere passiones in perditione asini & barchæ. Quidam carpentarius ligna emit ab vno furnario, & in vno ligno est carbo ignis, sed non apparet, & furnarius asinum onerat de ligno, dum vero carpentarius ligna ad suam domum portat, fit magnus ventus & incenditur ignis, & ligna & asinum comburit. Quæritur vtrum furnarius teneatur carpentario aut non: Solutio. Secundum arborem rationalem

sensua

sensualem, vegetalem & elementalem, non peccat carpentarius, immo peccat secundum imaginalem, quoniam imaginari debebat carbonem incensum, quia ligna emit à furnatio & iuxta furnum. Et furnarius non peccauit secundum arborem rationalem, sed peccauit, inquantum carbonem incensum non imaginabatur, & peccabat, inquantum simpliciter lignum vendere promisit, & in parte vendidit carbonem incensum, & ideo furnarius tenetur de satisfactione carpentario, quia peccauit per affatum & per imaginationem. Et carpentarius non peccauit nisi tantummodo per imaginationem.

De Quæstionibus habitus arboris Apostolicalis.

Vtrum in summa Trinitate sit habitus? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Vtrum cum mundus creatus non erat, fuerat in sapientia Dei habituatus? Solutio. Nullus habitus potest esse absque experientia alicuius partis aut similitudine subiecti, & quia sapientia Dei est infinita, non est ei necessaria similitudo, neque experientia alicuius creaturæ. Sapientia Dei quomodo mundum & suas partes intelligere poterat, licet in ipsa non fuerat habituatus? Solutio. Quia potestas Dei est infinita, sapientia sua intelligere poterat res possibiles creaturarum, licet creaturæ non sint aliquid, antequam sint, & sapientia cum sua intelligibilitate potest esse ratio intellectiuitati suę ad producendum suas creaturas, quæ non sunt, & potestas potest hoc complere, & voluntas amare, & veritas potest hoc ponere in vero, licet habitus nō sit necessarius. Et in hoc passu habet intellectus humanus materiam ad habendum valde altam intelligentiam in Deo & in suis dignitatibus. Papa vnum elegit Canonicum in Episcopum, ille vero canonicus se excusat, quia magnum timorem habet de illo officio, quia periculosum est, qui dicit, quod non vult esse Episcopus: modò quæritur vtrum iustam habeat excusationem, hoc supposito quod secundum moralitatem ipse sit sufficiens, quod sit Episcopus? Solutio. Secundum cursum naturalem in voluntate est nobilior virtus, charitas, quam timor, vt iam dictum est, & quia Papa dominium habet supra amorē & timorem Canonici, moraliter est nobilior finis in intentione Papæ per amorem, quam in intentione Canonici per timorem, quæ siquidem intentio Papæ esset in seruitute, si producere non posset voluntatem Canonici ad finem nobiliorem.

De Quæstionibus habitus arboris Cœlestialis.

Corpora Cœlestia quomodo habent effectiuè in habitu virtutē, quam corpora inferiora ab illis recipiunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum Aries est contra Saturnum, in illa contrarietate cuius habitus est fortior ad mittendum virtutem suam ad inferiora? Solutio. Si Saturnus sit propinquior Arieti quam Iupiter Cancro, est fortior Aries quam Cancer, & è conuerso. Sol quomodo habet in habitu illuminandi Lunam? Solutio. Sol suam dat similitudinem Veneri, & Venus illam similitudinem dat Mercurio, & Mercurius illam similitudinem dat Lunæ. Secundum hoc quod supra dicitur, nullo tempore sequeretur Eclipsis in Luna: quæro ergo quare est Eclipsis, cum ita sit, quod

quod sol continuè suam dat similitudinem Veneri, & Venus Mercurio, & Mercurius Lunæ? Solutio. Motus Planetarum circa terram per vnum respectum non vadunt semper, & ideo cum accidit, quod Mercurius Lunam non respicit per lineam diametricam, quia terra est in medio, non potest Mercurius similitudinem Solis dare Lunæ, aut potest esse, quod inter Solem & Venus sit terra, aut inter Venus & Mercurium, aut inter Venus & Lunã, aut inter Solem & Lunam, & ideo sequitur Eclipsis per errantem cursum, vt dictum est.

De Quæstionibus habitus arboris Angelicalis.

HAbitus Angelicalis qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sanctus Michaël habet in habuit cognoscédi peccatum Martini? Solutio. Oculi habent in habitu videndi colorem, veruntamen illum videre nõ possunt absque instrumento, nec Beatus Michaël attingere potest peccatũ Martini sine operibus Martini. Lucifer habet in habitu pœnã æuiternalem? Solutio. Si S. Michaël non haberet habitũ gloriæ æuiternalis, habitus suæ gloriæ cõpletus non esset. Pœna Luciferi est ita magna: sicut sũt sui habitus? Solutio. Logicus tantum scit de Logica: sicut est habitus suus Logicalis. Et tunc heremita dixit, quod pœna quam Lucifer sustinet, nemo narrare posset, nec scribere.

De Quæstionibus habitus arboris Æuiternalis.

HAbitus æuiternales qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Habitus quos habent Sancti in æuiternitate, in quo sunt differentes ab habitibus, quos in hac vita habuerunt? Solutio. Habitus sanctorum sani sunt & non infirmi, & liberi sunt ac confirmati, & per affirmationem discutrunt sine negatione & dubitatione. Habitus vero huius vitæ infirmi sunt & alterabiles de bono in malũ, & de malo in bonũ, & sic de aliis alterationibus secundum quod experientiam habemus. Logicam quam scit Martinus, sciet illam in alia vita? Solutio. Si Martinus sit saluatus, logicam habebit in habitu, quam sciuit in hac vita secundum finem beatitudinis acquisitæ per illum habitum, & si sit damnatus, ipsam sciet contra finem, vt pœnam sustineat. Supposito quod Martinus sit saluatus, ipso in habitu habente aliquam virtutem plus per intellectum quam per voluntatem, habebit voluntas tantum de gloria in habitu sicut intellectus? Solutio. Purgatorium est propter hoc, vt aliquis habitus puniatur plusquam alius, vt æqualiter gloriam habere possint, veruntamen Rex per amorem alicuius amici sui parcit filio illius, aut suo fratri.

De Quæstionibus habitus arboris maternalis.

HAbitus Dominæ nostræ qui sũt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Domina nostra habet ita fortiter in habitu iustitiam Filij sui, sicut suam misericordiam? Solutio. Tantum diligit Domina nostra Filium suum, quod æqualiter opera sua diligit: sed quia est peccatoribus obligata, qui in ipsa spem habent, suum Filium per misericordiam rogat, & quia est pia, ipsum de iustitia non rogat, quæ quidem iustitia peccatores punit. Do-

mina nostra vtitur simpliciter habitu misericordiæ, aut cum medio? Solutio. Si spes quam peccatores habent in Domina nostra, sit instrumentum, cum quo Domina nostra habet pietatem, bene sequitur, quod cum intellectu cum quo Filium suum intelligit, peccatores intelligit, & spem quam habent in ipsa. Beatus Petrus habet in habitu tam magnam sanctitatem, quod possit locum tenere Vicario suo? Solutio. Cum sanctitate Dominæ nostræ in qua peccatores spem habent, sunt multi homines saluati, & cum sanctitate spei suæ.

De Quæstionibus habitus arboris Iesu Christi.

IN Iesu Christo fuit habitus fidei? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iesus Christus habuit aliquam tentationem ad peccatum? Solutio ibidem. Iesus Christus multiplicabat species in intelligere suo? Solutio. Omnis intellectus qui speciem multiplicat, est infirmus. Iesus Christus dum erat in hoc mundo, obliuiscebatur? Solutio. Sicut Deus in Iesu Christo recolebat vt homo, sic homo in Iesu Christo vt Deus recolebat.

De Quæstionibus habitus arboris diuinalis.

VTrum in Deo sit habitus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si in Deo non sit habitus, quomodo intelligere potest? Solutio. Intellectus Dei est purus actus ita in intelligendo sicut in existendo, nec est necessarium, quod sua intellectiuitas cum alio intelligibili intelligat, sed cum suo, quod est de sua essentia: idcirco intellectus diuinus prærogatiuam habet super omnem intellectum creatum. Raymunde, quare negas tu, quod in Deo sit habitus, cum Deus sit bonitas & bonus, magnitudo & magnus, & sic de aliis? Solutio. Raym. dixit, quod habitus est illa potentia naturalis, in qua potentia actiua cum alia passibili agere potest in suo proprio patiente: sicut ignis qui habet in habitu calorem, qui cum sua calefactiuitate agere potest in suo proprio calefactibili cum iuuamine calefactibilitatis aëris: & ideo dicitur, quod omnis habitus est accidens, & non purus actus, quia per seipsum agere non potest sine iuuamine alterius: & quia Deus non indiget aliquo extra se, & habet operationem in seipso secundum productionem diuinarum personarum, idcirco negatur in Deo habitus, & dicitur, quod sua bonitas, magnitudo, &c. sunt purus actus in existendo & in agendo. Si in Deo non esset productio personarum, essent in ipso habitus? Solutio. Si in Deo non esset productio personarum, oporteret quod suæ rationes essent habitus & non purus actus, sicut sua potestas, quæ possificare non posset seipsam, nec sua æternitas æternare semetipsam, & potestas esset possificans & possificabilis creatura extranea cum cuius iuuamine se haberet ad suum possificabile, & potestas operationem in seipsa non haberet, & idem est de æternitate, & cæteris.

De Quæstionibus habitus arboris exemplificalis.

QVare Deus sustinet, quod vnus homo sit subditus alterius, cum ita sit, quod ambo sint in specie similes & in natura? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare pulchra Domina

Domina eſt ſuperba propter ſuam pulchritudinem,& Domina bona non eſt ſuperba propter ſuam bonitatem, cum ita ſit,quod bonitas ſit pulchrior quam facies Dominæ? Solutio. Nulla bonitas moralis cum peccato participat. Bonitas moralis quomodo eſt in habitu? Solutio. Homo qui moraliter bonus eſt in habitu habet bonitatem, inquantum ſequitur naturam & rationem bonitatis, cum qua bonum producit in aliqua ſubſtãtia bonificabili. Culpa quomodo eſt habitus per peccatum? Solutio. Per lucis priuationem eſt habitus vmbræ, & per actum peccati eſt habitus culpæ.

De Quæſtionibus ſitus. Et primò de arbore elementali.

PRimariæ aſſituationes naturales quæ ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Bonitas ignis quomodo eſt aſſituata? Solutio. Bonitas ignis attingi non poteſt cum oculis, quia viſibilis non eſt: ſed cum imaginatione eius aſſituationem imaginatur in numero bonificantis, bonificabilis, & bonificare, quæ de ſua ſunt eſſentia, in quibus eſt ſuum ſuſtentamentum. Bonitas ignis quomodo aſſituata eſt in magnitudine? Solutio. Cum oculis magnitudo non attingitur ignis: ſed extenſitatem bonitatis extenſæ per magnitudinẽ imaginabatur: & per bonum magnum bonificans & magnificans, & bonificabile & magnificabile, & bonificare & magnificare. Ignis ſimplex quomodo aſſituatus eſt in compoſito? Solut. Dixit Raymundus quod quæſtio illa fieret ramis arboris elementalis.

De Quæſtionibus ſitus arboris vegetalis.

ELementa quomodo ſunt aſſituata in pomo & pomũ in ipſis? Solut. Vade ad rubricam antedictam. Elementa ſunt ſub vegetatiua aut ſupra? Solutio. Elementa & vegetatiua ſunt partes adinuicem mixtæ in pomo per corpus ſphæricum, videlicet rotũdum. Veruntamen ſic vegetatiua eſt ſupra elementatiuam: ſicut finis qui eſt ſupra principium & medium,& flamma ſupra oleum. In aſſituatione pomi vegetatiua ponit aliquam extenſitatem, quæ de ſua ſit natura? Solutio. Illa quæſtio fiat guttæ olei vegetatæ, quæ ſe extendit ſupra plures guttas aquæ ex ipſis aggregatæ,quam ſiquidem extenſionem facere non poſſet, ſi de natura corporali non eſſet. Ignis in pomo quare viſibilis non eſt? Solutio. Nulla pars quæ eſt in alia, eſt viſibilis.

De Quæſtionibus ſitus arboris ſenſualis.

IN equo quomodo aſſituatæ ſunt arbor elementalis, & arbor vegetalis & ſenſualis? Solutio. Vade ad folia arboris ſenſualis. In equo ſenſitiua per ipſum extenſa ponit naturam corporalem, quæ de ſua ſit eſſentia? Solutio. Si ſenſitiua non eſſet ſubſtantia corporalis, non haberet virtutem ad conuertendum in ſuam ſpeciem calorem ignis, nec quantitatem ipſius, neque ſaporem vegetatiuæ, nec oſſa equi eſſent in ſua ſpecie. Senſus communis eſt aſſituatus in oſſibus equi? Solutio. Si ſenſus communis aſſituatus non eſſet in oſſibus equi: oſſa equi de ſua ſpecie non eſſent. Cum ſenſus communis ſit in branchis equi, quomodo poteſt eſſe aſſituatus in oſſibus, qui de ſuis bran-

chis non sunt? Solutio. Continua quātitas equi sustentata est, & assituata in pluribus quantitatibus discretis, & è conuerso.

De Quæstionibus situs arboris Imaginalis.

IMaginatiua quomodo assituata est in equo cum aliis potentiis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum imaginatiua sit de ita subtili materia, quomodo intrare potest in assituatione cum aliis formis corporalibus? Solutio. Potestas est vna ratio imaginatiuę, ratione cuius intrare potest in assituationem cum aliis formis, & bonitas est vna alia ratio, cuius ratione est ei bonum, quod intret assituationem cum aliis formis, & sic de cæteris partibus eius, idcirco ratione suarum partium naturalium, & partium naturalium aliarum arborum potest cum illis intrare assituationem, quamuis in se paruam entitatem corporalem contineat. Imaginatiua est corporalis potentia? Solutio. Si imaginatiua non esset corporalis potentia, actus suus naturam non haberet in mensuris Mathematicis extensis, quæ sunt similitudines substantiarum corporalium. Imaginatiua est ens per se, aut est ens, quod sit ex alio? Solutio. Ista quæstio fiat arbori imaginali.

De Quæstionibus situs arboris Humanalis.

ARbor humanalis quomodo est assituata? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Corpus est assituatum in anima in longum, amplum, & profundum, cum ita sit, quod ipsa non sit de natura corporali? Solutio. Sicut magnitudo quæ bona est per bonitatem & non per seipsam, ita anima rationalis est extensa in longum, latum, & profundum accidentaliter per corpus, & non per seipsam. Quomodo scitur, quod anima rationalis non sit de natura corporali? Solutio. Intellectus humanus bonitatē Angeli & Dei desiderat, & idem est de magnitudine & cæteris formis spiritualibus, quamuis longum, amplum, & profundum non consideret. Anima rationalis est per generationem? Solutio. Impossibile est generationem esse in substantia, in qua non est longum, amplum, & profundum, quæ de sua sint essentia, cum ita sit, quod generatio incipiat ad producendum substantiam in parte successiuè, & non in toto.

De Quæstionibus situs arboris moralis virtuosæ.

VIrtus moralis quomodo est assituata? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Substantia spiritualis quomodo est assituata? Solutio. In intellectu assituatum est intelligere in intellectiuo & intelligibili. Charitas quomodo est assituata? Solutio. Charitas assituata est in modo, quem habent sancti homines in amādo Deum, se ipsos, & eorum proximos. Habitus charitatis quomodo est assituatus? Solutio. In voluntate sunt naturalia & essentialia amatiuum, amabile & amare, & amatiuum accipit aliquod obiectū amabile extra, & ex similitudine sua, & ex similitudine obiecti ꝙ est extra, atque ex similitudinibus amabilitatis & amare quæ sunt intra, producit vnū amare nouū & extraneū acquisitū & morale, per quod charitas est habituata, & est charitas sēper in actu, siue ille homo charitatiuus vigilet aut dormiat, & est suo habitu indutus inquantum

tum producere potest illud amare morale, secundum proportionem temporis aut loci, iustitiæ & prudentiæ & aliarum virtutum, quæ illum habitum iuuant.

De Quæstionibus situs arboris moralis vitiosæ.

VItium quomodo est assituatum, cum ita sit, quod dicat priuationem virtutis? Solutio. Lumen quod est de nocte ante hominem in camera tenebras assituat in pariete in figura extensa per illam vmbram. In homine auaro qui dormit quomodo assituata est auaritia? Solutio. Sicut præsentia luminis in pariete assituat similitudinem illius corporis quod est inter illud & parietem, ita habitus auaritiæ assituatus est per dissimilitudinem charitatis & largitatis, quæ priuantur in homine auaro qui dormit aut vigilat. Assituatio vitij Martini de quo est? Solutio. Sicut de non esse sequitur esse per creationem, quamuis non esse entitatem non habeat, ita ex priuatione esse moralis sequitur situs in quo habitus moralis vitiosus est sustentatus. Situs moralis habet quantitatem propriam? Solutio. Sicut priuatio habitus virtuosi producit situm in quo habitus vitiosus est sustentatus, ita qualitas priuata ex habitu virtuoso producit qualitatem situs vitiosi.

De Quæstionibus situs arboris Imperialis.

SCientia iuris quomodo debet assituari? Solutio. Vade ad rubricam antedictam, & ad rubricam iustitiæ in arbore morali. In emptione & venditione quare plus tenetur homo ex deceptione medietatis, quam alterius quantitatis? Solutio. Illa deceptio quæ est inter principium & medium non est ita magna, sicut illa quæ est in medio, aut sicut illa quæ est inter medium & finem, quæ non sustinet quod contrarium suum in medio participet cum illa, quod si cum ipsa participaret, foret de sua natura. Præscriptio bonorum mobilium quare est posita in minori tempore, quam præscriptio bonorum immobilium? Solutio. Per triangulum principij, medij & finis citius alienantur bona mobilia, quam immobilia. Causa quare assituata est in figura trianguli, & non quadranguli, aut quintanguli: sicut assituatio moralis iudicis, rei, & actoris? Solutio. Omne medium morale liberum est inter duo extrema, siue extremitates sint in concordantia aut in contrarietate.

De Quæstionibus situs arboris Apostolicalis.

IN summa Trinitate est assituatio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Corpus Iesu Christi quomodo assituatum est in Sacramento altaris? Solutio. Assituatio miraculi quod facit sanctus homo, est supra situm, qui est secundum cursum naturalem. Quare presbyter non potest esse aduocatus? Solutio. Tantum est situatio ordinis presbyterij in magna sanctitate, quod in ipso aduocatio sustentari non debet. Quare est prohibitũ, quod bigamus possit esse presbyter? Solutio. Duplicitas matrimonij in situatione trianguli duas lineas comprehendit, & maritum situat in magna vilitate, quare in tali homine altior ordo situari non debet.

De Quæstionibus situs arboris cœlestialis.

CÆlum quomodo est assituatum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sol est assituatus secundum corpus circulare aut sphæricum? Solutio. Nullum corpus est ita plenum circulo, quadrangulo & triangulo, sicut corpus, quod est rotundum. Sol quare est assituatus in Saturnum & Lunam? Solutio. Oportet quod virtus nobilior sit in medio. Firmamentum quare situatum est in circulo? Solutio. In figura circulari est maior mobilitas, quam in alia figura.

De quæstionibus situs arboris angelicalis.

SVbstantia Angeli quomodo est assituata? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Gloria bonorum Angelorum quomodo est assituata? Solutio ibidem. Situs Angelicus est alterabilis? Solutio. Nulla substantia est alterabilis substantialiter, quæ secundum suam naturam non est in loco neque in tempore. Assituatio Angeli habet superficiem? Solutio. In distinctione spirituali vnius substantiæ spiritualis & alterius, est superficies spiritualis absque contactu & colore.

De Quæstionibus situs arboris æuiternalis.

SAncti quomodo assituati sunt in paradiso, & damnati in inferno? Solutio. Considerauit Raym. in stellis cæli, & in carbonibus fornacis, quorum quidam sunt supra alios. Et vade ad rubricam antedictam. Animæ damnatorum quomodo assituatæ sunt in æuiternitate? Solutio. Considerauit intellectus mali angeli suam pœnam in desperatione assituatã. Habitus malorũ angelorum quomodo sunt assitu ati? Solutio. Ita est assituata pœna supra culpam in æuiternitate: sicut calor supra substantiam ignis in inseparabilitate. Successio quomodo assituata est in æuiternitate? Solutio. Partes circuli assituatæ sunt in illo sine principio, medio & fine continuæ quantitatis.

De Quæstionibus situs arboris maternalis.

DOmina nostra quomodo est in cælo assituata? Solutio. Vade ad rubricã antedictam. Voluntas Dominę nostræ quomodo est assituata? Solutio ibidem. Domina nostra quomodo recolit peccatores, & quomodo illos intelligit, qui in ipsa spem habent? Solutio. Sol multiplicat calorem ignis & suam lucem: idcirco ignis est magis calidus & magis lucens in æstate quam in hyeme, quem quidem Solem Domino Iesu Christo comparamus, in quo Domina nostra cognitionem habet de illis peccatoribus, qui in ipsa spem habent. Domina nostra est pedes in cœlo, aut est sedens? Solutio. Nulla figura est tantum visibilis sedendo sicut stando.

De Quæstionibus situs arboris Iesu Christi.

ASsituatio naturæ diuinæ & humanæ quomodo est in Christo? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum natura diuina sit infinita quomodo assituari potest in natura finita? Solutio. Sicut Angelus qui transit per medium de vno loco ad alium secun

ſecundũ naturam loci, & non ſecundũ naturá ſuiipſius, ita natura diuina aſſituata eſt in natura finita ſecundũ naturá finitá & non ſecúdum naturá ſuiipſius. Et vade ad rubr.virtutis.Cũ Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſint vna eſſentia indiuiſibilis, Filius & natura humana quomodo poſſunt eſſe in vna aſſituatione perſonæ? Solutio. Intellectus iudicis in ſuo iudicio veritatem intelligit,& voluntas iudicis illam veritatem diligit,& idem eſt de memoria, quæ ipſam recolit, & ſolus affatus pronunciat iudicium illis,qui ſunt extra,qui iudicium per modum audiendi attingunt, quamdis ſenſus communis non ſit diuiſibilis. Corpus Chriſti eſt indutum, aut nudum? Solutio. Sol coram quo eſt nebula, tantum ſuá ſimilitudinem in inferioribus nõ tráſmittit,ſicut facit ſine nebula,neque in aliqua viſibilitate tantum eſt de Beatitudine ſicut in viſibilitate corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

De Quæſtionibus ſitus arboris Diuinalis.

CVm in Deo ſint diſtinctæ perſonæ in vna eadem eſſentia, quomodo poteſt eſſe vna perſona in alia ſine ſituatione? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare in Deo non poteſt eſſe ſituatio? Solutio.Quia in Deo quælibet perſona eſt tota eſſétia,non poteſt eſſe in illo aſſituatio Et vade ad rub. virtutis.Poſtquã ſitus nõ eſt in Deo, quomodo poteſt intellectus humanus attingere participationem diuinarum perſonarum? Solutio. Per ſitum quem Deus creauit, accipit humanus intellectus ſimilitudinem,in qua attingit quomodo quælibet perſona eſt in alia ſine accidentali aſſituatione. Et vade ad rub. virtutis.Si ſitus non eſſet, poſſet humanus intellectus percipere quod in Deo poſſent eſſe diſtinctæ perſonæ, qualibet exiſtente in alia? Solutio. Cum puncto tranſcendenti tranſit humanus intellectus ſupra ſitum creatum & ſupra ſuas vires ad intelligendum quomodo Pater eſt in filio ſicut generans, & Filius in Patre ſicut generatus, & quomodo Pater & Filius ſunt in Spiritu ſancto ſicut vnus ſpirans, & Spiritus ſanctus eſt in illis ſicut ſpiratus, & quomodo omnes tres ſunt vna eſſentia & natura ſine compoſitione.

De Quæſtionibus ſitus arboris exemplificalis.

QVæ eſt maior aſſituatio Regis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Rex qui in Cathedra ſua vituperatur, quare ridet? Solutio. Si oculi mali Regis audirent hoc, quod de ipſo ſuus populus dicit,propter coronam auri neque propter veſtes pulchras non riderent. Vtrum annulus Regis ſit ita pulcher ſicut furcæ?Solut. Iuſtitia Regis non eſt ita pulchra in annulo ſicut in furcis. Corporalis pulchritudo quare melius conuenit Regi quam alij homini? Solutio. Pulchritudo iuſtitiæ, ſapientiæ, fortitudinis, & charitas carnis & perſonæ maiorem habent in Rege concordantiam,quam in alio homine.

De Quæſtionibus temporis. Et primò arboris elementalis.

TEmpus eſt diuiſibile? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Principia temporis quæ ſunt? Solutio ibidem. Tempus quomodo conſideratur & attingitur? Solutio ibidem. Ignis ſimplex eſt in tempore? Solutio. Omne

Omne corpus in quo fit motus, est in tempore.

De Quæstionibus temporis arboris vegetalis.

TEmpus quare non est visibile? Solutio. Sicut potentia vegetatiua est inuisibilis, quia ex elementatiua est induta, sic tempus est inuisibile, quia de substantia est indutum. Pomum quod est in potentia, est in tempore? Solutio. Nullum ens quod substantiam non habet est in tempore. Si pomum quod est in potentia, non sit in tempore, quomodo est in potentia? Solutio. Illa substantia est in potentia, quæ principata est & non completa. Tempus quomodo est in motu? Solutio. Ita est tempus in motu, qui est eius figura, vt cognoscatur, sicut est color in colorato qui est sua figura, vt cognoscatur.

De Quæstionibus temporis arboris sensualis.

TEmpus quomodo sustētatum est in equo? Solutio. Vade ad folia arboris sensualis. Tempus quomodo est in auditu equi? Solutio. Est tempus in equo, qui sine motu non mouetur, & motus est in auditu equi, qui leonē audit clamare. Tempus est successiuè aut in instanti in elementare, vegetare & sentire equi? Solutio. Inquantum substantia equi est in instāti hoc quod est, est tempus in equo in instanti, & inquantum in equo est successio elementandi, vegetandi & sentiendi, est tempus in successione illius motus. Tempus quomodo existit in pede equi? Solutio. Tempus in pede existit in instanti, inquantum pes equi est substantia, in qua tempus sustentatum est, & ita est in illo pede, qui mouetur in successione & motu, sicut arbor nauis quæ mouetur in motu nauis.

De quæstionibus temporis arboris imaginalis.

IMaginatiua quomodo attingit tempus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Tempus existit in imaginatione successiuè? Solutio. In motu corporis anima est mota, cui quidem animæ motus de vno loco ad alium non conuenit naturalis. Imaginatio potest imaginari tempus? Solutio. Sicut oculi non vident substantiam, sed tantummodo figuram, ita imaginatio tempus attingere non potest, sed suam figuram. In homine qui dormit & nihil imaginatur, est tempus de die & de nocte? Solutio. Tempus de die & de nocte est in imaginatiua, inquantum illa est in vno tempore in die, & in alio de nocte, sed figura temporis de die & de nocte non est in imaginatiua, quæ illam figuram non imaginatur.

De quæstionibus temporis arboris humanalis.

ARbor humanalis quomodo est in tempore? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Successio temporis quomodo existit in Martino? Solutio. Successio tēporis existit in Martino per elementare, vegetare, sentire, imaginari, recolere, intelligere & amare, & per motum vnius loci ad alium. Tempus transit successiuè in anima rationali Martini? Solutio. In substantia in qua non est generatio nec corruptio, non est successio temporis, & si

& si tempus existat in principio illius substantiæ, successio ipsius non est in cauda. Species quas Martinus multiplicat per recolere, intelligere, & amare, sunt in successione temporis, aut in instanti? Solutio. Si species fantista esset subiectum motus, oporteret quod esset substantia, est ergo tempus in motu successiuo potentiarum, Martinus & species quas multiplicat, sunt in instanti sine motu illarum: sicut albus color corui nigri, qui est in imaginatione Martini in instanti, qui ipsum imaginatur, licet ille color de coruo non moueatur in tempore successiuè.

De Quæstionibus temporis arboris moralis virtuosæ.

VIrtus moralis quomodo est in tempore? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum charitas non sit ens subiectum motui, quomodo potest esse in tempore? Solutio. Æuiternitas non est subiecta motui, & est in tempore ex parte capitis, & non ex parte caudæ. Tempus charitatis quomodo incipit & finit? Solutio. In motu voluntatis quæ mouetur ad amandum Deum, est principium charitatis in tempore, & cum mouetur ad amandum luxuriam, aut aliud vitium, est finis charitatis, videlicet eius priuatio est in tempore. Martinus habet charitatem & iustitiam cum vtitur charitate, & se mutat in vtendo iustitia, mutatio sua quomodo est in tempore? Solutio. Martinus finem charitatis considerat, cum vtitur charitate, & finem iustitiæ considerat, cum vtitur iustitia, & quia vnus finis est in vno tempore, & alius in alio, transmutatio illa est in tempore per modum principij, medij, & finis.

De Quæstionibus temporis arboris moralis vitiosæ.

VItium quomodo est in tempore? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Plura vitia quomodo existunt in vno tempore? Solutio. Plures habitus vitiosi possunt esse in vno tempore: sicut Petrus vitiosus, qui in vno & eodem tempore habitum auaritiæ habere potest & luxuriæ, sed in vno eodem tempore vti non potest actu cuiuslibet, quia termini sunt diuersi. Cum Petrus vtitur luxuria, quomodo remanet habitus auaritiæ in tempore, postquam non vtitur auaritia? Solutio. Est habitus auaritiæ dum Petrus vtitur luxuria, inquantum est dispositio & ratio, quod Petrus vtatur auaritia in suo tempore. Dum Petrus vtitur luxuria & nõ auaritia, vsus auaritiæ quomodo est in potentia in tempore futuro? Solutio. Voluntas Petri subiecta est habitui auaritiæ, quæ est in actu, quia ab ipsa priuatus est actus charitatis, & ille habitus auaritiæ est in tempore præsenti cum priuatione charitatis & amabile quod est extra, per quod est auaritia, in potentia in tempore futuro, & cum Petrus vtitur sub habitu auaritiæ, existit amabilitas illa in actu in tempore præsenti.

De Quæstionibus temporis arboris Imperialis.

TEmpus quomodo est in iudicio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Miles mercatori vẽdit equum, in illo tempore quo vendidit equum est integer, & mercator equum probat, & dum equum currere facit, cadit equus, & suam tibiam rũpit: modo quæritur vtrum venditio valeat, aut

EEee

non? Solutio. In venditione equi, qui ſanus eſt, non peccat arbor elementalis, nec vegetalis, ſenſualis, imaginalis, nec rationalis, ex parte militis, & in tempore quo equus cecidit, peccabat arbor elementalis, ſenſualis, & imaginalis ex parte equi & mercatoris, qui equum mouebat: idcirco ſecundum iuſtitiam valet venditio. Quidam mercator facit teſtamentum, & ſuum filium hæredem conſtituit, & centum ſolidos Martino dimittit, publicato teſtamento in abſentia teſtium, & in præſentia Martini, dicit ſuo filio, quod Martinus habet ducentum ſolidos, & Scriptor in teſtamento in abſentia teſtium ducentum ſolidos ſcripſit, modo quæritur, vtrum illud teſtamentum valeat, aut non? Solutio. Teſtamentum non valet tempore iudicij, & valet tempore concordantiæ, quæ eſt inter hæredem & Martinum. Quare homo mutus teſtamentum facere non poteſt? Solutio. In homine muto peccat arbor ſenſualis per cuius peccatum tempus non poteſt eſſe ei ſubiectum, quoniam affatus manifeſtare non poteſt conceptionem interiorem parentibus hominis muti, deficiente ergo figura temporis, oportet quod deficiant res ordinatæ in defectu ſuæ figuræ.

De Quæſtionibus temporis arboris Apoſtolicalis.

IN ſumma Trinitate quomodo poteſt eſſe productio ſine tempore? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In ſumma Trinitate exiſtit principium, in quantum Pater Filium principiat, illud principium quomodo poteſt eſſe ſine tempore? Solutio. Nullum ſuppoſitum in tempore eſt principiatum quod principiatum eſt de eſſentia principij, quæ exiſtit in æternitate, & non in tempore. In tempore in quo hoſtia non eſt conſecrata, quomodo exiſtit Sacramentum altaris in tempore futuro? Solutio. Iudex exiſtens in iudicio ſuo vtitur habitu iuſtitiæ, & amabilitas temperantiæ eſt in illo in potentia, quæ eſt in actu, cum iudex eſt in menſa, qui comedit temperatè. Vſura quare eſt? Solutio. Per vſuram exiſtunt quinque primæ arbores in homine vſurario otioſæ moraliter, per quam otioſitatem tempus & motus non ſunt inſtrumenta ad acquirendum virtutes: idcirco Iudæi qui ſunt vſurarij, magis ſunt pigri, quam alij homines.

De Quæſtionibus temporis arboris Cæleſtialis.

TEmpus quomodo eſt ſine die artificiali? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Tempus quomodo eſt ſine motu? Solutio ibidem. Tempus quare eſt? Solutio ibidem. Tempus ſimplex quomodo eſt commune ad tempus præteritum, præſens, & futurum? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus temporis arboris Angelicalis.

ANgelus quomodo eſt in tempore? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Sanctus Michaël fuit principiatus in tempore in ſubſtantia corporali aut ſpirituali? Solutio. Si ſanctus Michaël eſſet principiatus in tempore, quod ſit pars ſubſtantiæ corporalis, foret tempus, quod eſſet pars ſancti Michaëlis de natura ſubſtantiæ corporalis. Quomodo poteſt eſſe tempus in vna ſpecie, quæ ſit corporalis, & in alia quæ ſit ſpiritualis, & quod ſit

ſit vnum in ſemetipſo? Solutio. Sicut bonitas ſpiritualis & bonitas corporalis ſunt per eſſentiam differentes, nec ſunt ſub vno genere bonitatis realis, ita ſunt in differentia tempus ſancti Michaëlis, & tempus ſolis, & tempus animæ Martini & ſui corporis, quia ſi eſſet ſub vno genere temporis, participarent in natura, & eſſent ſubſtantiæ ſpirituales in parte de natura corporis, & corporales de natura Spiritus. Angelus quomodo poteſt ire de Roma ad Hieruſalem? Solutio. Angelus poteſt ire de Roma ad Hieruſalem ſine tempore, inquantum ſuum tempus naturale quod non eſt in illo ſuſtentatum, ſed inquantum ipſe Angelus in ipſo eſt principiatus: & inquantum tempus eſt ſuſtentatum in Hieruſalem, & in Roma, non poteſt Angelus ire ſine tempore de vno loco ad alium, tempore exiſtente de natura illorum locorum.

De Quæſtionibus temporis arboris æuiternitatis.

TEmpus in æuiternitate erit ſucceſſiuè? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iſtud tempus generationis & corruptionis habebit finem? Solutio ibidem. Antichriſtus in quo tempore veniet? Solutio. Sol eſt in medio planetarum, vt communiter det eis virtutem, & aduentus Ieſu Chriſti eſt in medio principij mundi & finis, vt det eis complementum: veniet ergo Antichriſtus ſecundum hanc ſimilitudinem in fine mundi, vt ſit contra meſſes Domini Ieſu Chriſti, & quod ab eius natiuitate ſit remotior. Antichriſtus qui tantam ſcientiam habebit, & qui ſciet, quod ipſe contra veritatem faciet, & quod in peccato morietur propter hoc quod faciet, & ſciet ſuam mortem, & quod in inferno æuiternaliter ſtaret, quare malum faciet? Solutio. Sicut Dominus Ieſus Chriſtus ſe habuit ad mortem corporalem ratione vitæ æuiternæ, ita Antichriſtus ſe habebit ad mortem corporalem, vt ſe habeat ad mortem æuiternam, & hoc faciet vt ei ſit magis contrarius.

De Quæſtionibus temporis arboris maternalis.

TEmpore quo Domina noſtra fuit concepta, fuit concepta in peccato originali? Solutio. Peccatum & virtus ſunt contraria, & quia illo tempore quo Domina noſtra concepta fuit, virtus fortius incœpit eſſe contraria peccato, quam in tempore tranſacto, oportet quod Domina noſtra concepta fuerit abſque peccato. Et vade ad rubricam antedictam. Domina noſtra eſt ſemper in præſentia filij, cum ita ſit, quod aliqui dicunt, quod ipſa in infima deſcendit per miracula, aut per iuuamina pluribus perſonis? Solutio. Sol inferius non deſcendit, veruntamen ſua virtus eſt cauſa ad generandum flores & fructus. Domina noſtra recolit tempus, in quo ſuus filius fuit crucifixus & mortuus? Solutio. Gloria Dominæ noſtræ eſt ita magna, quod in quantum habet ita magnam gloriam, non recolit illud tempus, vt dolorem non habeat, ſed in quantum peccatores habent ſpem in ipſa recolit illud tempus, & ſuum filium recolere facit, vt miſericordiam de peccatoribus habeat. Quod eſt nobilius tempus quod vnquam fuit? Solutio. Nobilius tempus quod vnquam fuit, vel erit, fuit illud in quo Domina noſtra ſuum filium concepit, quoniam in illo vniuerunt ſe adinui-

cem natura finita & infinita, & Deus fuit factus homo, qui cum omnibus creaturis participat.

De Quæstionibus temporis arboris Iesu Christi.

ÆTernitas & tempus quomodo possunt inuicem participare? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum Iesus Christus conceptus & natus sit in tempore, potest aliquid vltra tempus intelligere? Solutio. Sicut Deus passionem sustinuit in cruce inquantum homo, ita Iesus Christus homo vltra tempus intelligit omnia inquantum Deus. Iesus Christus est in cœlo sēper in vno loco? Solutio. Maior gloria est status & motus secundum bene esse, quam vnius tantummodo. Deus in quo tempore fuit incarnatus? Solutio. Sicut virtus est maior in medio quam in extremis, oportuit quod tempus in quo Christus fuit incarnatus, fuisset in medio principij, & finis mundi, vt cum maiori virtute proportionatus fuisset.

De Quæstionibus temporis arboris Diuinalis.

IN illo tempore in quo Deus principiauit mundum, principiauit in se aliquam nouitatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quomodo potest Deus mundum principiare absque aliqua nouitate suiipsius, ipso producente mundum in vno tempore, quam ante producere noluit? Solutio. In illo tempore quo Deus voluit mundum producere, voluit producere & creare tempus, quod non potuit esse subiectum alicui, quod fuisset ante ipsum, quia si posset esse, fuisset antequam fuisset, quod est impossibile. Pater filium generat, & Filius in æternitate remanet generabilis, in qua æternitate remanet generatus, & hoc fit per modum productionis, videlicet de generabilitate producere generatum. Modo quæro, quomodo istud fieri potest sine tempore? Solutio. In hoc quod generans est æternitas, & de seipso generat generabile, & generare est purus actus, sequitur de necessitate æternare, in quo tempus esse non potest. Deus potuit creare mūdum æternum? Solutio. Si creans qui est æternus potuisset creare mundum de sua essentia & natura, bene potuisset mundum creare æternaliter, ita quod in illo creare non fuisset principium neque tempus. Sed quia Deus mundum de sua natura creare non potest, neque de sua essentia, mundus recipere non potuit naturam æternitatis, neque potest esse principiatus sine tempore. Et idem de quantitate quam habere oportet, quod non potest esse de essentia substantiæ infinitæ.

De Quæstionibus temporis arboris Exemplificalis.

QVare homines desiderant habere filios? Solutio. Si homines sæpè considerarent illud, quod quædam filia Regis suo Patri dixit, minimè filios desiderarent. Et vade ad rubricam antedictam. Quare pater vult, quod suus filius sit melior ipso, & Filius hoc esse desiderat? Solutio. Quia filius propinquior est secundum tempus fini mundi quam pater, in quo fine sunt messes perfectiores: naturaliter desiderat filius esse melior quam pater, & pater illud idem vult. Et in hoc significatum est, quod adhuc erunt plures sanctæ personæ. Quare Rex desiderabat plus quod de suo genere

nere plures Reges essent, quam de alio genere? Solutio. Naturaliter perfectio in duobus consistit, videlicet in existere & agere: idcirco naturaliter homines desiderant esse, & vt de eorum esse sequatur aliud esse, & hoc successiuè, cum ita sit, quod omnis causa suum effectum diligit secundum rationem naturalem. Fœmina quæ filium habuit cum ita magno labore, quod quasi iuxta mortem deuenta est, quare iterum marito suo copulam concedit carnalem? Solutio. Dolores obliuiscuntur, & placita desiderantur.

De Quæstionibus loci arboris elementalis.

Locus quid est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Res collocatæ quomodo sunt in loco? Solutio ibidem. Quales sunt similitudines loci, quas oculi attingunt? Solutio ibidem. Locus est imaginabilis? Solutio. Sicut essentia loci est visibilis, ita est imaginabilis, & hoc est, quia oculi essentiam loci non attingunt, vnde imaginatio imaginatur similitudines loci, quas oculi attingunt. Intellectus vero supra imaginationem essentiam loci attingit.

De Quæstionibus loci arboris vegetalis.

In pomo arbor vegetalis & elementalis quomodo sunt collocatæ? Solutio. Vade ad folia arboris vegetalis. Pomum quod est in potentia in pomerio, quomodo est collocatum? Solutio. Finis pomi quod est in potentia collocatum, est in fine pomerij qui est in actu. Et idem est de bonitate pomi & bonitate pomerij, & sic de aliis primis principiis extensis in radicibus, truncis, branchis, ramis, foliis, floribus, & fructibus elementaliter, & vegetaliter. Color pomi quomodo collocatus est in colore ignis & aliorum elementorum? Solutio. Sicut plures partes collocatę sũt suo in toto, sunt plures colores collocati in colore pomi ex pluribus aggregato. Vegetatiua pomi quomodo potest collocari in colore, cum ita sit, quod ipsa colorem non habeat? Solutio. Sicut aër qui calidus non est per suam naturam, nec aqua: similiter est eorum calor in sentire assituatus; ita vegetatiua pomi, quæ colorem non habet secundum suam naturam, assituata est in colore pomi qui propriè est ex elementis, & qui pomo est appropriatus.

De Quæstionibus loci arboris sensualis.

In equo arbor elementalis, vegetalis, & sensualis quomodo sunt collocatæ? Solutio. Vade ad folia arboris sensualis. Sensitiua habet locum, qui de sua sit natura? Solutio. Ita locus appropriatus est sensitiuæ per locum elementalem, sicut aëri calor per calorem naturalem ignis. Si sensitiua per seipsam locum non habet, quomodo potest collocari in loco? Solutio. Quia magnitudo creata est bonificabilis, potest bonificari, quamuis bona non sit secundum suam naturam, potest ergo in bonitate sustentari inquantum bona. Sensitiua quomodo est collocata in sentire? Solutio. Naturaliter sentire est dispositum essendi collocatum in sensitiuo & in sensibili: sicut aër qui dispositus est, quod calefiat, inquantum est calefactibilis, & quia locus grosso modo constat ex elementis permixtis cum vegetatiua & sensitiua equi Martini. Disposi-

tio illius sentire collocata est in loco istius mixtionis, per cuius collocationem equus famen sentit aut sitim, & viam videt, per quam vadit, & sentit frigiditatem aquæ, quam bibit.

De Quæstionibus loci arboris imaginalis.

IMaginatiua quomodo imaginatur locum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Locus est pars imaginationis? Solutio. Si locus esset proprium accidens imaginationis, semper cum imaginatio species multiplicaret, extenderetur corpus subiectum in loco, & sequeretur quod chimera quam imaginatio facit, esset substantia. Imaginatio quomodo participat cum loco? Solutio. Sicut substantia equi est disposita, quod imaginetur ratione suarum primarum partium, & ratione coloris equi Martini: ita est disposita, quod sit imaginata ratione imaginabilitatis quæ est in imaginatione collocata secundum similitudinem loci, cum qua similitudine substantia equi cum imaginatione participat. Cum Martinus moriatur, sua imaginatio in quo loco remanet, cum ita sit, quod cum anima non vadit, quoniam ei necessarius est locus elementalis in quo sustentetur? Solutio. In illo loco in quo erat imaginatio Martini sustentata & seminata, videlicet in loco radicali & communi, oportet quod imaginatiua sustentetur, sicut sapor pomi comesti, qui ad prima principia rediit.

De Quæstionibus loci arboris humanalis.

MArtinus quomodo est in loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Martinus quomodo est collocatus in seipso? Solutio ibidem. Martinus qui suum equum recolit, quomodo habet similitudinem illius equi in sua anima? Solutio. Martinus habet similitudinem illius equi in sua anima per imaginatiuam, quæ illas similitudines accepit per visitiuam, quas similitudines accepit memoria quæ equum recolit. Voluntas Martini quomodò est collocata in suo intellectu, qui ipsam intelligit? Solutio. Habitus prudentiæ est instrumentum, per quod de amabilitatibus quæ sunt extra, accipit amabilitatem interiorem voluntatis, & ex illis similitudinibus amabilitatis voluntatem Martini considerat.

De Quæstionibus loci arboris moralis virtuosæ.

VIrtutes morales quomodo sunt in loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iustitia quomodo est in habitu, cum spes sit in actu? Solutio. Iustitia est in habitu tunc, cum suus actus non est in iudice, & actus spei qui est sperare, exit de spe. Cum iustitia sit in habitu & spes in actu, quæ illarum in alia consistit? Solutio. In illa virtute est maior bonitas, quæ est existens & agens, quam in illa, quæ est in habitu tantummodo. Quare virtus nobilior est in medio loco, quam in extremis? Solutio. Nulla virtus in medio participare potest cum suo contrario.

De Quæstionibus loci arboris moralis vitiosæ.

VItium quomodo est in loco? Solutio. Vade ad rubricam, antedictam. Cum Martinus sit castus, in quo loco existit luxuria in potentia? Solutio. Possibilitas quam habet Martinus

nus essendi luxuriosum, est locus, in quo luxuria est in potentia. Luxuria de quo loco deriuatur? Solutio. Luxuria deriuatur ex quinque arboribus primis, inquantum dispositæ sunt ad vtendum contra castitatem. Illa dispositio per quam quinque arbores dispositæ sunt vtendi luxuria, vnde venit? Solutio. Ipsa venit ex deuiatione libertatis quam Deus dat homini ad faciendum bonum, quæ siquidem libertas, quæ per hominem venit, est disformata, & est in potentia, inquantum homo de nihilo est creatus.

De Quæstionibus loci arboris Imperialis.

IVrista quomodo debet vti loco in suo iudicio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Mercator qui emit equum, in absentia equi soluit denarios, tandem ad domum militis vadit ad accipiendum equum, quem mortuum inuenit, propter quod mercator denarios recuperare debet: sed supposito quod vnus alius mercator vnum equum emit ab alio milite, qui sibi tradidit equum in absentia denariorum, & milite eunte cum ipso ad domum, mercator archam suam inuenit ruptam, & denarij sunt furati, veruntamen venditio equi valet supposito quod mercator habeat vnde soluere possit: idcirco est quæstio, quare vltima venditio valet, & non prima? Solutio. In mercatore remanet arbor elementalis abundans, quamuis sui denarij furati sint, & militi qui equum perdidit, arbor elementalis, vegetalis, sensualis, & imaginalis, in certo numero equi deficiunt. Vnus homo alij mutuauit centum talenta, & dixit, quod soluit ei quinquaginta talenta sub vna ficulnea, debitor vero dicit, quod ipse sibi soluit centum sub vna castanea, & quilibet ipsorum testes adduxit, qui dicunt, quod debitor soluit omnia talenta sub vno pomerio. Modo quæritur secundum quam trium arborum iudex debeat dare iudicium? Solutio. Actor sæpius considerat hoc, quod mutuat, quam reus hoc quod mutuo recipit, quia denarij desiderabiliores sunt ad recuperãdum, quam ad soluendum: idcirco actor magis est abundans arbore imaginali & rationali, quam reus, si omnino sibi solutum non est ei, & si omnino est ei solutum, est minus abundans, quia sibi solutum est, & testes maiorem habent concordantiam cum numero arboris elementalis ex parte rei, quam ex parte actoris, per quam maiorem concordantiam denariorum significatum est: quod testes sint contra actores, licet eis deficiat arbor imaginalis, inquantum dicunt, quod denarij soluti fuerunt sub pomerio, aut forte eorum imaginatio non deficit, sed deficit imaginatio actoris & rei aut vnius: debet ergo iudex iudicare pro reo, pro quo est maior præsumptio per imaginationem & per concordantiam numeri denariorum, quam habet cum testibus. Fœmina quare ad testimonium non admittatur, cum ita sit, quod fœmina loquatur citius, & magis specifica voce, quam homo? Solutio. Causa quare fœmina loquitur citius quam homo, est, quia homo naturaliter maiorem deliberationem habet in loquẽdo, quam fœmina, per quam maiorem deliberationem est magis constans, quam fœmina; & etiam in testimonio maiorem vim habet intellectus quam voluntas, & fœmina sæpius loquitur per naturam voluntatis, quam per naturam intellectus, homo vero facit per contrarium. Idcirco fœmina

mina in testimonium admitti non debet, supposito, quod homo testimonium facere possit, & causa quare fœmina plus specificè loquitur quam homo est, quia magis subtilem loquelam habet.

De Quæstionibus loci arboris Apostolicalis.

IN summa Trinitate quomodo Pater potest esse in Filio, & Filius in Patre sine loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Spiritus sanctus qui exit de Patre & Filio, quomodo exire potest ex ipsis sine loco? Solutio ibidem. Locus qui est creatura in quo seruit ad intelligendum summam Trinitatem? Solutio. Locus est figura ex qua intellectus humanus trahit similitudinem, cum qua intelligit in summa Trinitate quod quælibet persona est in alia. Tres personę quomodo possunt esse in essentia sine loco? Solutio. In bonitate sancti Michaëlis sunt bonificans, bonificabilis, & bonificare sine loco.

De Quæstionibus loci arboris Cælestialis.

FIrmamentum est in loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Virtus quam Sol dat flori quomodo transit per locum? Solutio. Ignis aërem calefacit, & aër illum calorem quem accipit de igne dat aquæ, & aqua ipsum dat terræ. Sol quomodo se mouet de vno loco ad alium? Solutio. In sole suæ partes sunt circulares & sphæricæ, & appetitus communis partium est motus, qui est centrum illius appetitus. Quare Sol se mouet in æstate superius, & in hyeme inferius? Solutio. Viuunt plantæ & animalia per solem, & sunt quatuor tempora in anno, & martellus mouetur secundum dispositionem claui, & radices arboris cælestialis quietem habent in motu solis.

De Quæstionibus loci arboris Angelicalis.

ANgelus quomodo est in loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In sancto Michaële locus est vna de suis partibus? Solutio. Sicut in sancto Michaële tempus est vnum de suis principiis, inquantum principiari non potuit sine tempore, ita in ipso locus spiritualis est vnum de suis principiis sine quo quædam partes non possunt esse in aliis. Cum sanctus Michaël transit de vno loco ad alium, transit in instanti, aut successiuè? Solutio. In continenti, cum amicus suum diligit amatum, est amatus recolitus. Plures Angeli quomodo possunt esse in vno loco? Solutio. Vade ad rubricam, vt supra.

De Quæstionibus loci arboris æuiternalis.

SAncti quomodo se mouent de vno loco ad alium? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Infernus in quo loco est? Solutio. Quia Infernus & Paradisus sunt contrarij per magnam contrarietatem, oportet quod eorum distantia sit magna: est ergo locus Inferni in corde terræ, qui remotior est à cœlo empireo, quam aliquis alius locus. Damnati quomodo sunt collocati in Inferno? Solutio. Imaginabatur Raym. vnum magnum montem de carbonibus quorum quidam sunt super alios. Sancti quomodo sunt collocati in Paradiso? Solutio. Imaginabatur Raymundus motum

tum

tum stellarum & cælum Empireum plenum luce.

De Quæstionibus loci arboris maternalis.

PEccatores qui in Domina nostra spem habent, quomodo sunt Filij Dominæ nostræ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Domina nostra quomodo est in cælo? Solutio. Raymundus imaginabatur stellam auroræ, quæ aduentum solis denunciat. Domina nostra vbi est in cælo? Solutio. Raym. imaginabatur assituationem Angelorum & sanctorum in cælo Empireo, & supra assituationem Iesum Christum, & Dominam nostram imaginabatur. Corpus Dominæ nostræ quod est in cælo, quid sustinet illud? Solutio. Voluntas vult, & suum velle est completum.

De Quæstionibus loci arboris Iesu Christi.

IEsus Christus est in omni loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Natura humana quomodo est in diuina, cum ita sit, quod in diuina non sit locus? Solutio. Potestas potest, & possificat, & intellectus intelligere potest, & intelligit, & voluntas amare potest, & amat. Natura diuina quæ est infinita, quomodo stat in natura humana, quæ est finita? Solutio. Maior virtus animæ est in virtute corporis, quæ est minor, & ex anima & corpore consistit vna persona. Iesus Christus quomodo est in cælo? Solutio. Raymund. solem imaginabatur, qui stellas illuminat.

De Quæstionibus loci arboris diuinalis.

QVomodo Deus est in loco & sine loco? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus quomodo est in seipso? Solutio. Bonitate existente in suo bonificante, bonificabili, & bonificare, existit in seipsa. Mundus quomodo in Deo est collocatus? Solutio. Substantia finita collocata est in infinita, inquantum in illa est terminata. Deus est in Inferno? Solutio. Si Deus essentialiter In inferno non esset, oporteret quod substantia sua terminata esset & finita.

De Quæstionibus loci arboris exemplificalis.

POtestas, sapientia, & voluntas quomodo possunt esse sine loco in bonitate? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Æqualitas est locus, aut subiectum per quod potestas, sapientia & voluntas æquales sunt in bonitate in substantia spirituali? Solutio. Ita est æqualitas locus plurium formarum æqualium, sicut locus in pomo plurium elementorum, & sicut pomum quod est locus compositionis eorum. Diuinæ formæ quomodo possunt esse aliæ in alijs sine loco? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Totum quomodo collocatum est in suis partibus, & partes in illo? Solutio ibidem.

De Quæstionibus quantitatis cælestialis arboris exemplificalis.

QVantitas in qua figura plus habet de virtute? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sol est maior

quam terra? Solutio. Si sol terram illuminat per rectas lineas secundum mẽsuras quas antiqui posuerunt, maior est quam terra, veruntamen si terram illuminat illuminando Venus, & Venus Mercurium, & Mercurius Lunam, & Luna ignem, & ignis aërem, & aër aquam, & aqua terram, illuminat Sol terram, speciem sui splendoris multiplicans, & potest esse multo minor quam terra, sicut flamma candelę, quæ minor est, quam camera: & illuminat cameram, suam speciem multiplicando. Sol quare maior apparet in manè, quam in meridie? Solutio. In manè vapores terræ sunt de grossiori materia, quam in meridie, in quorum grossitie ignis multiplicat magis suam similitudinem, quam in minus grossis. Quare Sol est magis calidus hora vesperorum, quam hora tertia? Solutio. Sicut Sol igni multiplicat suum calorem, multiplicat ei suam siccitatem, quam habet maiorem, quanto Sol remotior est à terra, quæ est de complexione aëris.

De Quæstionibus qualitatis exemplificalis arboris angelicalis.

QVare Dæmon peccata hominum procurat, postquam scit, quod propter ipsorum peccata maiorem habet pœnam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ignis de quo viuit? Solutio ibidem. Febres quare sunt? Solutio ibidem. Quare dæmon non agit bonum? Solutio ibidem.

De Quæstionibus relationis exemplificalis arboris æuiternalis.

QVare pictores qui sunt inter nos depingunt imagines dæmonum in figura nigra, & illi qui sunt in India in figura alba & quare ipsos in turpi figura depingunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Paradise quare ploras? Solutio ibidem. Quare Paradisus lupum maledixit, qui abstulit à Regina suum Filium? Solutio ibidem. Quare plures homines vadunt in Infernum, quam in Paradisum? Solu. ibid.

De Quæstionibus actionis & passionis exemplificalis arboris maternalis.

CVm mundus sit Dei, quare patitur, quod lupi oues comedant? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare est Ecclesia? Solutio ibidem. Quare est religio? Solutio ibidem. Peccator habet actionem in Domina nostra, & Domina nostra in suo Filio? Solutio ibidem.

De Quæstionibus habitus exemplificalis arboris Christianalis.

ESt vna idea, aut plures? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Habitus scientiæ de quo viuit? Solutio ibidem. Quomodo intelligit homo vnam rem cum alia? Solutio ibidem. Necessitas & contingentia quomodo sunt differentes, & quomodo sunt vnum idem? Solutio ibidem.

De Quæstionibus situs exemplificalis arboris diuinalis.

QVare dixit insipiens in corde suo, quod non est Deus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus quomodo est? Solutio ibidem. Deus si non esset in Trinitate, posset esse? Solutio ibidem. Quis modus teneri debet in disputando & probando fidem Catholicam? Solutio ibidem.

De

De Quæstionibus florum. Et primò de arbore elementali.

FLORES elementorum qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Instrumenta naturalia quæ sunt? Solutio ibidem. Elementare quomodo est instrumentum elementantis & elementati? Solutio. In scriptura penna est instrumentũ agentis & patientis. Et vade ad rubr. virtutis. Ignificare est instrumentum calefacto, aut calefacere? Solutio. Penna est substantialis literæ, & eius motus est accidentalis. Ignificare est instrumentum ad vegetandum piper, aut calefacere? Solutio. Ignificare est instrumentum elementandi, & ideo est instrumentum substantiæ piperis, quæ quidem substantia est ex suo instrumento, & calefacere est instrumentum caloris piperis, & calor piperis est ex suo instrumento. Ignificare est instrumentum sentiendi calorem, aut calefacere? Solutio. Ignificare est instrumentum substantiale, quod mouet substantiam ad sentiendum, & calefacere est instrumentum accidentale, quod mouet substantiam ad calorem, & sentire est flos, de quo nascitur sensitum calefactum per calorem, & elementatum per ignem, & sensatum per sentire. Ignis quomodo est instrumentum ad imaginandum? Solutio. Flamma ignis est visibilis, & calor ipsius est sensibilis, est ergo ignis instrumentum imaginationi, inquantum obiectum sensibile disponit, de quo imaginatio similitudinẽ trahit imaginabilem. Ignis quomodo est instrumentum ad intelligendum? Solutio. Ignis flammam quæ est visibilis, procurat, & sensus illam visibilitatem accipit, similitudinem cuius accipit imaginatio, & illam similitudinem accipit intellectus ab imaginatione, de qua suum induit intelligere. Quomodo ignis est instrumentum voluntati hominis, quæ aquam desiderat? Solutio. Ignis suum calorem & siccitatem in vegetatiua multiplicat, & vegetatiua dat illam multiplicationem sensitiuæ, & imaginatiua similitudinem illius multiplicationis accipit, & similitudinem passionis, & ambas similitudines dat intellectui, quas quidem similitudines intellectus repræsentat voluntati, quæ elegit appetitum aquæ frigidæ contra sitim multiplicatam. Quomodo fit indiuiduatio substantiæ & sustentatio speciei? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus florum arboris vegetalis.

FLos pomerij est visibilis per elementatiuam aut per vegetatiuam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Flos quomodo est insttumentum fructus? Solutio. In sphæra Lunæ elementa colligunt influentiam corporum cælestium, & illam influentiam colligunt fructus ex floribus. In flore pomerij est pomum in potentia, aut in tota arbore? Solutio. In flore colliguntur omnes potentialitates aliarum partium arboris. Quare flores plus habent de odore quã folia? Solutio. Vade ad rub. virtutis. Quare non tantum stãt flores in arbore sicut folia? Solutio ibidem. Flores quare magis intensum colorem habent quam folia? Solutio ibidem. Ficulnea quare non facit flores? Solutio ibidem. Ficus quare sunt magis placidæ ad comedendum, quam alij fructus? Solutio ibidem. Fructus nascitur de pomo successiuè aut in

inſtanti? Solutio. In omni multiplicatione motus oportet eſſe ſucceſſionem. Quæ partes arboris ante naſcuntur de flore in fructu? Solutio. Ante oportet fundamenta cameræ eſſe quam ſuæ parietes, & parietes antequā tectū.

De Quæſtionibus florum arboris ſenſualis.

FLores arboris ſenſualis quales ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In arbore ſenſuali quis actus eſt magis generalis? Solutio. Sicut in pipere magis generalis actus eſt calefacere, quam actus aliarum qualitatum, ſic in arbore ſenſitiuæ ſentire eſt magis generalis actus, quam actus aliarū arborum. Oculi quomodo ſunt inſtrumenta ad videndum? Solutio. Vade ad rub. virtutis. Ignis quomodo eſt inſtrumentum oculorum & viſus? Solutio. Ignis eſt inſtrumentum oculorum per elementationem, & ipſi viſui per lucem. Vegetatiua quomodo eſt inſtrumentum oculorum & viſus? Solutio. Vegetatiua eſt inſtrumentum oculorum per vegetare, & viſus per ſpecificare ſpecies, quæ ad viſum pertinent, ſicut in nutriendo ſpecificat ſanguinem venis, & medullam oſſibus. Senſitiua quomodo eſt inſtrumentum oculorum & viſus? Solutio. Senſitiua eſt ita inſtrumentū oculorū in ſenſando, ſicut elementatiua in elementando, & vegetatiua in vegetādo. Et ita eſt inſtrumentum viſus per ſentire, ſicut ignis per illuminare, & & vegetatiua per digerere. Videre quomodo eſt inſtrumentum viſus? Solutio. Videre eſt actus potentiæ actiuæ, quæ in illo ſimilitudinem accipit potentiæ paſſiuæ. Quare in oculis ſunt plures tunicæ? Solutio. Multiplicatio ſpeciei fit in dando ſimilitudinem vnius potentiæ alij, & ideo cētrum oculorum ſolem ſignificat, qui ſuam dat ſimilitudinem Veneri, & tunicæ alios planetas ſignificant & ſphæras, qui accipiunt ſimilitudines. Homines quare habent placitum in vidēdo pulchras figuras, & diſplicentiam in videndo turpes figuras? Solutio. Oculi & voluntas in pulchritudine concordantiam habent & in turpitudine contrarietatem. Quomodo voluntas non vult, quod oculi turpia videant. Et in hoc paſſu eſt ſignificatum, quod voluntas naturaliter eſt pulchra. Quare oculi magis ſunt de colore aquæ & terræ, quam ignis & aëris? Solutio. In viſu ita ſunt color aquæ & color terræ inſtrumenta coloris ignis & aëris: ſicut motus martelli eſt inſtrumētū motus claui in agere, ſiue operari ſuo.

De Quæſtionibus florum arboris imaginalis.

FLores arboris imaginalis qui ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Imaginari quomodo eſt inſtrumentum elementandi? Solutio. Cum imaginati delectationem comedendi & bibendi, imaginatio ſenſitiuam mouet ad ſentiendum appetitum comedendi & bibendi, & ſenſitiua vegetatiuam mouet ad vegetandum, & vegetatiua elementatiuā ad elementandum. Et vade ad rub. virtutis. Imaginatiua quomodo eſt inſtrumentum imaginari? Solutio. Imaginatiua multiplicat ſimilitudines plurium rerum; & cum omnibus imaginatur ſimilitudines imaginati deſiderati, vt ſentiatur aut intelligatur. Cum imaginatiua caſtrum aut aliud obiectum imaginatur, quomodo imaginari eſt inſtrumentū? Solutio. Motus manus inſtrumentum eſt motus martelli, qui ſiquidem motus manus

manus est instrumentum appetitus volũtatis, quæ manum mouet, vt martellus clauum moueat. Dixit Monachus Raymundo, quod adhuc solutionem istius quæstionis non intelligebat. Raymundus respondit Monacho, quod imaginaretur, & consideraret motum, quem habent voluntas, imaginatio, manus, & martellus ad clauum, quem quidem motum imaginatio aggregat ex pluribus similitudinibus, quæ sunt plures tunicæ, de qu-bus suum induit imaginari. Et vade ad rub. virtutis. Vestigiũ pedis quomodo est instrumentum ad imaginandum pedem? Solutio. Quilibet effectus suam causam significat cum similitudine. Quare vestigium pedis non est instrumentum ad imaginandum colorem pedis? Solutio. Imaginatio accipiendo vestigium pedis, non multiplicat similitudinem coloris in causa, sed tantummodo in effectu, & hoc est, quia oculi non accipiunt per vestigiũ qualem pedem in numero. Imaginatio quomodo multiplicat imaginari ex pluribus speciebus? Solut. Vade ad rub. virtutis. Ex imaginari quomodo sequitur imaginatum? Solu. Sicut ex vegetare sequitur vegetatum, & imaginatio accipit illam similitudinem antecedentis & cõsequentis, ita sequitur ex imaginari imaginatum. Imaginari est morale instrumẽtum, aut naturale? Solutio. Imaginari est instrumentum naturale intra imaginationẽ, & morale extra. Imaginatio incipit ante imaginari suum in sua natura, aut in suis moralitatibus? Solutio. Agens naturale ante incipit in partibus propinquis, quam in partibus remotis secundum appetitum, sed ante incipit in partibus remotis secundum necessitatem.

De Quæstionibus florum arboris humanalis.

FLores hominis qui sunt? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Quomodo in homine elementare est flos, & idem est de vegetare, sentire, & imaginari? Solutio Homo est elementatiuus inquantum alium hominem generat, quando ex elementato producit elementatum, & ideo flos suus est elementare, quod est instrumentum illius productionis, quæ est de suomet instrumento: homo est vegetatiuus, inquantum Pater dat Filio potentiam vegetatiuam per generare & vegetare, & est sensitiua inquantum suo Filio dat potentiam sensitiuam, & idem de imaginatiua: sunt etiam per alium modum flores in homine, sicut Martinus qui est elementatiuus, vegetatiuus, & sensitiuus, inquantum cibum transmutat in speciem suam, & est imaginatiuus, inquantum vtitur imaginari. Anima Martini quomodo facit suum corpus elementare, vegetare, & sentire? Solutio. Naturales partes quæ sunt in Martino ex parte elementatiuæ, sunt intentione, quod ex ipsis sit homo, & idem de vegetatiua, sensitiua, & imaginatiua: sunt ergo per seipsas dispositæ, quod sint partes hominis, & anima rationalis ipsas applicat, & ponit in actu illis partibus cum suis partibus formalibus participantibus dispositis, quod sint partes hominis, & ex mixtione ambarum dispositionum, vna existẽte actiua, & alia passiua, resultat homo, qui vtitur partibus suis, & vtitur qualibet parte secundum suam naturam. In homine est calor, & per consequens calefacere, illud calefacere est instrumentum, ignis aut animæ, aut hominis? Solutio. In seri-

ptura voluntas mouet manum, & manus pennam, & homo voluntatem mouet atque manum & pennam. Homo homificat seipsum? Solutio. Filius non potest homificare seipsum, ita quod se hominem faciat, quod si se hominem faceret, esset Pater suiipsius, veruntamen habet in seipso homificare, sicut in se habet videre vtendo partibus suis secundum quod instrumenta sunt ad vsum hominis. Homo quomodo habet rationare? Solutio. Homo habet rationare vtendo partibus animæ rationalis secundum earum officium, sicut habet sentire vtendo partibus sensus secundum eorum officium. Homo quomodo habet meritum morale? Solutio. Homo habet meritum morale virtuosum vtendo suis partibus secundum earum officium, & vitiosum, cum vtitur partibus suis contra earum officium. Et vade ad arborẽ moralem. Homo quomodo viuit? Solutio. Lumen de oleo in lampade viuit. Homo quomodo moritur? Solutio. Deficit oleum, & moritur in lampade lumen. Homo quare est? Solutio. Homo est duobus modis, primus est formalis & naturalis, inquantum est de anima & corpore, secundus est finalis & moralis, videlicet Deum amare & cognoscere, recolere, laudare, & ei seruire, & ideo morales virtutes sunt viæ finis & operationis, per quas deuenitur ad beatitudinem.

De Quæstionibus florum arboris moralis. virtuosæ.

Flores virtutum qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare merita sunt flores virtutum? Solutio. Retributio est constantia meriti, sicut pomum quod est constantia floris pomerij. Meritum de quo est? Solutio. Meritum est ex rebus debitis secundum finem propter quem sunt, & etiam cum homo vti non vult contra illum finem. Meritum quare est? Solutio. Meritum consistit duobus modis, primo est, quia homo vtitur naturis partium, de quibus est, & non contra earum naturam, secundo est, vt Deus occasionem habeat dandi gloriam hominibus virtuosis.

De Quæstionibus florum iustitiæ.

Flos iustitiæ quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iudicare de quo viuit? Solutio Ita viuit iudicare de bono intelligere & amare, sicut videre viuit de colore, & calefacere de calore, & homo per comedere. Iudicare quare est? Solutio. Iudicare est, vt sit pax inter Deum & hominem, & inter hominem & hominem, & vt Deus occasionem habeat indulgendi. Quomodo viuit iudicare de bono intelligere & amare? Solutio. In virtute quidam habitus viuunt ex aliis, & per alios, cum aliis, & in aliis, & ille viuit ex omnibus in illo tempore, quo suo vtitur officio.

De Quæstionibus florum prudentiæ.

Flos prudentiæ quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sapientia quomodo est virtus moralis. Solutio. Est virtus moralis in homine amante fines rerum, vt ipsis vti possit. Habere cognitionem de Deo, de sua Trinitate, incarnatione, & de eius operibus, illa cognitio poterit esse vitium? Solutio. In cognoscendo Deum & eius operationes homo vitiosus esse non potest, dum tamen Deum plus diligat & eius operationes, quam aliquid

quid aliud Sapientia de quo viuit? Solutio? Sapientia ita viuit ex suppositione, sicut planta viuit de aqua quæ ipsam rigat, etiam ex frequentatione studij & ex rationibus ostensiuis.

De Quæstionibus florum fortitudinis.

FLos fortitudinis quis est? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Flos fortitudinis quomodo est? Solutio. Sicut est in scriptura, quod voluntas mouet manum, & manus pennam, & penna litteras ad illas figuras exteriores, quæ interius imaginatæ & conceptæ sunt, ita est meritum fortitudinis in fortificando consuetudines bonas intra conceptas in habitibus virtutum. Meritum fortitudinis quam vtilitatem infert? Solutio. Fortitudo victoriam infert & famam & pacem, & in alia vita confirmationem æternæ requiei. Fortitudo potest deuinci? Solutio. Nihil fortitudinem deuincit nisi homo, cuius est pars, qui ipsam vincit, inquantum non vult ipsa vti.

De Quæstionibus florum temperantiæ.

FLos temperantiæ quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Temperantia quare habet meritum? Solutio. Sicut homo culpam habet in occidendo hominem, habet meritum homo virtuosus in sustentando hominem. Temperantia quare plus attributa est ipsi comedere quam alij flori? Solutio. Sicut quodlibet elementatum habet magis proprium subiectum in viendo plus sua qualitate in vno subiecto quam in alio, ita quilibet habitus virtuosus magis habet proprium subiectum, inquantum plus vtitur sua qualitate in illo quam in alio. Temperare quomodo potest homo intelligere & imaginari in comedere, loqui, expendere, & sic de aliis floribus, cum ita sit, quod videri non potest neque tangi? Solutio. Cum passionibus infirmis cognitio habetur de formis sanis.

De Quæstionibus florum fidei.

FLos fidei quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fides quomodo durat? Solutio ibidem. Quis est nobilior flos, credere vel intelligere? Solutio. In intelligere quod veritatem de Deo intelligit maior est magnitudo bonitatis quam in credere quod veritatem de Deo credit, in quo credere est maior magnitudo bonitatis quam in intelligere quod intelligit, quod bos & asinus nō sunt de vna specie. Meritum quod homo habet per fidem est ita magnū, sicut meritum quod homo habet per intelligere? Solutio. Nemo infirmus tantum seruitium facere potest sicut homo sanus.

De Quæstionibus florum spei.

FLos spei quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sperare quomodo est inter iudicare & remittere? Solutio. Quilibet homo habet meritum, qui suum peccatum cum contritione cognoscit, & qui placitum habet, quod de seipso iudicium fiat, de quo placito misericordiam assequitur. Cum sperare quæ virtus maiorem habet concordantiam? Solutio. Iustitia & charitas assueverunt iudicare & remittere de necessitate per sperare. Cum homo moritur, quo vadit sua spes? Solutio. Secundaria instrumenta pro

ta propter hoc prius morte annihilantur, quia in alia vita non sunt necessaria.

De Quæstionibus florum charitatis.

FLos charitatis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Tunicæ amandi quæ sunt? Solutio ibidem. Quare amare maius est per dare, quam per accipere? Solutio. Ignis est nobile & fortior per calefacere quam per desiccare. Deamare virium est ita nobilis, sicut amare virtutem? Solutio, Nullum consequens est ita nobile: sicut suum antecedans.

De Quæstionibus florum vitiorum.

FLores vitiorum qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Peccare de quo est? Solutio. Peccare est ex deuiatione principij & medij à fine propter quem sunt. Culpa vbi incepit? Solu. Culpa incepit in ociositate rationũ cõtra diligentiá virtutis Consequẽtia culpę quę est: Solu. Cõsequẽtia culpæ est ita pœna: sicut cõsequẽtia virtutis moralis est gloria. Elementare, vegetare, sentire, & imaginari quomodo induta sunt culpa? Solutio. In priuatione finis est perditio instrumentorum. Recolere quomodo est peccare? Solutio. Recolere Deum, & non amare ipsum propter bonitatem suam est peccare. Intelligere quomodo est peccare? Solutio. Intelligere peccatum, & non deamare ipsum, est peccare, & ideo nullus debet peccatũ quod fecit, dicere in ridendo, sed cum contritione & dolore. Amare quomodo est peccare? Solutio. Amare est peccare, cum est actus voluntatis sine charitate. Timor quomodo est peccare? Solutio, Timor est peccare, cum nõ est consequẽtia ipsius amare charitate induti. Conscientia quomodo est peccare? Solutio. Conscientia est peccare sine contritionare.

De Quæstionibus florum arboris Imperialis.

FLores Principis qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iudicare & iniuriari in quo plus esse possunt? Solutio ibidem. Honorare aut inhonorare in quo plus altius ascendere possunt? Solutio ibidem. Gloriari & tormentare in quo maiora esse possunt? Solutio ibidem. Laudare & maledicere de quibus melius narrari potest? Solutio ibidem. Verum dicere & mentiri in quo citius inueniri possunt? Solutio ibidem. Auferre & donare in quo sępius vadunt stare? Solutio ibidem. Superbire & humiliari in quo plus distare possunt? Solutio ibidem. Exemplum bonum & malum quis magis dare potest? Solutio ibidem. Amare & deamare in quo plus ascendere possunt? Solutio ibidem.

De Quæstionibus florum arboris Apostolicalis.

FLores arboris apostolicalis qui sũt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quid est articulus? Solutio. Articulus est testimonium verorum per credulitatem, aut per intelligentiam. Qui sunt altiores flores & pulchriores? Solutio. Vade ad rubri. virtutis. Ecclesia sancta quare plorat? Solutio. Plorat sancta Ecclesia, quia sui flores per totum mundum non sunt recoliti, cogniti, & amati.

De Quæstionibus vtrum Deus sit de arbore Apostolicali.

VTrum Deus sit, vel non? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Si summum bonum non esset, esset summum malum? Solutio. Si summum malum est, impossibilile est summum bonum esse, & si summum bonum est, impossibile est summum malum esse, & si summum bonum est & summum malum est, impossibile est summas contrarietates esse & non esse: quoniam subiecta infinitarum contrarietatum se sustinere non possent. Et vade ad rubricam antedictam, in qua probatur Deum esse. Quare est necessarium Deum esse? Solutio. Si Deus non esset, impossibilitas maior esset quam possibilitas, & sequeretur quod maior potestas concordantiam haberet cum non esse, & minor cum esse, & maior potestas quæ in priuatione existeret, esset causa maioris possibilitatis, & sequeretur contradictio, inquantum esset & non esset, quæ contradictio est impossibilis, est ergo necessarium Deum esse. Et vade ad rubricam virtutis. Si Deus non esset, quid sequeretur? Solutio. Si Deus non esset, intellectus humanus considerare posset maiorem nobilitatem in esse fantastico, quam in esse reali, & cum falsitate quam cum veritate, quod est impossibile, sequeretur ergo: si Deus non esset, quod hoc quod est possibile, esset impossibile, & hoc quod est impossibile esset possibile. Et vade ad rubricam virtutis. Deum non esse, quare est odibile? Solutio. Quia Deus est, suum esse est amabile, qui si non esset, suum esse esset odibile, & eius priuatio esset amabilis. Et vade ad rubricam virtutis. Quæ vtilitas sequitur de esse Dei? Solutio. Si Deus non esset, nulla substantia quietem haberet in sua existentia, & eius quies foret in sua agentiа, ratione cuius nullam vtilitatem haberet, & omnes substantiæ fine priuatentur, de quo vacuæ forent. Et vade vt supra.

De Quæstionibus vnitatis Dei florum arboris Apostolicalis.

ESt vnus Deus, aut plures? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare oportet quod vnus Deus sit, & non plures? Solutio ibidem. Si plures dij essent, quid sequeretur? Solutio. Si essent plures dij, in nullo ipsorum esset potestas, sapientia & voluntas vnum idem numero, quæ si non essent vnum idem numero, nullus esset dignus, quod esset Deus, cum ita sit, quod Deum consideramus esse summum esse. Quare non potest esse nisi vna summa bonitas? Solutio. Si essent plures summæ bonitates per essentiam distinctæ, esset essentia cuiuslibet finita & non infinita, sine qua infinitate non haberet dignitatem in summitate. Et vade ad rubricam virtutis. Si non est nisi vnus Deus, quid sequitur? Solutio. In hoc quod vnus Deus est, sequitur quod potest esse Deus: quoniam potest esse finis & perfectio suiipsius & alterius, videlicet sui effectus. Et si essent plures dij, non posset esse Deus, cum ita sit, quod conditiones Dei sint, quod sit perfectio & finis suiipsius & alterius, & sic esset Deus & non esset, si essent plures dij. Quare non possunt esse plures dij? Solutio. Si essent plures dij, essent plures æternitates: quoniam quilibet foret suamet æternitas, & sicut quilibet foret infinitus per durationem, infinitus esset per magnitudinem, & per ex-

tensionem, quod est impossibile, propter quam impossibilitatem plures dij esse non possunt.

De Quæstionibus pluralitatis arboris Apostolicalis.

VTrum in Deo sit pluralitas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare in Deo est pluralitas? Solutio. Si in Deo non esset pluralitas, actus suarum rationum non essent æterni, nec infiniti. Et vade ad rubric. virtutis. Si in Deo pluralitas non esset, quid sequeretur de sua vnitate? Solutio. Si in Deo pluralitas non esset, vnire non esset purus actus suæ vnitatis,& non esset ita magna per agere, sicut per existere. Et vade vt supra ad secundam rationem. Absque pluralitate potest in Deo esse deitas? Solutio. Dicimus quod non sine numero vnius & alterius, videlicet sine numero deificantis & deificabilis, & quod vnus non sit alius, quod si vnus esset alius, falsa esset ista prædicatio in Deo vnum, duo, tria. Deus posset esse sine pluralitate? Solutio. Si Deus posset esse sine pluralitate, posset esse per existentiam sine agentia, aut per agentiam sine existentia,& sic tantum posset esse per priuationem finis, sicut per formam, aut per priuationem formæ, sicut per existentiam finis, quod est impossibile. Sine pluralitate Deus posset esse infinitus? Solutio. Duo considerare oportet in infinitate perfecta,vnum videlicet quod substantia sit infinita, aliud quod eius operatio sit infinita, quæ non potest esse infinita sine pluralitate vnius & alterius.

De Quæstionibus diuinarum proprietatum.

QVare oportet quod pluralitas Dei sit de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & non de aliis proprietatibus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Deus seipsum intelligit, & ideo est intelligens & intelligibilis, quare intelligens dicitur, & appellatur Pater,& intelligibilis Filius? Solutio. In sapientia Dei est intelligens per ita magnam bonitatem,quod bonitas suo intelligere est ratio infinita, est ergo ratio ad producendum infinitum bonum: oportet ergo quod intelligens qui habet respondere rationi infinitæ bonitatis, producat de seipso, qui est infinitus bonus, aliam personam infinitam, & quia ipsam producere oportet de seipso, oportet quod sit Pater: quoniam omne ens quod producit aliud de seipso,est Pater, & per consequens intelligibilis productus est Filius,cum ita sit, quod Pater & Filius se habeant relatiue. Et vade ad rubricam virtutis. Deus diligit seipsum, per quam naturam vel virtuté suum amare vocari debeat Spiritus sanctus? Solutio. In Deo Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, & inquantum Pater Filium generat, vna consideratio est per generare, & inquantum Pater Filium diligit, & Filius Patrem diligit,est alia consideratio per amare, quod est ex actione Patris,& ex actione Filij, & ex illis duabus actionibus oportet exire vnam passiuam spirationem, quæ sit ita magna proprietas personalis, sicut proprietas Patris & Filij, vt amare non sit accidens, & quod sit substantia, & quia spirare est de exite & sanctitate puritatis & innocentiæ,quam habent Pater & Filius

lius, qui se communicant in ita magna substantia per amare: sicut est substantia, quæ est per genetare, oportet quod tertia persona vocetur Spiritus sanctus. Et vade ad secundam rationem rubri. antedictæ. Potest esse maior relatio quam inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum? Solutio. In essentia & natura amoris non possunt esse magis propriæ proprietates vel magis essentiales quam amatiuitas, amabilitas & amare, est ergo amor maior per talem relationem quam per alias proprietates, quæ non sint de essentia & natura amoris. Similimodo inter producentem & productibilem, qui sit de essentia & natura producentis, non potest esse maior relatio in productione quam inter Patrem & Filium, nec concordantia amborum potest esse maior quam in amare. Potest esse maior concordantia quam Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Solutio. Nulla concordantia potest esse maior in bonitate quam inter bonificantem, bonificabilem & bonificare, nec in magnitudine quam inter magnificantem, magnificabilem & magnificare: nec in æternitate quam inter æternantem, æternabilem & æternare. Et si posset esse maior concordantia quam inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in bonitate, & sic de aliis, posset esse maior concordantia inter bonificantem, bonificabilem & bonificare, bonificabili non existente de natura & essentia bonificantis, nec bonificare de essentia & natura amborum, quod est impossibile. Potest esse maior æqualitas quam Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Solutio. In essentia & natura potestatis non potest esse maior æqualitas quam inter possificantem, possificabilem & possificare. Et idem est de essentia principij in qua maior æqualitas esse non potest quam inter principiantem, principiabilem & principiare: quoniam, si possificans magis posset æqualificare sibimet possificabile alterius essentiæ & naturæ quam suẽmet, maiorem dispositionem haberet agendi de sua æqualitate in essentia & natura, quæ non esset de suo genere, quam illa quæ esset de suo genere, quod est impossibile. Et quia possificabile quod est de essentia possificantis est Filius, postquam de ipso est productus, & possificans est Pater, per consequens & possificare amborum Spiritus sanctus. Oportet ergo esse maiorem æqualitatem quæ potest esse, Paternitatis, Filiationis & Spirationis.

De Quæstionibus numeri ternarij Diuinalis.

QVare personæ diuinæ sunt tres, & non plures, neque pauciores? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In bonitate quis est nobilior numerus qui esse potest, & sic de magnitudine, æternitate, & aliis diuinis formis? Solutio ibidem. Quare in Deo non sunt duo Patres, & duo Filij, & duo Spiritus sancti, aut plures? Solutio ibidem ad secundam rationem. Concordantia in quo numero est nobilior, & maior? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Æqualitas in quo numero potest esse melior, maior, & magis potens? Solutio ibidem ad quartam rationem. Principium in quo numero est magis durabile, scibile, magis verum & magis amabile? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus creationis.

MVndus est æternus, aut est creatus de nouo? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Posset Deus mundum creare æternum? Solutio. Impossibile est, quod potestas Dei plus possit de æternitate, quam de bonitate, magnitudine, sapientia, voluntate, veritate, gloria, & virtute, quoniam si plus posset per æternitatem quam per alias formas, maiorem conuenientiam haberet cum æternitate, quam cum aliis formis, & foret in Deo maior & minor conuenientiam, quod est impossibile: ergo potestas Dei producere non potest nec creare mundum in infinitate bonitatis, magnitudinis, potestatis, sapientiæ, & sic de aliis formis, quoniam mundus illam infinitatem recipere non posset, sed potestas illam dare posset, si subiectum esset dispositũ ad recipiendum: quare sicut potestas mũdum infinire non potest per bonitatem, magnitudinem, & sic de aliis dignitatibus, sic ipsum infinire non potest per æternitatem. Et vade ad rubricam virtutis. Si mundus esset æternus, quid sequeretur? Solutio? Si mũdus esset æternus, & nõ de nouo creatus sua æternitas foret finis & complementum omnium partium mundi, & æternitas Dei non, cum ita sit, quod infinitum necessitatem non habet de alio infinito, & sic sequeretur quod Deus non esset finis & complementũ mundi, & quod mundus in seipso suũ finem haberet, quod est impossibile & contra nobilitatem Dei. Etiam aliud inconueniens sequeretur, quod inuenies in secunda ratione rubricæ antedictæ. Si mundus esset æternus, esset melior, quã si sit nouus? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad tertiam rationem. Quæ derogatio esset Deo, si mundus esset æternus? Solutio ididem ad quartam rationem. Si mundus sit creatus, de quo est principiatus? Solutio. Sapientia Dei quæ est infinita, & quæ conprehendit tam futura, quam præsentia & præterita, mundum intellexit antequam fuit, & voluntas Dei voluit, quod mundus esset principiatus & productus, secundum quod per sapientiam fuit intellectus, & potestas Dei possificauit & compleuit; & in actu posuit hoc, quod voluit voluntas, & ita fuit mundus creatus per hunc modum, & non fuit creatus de aliquo, & quia non fuit, est dictum, quod creatus est de nihilo.

De Quæstionibus recreationis.

Et primò quod primus homo peccauit.

PEccatum incepit primo in primo homine? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In quo cognoscitur quod peccatum incepit in primis parentibus? Solutio. Generaliter homines inclinationem habent ad malum, antequã ad bonum, & hæc generalitas non poterat principiari in principiis consequentibus, & non generalibus, quod si fuisset, generalis nõ fuisset, & quia est generalis, est principiata in antecedentibus, quæ sunt primi & parẽtes generales. Et vade ad rub. virtutis ad secundam rationem. Si peccatum nõ fuisset principiatum in primis parentibus, qualia inconuenientia sequerentur? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Contrarietas quæ est per peccatum contra concordantiam quæ est per virtutem, quomodo scitur quod est principiata in primis parentibus? Solutio

tio ibidem ad quartam rationem. Quis peccauit ante, aut Adam, aut Eua? Solutio. Secundum cursum naturalem homo est generalius principium, quam fœmina, & quia humana species quæ est generalis, est infirma per peccatum, oportet quod sit magis infirma per magis generale peccatum, quam per minus generale.

De Quæstionibus quod peccatum Adæ sit generale sensualiter.

EST peccatum originale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. *S*i peccatum originale non fuisset quid sequeretur? Solutio ibidem ad secundam rationem. Generalitas peccati potuit principiari in hominibus consequentibus? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Posset esse mors generalis, sine peccato? Solutio ibidem ad quartam rationem. Quare est originale peccatum, cum ita sit, quod in generalitate magis sit de malo, quam in specialitate? Solutio. Vnum malum est per aliud, malo in suis conditionibus remanente. Et vade ad rub. virtutis ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod peccatum originale sit in anima.

PEccatum originale est spirituale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum anima Saraceni non sit de anima Adæ, quare est in peccato originali? Solutio ibidem ad secundam rationem. Si peccatum generale non esset spiritualiter, quod inconueniens sequeretur? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Quare est peccatum originale spiritualiter? Solutio ibidem ad quartam rationem. Saracenus qui credit esse in statu saluationis, qui peccatum originale ignorat, & non est in actuali peccato, cum moritur; quare damnatur? Solutio. Causa non remota remanet effectus, & nō remota generalitate remanet specialitas: est ergo damnatus propter originale peccatum.

De Quæstionibus recreationis.

EST mundus recreatus? Solutio. Nos intendimus probare incarnationem & mortem Iesu Christi, & ex probatione istorum duorum articulorum sequitur quod mundus sit recreatus, Deo existente incarnato & mortuo, inquantum homo, vt mundus sit recreatus. Supposito quod Deus sit incarnatus & mortuus, quare sequitur quod mundus sit recreatus? Solutio. Pro peccato requiritur satisfactio, & per peccatum primi hominis fuit mūdus à fine deuiatus ad quem extitit creatus, & moriente magis generali homine in magnitudine bonitatis, sanctitatis & virtutis, ad quem mundus creatus fuit, qui est Iesus Christus, satisfecit sua mors, & mundum ad finem restaurauit, ad quem creatus extitit: & si sua mors non suffecisset pro satisfactione generalis peccati, esset defectiuus in magnitudine bonitatis, & Adam esset maior in productione mali, quam Iesus Christus in reparatione boni, quod est impossibile, cum ita sit, quod Iesus Christus sit Deus & homo. Iesus Christus inquantum Deus non fuit mortuus, ergo Deus per mortem non recreauit mundum, & ideo quæro, vtrum humanitas Christi sufficit ad recreandum mundum? Solutio. Intantum est Deus perfectus in magnitudine bonitatis & aliarum suarum dignitatum quod in hoc quod ipse est homo, ille homo sufficit reparationi mundi per suam mortem, licet deitas

deitas non fuisset mortua: sicur corpus Martini, quod sufficit ratione nobilitatis animæ, cum qua est coniunctum, quod sit melius in magnitudine bonitatis, quam corpus Leonis vel Solis: & sic de omnibus aliis corporibus quæ non sunt de humana specie. Corpus Christi fuit particulare, fuit ergo sua mors particularis, mors ergo particularis quomodo reparare potuit mortem vniuersalem? Solutio. Talis potest esse particularis in magnitudine bonitatis, quod plus potest quam omnes particulares sub vniuersali existentes secundū quod dictum est: sicut corpus Martini, quod ratione nobilitatis animæ rationalis valet plusquam omnia corpora irrationabilia omnium planetarum & firmamenti. Si non esset recreatio quod inconueniens sequeretur? Solutio. Si non esset recreatio, plura inconuenientia sequerentur, videlicet quod Deus rationem non haberet saluandi homines in peccato originali existentes, nec Iesus Christus haberet rationem moriendi, si recreatio non esset, & non haberet motum honorandi diuinam naturam, & Deus dimitteret mundum deuiatum à fine, propter quem creatus est, & plura alia inconuenientia sequerentur.

De Quæstionibus quod Iesus resuscitabit homines in iudicio.

VTrum homines resuscitabuntur? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si non esset resurrectio quod inconueniens sequeretur? Solutio ibidem ad secundam rationem. Quare oportet quod sit resurrectio? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Si non esset resurrectio posset iustitia Dei vti homine? Solutio. Impossibile est vti homine in subiecto quod non est in specie hominis. Absque resurrectione possent omnes partes naturales corporum quæ sunt partes mūdi, attingere eorum finem? Solutio ibidem ad quintam rationem. Corpus Martini morrui & in terra putrefacti, aut comesti per lupos, quomodo poterit resuscitari in illo numero, in quo erat, cum moriebatur? Solutio. Substantia in qua potestas, sapientia, veritas, virtus & voluntas sunt in vno eodem numero infinito, & æterno, non est impossibile aliquod opus virtuosum: quoniam sapientia illud scire potest, & voluntas illud amare, & potestas potest possificare, & in verum ponere, illud quod scit sapientia, & quod voluntas diligit.

De Quæstionibus quod anima rationalis sit immortalis.

ANima rationalis est immortalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Anima quomodo potest esse immortalis? Solutio ibidem ad secundam rationem. Quare anima est immortalis? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Si anima moreretur quod inconueniens sequeretur? Solutio. Si anima moreretur, suæ partes subiectum non haberent in quo forent sustentatæ cum sint spirituales & omnes annihilarentur, & si rediret, foret iterum creata, & sine satisfactione culpæ, quare moriebatur in naturali virtute posita contra iustitiam Dei. Et vade ad rub. virtutis, ad quartam rationem. Raymunde, quomodo scis tu, quod anima sit immortalis? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstio-

De Quæstionibus quod Deus dabit gloriam sanctis in gloria.

POst diem iudicij sancti erunt glorificati? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si non esset Paradisus & gloria quod inconueniens sequeretur? Solutio ibidem ad secundam rationē. Quare oportet esse gloriam? Solutio. ibidem ad tertiam rationem. Cum quo Deus corpora sanctorum glorificat, cum ita sit, quod ipse sit insensibilis? Solutio ibidem ad quartam rationem. Cum quo Deus dat gloriam animabus sanctorum? Solutio ibidem.

De Quæstionibus quod Iesus sit conceptus, & quod Deus fuit incarnatus.

VTrum Deus sit incarnatus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si Deus incarnatus non esset quæ inconuenientia sequerentur? Solutio. Si Deus incarnatus non esset, omni tempore suæ rationes desiderarent quietem habere in creaturis, & nunquam ipsam attingerent. Et vade ad secundam rationem rubricæ antedictæ. Quare Deus est incarnatus? Solutio. Deus est incarnatus vt maiorem concordantiam quæ possit esse inter causam & suum effectum producere possit. Et vade ad rubr. virtutis ad tertiam rationem. Si Deus, non fuisset incarnatus, sua natura posset esse finis & complemētum naturæ creatæ? Solutio ibidē ad quartam rationem. Si Deus incarnatus non esset, suæ rationes possent esse finis & complementum rationibus creatis? Solutio ibidē ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus fuit conceptus per Spiritum sanctum.

IEsus Christus fuit conceptus per Spiritum sanctum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iesus Christus posset esse conceptus per hominem & per fœminam? Solutio ibidem ad secundam rationem. Si Iesus Christus per hominem & fœminam conceptus fuisset, quod inconueniens sequeretur? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Iesus Christus quomodo potest esse homo sine carnali copula hominis & mulieris? Solutio. Omne illud potest diuina bonitas, ꝙ per ipsā bonificari potest. Et vade ad rubric. virtutis ad quartam rationem. Quare oportet quod Iesus Christus sit Filius fœminæ & non hominis? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus sit incarnatus.

IEsus Christus est incarnatus, aut est incarnandus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si Iesus Christus sit incarnādus, quod inconueniens sequeretur? Solutio ibidem ad secundam rationem. Quomodo scitur quod Iesus Christus sit iam incarnatus? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Quare Iesus Christus est incarnatus, & non incarnandus? Solutio ibidem ad quartam rationē. Quare Iesus Christus non fuit incarnatus in principio mundi? Solutio. In maiori ordine & medio qui possit esse inter Deum & creaturā oportuit quod fuisset incarnatio Filij Dei. Et vade ad rub. virtutis ad quintam rationem.

De.

De Quæstionibus quod Iesus Christus fuit natus.

IEsus Christus fuit natus? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Cum Filius Dei sit æternus, quomodo potuit nasci de fœmina? Et cum sit infinitus in magnitudine, quomodo potuit nasci per illum locum ita modicum, vbi alij homines nascuntur? Solutio ibidem ad secundam rationem. Quomodo potuit Iesus Christus nasci de Domina nostra Virgine, ipsa Virgine remanente? Solutio. Omne illud quod potest scire diuina sapientia, & quod potest velle diuina voluntas, potest perficere diuina potestas. Et vade ad rubr. virtutis ad tertiam rationem. Quare Iesus Christus ex fœmina virgine nascebatur? Solutio ibidem ad quartam rationem. Inter virginitatem Iesu Christi & Dominæ nostræ quomodo potuit esse maior concordantia? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus fuit mortuus.

VTrum Iesus mortuus fuit? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Per mortem Iesu Christi quomodo fuit recreatio? Solutio ibidem ad secundam rationem. Ex morte Iesu Christi quæ vtilitas sequitur? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Si Iesus Christus non fuisset mortuus, quod inconueniẽs sequeretur? Solu. ibidẽ ad quartã rationẽ. Filius Dei qui est Iesus Christus, quomodo potuit mori, cum ipse sit æternus & immortalis? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus descendit ad inferos.

VTrum Iesus Christus descendit ad inferos? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare Iesus Christus descendit ad inferos? Solutio ibidem ad secundam rationem. Vtrum anima Iesu Christi passionem habuit in inferno? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Anima Iesu Christi descendit ad inferos vbi sunt damnati? Solutio ibidem ad quartam rationem. Quæ vtilitas sequebatur de anima Iesu Christi, quæ descendit ad inferos? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus resurrexit.

IEsus Christus resurrexit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iesus Christus cum fuit mortuus fuit homo? Solutio ibidem ad secundam rationem. Iesus Christus quare resurrexit? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Ex resurrectione Iesu Christi quæ vtilitas sequebatur? Solutio ibidem ad quartam rationem. Quomodo scitur, quod Iesus Christus resurrexit? Solutio ibidem ad quintam rationem.

De Quæstionibus quod Iesus Christus ad cælos ascendit.

IEsus Christus ascendit ad cœlos? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iesus Christus quare ascendit ad cœlos? Solutio ibidem ad secundam rationem. Si Iesus Christus ad cœlos non ascendisset, quid sequeretur? Solutio ibidem ad tertiam rationem. Iesus Christus quomodo ascendit ad

dit ad cœlos, cum suum corpus alas non habuit? Solutio. Omne illud quod vult voluntas corporis glorificati cum quo est coniuncta, potest diuina virtus perficere. Iesus Christus in quo cœlo ascendit? Solutio. In nullo cœlo tantum est de gloria, sicut in cœlo Empireo, nec alicui homini tantum de gloria conuenit, sicut Domino Iesu Christo.

De Quæstionibus quod Iesus Christus sit iudex in die iudicij.

QVis erit Iudex in die iudicij? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Quare oportet esse iudiciũ generale? Solu. Omnis multiplicatio numeri principiati in tempore oportet habere finem, qui est finis mundi. Et vade ad rub. virtutis ad secundã rationem. Iudicium quomodo potest esse in maiori veritate? Solutio ibidem. Quando erit dies iudicij? Solutio. Dixit Raymũdus quod ipse nesciebat quando erit dies Iudicij, nisi secundum similitudinem, videlicet secundum altam nobilitatem incarnationis Filij Dei, cui conuenit proportio & æqualitas temporis principij mundi, medij & finis est significatum, quod dies Iudicij sit in numero annorum totidem ab incarnatione Christi, sicut ab incarnatione vsque ad principium mundi. In quo loco erit dies Iudicij? Solutio. Nullus locus in terra est ita sanctus, sicut ciuitas Hierusalem, quia Iesus Christus ibi fuit crucifixus & sepultus & mundus recreatus.

De Quæstionibus florum arboris cælestialis.

FLores arboris cælestialis qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Flores substantiarum cælestium quomodo sunt adinuicem mixti? Solutio ibidem. Motus qui sunt hîc inferius, sunt de essentia motuum superiorum? Solutio. Secundum cursum naturalẽ omnes quantitates discretæ sustentatæ in corpore sunt de vna continua quãtitate generali. Quare pluit sæpius in Martio, quam in Septembri? Solutio. In Martio incipit generatio, cui conuenit confusio plurium partium contrariarum & concordantium, vt sit specificatio & indiuiduatio plurium specierum. Quare fœniculus plus crescit de die, quam de nocte? Solutio. Quia fœniculus est de complexione ignis maiorem recipit virtutem à Sole, quam à Luna. Quare melius est in Vere flebothomari & balneari, quam in alio tempore? Solutio. In nullo tempore fit tantum de mixtione partium veterum & nouarum, sicut in Vere, ideo ille qui vineas scindit, portas aperit partibus nouis, vt generationem intrare possint. Quare olea non perdit in hyeme folia, sicut ficulnea folia sua perdit? Solutio. Quia Autumnus est de complexione terræ, habet aqua maiorem virtutem restrictionis in siccitate, quam ignis in humiditate aëris, & ignis maiorem habet virtutem in conseruando per siccitatem folia, quam in humiditate aëris per calorem. Quare ex grano sinapi exit maior arbor quam ex grano frumenti, quod est maius? Solutio. Granum sinapis est de Sole, & granum frumenti est de Venere. Flos Lunæ quomodo est inter potentiam & obiectum? Solutio. Luna est planeta, qui dat influentias superiores corporibus inferioribus. Quare aqua maris est salsa? Solutio. In nulla aqua influit Sol ita magnum motum caloris & siccitatis, sicut in aqua maris.

De Quæstionibus florum arboris Angelicalis.

QVi sunt flores arboris angelicalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam Seraphin attingit Deum naturaliter, aut supra naturam? Solutio ibidem. Seraphin intelligit Deum cum medio, aut sine medio? Solutio ibidem. Amare de Seraphin quomodo æqualiter est indutum magnitudine & bonitate? Solutio. In potestate amare de Seraphin æqualiter se communicant bonitas, magnitudo & sua voluntas. Intelligere & amare de Seraphin, quare sunt æqualia in magnitudine bonitatis? Solutio. Bonitas & magnitudo Dei æqualiter intelligibiles & amabiles sunt. Seraphin quare plus Deum diligit quam seipsum? Solutio. In cœlo Empireo maior amabilitas fortius mouet ad amandum maiorem amatiuitatem quam minorem. Seraphin potest ignorare? Solutio. Oculi qui sunt de die aperti non videre non possunt, & Deo existenre exemplari Seraphin, non potest Seraphin ignorare. Seraphin potest plus Deum in vno tempore diligere quam in alio? Solutio. Voluntas de Seraphin ita plena est beatitudine, quod amare suum crescere non potest, nec diminui. Deus diligit tantum vnum angelum sicut alium? Solutio. Radius solis tantum communicabilis est secundum suam naturam paruis fenestris cameræ, sicut magnis, sed de ipso tantam claritatem accipere non possunt paruæ, sicut magnæ. Intelligere angeli illuminat intelligere hominis. Solutio. Inter intelligere & amare est naturaliter concordantia, & angelus repræsentat Martino aliquod obiectum amabile, & si illud diligat Martinus, voluntas angeli & voluntas Martini concordantiam habent in illa amabilitate, ratione cuius angelus illuminat intellectiuitati Martini intelligibilitatem obiecti per vtrumque amati.

De Quæstionibus florum arboris æuiternalis. Et primò de gloria.

FLores arboris æuiternalis qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Gloria cælestis quomodo est bona? Solutio ibidem ad primum paragr. Bonitas Paradisi quomodo est magna? Solutio ibidem ad secundum paragr. Bonitas Paradisi cum quo durat? Solutio ibidem ad tertium paragr. Bonitas gloriæ quomodo esse potest? Solutio ibidem ad quartum paragrap. Bonitas gloriæ quomodo est intellecta? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Bonitas gloriæ quomodo est amabilis? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Bonitas Paradisi quomodo habet virtutem? Solutio ibidem ad septimum paragraphum. Bonitas gloriæ quomodo est in veritate? Solutio ibidem ad octauum par. Gloria Paradisi de quo est? Solut. Gloria Paradisi est de actibus diuinarũ rationũ angelicarum & humanarum, qui siquidem actus sunt tria lumina gloriæ, quæ se miscent in gloriari æuiternaliter si necessare. Et hoc passu cognoscitur, quam magna est gloria Paradisi.

De Quæstionibus tormenti ipsius amare.

AMare dæmonis quomodo est malum? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Tormentum quod est per amare, quomodo est magnum? Solutio ibidem ad secundum paragr.

Tor

Tormentum quod eſt per amare, quomodo durat? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Tormentum quod eſt per amare, quomodo poteſt eſſe? Solutio ibidem ad quartum paragr. Magnitudo tormenti quod eſt per amare, quomodo eſt intellecta? Solutio ibidem ad quintum paragr. Amare dæmonis quomodo eſt malum & vitioſum? Solutio ibidem ad ſextum paragr. Amare dæmonis, quomodo eſt falſum & tormentans? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Amare dæmonis eſt conſequens de deamare? Solutio. Sicut in bono Angelo deamare eſt conſequẽtia de amare, ita in malo Angelo & peruerſo amare eſt conſequẽtia de deamare. Cũ dæmon ſit ſubſtantia ſpiritualis, quomodo poteſt pœnam attingere? Solutio. Omnes rationes naturales ſubſtantiæ dæmonis in ſua contraria ſubſtantiam peruertunt, quæ peruerſio eſt labor ſubſtantiæ. Pœna dæmonis quæ eſt valdè magna, poteſt creſcere aut minui? Solutio. Vt iuſtitia Dei habeat ſubiectum perfectum, in quo culpam punire poſſit, oportet quod tota natura ſubſtantiæ dæmonis & omnes ſuæ partes ſint plenæ pœna.

De Quæſtionibus florum arboris maternalis.

FLores arboris maternalis qui ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Bonificare Dominę noſtrę quomodo eſt aſſituatum? Solutio ibidem. Amare Dominæ noſtræ quomodo eſt in ſummo? Solutio ibidem. Domina noſtra habet paſſionem inquantum odit illos qui dedecus filio ſuo faciũt? Solutio. Domina noſtra ita magnum placitum habet de iuſtitia Filij ſui, quod odiendo illos qui Filio ſuo dedecus faciunt, pœnam non ſentit. Domina noſtra poteſt amare peccatorem, qui ſit in peccato mortali? Solutio. Domina noſtra diligit in ſuo filio miſericordiam & pietatem, & ideo peccatores diligit, & eorum peccata odit. Domina noſtra diligit tantum iuſtitiam, ſicut pietatem? Solutio. Domina noſtra eſt ambabus formis plena. Domina noſtra poteſt mouere peccatorem, qui eſt in mortali peccato ad contritionem? Solutio. Sicut faber mouet cum martello clauum, mouet Domina noſtra cum poteſtate filij ſui peccatorem ad contritionem, ſi in ipſa habeat ſpem & deuotionem. Domina noſtra poteſt obliuiſci? Solutio. Si Domina noſtra poſſet obliuiſci, magnitudo in ſuo intelligere & amare non eſſet ſecundum modum durandi. Domina noſtra habet totum quod deſiderat? Solutio. Sicut per præſentiam ſolis eſt dies, ita Domina noſtra per præſentiam filij ſui habet totum quod deſiderat. Domina noſtra conſiderat pœnam damnatorum? Solutio. Domina noſtra cum placito in ſuo filio ſuas attingit operationes.

De Quæſtionibus florum arboris Ieſu Chriſti.

De Bonitate.

FLores arboris Ieſu Chriſti quales ſunt? Solutio. Flores arboris Ieſu Chriſti ſunt actus diuinarum rationum, & humanarum Ieſu Chriſti. Et vade ad rubricam antedictam. Et per flores volumus probare incarnationem, miſcendo quoſdam actus cum aliis, & primo cum bonitate, & ad quæſtiones iſtorum florum trahimus de qualibet rub. duas quæſtiones. Sine incarnatione bonitas Dei eſſet ma-

gna ratio Deo, quod produceret ita magnam creaturam in bonitate. quod bonitas non posset esse maior ratio? Solutio. Vade ad rub. bonitatis & magnitudinis incarnationis. Quare Deus non assumpsit naturam plurium creaturarum? Solutio. Sicut in Deo bonitas potest esse maior ratio Deo, quod magnum bonum producat, Deo existente vno, & non pluribus, ita est maior ratio Deo existente incarnato, & vno homine, quam si esset incarnatus in pluribus creaturis. Bonitas Dei est ratio Deo, quod producat æternum bonum creatum? Solutio. Ita est æternitas ratio Deo, quod creaturam in æternitate producat, sicut bonitas est ratio, quod creaturam producat in bonitate. Sed sicut bonitas creata in infinitate produci non potest, ita duratio creaturæ produci non potest sine tempore, & quia duratio creata potest produci in æternitate per incarnationem, existente homine Deo æterno, requirit summa bonitas, quod homo sit Deus & summum bonum. Quare summa bonitas & æternitas non sunt rationes Deo, quod sint plures creatæ bonitates æternæ? Solutio. Bonitas & æternitas maiorem concordantiam habere possunt in vno supposito creato, quam in pluribus, & hanc naturam habent ratione vnitatis diuinæ, cui melius proportionatum est vnum suppositum creatum in deitate per incarnationem vnitum, quam plura supposita. Potestas Dei quomodo potest vti maiori bono creato? Solutio. Nulla potestas plus potest de creatura in bonitate, quam posse deificare bonitatem creatam. Et vade ad rub. bonitatis potestatis. Quare potestas Dei incarnari non potest in leone, vel in grue? Solutio. Summa bonitas participare non potest in vnitate cum supposito, quod discretionem non habet. Quare ratione bonitatis & sapientiæ diuinæ oportet esse incarnationem? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis sapientiæ. Quare Deus non producit totum illud bonum, quod intelligit esse possibile? Solutio. Sapientia Dei non intelligit aliquod bonum esse producibile extra ordinem & dispositionem productionis. Voluntas Dei posset absque incarnatione tantum diligere bonum creatum, sicut sapientia ipsum intelligere potest? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis voluntatis. Quare diuina bonitas non est ratio voluntati diuinæ, quod diligat Deum esse angelicatum?. Solutio Si voluntas Dei diligeret sub ratione bonitatis, quod Deus esset angelicatus & homificatus, non sufficeret vnum suppositum creatum deificatum, quod esset summum bonum cuiuslibet boni creati & deficeret magnitudo bonitatis magnitudini amabilitatis. Bonitas diuina quomodo incarnationem cum virtute significat? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis virtutis. In Iesu Christo dum erat in hoc mundo, erat moralis virtus acquisita? Solutio. Vitium esset summæ bonitati, si priuaret Iesum Christum bona moralitate. Bonitas & veritas quomodo incarnationem significant? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis veritatis. Postquam incarnatio est bona, quare summa bonitas ipsam non facit verificare in credulitate hominum, qui ipsam non credunt? Solutio. Diuina bonitas & veritas non cogunt libertatem & voluntatem hominum, vt iustitiæ Dei sub ectum remaneat, in quo possit vti iudicare. Quare per bonitatem & per gloriam oportet esse incarnationem? Solutio. Vade ad rub. bonitatis gloriæ. Cum incarnatio sit bona

bona & gloriosa, quare Iesus habuit in cruce passionem? Solutio. Illa solutio est in capitulo de recreatione. Inter bonitatẽ increatã, & creatã quomodo potest esse maior differentia? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis differẽtiæ. Inter bonitatem diuinam & humanam Iesu Christi, quomodo potest esse differentia, & quod vna sit persona Iesu Christi de natura diuina & humana? Solutio. Persona Iesu Christi vna est per incarnationem, & est ex pluribus naturis ratione distinctionis plurium rationum. Diuina bonitas & creata quomodo possunt esse in maiori concordantia? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis concordantiæ. Quare bonitas diuina & bonitas creata cõcordãtiã habẽt per vnã incarnationẽ, & non per plures? Solut. Bonitas diuina est vna, idcirco ratione suæ vnitatis vna incarnatio requiritur, & non plures, vt ipsa sit coniuncta cum vna bonitate creata. Per bonitatem & contrarietatem quomodo significatur incarnatio? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis contrarietatis. Diuina bonitas & bonitas creata quomodo possunt esse remota à contrarietate? Solutio. Diuina bonitas & creata non possunt esse magis remotæ à contrarietate, sicut in vnitate suppositi, quod in seipso aliquod malum nõ habet. Diuina bonitas quomodo est ratio Deo ad principiandum maius bonum creatum? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis principij. Diuina bonitas quare non est ratio Deo, quod mundus sit principiatus ad plures homines? Solutio. Sicut diuina bonitas potest esse altius & nobilius principium per vnitatem, quam per plures bonitates, ita est nobilius principium iñ creando mundum principialiter ad vnum hominem, quam ad plures. Inter bonitatem increatam & creatam, quomodo potest esse nobilius mediũ? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis medij. Per quod medium diuina bonitas acquirere potest bonitatem moralem & naturalem & cum illis participare? Solutio ibidem. Diuina bonitas quomodo potest esse ratio ad producendum maiorem finem bonitatis creatæ? Solutio. Vade ad rubri. bonitatis finis. Finis bonitatis creatæ, quomodo potest esse remotior à priuatione finis? Solutio ibidem. Diuina bonitas quomodo potest esse ratio ad producendum bonitatem creatam in maiori maioritate? Solutio. Vade ad rubricã bonitatis maioritatis. Diuina bonitas posset esse ratio ad producendũ bonitatem in maiori maioritate per plures incarnationes, quã per vnam? Solutio. Nulla maior maioritas produci potest in æqualitate plurium bonitatum sustentatarum in pluribus hominibus. Diuina bonitas quomodo est ratio Deo, quod maiorẽ æqualitatem rationum creatarũ producat? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis æqualitatis. Deus posset æquare duos homines in bonitate maiori ipso existente illis duobus hominibus per incarnationem? Solutio. Quia vnitas bonitatis increatæ est in maioritate, non posset Deus æquare duas personas, nec plures per incarnationem in maiori bonitate. Per maiorẽ bonitatem quomodo significatur incarnatio? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis minoritatis. Diuina bonitas quomodo fortius elongare potest bonitatem creatam à maiori minoritate? Solutio In maiori bonitate fortiùs elongari potest bonitas creata à maiori minoritate, quam in minori bonitate.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Magnitudine.

MAgnitudo & æternitas quomodo sunt maiores rationes creaturæ? Solutio. In persona quæ sit de diuina & humana natura sunt magnitudo & æternitas maiores rationes creaturæ. Et vade ad rubricam antedictam. Quomodo durare potest persona diuina in vno statu, quæ in vno tempore fuit homo, & in alio tempore non fuit homo? Solutio. Nulla mutatio potest esse in natura æterna & infinita. Per magnitudinem & potestatem quomodo probatur incarnatio? Solutio. Vade ad rubr. magnitudinis potestatis. Magnitudo & potestas quæ sunt rationes Dei, quomodo requirunt actus æquales in creaturis? Solutio. Requirit potestas à magnitudine ita magnum actum, videlicet magnificare: sicut ipsa potest possificare & illuminet actum, videlicet possificare requirit magnitudo à potestate secundum magnificare, & illas duas requisitiones oportet esse in incarnatione sustentatas. Sapientia & magnitudo Dei quomodo adinuicem requirunt actus suos? Solutio Vade ad rubricam magnitudinis sapientiæ. Esset magnus actus sapientiæ scire maius magnificare creaturæ in potentia, & minus quam illud in actu? Solutio. Nullum magnificare est adeo magnum in potentia, sicut in actu secundum naturam magnitudinis. Cum diuina voluntas sit libera & causa, & non causata, quid est ei causa, quod ipsa incarnationem diligat de necessitate? Solutio. Magnificabilitas & amabilitas se inuicem causant ad habendum actus æquales existentibus ambabus rationibus eademmet natura. Et vade ad rubricam magnitudinis voluntatis. Absque incarnatione posset diuina voluntas plus magnam creaturam diligere, quam magnitudo magnificare? Solutio. Si non esset incarnatio, diuina voluntas tantum creaturam diligere non posset, sicut magnitudo ipsam magnificare posset. Si non esset incarnatio, magnitudo Dei esset vitiosa in creatura? Solutio. Illa causa quæ suo effectui non dat complementum ita magnum, sicut effectus recipere potest, est vitiosa. Et vade ad rubricam magnitudinis virtutis. Incarnatio quomodo est causa magnæ virtuti? Solutio. Sicut homo maiorem habet virtutem in producendo hominem in sua specie, quam de pingendo hominem in pariete, ita Deus maiorem habet virtutem in producendo creaturam in sua natura diuina, quam in natura creaturæ. Quomodo potest Deus producere maiorem veritatem creaturæ? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis veritatis. Cum incarnatio sit in ita magna magnitudine veritatis, quare est ita magna magnitudo falsitatis in mundo, qui principaliter creatus est, vt Deus sit incarnatus? Solutio. Iesus Christus suum locum beato Petro dimisit in Vicaria, de qua est magna veritas in intellectu plurium hominum, de qua magna vetuate habent reddere magnam rationem, si ipsam teneant ociosam. Deus quomodo potest dare maiorem gloriam? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis gloriæ. Si non esset incarnatio, corpora sanctorum quomodo haberent magnam gloriam? Solutio. Quia Saraceni incarnationem non credunt, qui in Paradiso magnam gloriam per remunerationem

nem considerant, considerant in Paradiso gloria comedendi, bibendi, induendi pulchrarum camerarum, & tactum carnalem pulchrarum fœminarum virginum. Quomodo est maior differentia inter Deum & creaturam? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis differentiæ. Quomodo melius significatur magna distinctio diuinarum personarum, & vnitas naturæ? Solutio ibidem. Quomodo potest esse maior concordantia inter Deum & creaturam? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis concordantiæ. Magna concordantia diuinarum personarum cum quo melius significatur? Solutio ibidem. Deus quomodo potest esse creatura maius principium? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis principij. Si Deus non esset incarnatus, magnitudo Dei esset ociosa in non principiando magnam creaturam? Solutio. Illud agens ociosum est in magnitudine, quod non est ita magnum principium, sicut potest esse. Quod est maius medium, quod Deus creare potest? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis medij. Quare est incarnatio? Solutio ibidem. Quis est maior finis quem Deus dare potest creaturæ? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis finis. Si non esset incarnatio, esset aliqua creatura perfecta? Solutio. In priuatione magni finis non potest aliqua creatura esse perfecta. Deus quomodo potest creare magnitudinem in maiori maioritate? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis maioritatis. Absque incarnatione posset Deus magnitudinem creatam eleuare in maiori gradu creationis? Solutio. Supra incarnationem non potest esse altior gradus creationis. In creatura quomodo potest Deus æquare bonitatem & magnitudinem in altiori gradu bonitatis? Solutio. Vade ad rub. magnitudinis æqualitatis. Absque incarnatione actus diuinæ magnitudinis & sapientiæ possent esse æquales in creatura? Solutio ibid. Magnitudo Dei quomodo creaturam remouit à minori paruitate, & & ipsam posuit in maiori magnitudine? Solutio. Vade ad rubricam magnitudinis minoritatis. Si non esset incarnatio, diuina magnitudo posset creare suam similitudinem extra paruitatem? Solutio. Si non esset incarnatio, omnis creatura esset maior in paruitate, quam in magnitudine.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Æternitate.

VTrum absque incarnatione potestas Dei tantum posset de creatura in durare, sicut per incarnationem? Solutio. Vade ad rubricam antedictã. Potestas Dei posset priuare incarnationem? Solutio. Ita oportet esse incarnationem per durificationem sub ratione æternitatis, sicut per possificationem sub ratione æternæ potestatis. Deus potest contra actum æternitatis & sapientiæ? Solutio. Vade ad rubri. æternitatis sapientiæ. Diuina sapientia quomodo scire potest maiorem actum æternitatis in creatura? Solutio. Maior actus, quam sapientia scire potest de æternitate, in creatura est, quod sciat vnam personam de æternitate & creatura. Æternitas & diuina voluntas quomodo sunt causa sapientiæ & actibus, quos habent in creatura? Solutio. Vade ad rub. æternitatis voluntatis. Est tantum necessarius actus æternitatis in creando, sicut actus diuinæ voluntatis? Solutio.

Si

Si æternare non esset ita magnus actus in creando, sicut actus diuinę voluntatis qui est amare, diuina æternitas esset ociosa in creatura sua. Æternitas & diuina virtus quomodo sunt causę incarnationis? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis virtutis. Si incarnatio non esset æternitas, & virtus essent ociosæ in creare? Solutio. Contra magnum actum virtutis esset æternitas vitiosa, si virtus esset ociosa in creãdo creaturam per æternare. Æternitas & veritas quomodo habent in creatura maiorem actualitatem? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis veritatis. Æternitas & veritas quomodo creaturam remouent à maiori priuatione & falsitate? Solutio. Veritas creata cum æternitate & veritate increata coniuncta, remotior est à priuatione & falsitate, quam aliqua alia creata veritas. Æternitas quomodo potest esse causa maiori glorię creatæ? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis gloriæ. Æternare & gloriari quomodo coniunguntur in creare? Solutio. In deificando creaturam coniunguntur æternare & gloriari in creare. Æternitas quomodo habet maiorem actualitatem differentiæ creatæ? Solut. Vade ad rubri. æternitatis differentiæ. Æternare & differentiare quomodo se remouent à maiori cõtrariari in creare? Solutio. Sine incarnatione æternare & differentiare, concordare non possunt sũmæ in creare. Æternitas & concordantia cum quo possunt plus concordare in creare? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis concordantię. Creare quomodo potest esse de æternare & concordare? Solutio. In deificare, creare est de æternare & concordare. Aeternitas quomodo principiare potest creare in æternare? Solutio. Vade ad rubricã æternitatis principij. Aeternitas quomodo potest esse maior causa principio? Solutio. Per deificare creaturam potest esse æternitas maior causa creaturæ. Æternitas & creatura cum quo sunt maiora media in create? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis medij. Amare & æternare quomodo melius se possunt coniungere in creare? Solutio. Maior coniunctio quæ potest esse de æternare & amare, in creare est per deificare & creare. Æternitas quomodo attingere potest maiorem finem per creare? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis finis. Aeternitas & finis cum quo possũt melius cõcordare in creare? Solutio ibidem. Aeternitas quomodo fortius ostendere potest similitudinem suam in creare? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis maioritatis. Aeternitas quomodo æternare potest maius creare, cum creare esse non possit sine temporificare? Solutio. In deificare creaturam consistit quæstionis responsio. Aeternitas & diuina voluntas absque incarnatione possent habere æqualitatem in creare? Solutio. Vade ad rubricam æternitatis æqualitatis. Aeternitas & diuina voluntas de quo possunt æquare, æternare, & amare in creare? Solutio. Per incarnare possunt omnes diuinæ rationes æquare eorum actus in creare. Aeternare quomodo fortius remouere potest creare de minoritate? Solut. Vade ad rubricam æternitatis minoritatis. Aeternitas cum quo melius remouere potest minoritatem à priuatione? Solutio. Cum incarnatione remota est creatura fortius à priuatione.

***

De

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Potestate.

QVomodo probatur incarnatio per potestatem & sapientiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Sapientia Dei quæ scit, quod potestas possit de me facere Papam, sequitur propter hoc, quod de me Papã faciet? Solutio. Sapientia Dei non considerat aliquam ideam superfluam, vt in considerare suo non sit vacuitas finis. Diuina potestas & diuina voluntas quomodo sunt causæ incarnationis? Solutio. Vade ad rubricam voluntatis potestatis. Cum voluntas Dei possit velle plures incarnationes per plures homines, sequitur propter hoc, quod ipsæ sint, postquam voluntas ipsas amare potest? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Potestas Dei cum quo potest tantum vti virtute corporali, sicut spirituali? Solutio. Vade ad rubricam potestatis virtutis. Si non esset incarnatio potestas Dei ociosa esset & vitiosa? Solutio. Si non esset aliquis modus, ratione cuius diuina potestas se tantum communicare posset substãtiæ corporali, sicut spirituali, ociosa esset in illo modo. Possificare & verificare quomodo causant incarnationem? Solutio. Vade ad rubricam potestatis veritatis. Cum potestas Dei sit infinita, quid ipsam compellit, quod ipsa se communicet per incarnationem? Solutio. Iudex est liber in suo iudicare, & quia veritas est ei ratio, quod verum iudicium faciat, Iudex se cogit cum ratione iustitiæ & veritatis ad dandum veram sententiam contra falsitatem & iniuriam. Cum potestas Dei sit per seipsam gloriosa, quæ gloria est ei incarnatio? Solutio. Omnis causa placitum habet in producendo suam similitudinem, licet sine illa productione sit perfecta per seipsam. Et vade ad rubricam potestatis gloriç. Gloria diuina quomodo compellit potestatem diuinam ad possificandum incarnationem? Solutio. Existente potestate ratione ad possificandum, & gloria ad gloriandum, æqualiter in creare compellit Deus (vt ita loquar) seipsum cum suis rationibus ad se incarnandum, sicut cum sua misericordia se cogit ad indulgendum. Potestas Dei quomodo plus vti potest differentia creata? Solutio. Vade ad rubricam potestatis differentiæ. Cum in summa Trinitate non sit distinctio per essentiam, quomodo potest Filius esse incarnatus, & quod Pater, & Spiritus sanctus non sint incarnati? Solutio. In quantum Filius distinctus est à Patre & Spiritu sancto personaliter, potest esse incarnatus, licet Pater & Spiritus sanctus non sint incarnati. Sed inquantum omnes tres personæ sunt vna essentia, vna natura, oportet quod Pater & Spiritus sanctus sint ita verè homo per incarnationem, sicut Filius. Si incarnatio non esset, quid sequeretur de diuina potestate & de sua concordantia in creatura? Solutio. Vade ad rubricam potestatis concordantiæ. Cum potestas diuina tantum se extendere potest in incarnare per Patrem & Spiritum sanctum, quare Pater & Spiritus sanctus non fuerunt incarnati? Solutio. Ex parte creaturæ quæ est filia per creationem, fuit melius proportionatus & dispositus Filius homo ad essendum deificatus per incarnationem Filij Dei, quam per personam, quæ non sit Filius, cum ita sit, quod inter Filium & Filium maior sit concordantia secundum speciem, quam inter Filium & non Filium se-

cundum genus. Maior possibilitas & principiabilitas quomodo sunt rationes maiori creabilitati? Solutio. Vade ad rub. potestatis principij. Incarnatio quomodo potest esse principium omni enti creato? Solutio. Inquantum Deus creationem considerabat, vt in natura cum omni ente creato participaret, est incarnatio finale & principale principium, & finis omnis creaturæ. Possificare quomodo potest esse maius medium inter possificatiuitatem increatam & possificabilitatem creatam? Solutio. Vade ad rubricam potestatis medij. Indulgere quomodo potest esse maius medium inter indulgentem & indulgibilem? Solutio. Quæstio ista fiat incarnationi Iesu Christi. Potestas diuina quomodo potest melius exaltare finem creaturæ? Solutio. Vade ad rub. potestatis finis. Ex quo finis angeli melius fuisset exaltatus, si Deus fuisset angelicatus, quare Deus non assumpsit naturam angeli? Solutio. Quia Deus per hominem participare potest cum omnibus creaturis, & non per angelum, est magis generalis finis, qui est per hominem, quam finis qui est per angelum. Potestas & maioritas quomodo sunt rationes ad incarnandum? Solutio. Vade ad rub. potestatis maioritatis. Postquam maior possibilitas cõsistit per plures incarnationes quam per vnam tantum, quare potestas & maioritas non sunt rationes pluribus incarnationibus? Solutio. Diuina potestas est vna & non plures, & ideo magis maiorificare potest vnam creaturam super omnes, quam plures. Diuina potestas, sapientia & voluntas quomodo habere possunt maiorem æqualitatem in creato? Solutio. Vade ad rub. potestatis æqualitatis. Cum Filius sit incarnatus, & non Pater neque Spiritus sanctus, tres personæ diuinæ quomodo possunt esse æqualiter homo? Solutio. Vnitas naturæ & essentiæ diuinæ facit esse æqualiter tres personas, hominem & Deum. Potestas & minoritas quomodo possunt esse rationes incarnationis? Solutio. Vade ad rubr. potestatis minoritatis. Cum potestas Dei sit infinita & homo finitus, quomodo habere possunt proportionem in incarnatione? Solutio. Ita est positus nasus hominis in humana specie, sicut caput secundum proportionem, quamuis nasus sit minor quam caput.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Sapientia.

QVare Deus per magnitudinem sapientiæ & voluntatis est incarnatus? Solutio. Vade ad rubricam sapientiæ voluntatis. Postquam magnitudo est causa sapientiæ & voluntati, quod Deus sit incarnatus, quare non est causa pluribus incarnationibus, cum magnitudo sit maior causa pluribus quam vni? Solutio. Diuina magnitudo est vna, & idem est de sapientia quæ est vna, & sic de voluntate, & ideo secundum naturam vnitatis & singularitatis magnitudo est causa cum sapientia & voluntate vni incarnationi, & non pluribus. Et vade ad rubricam antedictam. Sapientia Dei esset vitium, si ignoraret incarnàtionẽ? Solutio. Secundum naturam diuinæ sapientiæ & virtutis melius competit diuinæ sapientiæ scire magnum obiectum virtuosum, quam paruum. Et vade ad rubricam sapientiæ virtutis. Sapientia Dei considerat res impossibiles?

biles? Solutio. Vitium eſſet Soli, qui eſt ſuper terram in meridie, ſi ſuper terram illam eſſet nox. Eſt neceſſarium ſapientiæ Dei ſcire maiorem veritatem Dei & creaturæ? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ veritatis. Quare ſapientiæ Dei pertinet melius ſcire magnam veritatem, quam paruam? Solutio. Secundum naturam veritatis tantum pertinet Deo ſcire vnam veritatem ſicut aliam. Sed quia ſapientia Dei eſt magna & non parua, melius pertinet ei ſcire magnam veritatem quam paruam. Sapientia Dei & gloria quomodo ſunt cauſæ ad ſciendum maiorem gloriam creatam? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ gloriæ. Sapientia Dei quare pœnam conſiderat, cum ſit ſibi ſufficiens conſiderare gloriam? Solutio. Sapientia Dei pœnam damnatorum conſiderat ratione iuſtitiæ, & vt ipſos puniat. Diuina ſapientia quomodo cauſat incarnationem per differentiam? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ differentiæ. Si non eſſet incarnatio, poſſet ſapientia Dei ſcire maiorem diſtinctionem Dei & creaturæ? Solutio ibidem. Sapientia Dei poſſet ſcire maiorem concordantiam inter Deum, & creaturam abſque incarnatione? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ concordantiæ. Diuina voluntas poteſt deamare maiorem concordantiam Dei & creaturæ? Solutio. Sicut diuina ſapientia non poteſt ignorare maiorem concordantiam Dei & creaturæ, ſic diuina voluntas non poteſt odire maiorem concordantiam Dei & creaturæ. Diuina ſapientia quomodo poteſt eſſe cauſa maiori principio creato? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ principij. Diuina voluntas poteſt deamare maius principium creatum? Solutio. Sicut diuina ſapientia ignorare non poteſt maius principium creatum, ita diuina voluntas ipſum deamare non poteſt. Diuina ſapientia quomodo eſt cauſa maiori medio creato? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ medij. Create quomodo eſt medium inter Deum & creaturam? Solutio ibidem. Maior ſcitiuitas & maior ſcibilitas quomodo ſunt cauſæ maiori fini creato. Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ finis. Sapientia Dei quare neſcit quod Martinus poſſit eſſe Papa, qui non erit Papa? Solutio. Sapientia Dei non conſiderat aliquam ſuperfluitatem in ſuo ſcire, de quo non ſequitur aliquis finis. Et vade ad rubricam virtutis. Abſque incarnatione poſſet ſapientia Dei ſcire maiorem maioritatem creatam? Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ maioritatis. Diuina voluntas poteſt deamare maiorem maioritatem creatam? Solutio. Sicut diuina ſapientia maiorem maioritatem creatam ignorare non poteſt, ſic diuina voluntas ipſam deamare non poteſt. Quare eſt maior ſcibilitas æqualitatis cauſa incarnationis. Solutio. Vade ad rubricam ſapientiæ æqualitatis. Si non eſſet incarnatio, poſſet diuina ſapientia ſcire maiorem æqualitatem, quæ poteſt creari? Solut. Nulla ſcibilitas creata tantum poteſt exaltari ſine incarnatione, ſicut per incarnationem. Diuina voluntas poteſt plus amare minorem intelligibilitatē, quam maiorem? Solutio. Quia diuina ſapientia eſt magna, & non parua, ſe melius habet ſecundum ſuam naturam ad intelligendum magna, quam parua, & maius bonum, quam minus. Et vade ad rubricam ſapientiæ minoritatis. Sicut ſapientia Dei non conſiderat quod Martinus poſſit eſſe Papa, poſtquam non erit Papa, ita forte

non considerat maiorem maioritatem scibilitatis creatæ ? Solutio. Causa quare sapientia Dei non considerat quod Martinus possit esse Papa, postquam non erit Papa, est, quia ex illo considerare non sequeretur aliquis finis, sed si sapiētia Dei non cōsideraret maiorem maioritatem intelligibilitatis creatæ, quæ creari potest, non se extenderet tantum sua sanctitas in suo proprio obiecto, quod est scibilitas, sicut faceret diuina possibilitas in suo proprio obiecto, quod est possibilitas. Et iste passus est multum placens ad considerandum, & est subiectum intelligendi plura de Deo.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Voluntate.

Diuina voluntas & virtus quomodo sunt rationes maiori creaturę, quæ potest creari ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Diuina voluntas quare plus magnam virtutem diligit, quam virtutem paruam? Solut. Cum diuina voluntas sit magna, & nō parua, vitium foret ei, si plus paruam virtutem diligeret, quam magnam. Diuina voluntas quare plus maiorem diligit veritatem, quam minorem? Solutio, Vade ad rubricam voluntatis veritatis. Postquam diuina voluntas est magna & non parua, quare diligit paruam veritatem? Solutio. Secundum comparationem veritatis & & volūtatis tantum diligit diuina voluntas paruam veritatem, sicut magnā: sed quia diuina voluntas est magna & non parua, secundum naturam magnitudinis suæ tantum non potest amare paruam veritatem, sicut magnā. Maior gloria quare est magis amabilis quam minor: Solutio. Quia minoritas & paruitas concordantiam habent, & magnitudo & maioritas, est maior gloria amabilis plusquam minor. Si non esset incarnatio, quid sequeretur de voluntate & gloria? Solutio. Si non esset incarnatio, diuina voluntas non diligeret maiorem gloriam creaturæ, & haberet maiorem proportionem cum minori gloria, quam cum maiori. Et vade ad rubricam voluntatis gloriæ. Distinctio amati & amici quomodo est causa incarnationis ? Solut. Vade ad rubricam voluntatis differentiæ. Quare voluntas diligit maiorē distinctionem amici & amati? Solutio. In maiori distinctione amici & amati potest voluntas habere maius amare, quam in minori. Quare per maiorem amabilitatem concordantiæ significatur incarnatio ? Solutio. Vade ad rubricā voluntatis cōcordantiæ. In creare quomodo potest esse maior cōcordātia p amare? Sol. Maior cōcordātia quę potest esse per amare, potest esse per incarnare. Si nō esset incarnatio diuina voluntas posset tantū principiabilitatē creatā amare, sicut si sit incarnatio ? Solut. Vade ad rub. voluntatis principij. Deus est voluntas & principium: idcirco quæro quomodo amare & principiare melius ęquari possunt in creare ? Solutio. Extra incarnare, amare & principiare æqualiter concordare non possunt in creare. Maius amare quomodo est maius medium in creare ? Solutio. Per incarnare est amare maius medium in creare. Et vade ad rubricam voluntatis medij. Sine incarnare posset esse maius amare in creare ? Solutio. Nullum medium potest esse maius, quam illud in quo Deus & creatura sunt vna persona. Maior finis creatus potest deamari per diuinam voluntatem ? Solut. Si maior finis creatus per diuinam voluntas

lunta

luntatem deamari posset, diuina sapiẽtia maiorem finem creatum ignorare posset. Et vade ad rubricam voluntatis finis. Diuina voluntas quare nõ diligit creatum finem in æternitate? Solutio. Finis creatus non potest esse sine tempore, in quo sit principiatus. Et quia Deus ipsum in æternitate principiare non potest, sine principio ipsũ principiare voluit & in æternitate per incarnationem. Maior maioritas voluntatis quare incarnationẽ ponit de necessitate? Solutio. Vade ad rubricam voluntatis maioritatis. Si Deus sit incarnatus, de necessitate requiritur, quod tibi de incarnatione regratietur? Solutio. Diuinæ rationes non compellunt Deum, sed ipse illis respondet in agendo secundum quod ipsę ab ipso requirunt opus virtuosum & non vitiosum. Per amorem diuinum & æqualitatem quomodo est incarnatio significata? Solutio. Vade ad rubricam voluntatis æqualitatis. Æqualitas amati increati & amici increati quomodo melius significatur? Solutio. Per maiorem æqualitatem amatiuitatis & amabilitatis creatæ est æqualitas summæ Trinitatis fortius significata. Si non esset incarnatio, quid sequeretur inter diuinam voluntatem & voluntatem creatam? Solut. Vade ad rubricam voluntatis minoritatis. Si non esset incarnatio, posset diuina voluntas amare creaturam secundum suam naturam? Solutio, ibidem.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Virtute.

Deus quomodo posuit maiorem concordantiam inter virtutem & veritatem creatam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Naturalis veritas & virtus Dei quomodo habere possunt habitum moralem? Solutio ibidem. Cum quo Deus posuit maiorem distantiam inter virtutem & gloriam, vitium & pœnam? Solutio. Vade ad rubricam virtutis gloriæ. De quo virtus naturalis multiplicare potest maiorem gloriam moralem? Sotio ibidem. Fides, spes & charitas cum quo possunt magis esse differentes & concordantes in magnitudine bonitatis? Solutio. Vade ad rubricam virtutis differentiæ. Virtus moralis quomodo habere potest magis nobile subiectum, & maius ad differendum habitus suos? Solutio ibidem. Concordantia virtutum cum quo potest esse magis contraria concordãtiæ vitiorum? Solutio. Vade ad rubricam virtutis concordantiæ. Si non esset incarnatio, posset Deus habere subiectum, per quod posset ponere concordantiam virtutis moralis in maiori maioritate contra concordantiam vitiorum moralium? Solutio. Nulla moralis virtus tantum vitio resistere potest, sicut illa quæ est habitus Dei hominis. Deus quomodo principiare potest virtutem moralem in maiori principiabilitate virtutis? Solutio. Vade ad rubricam virtutis principij. Maior maioritas virtutis & maior maioritas principij quomodo creari potest? Solutio ibidem. Virtus moralis quare potest esse fortior in medio amoris? Solutio. Vade ad rubricam virtutis medij. Deus quomodo fortius potest occasionare homines, quod sint virtuosi? Solutio ibidem. Virtus fidei & spei quomodo melius possunt esse instrumenta charitatis? Solutio. Vade ad rubricam virtutis finis. Charitas quomodo potest fortius informare & mo-

uere fidem & spem? Solutio ibidem. Vtrum absque incarnatione posset esse maior maioritas virtutis contra maiorem maioritatem vitij, & maior maioritas vitij posset esse priuatio maioris maioritatis virtutis? Solutio. Vade ad rubricam virtutis maioritatis. Si non esset incarnatio diuina, virtus maiorem concordantiam haberet in suo effectu cum minoritate, quam cum maioritate? Solutio ibidem. Diuina virtus quomodo æqualiter se communicat sapientiæ & voluntati per creationem? Solutio. Vade ad rubricam virtutis æqualitatis. Si non esset Deus incarnatus, posset esse subiectum in quo virtuosa æqualitas creari possit in maiori maioritate? Solutio ibidem. Quare incarnatio melius secundum Deum concordat cum esse, quam cum non esse, cum incarnatio Deo non sit necessaria? Solutio. Vade ad rubricam virtutis minoritatis. Si incarnatio non esset virtus in maiori maioritate, esset vitium in maiori maioritate? Solutio. Ex hoc vnde sequitur falsum & impossibile, oportet quod sequatur verum & possibile.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Veritate.

IN subiecto creato gloria & veritas quomodo possunt esse magis contrariæ pœnæ & falsitati? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Gloria Dei & creaturæ quomodo possunt esse in maiori maioritate? Solutio ibidem. Distinctio Dei & creaturæ quomodo potest esse in maiori veritate? Solutio. Vade ad rubricam veritatis differentiæ. Maior distinctio Dei & creaturæ quomodo est in maiori verificare? Solutio ibidem. Verificare & concordare quomodo possunt esse in maiori creare? Solutio. Vade ad rubricam veritatis concordantiæ. Si non esset incarnatio, quomodo posset esse maior priuatio verificandi & coucordandi in creatione? Solutio ibidem. Deus quomodo principiare potest maiorem veritatem in creando? Solutio. Vade ad rubricam veritatis principij. Verificare & concordare quomodo melius coniunguntur? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Verificare creatum quomodo est maius mediũ in veritate? Solut. Vade ad rub. veritatis medij. Verificare quomodo est maius medium inter sapientiã & voluntatẽ, magnitudinẽ & bonitatem? Solutio ibid. Finis Dei & finis creaturæ cum quo coniungunt se in maiori veritate? Solutio. Vade ad rub. veritatis finis. Finis Dei & finis creaturæ in quo remouentur fortius à falsitate? Solutio ibidem. Inter Deum & creaturam quomodo potest esse veritas in ita magna maioritate, quod maior esse non posset? Solutio vade ad rubricã veritatis maioritatis. Diuina veritas quomodo est causa maiori maioritati? Solutio. Quia diuina veritas est magna & non parua, est causa maiori creabilitati. Veritas & æqualitas quomodo sunt causæ incarnationis? Solutio. Diuina veritas est magna, & non parua, & idem de diuina æqualitate, quæ est de personis: idcirco concordantiam habent in maioritate. Deus quomodo potest creaturam diligere cum maiori amare, & quomodo ipsam verificare potest cum maiori verificare? Solutio. Vade ad rub. veritatis æqualitatis. Si non esset incarnatio, quid sequeretur de verificatione creata? Solutio. Vade ad rub. veritatis minoritatis. Si non esset incarnatio.

carnatio, finis mundi haberet maiorem proportionem cum falsificatione, quam cum verificatione? Solutio. Si minoritas vinceret maioritatem in creatione, falsitas vinceret veritatem in magnitudine bonitatis.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Gloria.

QVare gloria & differentia sunt rationes incarnationis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Differentia quæ est inter elementum & elementum, inter plantam & plantam, inter hominem & leonem, inter corpus & animam, inter Solem & Lunam, in quo habet æuiternam quietem? Solutio. In differentia increata & creata quæ in vna persona per incarnationem participant, est quies creationis. Concordantia Dei & creaturæ in quo est maior? Solutio. Maior gloria creaturæ est per incarnationem. Et vade ad rubricam gloriæ & concordantiæ. Concordantia elementi & elementi, plantæ & plantæ, equi & leonis, auditus & visus, Solis & Lunę in quo habet naturalem quietem? Solutio. In gloria increata & creata quæ in vna persona per incarnationem participant, per concordantiam quietem habet naturaliter concordantia creata elementi & elementi, elementatiuæ & vegetatiuæ, vegetatiuæ & sensitiuæ, sensitiuæ & Lunę, Lunæ & Solis, Solis & Arietis. Principium creatum quomodo habet gloriam secundum cursum naturalem? Solutio. In participatione principij increati & creati, quæ participant in vnitate personæ per incarnationem, habet generaliter quietem principium creationis. Et vade ad rubricam gloriæ principij. Principium elementi & elementi, plantæ & plantæ, plantæ & equi, equi & equi, hominis iusti & hominis iusti, Solis & Lunæ, Solis & Arietis, quomodo æuiternaliter quietem habet naturalem? Solutio. In fine incarnationis habet æuiternaliter quietem principium creatum. Cum inter ens infinitum & ens finitum non sit proportio, quomodo potest esse glorificatio creationis? Solutio. Vade ad rubricam gloriæ medij. Medium quod est elementi & elementi, elementi & plantæ, & sic de aliis mediis naturalibus, quomodo habet naturaliter quietem? Solutio. In participatione medij increati & creati per incarnationem omne medium creatum & innocens à peccato naturaliter habet quietem. Gloria & finis quomodo sunt causa incarnationis? Solutio vade ad rubricam gloriæ & finis. Finis elementi & elementi, plantæ & plantæ, equi & leonis, Solis & Lunæ, quomodo habet quietem? Solutio. In fine increato & creato, vno fine per incarnationem cum alio participante, habet quietem omnis finis creatus, excepto fine damnati & Angeli maligni. Gloria creata cum quo ascendere potest ad maiorem maioritatem? Solutio vade ad rubri. gloriæ maioritatis. In igne substantia maior est quam accidens, & planta maior est in virtute quam ignis, & leo quam planta, & homo quam leo vel Luna hæc maioritas naturalis in quo habet naturalem quietem? Solutio. In participatione maioritatis creatæ & cum infinita magnitudine coniunctæ per incarnationem, habet quietem maioritas creata. Æqualitas creata cum quo potest habere maiorem glorificationem? Solutio vade ad ru

ad rubricam gloriæ æqualitatis. Inter elementum, & elementum eſt æqualitas, & inter plantam & plantam, & ſic de aliis æqualitatibus creatis. Hæc æqualitas naturalis in quo habet quietem? Solutio. In æqualitate creata coniuncta cum æqualitate perſonali increata habet quietem omnis æqualitas creata innocens à peccato. Deus cum quo poteſt dare maiorem gloriam creaturæ? Solutio. Vade ad rubricã gloriæ minoris. In igne eſt minoritas inquantum ſuum accidens eſt minus, & ſua ſubſtantia eſt maior, & idem eſt de minoritate plantæ, leonis, gruis, hominis, & lunæ. Hæc minoritas naturalis creata in quo habet quietem? Solutio. In Ieſu Chriſto eſt natura humana minor, & natura diuina maior, & quia ambæ naturæ ſunt vna perſona, in minoritate perſonæ habent quietem naturaliter omnes minoritates creatæ innocentes à peccato.

De Quæſtionibus florum arboris Ieſu Chriſti.

De Differentia.

Differentia & concordantia creatæ quomodo aſcendunt ſuper earum naturas? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Differentia quomodo ſe extendit in maiori concordantia recolendi, intelligendi, & amandi? Solutio ibidem. Differentia cum quo poteſt eſſe nobilius principium recolendi, intelligendi, & amandi? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ principij. Ieſus Chriſtus diligit inquantum Deus, & diligit inquantum homo, hæc duo amare ſunt vnum amare, aut ſunt differentia? Solutio. Sunt vnum amare, inquantum vna eſt perſona, & ſunt duo amare, inquantum in ipſo ſunt duæ naturæ, ſicut Martinus qui diligit cum voluntate aquam, & aquam diligit per inſtinctum naturalem ſenſitiuæ, quæ humiditatem requirit & frigiditatem, tunc cum nimis deſiccata eſt aut calefacta. Creare eſt ex creatore & creatura? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ medij. Ieſus Chriſtus eſt in medio ſanctorum gloriæ, & eſt ſuper omnes altior in gloria, idcirco quæro quomodo eſt in medio, & quomodo eſt ſuper omnes? Solutio. Caput Martini ſtat in medio brachij dextri, & pedis dextri, & brachij ſiniſtri, & pedis ſiniſtri, & tunc eſt ſupra cum ſedet, aut cum ſtant pedes. Deus quomodo creare poteſt vnum finem, qui ſit complementum omnium aliorum finium creatorum? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ finis. Finis & differentia quomodo ſunt in maiori exaltatione? Solutio ibidem. Vna creatura quomodo poteſt eſſe maior quam omnes creaturæ? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ maioris. Si eſſent duo Ieſu Chriſti, aut plures, eſſet differentia creata in maiori maioritate, quam ſi non ſit niſi vnus Ieſu Chriſtus? Solutio. In arbore in qua vnum folium non eſt altius omnibus aliis, non eſt folium in maiori ſummitate. Differentia & æqualitas quomodo ſunt rationes incarnationi? Solutio. Vade ad rubric. differentiæ æqualitatis. Si eſſent duo Chriſti æquales, aut plures; differentia creata eſſet in maiori æqualitate, quam ſi ſit vnus Chriſtus tantummodo? Solutio. Partes ſubſtantiæ ſunt magis altæ, & magis nobiles in vnitate & maioritate ſubſtantiæ, quam in æqualitate quam habent inter ſeipſas. Differentia & minoritas quomodo ſignificant incarnationem?

nem? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ minoritatis. In creatione quomodo ascendit creatura ad maiorem maioritatem, & quomodo est in maiori minoritate? Solutio. Differentia creata supra maiorem maioritatem ascendere non potest, nec descendere potest vltra maiorem minoritatem. Et vade ad rub. virtutis.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Concordantia.

IN creare quomodo est principiare in maiori concordantia? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Concordantia creata quomodo est in altiori gradu principiabilitatis? Solutio. Altior gradus principiabilitatis est in nouitate, quæ non sit de aliqua antiquitate principiata, & superior gradus nouitatis creatæ est in principio coniuncto per concordantiam principiabilitatis æternæ. Per quod medium creare est in altiori gradu concordandi? Solutio. Vade ad rubricam concordantiæ medij. In creare vbi est centrum concordantiæ? Solutio. Nullus punctus est ita nobilis in circulo, nec in corpore rotundo, sicut est centrum, quod in medio est. Et vade ad rubricam virtutis. Summitas concordantiæ creatæ est in fine, & suæ infirmitates sunt in medio & in principio, & ideo vbi est ille finis? Solutio. Vade ad rubricam concordantiæ finis. Absque incarnatione possunt omnes creaturæ concordare naturaliter vni fini creato? Solutio. Cum omnes creaturæ sint nouæ, nulla creatura per suã naturam potest esse finis omnium creaturarum, potest esse ergo aliqua natura creata finis omnium naturarum creatarum, si cum natura diuina sit coniuncta. Diuina voluntas quomodo tantum amare potest concordantiam in creare, sicut diuina potestas ipsam potest possificare? Solutio. Vade ad rubricam concordantiæ maioritatis. Diuina sapientia potest esse maior in creare concordantiam, quam diuina potestas? Solutio. Si non esset incarnatio, sapientia & maioritas haberent in creatione concordantiam, & potestas & minoritas. Amor & concordantia quomodo se æquare possunt in concordare & amare? Solutio. Vade ad rubricam concordantiæ æqualitatis. Quælibet pars naturalis humanitatis Iesu Christi quomodo est æqualis alij in maiori concordantia? Solutio. Diuina natura Iesu Christi æqualiter est coniuncta cum qualibet parte naturæ humanæ. Quid spectat ad interioritatem minoris concordantiæ in maiori, & maioris in minori? Solutio. Vade ad rubricam concordantiæ minoritatis. In concordantia quomodo potest ascendere minor ad maiorem, & maior descendere ad minorem? Solutio. In vnitate personæ quæ sit de maiori & minori, est solutio quæstionis.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Principio.

PRincipium creatum quomodo habet maius medium? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Principium creatum particulatum per quod medium potest esse principium toto vniuerso creato? Solutio. Incarnatio est medium per quod creator & creatura sunt vnum principium toti vniuerso creato. Absque incarnatione posset

sequi de maiori fine maius principium & è conuerso? Solutio. Vade ad rubricam principij finis. Absque incarnatione finis creatus posset principiari, ita videlicet quod per se habeat suum complementum? Solutio. Iesus Christus inquantum homo maiorificatus est in magnitudine bonitatis, quæ de semetipsa est complementum, hoc esse non posset, si cum deitate non esset coniuncta sua humanitas. Deus in quo potest creaturā maiorē principiare? Solu. Vade ad rub princip j maioritatis. Deus quomodo potest maiorem maioritatem principiare? Solut. vade ad rubricam antedictam. Cum creatura nobilior sit in fine, quam in principio, sine incarnatione posset Deus in creatura principium & finem æquare? Solutio. vade ad rubric. principij medij æqualitatis. Æqualitas creata cum quo potest esse maius principium? Solutio. In participatione æqualitatis creatæ & increatę potest esse ęqualitas creata particulata principium finale & formale omnibus æqualitatibus creatis. Principium quomodo est motū de minoritate ad maiorem maioritatem? Solutio. Vade ad rub. principij minoritatis. Quomodo cognoscitur natura peccati, cum peccatum nullam habeat entitatem? Solutio. Cū ex minori principio sequitur minor finis, opotret quod de maiori principio sequatur maior finis, quod si hoc non esset, esset peccatum, cum ita sit, quod maioritas principij & finis maiorem habeat proportionem cum esse, & sit remotior à priuatione, quam minoritas, & imo significatum est, quod Deus sit incarnatus, & quod homines peccatum faciunt, de quo minori principio volunt habere maiorem finem, quam de maiori.

De Quæstionibus florum arboris Iesu Christi.

De Medio.

Sine incarnatione posset esse mediū creatum & particulatum, forma & finis omnium mediorum creatorum? Solut. Vade ad rub. antedictam. Quomodo Deus posset vnum accidens exaltare in ita magna virtute, quod esset finis omnis substantiæ creatæ? Solutio ibid. Medium quomodo potest poni in maiori maioritate virtutis? Solutio. Vade ad rub. medij maioritatis. Maior maioritas posset sine incarnatione creari? Solutio. Si non esset incarnatio, maior maioritas in creatione poni non posset. Sine incarnatione posset æqualitas creari ad maiorem maioritatem, videlicet quod sit de principio & fine? Solutio. Vade ad rubric. medij æqualit. Ignis quomodo calefieri posset per aquam, & lux quomodo posset esse occasio tenebrarum? Solutio ibidem. Productio creata quomodo mouetur de maiori maioritate ad maiorem maioritatem. Solutio Vade ad rubricam medij minoritatis. Inter minorem minoritatem & maiorem maioritatem medium quomodo sustentari potest. Solutio. Ista quæstio fiat incarnationi Iesu Christi.

De Quæstionibus finis quæ est de floribus arboris Iesu Christi.

Maioritas & finis quomodo sunt causæ incarnationis? Solut. Vade ad rubricam antedictam. Sine incarnatione posset Deus finem formalem & materialem creare in maiori maioritate accidentis & substantiæ? Solutio.

Solutio ibidem. Posset Deus creare finem in maiori maioritate, & æqualitate finis formalis, materialis, causalis & finalis? Solutio. Vade ad rubricam finis æqualitatis. Sine incarnatione posset Deus creare in maiori maioritate æqualitatem substãtiæ, & substantiç & accidentis, accidentis & accidentis, finis & finis? Solutio. Tantum requirit maior maioritas de magnitudine & bonitate, quod sine incarnatione creari non posset. Absque incarnatione posset Deus minorem finem ascendere ad maiorem maioritatem secundum cursum naturalem? Solutio. Vade ad rubricam finis minoritatis. Minor finis quomodo potest esse maior sine contradictione? Solutio. Finis vnius partis coniunctæ cum deitate potest esse finis totius vniuersi creati.

De Quæstionibus maioritatis quæ est de floribus arboris Iesu *Christi.*

COmmunis vtilitas quomodo est causa incarnationis? Solut. Communis vtilitas & maioritas proportionem habent cum magnitudine bonitatis. Communis vtilitas quomodo habet maiorem proportionem cum maioritate, quam cum æqualitate, cum sit de rebus æqualibus? Solutio. In exaltatione maioris maioritatis in magnitudine bonitatis est communis vtilitas sustentata. Cum Deus creauerit mundum posset Deus ante se habere sine incarnatione ad maiorem maioritatem, quam ad minorem? Solutio. Vade ad rubricam maioritatis & minoritatis. Quare melius conuenit Deo maiorem creaturam creare, quam minorem? Solut. Magnitudo & maioritas concordantiam habent, & paruitas & minoritas, idcirco incarnatio significatur esse de necessitate.

De Quæstionibus æqualitatis de floribus arboris Iesu *Christi.*

ÆQualitas & maioritas quomodo sunt causæ incarnationis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si non esset incarnatio quid sequeretur de æqualitate creata? Solutio ibidem. Probauimus incarnationem, & doctrinam dedimus secundum artem generalem, quomodo cum primis formis huius scientiæ homo sciat inquirere & inuenire veritatem, miscendo vnum principium cum alio secundum quod fecimus, & ipsas ad vnam quæstionem applicare, & sicut respondimus aliquibus obiectionibus contra incarnationem factis potest respondere secundum modum, quem tenuimus pluribus aliis obiectionibus peregrinis. Et hæc regula generalis est per totam hanc scientiam.

De Quæstionibus productionum diuinarum.

SEcundum quod per primas formas quæstiones fecimus de incarnatione Dei, quæstiones volumus facere de productione diuinarum, personarum, & primo per bonitatem, magnitudinem, & æternitatem. Bonitas, magnitudo & æternitas quomodo sunt rationes diuinæ productionis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si in Deo non esset productio, possent in ipso esse rationes? Solutio. Destructo ante c. destruitur cõsequens. Si in Deo non esset productio, in sua potestate posset esse actio per bonitatem, magnitudinem, & æternitatem? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & potestatis. In Deo est vna ratio causa alterius, vt sit pro-

ductio? Solutio. In diuinis non est propriè, dictum causa & effectus, & ideo oportet dicere ratio rationi, sicut bonitas quæ est ratio bono quod bonum producat,& quia bonitas est magna,est ratio magnitudini, quod illud bonum productum sit magnum. Sapientia Dei quomodo est ratio productioni? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis,æternitatis,& sapientiæ. Si in Deo non esset productio, quod inconueniens sequeretur? Solutio. Intelligit sapientia Dei, quod bonitas est ratio bono, quod producat bonum, & hoc oportet ipsum intelligere de necessitate, postquam bonitatem intelligit, & ipsam intelligit esse magnam, & per huius intelligere intelligit, quod bonitas est ratio bono, quod producat bonum, & magnum bonum, & idem per æternitatem. Et si productio non esset in Deo, intelligeret bonitatem esse ociosam rationem, vnde malum sequeretur & paruitas bonitatis, & plura alia inconuenientia sequerentur, quæ in essentia diuina esse non possunt. Diuina voluntas quomodo est ratio necessaria productioni? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis,magnitudinis,æternitatis, & voluntatis. Diuina voluntas est ita magna ratio,& ita bona, & ita æterna per amare sicut per bonificare, magnificare, & æternare? Solutio. Si diuina voluntas non esset ita magna ratio ad bonificandum, magnificandum,& æternandum,sicut est ratio ad amandum, non esset magnitudo ratio voluntati, quod esset magna, nec bonitas esse ratio magnitudini, quod esset bona,& idem suo modo de æternitate. Vitium quomodo caderet in diuina bonitate contra virtutem magnitudinis, & æternitatis? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis,magnitudinis, æternitatis, & virtutis. Quod vitium esset bonitati, si in Deo non esset productio? Solutio. Contrarium illius virtutis quam habet bonitas in bonificante, bonificabili, & bonificare per infinitatem & æternitatem, esset illud vitium, quod quæris. Diuina veritas quomodo est conditionata per bonitatem, magnitudinem, & æternitatem? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & veritatis. Productio in Deo quare est de necessitate? Solutio. Quia bonitas, magnitudo, æternitas, & veritas sunt rationes propter quid, & sunt hoc quod sunt per formam, est in Deo productio de necessitate. Et vade ad rubricam virtutis. Gloria quomodo est ratio propter quid bonitati,magnitudini & æternitati? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & gloriæ. Sine productione posset æternitas habere magnam gloriam bonitatis? Solutio. Priuatio propter quid de æternitate priuaretur ex ipsa magna gloria bonitatis. Æternitas quomodo potest esse magna in bonitate? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis,magnitudinis,æternitatis, & differentiæ. Producere posset esse in Deo sine distinctione producentis, & producti? Solutio. Sicut contradictio non sustinet quod productus & ille qui producit, sint vnum idem in numero,ita bonitas,magnitudo,æternitas productionis non sustinent, quod sit productio sine distinctione producti, & illius qui illum productum producit. Concordantia quomodo requirit productionem à bonitate,magnitudine & æternitate? Solutio. Inquantum bonitas & æternitas sunt rationes concordabiles puro actui, est concordantia ratio productionis. Et vade ad rubricam bonitatis,magnitudinis, æternitatis,

nitatis, & concordantiæ. Sine productione posset in Deo esse concordantia? Solutio. Impossibile est concordantiam esse sine pluribus, idcirco oportet quod in Deo sit productio plurium, vt bonitas, magnitudo, æternitas possint concordantiam habere. Sine productione possent bonitas, magnitudo & æternitas esse longè à contrarietate? Solutio. Causa quare bonitas, magnitudo & æternitas possunt esse longius à contrarietate est concordantia, quæ est contraria contrarietati, & concordantia in Deo sine productione esse non potest. Et vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & contrarietatis. Contrarietas potest esse occasio productionis in diuinis? Solutio. Non esset magnitudo ratio concordantiæ, si contrarietas esset ratio ad concordandum. Deus posset esse magnum principium per bonitatem & æternitatem? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis & principij. Bonitas est maior ratio per magnitudinem & æternitatem principiatiuitati, quam per tempus vel per paruitatem? Solutio. Quia Deus est magnus & non paruus, secundum suam conditionem conditionatus est ad producendum magnum & non paruum in seipso, & quia creatura est parua, ordinatus est extra ad producendum paruam creaturam, & quia vult producere suam similitudinem, magnam creaturam producit. Et in hoc passu cognoscitur, quod Deus producit magnam creaturam secundũ conditionẽ suæ similitudinis, & paruam secundum conditionem creaturæ. Sine productione posset esse bonificare in medio bonitatis, & magnificare in medio magnitudinis, & æternare in medio æternitatis? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis & medij. Cum magnitudo Dei sit infinita, quomodo potest esse medium in illa quæ extremitates non habet? Solutio. Propter hoc est bonificare in medio bonitatis, quia est de bonificante & bonificabili. Finis est ita magnus sicut bonitas & æternitas? Solutio. Vade ad rub. bonitatis, magnitudinis, æternitatis & finis. Finis quomodo est ita magnus sicut bonitas & æternitas? Solutio. In hoc quod magnitudo se communicat in essendo ita magna ratio est ad bonificãdum, sicut magnitudo bonitatis, & ad æternificandum, sicut magnitudo æternitatis, est ita magnus finis bonitatis sicut est bonitas, & æternitatis sicut est æternitas. Bonitas, magnitudo & æternitas quomodo possunt esse in maiori maioritate? Solutio. Vade ad rubricã bonitatis, magnitudinis, æternitatis & maioritatis. Sine productione possunt esse bonitas, magnitudo & æternitas in maiori gradu entitatis qui posset esse? Solutio. Impossibile est, quod aliqua substantia non sit maior per existere & agere, quam simpliciter per existere & non agere, aut per agere & non existere. Æqualitas quomodo est ratio necessaria productioni? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æternitatis & æqualitatis. Magnitudo quomodo est ratio bonitati & æternitati per æqualitatẽ? Solutio. Existente magnitudine ratio bonitati, quod in illa sit æqualitas bonificantis, bonificabilis & bonificare, est ei ratio, quod sit magna per æqualitatem, sine qua æqualitate non posset esse sibi ratio, quod esset magna, & idem est de æternitate. Deus quomodo esset minor quam aliud ens sine productione? Solutio. Vade ad rubricam bonitatis, magnitudinis, æ-

ternitatis & minoritatis. Magnitudo posset esse non ratio bonitati & æternitati? Solutio. Sicut magnitudo Dei non potest esse mala, nec in tempore, ita bonitas & æternitas non possunt esse paruæ.

De Quæstionibus potestatis, sapientiæ & voluntatis arboris diuinalis.

CVm in Deo sapientia & voluntas sint actu, quomodo sunt possibiles? Solutio. Sunt possibiles inquantum est productio personarum productarum per intelligere, quod est de essentia sapientiæ, & per amare, quod est de essentia voluntatis, & non sunt possibiles per essentiam, neque per existentiam. Et vade ad rubricam antedictam. Pater intelligendo producit Filium, & Spiritus sanctus Patrem, intelligendo personam non producit, idcirco quæro, quomodo potest esse intelligere sancti Spiritus ita magnum, sicut intelligere Patris? Solutio. Sicut intelligere Patris suam habet perfectionem in producendo Filium, habet intelligere Spiritus sancti perfectionem suam in non producendo personam, sed quod sit pura contemplatio; & hoc vt personæ sint tres & non plures. Et vade ad flores arboris apostolicalis, vbi probauimus quod non possunt esse in Deo nisi tres personæ. Potestas quomodo tantum potest de virtute, sicut eadem virtus? Solutio. Quantum virtus scibilis est per sapientiam, & amabilis per voluntatẽ, tãtum possibilis est per potestatẽ. Et vade ad rubricam potestatis sapientiæ, voluntatis & virtutis. Omne illud quod est in Deo, est substantia, nec in ipso est aliquod accidens, & Spiritus sanctus seipsum intelligit, & personam non producit, idcirco quæritur, quomodo suum intelligere potest esse substantia, & non accidens? Solutio. Spiritus sanctus inquantum seipsum intelligit, seipsum per potestatem intelligere potest, & sicut seipsum potest per potestatem intelligere, scit seipsũ per sapientiam, & diligit seipsum per voluntatem, & virtuosum habet intelligere per virtutem, quod virtuosũ intelligere non haberet: si diligeret esse Pater: quoniam diligeret contra Patrem, qui habet singularem virtutẽ essendi Pater, & sicut habet singularẽ virtutẽ essendi Pater, ita singularẽ habet potestatẽ, singularem sapientiam & singularẽ voluntatem essendi Pater, & quia Spiritus sanctus est de toto intelligere Patris, & de toto intelligere Filij, est substantia suum intelligere, quamuis substantiam non producat. Potestas quomodo potest tantum de veritate: sicut possunt sapientia & voluntas? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & veritatis. Si Pater quartam personam considerat, ipsam potest intelligere per potestatem & sapientiam, & sicut ipsã potest intelligere per potestatem & sapientiam, ipsam amare potest per potestatem & voluntatem, & si ipsam amare potest per potestatem & voluntatem, oportet quod quarta persona sit de necessitate, vt voluntas attingere possit hoc quod desiderat, idcirco quęritur, quomodo potest esse inconueniens, quod sit quarta persona, postquam non est inconueniens, nec impossibile quartam personam considerari? Solutio. In Deo potestas, sapientia & voluntas sunt vnum idem in numero cum veritate, idcirco sapientia se extendere non potest ad considerandum aliquam personam extra veritatem, quod si consideraret, spe

speciem multiplicaret, & sic faceret chymeram extra veritatem: sicut homines faciunt, & voluntas diligeret quartam personam esse in veritate aut in falsitate. Vnde supposito quod non possit esse quarta persona in Deo, potestas considerare non potest quartam personam. Cum potestas sit gloria, quomodo potest habere actionem in gloria: Solutio. Vade ad rub. potestatis, sapientiæ, voluntatis & gloriæ. Cum Pater & Filius sint personæ productiuæ, & Spiritus sanctus non sit persona productiua, quomodo potest tantum habere de gloria, sicut Pater & Filius? Solutio. Quia Spiritus sanctus est de tota productiuitate Patris & Filij, & est de tota eorum gloria, est ita gloriosus, sicut Pater & Filius, quamuis personã non producat. Diuina potestas quomodo est libera in sapientia & voluntate? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & differentiæ. Sine distinctione posset diuina sapientia ita in voluntate scire numerum vnum, duo, tres: sicut in volũtate scit numerum amantis, amabilis & amare? Solutio. Omne illud est impossibile, quod non est intelligibile. Cum potestas, sapientia & voluntas sint vnũ idem numero, quomodo concordantiam habere possunt? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapiẽtiæ, voluntatis & concordantiæ. Cum potestas & sapientia concordantiam habeant in scire peccatum, quare potestas & voluntas concordantiam nõ habent in volendo peccatum? Solut. Peccatum scibile est ratione iustitiæ, & non est amabile, quia malum est contra bonitatem, quæ est idem numero cum voluntate. Quare in Deo non potest esse contrarietas? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & contrarietatis. Cum inter potestatem, sapientiam & volũtatem Dei non sit contrarietas, quare Deus creauit contrarietatem. Solutio. Si Deus non creauisset contrarietatem sub ratione propriatum qualitatum, & diuersorum finium, non posset esse in numero corruptio, nec per consequens generatio, & genera & species forent absque indiuiduis, & virtutes & vitia non essent cõtrariæ, nec pœna & gloria: creauit ergo Deus cõtrarietatem sub ratione propriatum qualitatum diuersorum finium, vt vacuitas finis non esset in toto vniuerso creato. Principium quomodo potest esse in Deo magis intelligibile, & magis amabile. Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, volũtatis & principij. Cum Deus sit æternus & infinitus, quomodo potest de seipso filiũ principiare & Spiritum sanctum? Solutio. Quia in Deo est actualis possitiuitas & possibilitas, scitiuitas & scibilitas, amatiuitas & amabilitas, est in Deo principiatiuitas & principiabilitas actualis. In potestate Dei quomodo potest esse medium? Solutio. Sicut in sapientia potest esse intelligere per ipsam, & per potestatem, & per voluntatẽ, quæ diligit, illud intelligere, potest esse in potestate possificare, per possibilitatem, scibilitatem & amabilitatem. Et vade ad rubricam voluntatis, potestatis & medij. Cum in Deo Pater & Filius & Spiritus sanctus sint vna simplex essentia sine quantitate, quomodo Spiritus sanctus potest esse in medio Patris & Filij: Solutio. In diuino amore est amare in medio amantis & amabilis sine quantitate. Finis potestatis quis est? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & finis. Cum personę diuinæ sit distinctę quomodo potest esse essentia illarum simplex & non

non composita? Solutio. Nihil est formæ impossibile, in qua potestas, sapientia, voluntas, finis & simplicitas sunt vnum idem numero. Diuina potestas quomodo potest esse maior, quam alia potestas? Solutio. Illa potestas quæ est vnum idem numero cum sapientia & voluntate, potest omne illud quod est amabile & scibile. Diuina potestas quomodo potest esse maior per productionem? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & maioritatis. Potestas, sapientia & volútas Dei quomodo possunt esse remotæ ab inæqualitate? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & æqualitatis. Cum in Deo potestas, sapientia & voluntas sint vnum idem numero, quomodo possunt esse æquales, cum ita sit, quod oporteat, quod æqualitas sit de pluribus numero differentibus? Solut. Sunt vnum idem numero per essentiã potestas, sapientia & voluntas, & sunt plures rationes per productionem personarum. Potestas, sapientia & voluntas, quomodo remotæ sunt à minoritate? Solutio. Vade ad rubricam potestatis, sapientiæ, voluntatis & minoritatis. Diuina sapientia potest considerare, quod creatura quæ est minor, potest Deus facere maiorem alia creatura, & voluntas ipsam velle potest infinitam in extensitate, idcirco quæritur, si potestas ipsam multiplicare potest in infinitã magnitudine, cum ita sit potestas, sapientia & voluntas sunt vnum idem numero? Solutio. Diuina potestas non potest se plus ad aliquod obiectum extendere, quam sapiẽtia: & sapiẽtia non potest intelligere creaturã infinitã in magnitudine, quia creatura recipere non potest infinitatem, postquam cum minoritate participat.

De Quæstionibus virtutis, veritatis, & gloriæ de floribus arboris diuinalis.

Virtus, veritas & gloria quomodo sunt vitiis magis cõtrariæ? Solut. Vade ad rubricam virtutis, veritatis & gloriæ. Gloria Dei potest esse verior & virtuosior in existendo & agendo, quã in existẽdo tantúmodo. Solu. ibid. In gloria posset esse gloriosus sine distinctione, & in veritate verosus, & in virtute virtuosus? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & differentiæ. In Deo distinctio personarum est Deus? Solutio. Virtus, veritas & gloria Deo deficerent, si in eo esset aliquid quod non esset ipse. Productio quare est necessaria virtuti, veritati & gloriæ Dei? Solut. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & concordantiæ. Vitium quomodo posset esse in veritate & gloria Dei? Solutio. Vitium esset in Deo, si cum concordantia remotus non esset à contrarietate: sicut sibi foret vitium: si cum veritate remotus non esset à falsitate, & cum gloria à pœna. Contrarietas quomodo est impossibilis esse in Deo? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & contrarietatis. Si in Deo non esset productio, esset in eo contrarietas? Solutio. In omni ente oportet quod sit contrarietas in quo gloria & veritas habent defectum virtutis. Deus quomodo est magis virtuosum, & magis verosum & magis gloriosum principium? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & principij. Virtuificabilitas, verificabilitas & glorificabilitas in quo, & de quo, & per quem possunt habere maiorem principiabilitatem? Solutio. Ista quæstio fiat maiori principia-

cipiatiuitati, quæ potest esse. Medium quare est necessarium gloriæ, virtuti & veritati Dei? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & medij. Virtus quomodo est medium inter veritatem & gloriam? Solutio. Virtus est medium inter gloriam & veritatem dando cuilibet æqualiter suam similitudinem in verificando & glorificando. Sine productione posset aliqua diuina ratio suum finem attingere? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & finis. Sine productione quomodo essent fine vacuæ diuinæ rationes? Solutio. Qui traheret de gloria gloriantem, glorificabilem & gloriari, nullus finis posset esse in gloria. Virtus & veritas quomodo possunt esse in gloria in maiori maioritate, quæ potest esse? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & maioritatis. Virtus quomodo se communicare potest in maiori gloria & veritate? Solutio. Maior communicatio virtutis est, quod sit de producente, productibili & de producere, quæ sint eadem virtus. Actus veritatis quomodo potest esse in gloria sustentatus? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ & æqualitatis. Inæqualitas cum quo, & per quem est longior à virtute, veritate, & gloria Dei? Solutio. Nihil tantum contrarium est inæqualitati, sicut æqualitas. Veritas potest habere purum actum in gloria in virtute, & in seipsa sine productione? Solutio. Vade ad rubricam virtutis, veritatis, gloriæ, & minoritatis. Maior actus virtutis quomodo est remotior à maiori actu vitij? Solutio. Nullus actus est tantum remotus à minori actu virtutis: sicut maior actus qui potest esse virtutis.

De Quæstionibus differentiæ concordantiæ, & contrarietatis de floribus arboris diuinalis.

Diuinæ rationes quomodo sunt magis remotæ ab ociositate? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Distinctio & contrarietas quomodo sunt magis contrariæ? Solutio. Illa distinctio quæ est in concordantia, & quæ est concordantia, est magis remota à contrarietate, quam aliqua alia distinctio. Principiabilitas quare est in Deo de necessitate? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ, concordantiæ, contrarietatis & principij. In principio distinctio quomodo est remotior à contrarietate? Solutio. In illa distinctione quæ est concordantia, non habet contrarietas aliquam conditionem principij. Sine productione concordandi posset esse in Deo contrarietas? Solutio. In distinctione in qua non est aliqua conditio concordantiæ, oportet quod sit contrarietas de necessitate. Et vade ad rubricam differentiæ, concordantiæ, contrarietatis & medij. Distinctionare & concordare quomodo sunt medium in spirare? Solutio. Iudicare indutum charitate est medium in amore. Finis concordantiæ quomodo est in deitate sine contrarietate? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ, concordantiæ, contrarietatis, & finis. Si in voluntate Dei non esset distinctio amantis, amabilis, & amare, quid sequeretur? Solutio. Si in voluntate Dei non esset distinctio amantis, amabilis, & amare, in ipsa non posset esse finis neque concordantia. Distinctio quare naturaliter maior est in concordantia quam in contrarietate? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ, concordantiæ, contrarietatis, &

maioritatis. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus quomodo ſunt in maiori maioritate diſtinctionis & concordantiæ? Solutio. Exiſtente Filio ex toto Patre, & Spiritu ſancto exiſtente ex ambobus ſine aliqua conditione contrarietatis, eſt eorum diſtinctio & concordantia in maiori maioritate, quæ poſſit eſſe. Concordantia Dei quomodo remotior eſt à contrarietate? Solutio. Vade ad rubricam differentiæ, concordantiæ, contrarietatis & æqualitatis. Si in Deo non eſſet æqualitas, oporteret quod in ipſo foret contrarietas? Solutio. Si in Deo non eſſet æqualitas æquantis, æquabilis, & æquare cum diſtinctionare & concordare, de ſua priuatione ſequeretur habitus contrarietatis in eſſentia Dei. In Deo quomodo poſſunt eſſe concordantia & diſtinctio ſine minoritate? Solutio. Sine accidente nulla minoritas poteſt eſſe. Et vade ad rubricam differentiæ concordantiæ, contrarietatis & minoritatis. Cum Pater ſit producens, & Filius ſimiliter, Spiritus ſanctus qui non producit, quomodo poteſt eſſe in ita magna diſtinctione & concordantia, ſicut ſunt Pater & Filius? Solutio. Duæ paſſiones ſancti Spiritus ſunt de tota actiuitate Patris & Filij, & ita ſunt vna perſona, ſicut duæ actiuitates ſunt vnum principium.

De Quæſtionibus principij, medij & finis de floribus arboris diuinalis.

Deus quomodo poteſt eſſe purum principium? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum ſanctus Spiritus ſit ex Patre, & Filio, quomodo eſt ipſe tantum ex Filio ſicut ex Patre? Solutio. In vnitate medij, & finis eſt vnitas principij. Principium, medium & finis quomodo poſſunt eſſe in maiori maioritate, quæ eſſe poſſit? Solutio. Vade ad rubricam principij, medij, finis, & maioritatis. Poſtquam in Deo non eſt vacuitas, quomodo poteſt eſſe in ipſo complere? Solutio. Ita oportet quod in Deo ſit complere ex complente & complebili: ſicut in amore amare ex amante, & amabili. Principians, principiabile, & principiare, quomodo poſſunt eſſe æqualia in medio & in fine? Solutio. Vade ad rubricam principij, medij, finis, & æqualitatis. Principiatiuitas, & principiabilitas, quomodo ſunt æquales in principiare? Solutio. Iſta quæſtio fiat infinire, æternare, generare, & ſpirare. Si in Deo non eſſet purum principiare, quid ex hoc ſequeretur? Solutio. Vade ad rubricam principij, medij, finis & minoritatis. De maiori principiare & minori quomodo habetur cognitio? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus maioritatis, æqualitatis, & minoritatis.

Diuinæ perſonæ cum quo ſunt remotæ à maioritate & minoritate? Solutio. In æterno & infinito æqualificare maioritas & minoritas eſſe non poſſunt. Et vade ad rubricam antedictam. Si in Deo non eſſet æqualitas, foret in ipſo inæqualitas? Solutio. Qui de Deo vnam rationem priuaret, priuaret omnes rationes.

De Quæſtionibus florum arboris exemplificalis. Et primò de elementali.

Finis auri in quo eſt magis virtuoſus. Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum ignis ſit creatura, finis ſuus

suus potest esse malus. Solutio ibidem ad secundum paragraph. Quare esse est magis vtile, quam bene esse? Solutio ibidem ad tertium paragr. Cum ferrum sit vtilius argento, quare argentum est magis pulchrum quam ferrum? Solutio. Hoc quod Deus non dat vni, dat alij. Et vade ad quartum paragraph. Culpa quomodo incipit? Solutio ibidem ad quintum paragrap. Lux quomodo habet maiorem fortitudinem quam tenebræ? Solutio. Vnum modicum de lumine illuminat vnam magnam cameram. Et vade ad sextum paragraph. Ignis qui cum Luna participat, quare descendit inferius ad participandum cum pipere? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Aqua calida quæ est in olla, calefacit per suam naturam carnes, quæ sunt in ipsa? Solutio ibidem ad octauum paragr. Hypocrysis & superbia quomodo habent concordantiam? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Nobilitas in quo primo incipit? Solutio ibidem ad decimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris vegetalis.

DEdecus quomodo incipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in primo paragr. Liber humilitatis vbi est? Solutio ibidem ad secundum paragr. Liber finis vbi est? Solutio ibidem ad tertium paragr. Inuisibilitas quomodo exit in visibilitate? Solutio ibidem ad quartum paragr. Reprehensio vbi incipit? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Homines quare pœnitent? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Homo quomodo est superbus? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Imperfectus & perfectio quomodo sunt in vna eadem qualitate? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Particulare quomodo est propinquius fini quam vniuersale, & vniuersale quomodo est maius quam particulare? Solutio ibidem ad nonum paragr. Quare homo qui est diues & nobilis, non vult videre suum parentem vilem & pauperem? Solutio ibidem ad decimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris sensualis.

CVm Deus sit infinitus, suum actum posset homo comprehendere? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in primo prouerbiorum. Secretum quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Superbia quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Oculi quomodo mouent memoriam ad recolendum? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Memoria quomodo mouet sensitiuam? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Sensitiua quomodo sentit cum medio? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Nuncij infirmitatis qui sunt? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Quare visibilitas sentiri non potest? Solutio. Sicut oculi non possunt audire, neque aqua potest sentire, ita formæ quæ sunt in potentia se inuicem videre non possunt. Et vade ad rubric. virtutis ad octauum paragr. Postquam oculi visibilitatem non vident, quare ipsam desiderant? Solutio. Propter hoc formæ generales desiderantur, vt spirituales attingantur. Et vade ad rub. virtutis ad nonum paragr. Homo quare videri non potest? Solutio. Si homo videri posset, anima sua posset videri. Et vade ad rubricam virtutis ad vltimum paragraphum.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris imaginalis.

Imaginatiua & sensitiua quomodo habent officia diuersa? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in primo paragr. Anima rationalis potest dormire? Solutio ibidem ad secundum paragr. Imaginatiua quare imaginari non potest in vno tempore totum circulum firmamenti? Solutio. Imaginatiua quæ est Romæ imaginari non potest, quod caput antipodum fit supra,& pedes inferius. Et vade ad rub. virtutis ad tertium parag. Quare imaginari mortem plus valet, quam imaginari vitam? Solutio. Qui mortem imaginatur,aliam vitam desiderat, & vitam huius mundi contemnit secundum cursum naturalem. Et vade ad rub. virtutis ad quartum paragr. Pulchritudo quomodo est mala? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Imaginatio Regis quomodo est ordinata? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Intellectus cum quo vadit ante voluntatem? Solutio ibidem ad septimum paragrap. Imaginatio in quo modo se extendit & restringit? Solut. ibidem ad octauum paragraph. Est aliquod instrumentum mobile æqualiter per potentiam & obiectum? Solutio ibidem ad nonum paragr. Memoria quare est infirma? Solutio ibidem ad decimum paragraphum.

De Quæstionibus florum arboris humanalis.

Vita hominis quare est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæ paupertas aut priuatio est maior? Solutio ibidem. Homo quomodo est dæmonis? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Homo iustus quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Cum cogitare nobilius sit quam sentire, quare desideratur plus sentire, quam cogitare? Solutio. Quia equus facit cõtra suam speciem, cum filium generat de asina, plus retinet suus filius similitudinem asininam, quam equinam. Et vade ad quintum paragraph. Peccatum originale quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad sextum paragr. Mutatio intentionis quomodo bonam famam adducit? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Hypocrisis de de quo viuit? Solutio. Ita viuit hypochrisis de bona fama, sicut videre de colore. Et vade ad octauum parag. Homo quomodo valet plus,quam asinus? Solutio ibidem ad nonum parag. Homo quomodo scit tenere bonas vias? Solutio ibidem ad decimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris humanalis spiritualis.

Homo iustus quomodo Deum diligit plusquam seipsum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in prima ratione. Memoria quare Deum obliuiscitur? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Res visibiles quomodo res inuisibiles significant? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Amabilitas Dei quomodo comprehendit amabilitatem hominis? Solutio ibidem ad quartum parag. Deus quare non est honoratus per totum mundum? Solutio ibidem ad quintum paragr. Nuncius qui pietatem adducit & recolentiam, quis est? Solutio ibidem ad sextum paragrap. Electuarium infirmæ voluntati necessarium

sarium quod est? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Suspiria & fletus quomodo peccatum consumunt? Solutio ibidem ad octauum paragr. Mala voluntas quomodo cognoscitur? Solutio. Quilibet latro tenebras diligit. Et vade ad nonum paragraphum. Ira Dei in quibus hominibus est? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris moralis virtuosæ.

AQua quomodo significat puritatem? Solutio. Vade ad primam rationem rubricæ antedictæ. Fides quare plorat? Solutio ibidem ad secundum paragraphum. Duo brachia iustitiæ quæ sunt? Solutio ibidem ad tertium paragr. Maior timibilitas quomodo est inter iustitiam & spem? Solutio ibidem ad quintum paragraphum. Nuncij qui bona verba adducunt, qui sunt? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Iustitia quare conqueritur spei de hominibus? Solutio ibidem ad sextum paragr. Fortitudo per quam est maior? Solutio ibidem ad octauum paragr. Quis est maior tunica? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Deus quomodo est hominum? Solutio ibidem ad vltimum paragrap.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris moralis vitiosæ.

FOrtitudo quomodo habet culpam? Solutio. Vade ad primum prouerbiorum rubricæ antedictæ. Accidentia pœnæ quæ sunt? Solutio ibidem ad secundum paragr. Si superbia ascenderet, esset vitium? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Quare filius portat culpam Patris? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Spes cui est magis contraria? Solutio ibidē ad quintum paragr. Prudentia quomodo est magis remota? Solutio ibidem ad sextum paragr. Peccatum quare non potest esse creatura? Solutio ibidem ad septimum paragr. Esse cui est magis contrarium? Solutio ibidem ad octauum paragr. Vitium & culpa quomodo sunt vnum idem numero? Solutio ibidem ad nonum paragr. Vnum idem vitium quomodo est magis & minus? Solutio ibidem ad vltimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris imperialis.

PAx in quo est sustentata? Solutio. Vade ad rubricam antedictam in primo paragraph. Maior pulchritudo Regis de quo est? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Honor Regis in quo sustentatur? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Seruitus quomodo venit in libertatem? Solutio ibidem ad quartum paragrap. Malus Princeps quomodo est vincibilis, & bonus Princeps quomodo est fortificabilis? Solutio ibidem ad quintum par. Amicitia Principis quare est periculosa? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Dæmon cum quo facit maiorem societatem? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Sapientiam & voluntatem quis ipsas tenet captas? Solutio ibidem ad octauum paragrap. Quomodo potest cum Principe pax procurari? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Humilitas in quo apparet pulchrior? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris apostolicalis.

De Articulis.

SI Deus non esset, quare hoc quod est nihil foret, Solutio. Vade ad primum paragraphum rubricæ antedictæ. Infinitas potest non esse? Solutio. Si substantia finita potest esse in priuatione, substantia tamen infinita non potest in priuatione esse. Et vade ad rub. virtutis ad secundum parag. Duæ substantiæ infinitæ differentes per essentiam, quare nō possunt esse? Solutio. Si duę substantiæ finitæ differentes per essentiam possunt esse, duæ substantiæ infinitæ differentes per essentiam non possunt esse. Et vade ad rub. virtutis ad tertium paragr. Deus quare nascitur de Deo? Solutio ibid. ad quartum paragraph. Quare Deus exit de Deo? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Mundus quare non potest esse æternus? Solutio ibid. ad sextum paragraph. Homo quot modis obligatus est ad seruiendum Deo? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Homines damnati cognoscunt gloriā Dei? Solutio. Si peccatum bonam amabilitatem deuiat à bona amatiuitate, ita peccatum deuiat bonam scibilitatē à sciuitate. Et vade ad rub. virtutis ad octauum paragrap. Homo creatus est propter hunc mundum, aut propter alium? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Potestas Dei quare plus potest de magnitudine, quam de paruitate? Solutio ibidem ad decimum paragraphum.

De Quæstionibus prouerbioru m florum arboris apostolicalis.

De Articulis.

INcarnatio est plus per amorem, quam per recreationem? Solutio. Vade ad primum paragraph. rubricæ antedictæ. Potestas Dei fuit ita fœcunda per creationem, sicut per incarnationem? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Iesus Christus quare moriebatur: Solutio ibidem ad tertium paragraph. Iesus Christus quare descendit ad inferos? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Iesus Christus quare resurrexit? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Iesus Christus quare ad cœlos ascendit? Solutio ibidem ad sextum paragr. Iesus Christus quare iudicabit bonos & malos? Solutio ibidem ad septimum paragraph. Maius peccatum quod est? Solutio ibidem ad octauum parag. In quo nomine omnis virtus comprehenditur? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Veriora testimonia quæ sunt? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris Cælestialis.

QVis fuerit primus dies, cum Deus mundum creauit? Solutio. Vade ad primum paragr. rubricæ antedictæ. Vegetare cum qua complexione fortius concordat, & cum quo die? Solutio ibidem ad secundum paragr. Iudicium generale in quo die erit? Solutio ibidem ad tertium paragr. Imaginatio in quo die est fortior? Solutio ibidem ad quartum paragr. Astronomi quare errant ita frequenter in eorum

rum iudiciis? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Ars Alkimiæ potest esse vera? Solutio ibidem ad sextum paragr. Tabula Astronomiæ potest esse vera? Solutio ibidem ad septimum paragr. Complexio Lunæ potest esse de Mercurio? Solutio ibidem ad octauum paragr. Hæresis quomodo incipit? Solutio ibidem ad nonum paragr. Potestas est maior per voluntatem, quam per complexionem? Solutio ibidem ad decimum paragr.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris Angelicalis.

ANgelus habet aliquid maius ipso? Solutio. Vade ad primum paragr. rubricæ antedictæ. Angelus habet verecundiam moralem? Solutio ibidem ad secundum paragrap. Mala tentatio quomodo cognoscitur? Solutio ibidem ad tertium paragr. Consilium mali Angeli vbi incipit? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Bonus Angelus quomodo consulit? Solutio ibidem ad quintum paragr. In bono Angelo potest esse contrarietas? Solutio ibidem ad septimum paragr. Pœna dæmonis quomodo est assituata? Solutio ibidem ad septimum parag. Intellectus dæmonis tormentat volūtatem? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Malus angelus potest habere aliquod placitum? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Dęmon quomodo perdidit spem? Solutio ibidem ad vltimum paragraph.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris æuiternalis.

IN paradiso est aliquod malum desiderium? Solutio. Vade ad primum paragraphum rubricæ antedictæ. In Paradiso est aliquis defectus? Solutio ibidem ad secundum paragraph. Quilibet dęmón diligit publicum malum? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Infernus de quo viuit? Solutio ibidem ad quartum paragraph. In Paradiso erit quilibet homo Rex! Solutio ibidem ad quintum paragrap. In Paradiso est spes? Solutio. Hoc quod est spes in hoc mundo, est intelligere in Paradiso. Et vade ad rub. virtutis ad sextum paragraph. In Inferno potèst Iesus Christus diligi? Solutio ibidem ad octauum paragraph. In inferno est aliquis finis naturalis? Solutio ibidem ad nonum paragraphum. Timor est in Inferno? Solutio. Quia homo maiorem pœnam habere potest quam anima, habet quælibet anima damnata timorem de die iudicij. Et vade ad rub. virtutis ad vltimum para.

De Quæstionibus prouerbiorum florum arboris maternalis.

IEsus Christus & Domina nostra quomodo inter se loquuntur? Solutio. Vade ad primum paragraphum rubricæ antedictæ. De quo loquitur Iesus Christus Dominæ nostræ? Solutio ibidem ad secundum paragr. Quare sunt plures homines in errore quam in veritate? Solutio ibidem ad tertium paragr. Iesus Christus de quo facit placitum Dominæ nostræ? Solutio ibidem ad quartum paragr. Domina nostra habet pietatem? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Domina nostra quomodo consulit? Solutio ibidem ad sextum paragraph. Domina nostra plorat in Paradiso pro peccatoribus? Solutio. Loco plorandi Domina nostra habet pietatem. Et vade ad rubricam virtutis ad septimum paragr. Domina nostra rogat

suum

ſuum Filium? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Domina noſtra ſcit preces quas ſibi faciunt homines? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Ieſus Chriſtus negat aliquid Dominæ noſtræ? Solutio ibidem ad vltimum paragraphum.

De Quæſtionibus prouerbiorum florum arboris Ieſu Chriſti.

HVmanitas Chriſti cum quo honorat deitatem? Solutio. Vade ad primum paragraph. rubricæ antedictæ. Deus quomodo poteſt dare maius donum creaturæ, & creatura Deo? Solutio ibidem ad ſecundum paragraph. Ieſus Chriſtus quid deſiderat? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Creator & creatura quomodo ſe inuicem diligere poſſunt? Solutio ibidem ad quartum paragraph. Humanitas Ieſu Chriſti rogat deitatẽ? Solutio ibidem ad quintum paragr. Humanitas Ieſu Chriſti diligit habere honorem? Solutio ibidem ad ſextum paragraph. Ieſus Chriſtus quare rogat? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Humanitas Ieſu Chriſti ſcit preces quas homines ſibi faciunt? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Humana natura Chriſti eſt multum pulchra? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Pulchrior Dei ſimilitudo quæ eſt? Solutio ibidem ad decimum paragraphum.

De Quæſtionibus prouerbiorum florum arboris diuinalis.

SPiritus ſanctus de quo eſt? Solut. Vade ad primum parag. rubr. antedictæ. Si non eſſet exire, poſſet eſſe infinite? Solutio ibidem ad ſecundum paragraph. Infinite poſſet eſſe ſine complere? Solutio ibidem ad tertium paragraph. Æternitas poſſet eſſe ſine æternabilitate? Solutio. Hoc quare mundus non poteſt æternus eſſe, eſt, quia ſua æternabilitas non eſt cauſa diuinæ æternitatis. Et vade ad rubri. virtutis ad quartum paragraph. Sine certo numero diuinarum perſonarum poſſet eſſe complementum in numero? Solutio ibidem ad quintum paragraph. Filius quomodo poteſt eſſe ſine matre? Solutio. Ille Filius qui totus eſt de Patre, non habet neceſſitatẽ quod habeat matrem. Et vade ad rubr. virtutis ad ſextũ parag. Quæ perſona in Deo eſt centrum complementi? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraph. Spiritus ſanctus quare non producit perſonam? Solutio. Sicut Pater & Filius ſe habent de neceſſitate ad producendum in deitate, oportet quod ſanctus Spiritus ſe habeat de neceſſitate ad non producendum in deitate. Et vade ad rubric. virtutis ad octauum paragraph. Spiritus ſanctus quomodo habet tantum ſicut Pater & Filius? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Numerus quare non poteſt eſſe infinitus? Solutio. Nullum infinitum eſt in potentia. Et vade ad decimum paragraphum.

De Quæſtionibus fructus.

Et primò de arbore elementali.

FRVCTVS arboris elementalis quis eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Elementatum quomodo eſt fructus? Solutio. Succeſſio quæ eſt de principio per medium, habet quietem in fine. Et vade ad rubricam virtutis. Ignis quare plus habet de perfectione in compoſito quam in ſeipſo? Solutio

tio. In rebus naturalibus sunt formæ simplices, vt sint compositæ. Vtrum sit fructus generalis elementalis? Solutio. Si non esset generale vegetare, nulla planta esset. Et vade ad rubr. virtutis. In pomo quis est fructus elementalis? Solutio. Illud ens quod est in pomo de partibus simplicibus elementorum, est fructus elementalis. Fructus elementalis est in pomo visibilis? Solutio. In communitate naturali nulla pars simplex videri potest. Fructus elementalis est in pomo palpabilis? Solutio. Ponderositas & duritiès sunt instrumenta cum quibus sensus attingit partes fructus elementalis. Fructus elementalis est magis nobilis in auro, quam in pomo? Solutio. Vegetatio est perfectio elementationis, quia est in maiori magnitudine bonitatis in fine. Per opus artificiale potest esse fructus elementalis? Solutio. Per flammam exit aurum de potentia in actu. Postquam per artificium potest exire forma de potentia in actu, potest per artificium fieri aurum de argento? Solutio. Martellus non producit clauum de seipso, nec medicus sanitatem de seipso producit in patiente.

De Quæstionibus fructus arboris vegetalis.

FRuctus arboris vegetalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam: Duo fructus qui sunt in pomo quomodo sunt indiuiduati? Solutio. Finis elementationis est per elementare, & finis vegetationis per vegetare. Duo fructus qui sunt in pomo quomodo coniunguntur in vno fructu qui est pomum? Solutio. Ex pluribus partibus simplicibus est composita vna substantia, & ex pluribus substantiis compositis est vna substantia composita, quæ est plus quam aliqua ipsarum composita. Duo fructus in vno quomodo sunt imaginabiles? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Centrum plantarum quod est? Solutio ibidem. Quæ ex partibus plantæ est magis plena? Solutio ibidem. Salix quare non facit fructum? Solutio ibidem. Cerasum quare habet os siue lapidem intra & non extra, sicut amigdalum & nux? Solutio ibidem. Gradus quos elementa habent in plantis, quomodo sunt assituati? Solutio ibidem. Plantæ habent ita gradus suos assituatos secundum vegetationem, sicut habent secundum elementationem? Solutio. Formis nobilibus est magis necessarius ordo, quam minus nobilibus.

De Quæstionibus fructus arboris sensualis.

FRuctus arboris sensualis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In equo quis est fructus elementorum vegetatiuæ, & sensitiuæ? Solutio ibidem. Equus est visibilis per colorem, aut est visibilis per visibilitatem? Solutio. In equo est color ex elementis, & visibilitas est sensitiuæ, & color est subiectum visibilitatis, & obiectum visum est ex ambabus passionibus. Equus quomodo est fructus? Solutio. Equus inquantum est visus, est fructus videndi: idcirco est fructus sensitiuæ, & inquantum est coloratus, & color est visus: est coloratus fructus colorandi: & inquantum est vegetatus, est fructus vegetandi. Equus quare est fructus? Solutio. Equus est fructus per formam, sicut panis, qui est fructus farinæ & aquæ, & substantia quæ est fructus suæ

formæ & suæ materiæ. Et equus est fructus per finem, inquantum est propter equitare, de quo equitare est fructus equitatum. In equo colorato quare est fructus sensitiuæ? Solutio. In equo colorato est fructus colorandi formaliter, & quia coloratum est, vt sit visum, est fructus formaliter sensitiuæ. Ex tribus fructibus equus quomodo est vnus fructus? Solutio. Est equus vnus fructus communis ex pluribus formaliter & finaliter, formaliter per essentiam omnium trium fructuum particularium, finaliter per finem cuiuslibet trium fructuum. Fructus equi habet quietem in seipso? Solutio. Inquantum equus est fructus formalis, est fructus suiipsius, & inquantum est fructus finalis, est fructus alterius, videlicet equitati, cuius est fructus per equitare, sicut pomum qui est fructus illius per comedere, qui ipsum comedit. Equus quare non est fructus finalis suiipsius? Solutio. Si equus non esset instrumentum equitandi & arandi, aut alicuius necessitatis hominis, partes suæ haberent in ipso quietem, & non seruirent Deo, cum ita sit, quod equus de Deo cognitionem non habet, & sequeretur, quod equus esset creatus sibiipsi, & non Deo. Serpens qui homines occidit, quomodo est fructus hominis? Solutio. Serpens inquantum homines occidit, est instrumentum iustitiæ Dei & prudentiæ hominum: habet etiam aliquas conditiones, quæ sunt bonæ conditionibus hominis: sicut tytiaca, quæ fit de serpente, quæ bona est contra venenum, contra lepram, & contra morbum caducum, & fortificat calorem naturalem.

De Quæstionibus fructus arboris Imaginalis.

FRuctus arboris imaginalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus arboris imaginalis de quo est? Solutio ibidem. Fructus imaginationis quid est? Solutio. Est per formam, & per finem: per formam, hoc est per imaginari: per finem, hoc est per imaginatum. Capra imaginatur lupum de quo habet timorem: idcirco quæritur, quomodo lupus qui est imaginatus, est fructus imaginationis capræ? Solutio. Ex secundariis intentionibus sunt fructus primarij: sicut capra quæ timorem habet de lupo, quia diligit viuere. Capra fontem imaginatur: fons imaginatus quomodo est fructus imaginationis capræ? Solutio. Similitudo fontis quam imaginatio multiplicat, est fructus secundarius imaginationis, & bibere est fructus primus. Equus viuus qui equum mortuum videt, imaginatur suam mortem? Solutio. Si equus suam mortem non imaginaretur, de morte timorem non haberet. Visibilitas quomodo est fructus imaginationis? Solutio. Si visibilitas non esset imaginatio, coloratum imaginari non posset: est ergo visibilitas ita fructus secundarius imaginationis: sicut panis est fructus secũdarius vitæ. Homo chymeram imaginatur, illa chymera est fructus imaginationis cum ipsa non sit realiter? Solutio. Species quæ non sunt entium verorum sunt instrumentales, cum quibus verè attinguntur. Imaginatum quomodo est fructus imaginationis? Solutio. Sicut calefactum est fructus caloris & sentitum sensus, est imaginatum fructus imaginationis. Imaginari est fructus imaginatiuitatis? Solutio.

lutio. Imaginatiuitas est fructus formalis, & imaginari finalis.

De Quæstionibus fructus arboris Humanalis.

FRuctus arboris humanalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Anima rationalis quomodo est fructus corporis? Solutio. Sicut elementare est fructus secundarius elementorum, & elementatum est primus, ita corporificare est fructus secundarius potentiæ elementatiuæ, vegetatiuæ, sensitiuæ, imaginatiuæ, & rationatiua est fructus primus secundum comparationem fructuum qui sub se sunt, & est secundarius secundum comparationem rationati, homificati. Homo quomodo est fructus Solis? Solutio. Sicut martellus qui est propter clauum, & planta quæ est propter vitam animalis, ita Sol est propter hominẽ. Quam vtilitatẽ habet Sol de esse hominis? Solutio. Sole seruiente homini seruit Deo, quia homo diligit Deum & cognoscit. Homo per quam naturam est nobilior fructus? Solutio. Homo est fructus per formam, & est fructus per finem, & per formam non est fructus creaturarum corporalium, sed per finem est fructus omniũ creaturarum corporalium. Quis est fructus hominis peccatoris? Solutio. Illa substantia est suo fructu vacua, quæ suo fine est priuata. Et in hoc passu cognoscitur, quomodo pœna damnatorum est magna. In homine damnato quis est fructus Solis & plantæ? Solut. Fructus Solis & plantæ perditus est in homine damnato, inquantum beatitudinem non habet, & restauratus in iudicio Dei. Martinus est melior fructus Patris sui, quam Sol? Solu. Martinus est fructus sui Patris formaliter, finaliter, & materialiter, & est fructus Solis finaliter tantummodo. Fructus meritorius Martini quis est? Solutio. Iustorum est fructus iudicandi, & amatorum amandi. In hominibus quomodo sunt fructus alterabiles? Solutio. Fructus fabri qui clauum facit sunt denarij quos habet propter clauum, & clauus est fructus hominis qui ipsum emit, & hoc de gradu in gradum vsque ad viuere.

De Quæstionibus fructus arboris moralis virtuosæ.

FRuctus arboris moralis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus morales quomodo nascuntur de habitibus? Solutio. De iustitia nascitur iustus actus per iudicare, & bonus bonificatus per bonificare. Et vade ad rubricam virtutis. In moralibus habitibus quomodo sunt quidam fructus aliorum? Solutio. Inquantum vna manus aliam iuuat, est vna manus alterius, sicut martellus qui est claui. Fructus morales quomodo colliguntur? Solutio. Imaginatiua colligit coloratum cum videre, & verba cum audire. Fructus morales quando colliguntur? Solutio. In illo tempore, quando Martinus actibus virtutum vtitur, colligit merita. Fructus spei quis est? Solutio. Illud meritum quod Martinus habet per spem, est fructus spei. Cum Martinus sit desperatus, fructus spei quem habebat vbi est? Solutio. Fructus quem Martinus habebat per spem non attingit beatitudinem, cum Martinus desperatus est, veruntamen vtilitatem attingit, inquãtũ est occasio minoris pœnæ. Nobilior fructus Martini vitiosi quis est? Solutio. Vade ad rub. virtutis. Vnus fructus quomodo est in potentia alte-

rius fructus? Solutio ibidem. Mors quomodo est fructus vitę? Solutio. Cũ mors moralis est virtuosa, est fructus vitę virtuosę, sicut manducare est fructus ipsius viuere, & color colorati.

De Quæstionibus fructus arboris moralis vitiosæ.

FRuctus vitiosus quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum peccatum sit occasio priuationis finis, quomodo potest habere aliquem fructum? Solutio ibidem. Punitio quomodo est fructus peccati? Solutio. Punitio est fructus peccati, inquantum est instrumentum quod subiectum peccati sit tormentatum. Punitio quomodo est instrumentum gloriæ? Solutio. Cum malis cognoscuntur boni. Peccatum potest esse fructus alicuius substantiæ realis? Solutio. Sicut cæcitas est priuatio visus, est peccatum priuatio fructificandi. Et in hoc passu cognoscitur, quod peccatum est illud instrumentum per quod priuatus est fructus virtutis. Vnum peccatum est fructus alterius? Solutio. Inquantum vnum peccatum iuuat aliud, vnum peccatum est instrumentum alterius contra fructum virtutis. Dæmon qui Martinum peccare facit, consequitur aliquem finem? Solutio. Finis caloris innaturalis in homine qui habet febrem, est contra finem caloris naturalis: & imo finis caloris innaturalis, est contra finem sui proprij subiecti. Quis est fructus superbiæ? Solutio. Superbia appetitũ habet eundi superius, & suum fructum colligit in eundo inferius. Fructus auaritiæ quis est? Solutio. Auaritia desiderare facit diuitias, & attingit suum fructum in paupertate, inquantum homo auarus est magis pauper, quam alius homo. Forma dæmonis quæ est? Solutio. Informatio per quam quælibet pars dæmonis habet suum finem in priuatione, est forma dæmonis. Et in hoc passu cognoscitur quomodo est magna peruersio virtutis in vitium.

De Quæstionibus fructus arboris imperialis.

FRuctus arboris imperialis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus arboris imperialis de quo est? Solu. Fructus personæ cõmunis est pluriũ particulariũ moralitatum quæ in pluribus hominibus sustentantur. Fructus principis quare est principaliter? Solutio. Calor ignis est propter calorem piperis equi, gruis & hominis. Fructus principis est superior aut inferior? Solutio. Est superior per formam, & inferior per finem. Et in hoc passu cognoscitur quod nullus homo secundum finem est tantum subditus sicut princeps. Peior fructus quis est? Solutio. Dixit Raymundus, quod illam quæstionem faceret malo principi. In malo principe quis est peior fructus? Solutio. Nobilior fructus qui est in principe, est per iustitiã. Fructus imperialis quid sapit? Solutio Sapit pacem & diuitias hominum, si princeps sit bonus. De quo viuit fructus principis? Solutio, Viuit de actibus suarum virtutum, & de actibus virtutum suorum hominum. Fructus principis quomodo est pulcher? Solutio. Est pulcher cum bona fama, & cum vero iudicio. Fructus principis vbi est? Solutio. In patibulo, in suo scuto, & in sua corona.

De

De Quæstionibus fructus arboris apostolicalis.

FRuctus arboris apostolicalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus arboris apostolicalis de quo est? Solutio. Est de ordide, qui gentes ordinat ad saluationem. Cultor fructus quis debet esse? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Fructus apostolicalis de quo viuit? Solut. Viuit de cõmunitatibus finium sub ipso existentium. Et vade ad rubricam virtutis. Fructus apostolicalis est magnus? Solutio ibidem. Fructus arboris apostolicalis deberet esse dulcis? Solutio ibidem. Fructus arboris apostolicalis est albus? Solutio ibidem. Fructus arboris apostolicalis est vtilis? Solutio ibidem. Fructus arboris apostolicalis cuius imago est? Solutio. Vnus est Iesus Christus in cœlo, & imago suæ vnitatis, & Dominij est in terra vnus Apostolicus. In Apostolico suus fructus quomodo est figuratus? Solutio. Sicut figuræ litterarum sigilli, & figuræ literarum ceræ formatę per ipsas de sigillo sunt vnum in specie & numero, est fructus apostolicalis impressio proportionata & dispositæ, quod sit similitudo in Apostolico.

De Quæstionibus fructus arboris cælestialis.

FRuctus arboris cælestialis quis est? Solut. Vade ad rubricam antedictam. Fructus arboris cælestialis vbi colligitur? Solutio ibidem. Fructus Arietis & Martis est vnus? Solutio. Vnus est in specie qualitatis, & sunt plures, inquantum est differentia obiectorum & subiectorum. Fructus Arietis & Cancri sunt contrarij? Solutio. In seipsis non sunt contrarij? Solutio. In seipsis non sunt contrarij, quomodo firmamentum non est de contrariis, sed sunt contrarij in igne, & in aqua, & in pipere, & in cucurbita. Fructus cœli quomodo colligitur in terra? Solutio. Sol vapores consumit, & Luna ipsos multiplicat. Cum piper non sit de essentia Solis, quomodo est fructus Solis? Solut. Pomum est fructus pomerij per formam & materiam, & est fructus finis illius qui pomum comedit. Cum anima beati Petri non sit de essentia Solis quomodo est fructus Solis? Solu. De corpore beati Petri & de anima erit in die iudicij beatus Petrus. Cœlũ empireum quomodo est fructus Solis? Solut. Corpus beati Petri fuit fructus Solis in hoc sæculo, & erit fructus cœli Empirei in alio sęculo. Lux solis, & lux cæli Empirei sunt de vno fructu? Solutio. Secundæ intentiones sunt causæ primarum: sicut martellus qui est claui, & martellus & clauus sunt de vno ferro. Piper est fructus cæli Empirei? Solutio. Piper est fructus ignis & solis, & cælum Empireum est fructus solis & ignis.

De Quæstionibus fructus arboris Angelicalis.

FRuctus arboris angelicalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Principalior fructus arboris Angelicalis quis est? Solutio ibidem. Potest esse aliquis fructus magis naturalis per aliam naturam quam per suam naturam? Solutio. Formaliter nullus fructus potest esse magis naturalis per aliam naturam, quam per naturam sui ipsius, sed ratione finis sic. Et vade ad rubric. virtutis. Amabilitas Dei quomodo comprehendit amatiuitatem

Angeli? Solutio ibidem. Bonificatiuitas Dei quomodo comprehendit bonificabilitatem Angeli? Solutio ibidem. Fructus angelicalis quomodo est plenus & completus? Solutio ibidem. Fructus angelicalis quantum est magnus? Solutio ibidem. Potest angelus ignorare & obliuisci? Solutio. Omnis creatura potest per formam & materiam deficere, sed ratione finis non potest deficere, postquam in fine habet complementum. Fructus angeli de quo viuit? Solutio. In angelo secundæ intentiones viuunt ex primis. Fructus angelorum est ex hominibus? Solutio. Nuncius Regis non est ex ipsis, quibus transmittitur.

De Quæstionibus fructus arboris Aeuiternalis.

FRuctus arboris æuiternalis qui sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus arboris æuiternalis vbi, in quo & quomodo colliguntur? Solutio ibidem. Fructus bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, & gloriæ, quomodo colliguntur in beatis? Solutio. Vade ad rubricam fructus bonitatis. In malitia & de malitia potest esse aliquis fructus? Solutio. Vade ad rubricam fructus malitiæ. Ignis potest tormentare ignem, & intellectus voluntatem? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Ignis potest affligere animam in Inferno? Solutio ibidem. Animam in Inferno affliget corpus? Solutio. Si anima in hac vita mouit corpus ad delectationem per peccatum, bene sequitur, quod ipsam mouebit ad pœnam in Inferno secundum iustitiam Dei. Si homo damnatus fleret in Inferno quot lachrymas proiiceret? Solutio. Si homo in Inferno lachrymaret æuiternaliter, multiplicaret numerum guttarum omnium aquarum, quæ sunt in fluminibus, in mari & in stagnis. Fructus damnatorum quid est? Solutio. Est priuatio finium naturalium. Et vade ad rubr. virtutis. Dæmon intelligit suum intelligere, quomodo est sibi malus fructus? Solutio. Homo qui venenum bibit, quod bibere non credit, bibit vt viuat, & moritur, quia bibit.

De Quæstionibus fructus arboris maternalis.

FRuctus arboris maternalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Domina nostra quomodo & cum quo suum fructum colligit? Solutio ibidem. Fructus Dominæ nostræ de quo est? Solutio. Est peccatorum qui in ipsa spem habent. In quo tempore Domina nostra fructum colligit? Solutio. Quando peccatores plorant, & Dominam nostram cum suspiriis & lachrymis recolunt, Domina nostra colligit de suo Filio misericordiam. Domina nostra est fructus angelorum? Solutio. Iesus Christus est fructus Dominæ nostræ, & est fructus angelorum. Quis est fructus maternitatis? Solutio. Iesus Christus est masculus inquantum homo, & est fructus & finis omnium masculinitatum. Fructus Dominæ nostræ quantum est magnus? Solutio. Dixit Raym. quod computaret stellas. Fructus Dominæ nostræ est altus? Solutio. Dixit Raym. quod cœlum cum manu tangeret. Fructum Dominæ nostræ quis diligit? Solutio. Plorabat Raym. quia omnes homines huius mundi non cognoscunt nec diligunt fructum Dominæ nostræ. Fructus

ctus Dominæ nostræ habet bonos cultores? Solutio. Plorabat Raym. quia sunt tot peccatores.

De Quæstionibus fructus arboris Iesu Christi.

FRuctus arboris Iesu Christi quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructum Iesu Christi quis colligit? Solutio ibidem. De fructu Iesu Christi quæ vtilitas sequitur? Solutio ibidem. Fructus Iesu Christi de qua natura est? Solutio ibidem. Fructus Iesu Christi potest esse altior in magnitudine bonitatis & virtutis? Solutio ibidem. Cum fructus Iesu Christi sit ita saporosus, quare ex ipso ita pauci homines gustant? Solutio. Si fructus Iesu Christi esset multum cognitus, plures homines ex ipso comederent. Fructus Iesu Christi sufficeret omnibus hominibus? Solutio. Nobilitas finis sufficit nobilitati principij & medij. Iesus Christus est completus? Solutio. In complemento Iesu Christi quietem habent rationes diuinæ & omnes rationes creatæ, exceptis rationibus damnatorum. Fructus Iesu Christi quomodo colligitur? Solutio. Colligitur cum fide, spe & charitate, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia humilitate, misericordia & pietate. Fructus Iesu Christi est durabilis? Solutio. Illud quæratur ab æternitate, gloria & æuiternitate.

De Quæstionibus fructus arboris diuinalis.

FRuctus arboris diuinalis quis est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus diuinalis est completus? Solutio. Illud quæratur ab infinita bonitate & æterna, & ab omnibus actibus suarum rationum. Fructus diuinalis potest deficere? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Filius quomodo est fructus Patris? Solutio ibidem. Spiritus sanctus quomodo est fructus Patris & Filij? Solutio ibidē. Pater quomodo est fructus Filij? Solutio. Pater est fructus Filij in amando & intelligendo cum omnibus actibus suarum rationum, Filio intelligente & amante Patrem cum bono infinito, æterno, potente, virtuoso, glorioso & veroso amare & intelligere. Pater & Filius quomodo sunt fructus sancti Spiritus? Solutio. Dixit Raym. quod illud quæreret à solutione quæstionis antecedētis. In Deo est fructus vnus tantummodo, aut plures? Solutio. In Deo non est nisi vnus fructus per essentiam, & in ipso sunt plures fructus per proprietates personales, & per actus diuinarum rationum. Deus quomodo est fructus creaturarum, & creaturæ quomodo sunt fructus Dei? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Fructus Dei vbi est? Solutio. Illud quæratur ab humilibus & veridicis hominibus, qui plus Deum diligunt quā omnes creaturas.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis.

Et primò de elementali.

QVæritur, quod valet plus, aut ferrum, aut aurum? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæsiuit heremita à Raym. vtrum sciret in arte militiæ quod erat primò aut scutum vel ensis? Solutio. Illa arma quæ magis sunt necessaria prius erant inuenta. Et vade ad rubricam virtutis. Ignis habet se prius ad calefactum quam

quam ad calefacere: Solutio. Fabet ſecundum finem prius ſe habet ad clauum, & ſecundum motum ad operari. Ignis habet ſe ante ad calefaciendum aërem, quam aquam: Solutio. Secundum finem ſe habet ante ad calefaciendum aërem, & ſecundum materiam ad calefaciendum aquam.

De Quæſtionibus fructus arboris exemplificalis arboris vegetalis.

QVæritur vtrum in plantis ſint fructus plus per vegetare, quam per elementare? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pomum eſt plus vt ſuam ſpeciem multiplicet, quam vt comedatur? Solutio ibidem. Elementa dant plus ſuas qualitates pomo propter comedere, quam propter eſſe ſuum? Solutio ibidem. Pomerium habet maiorem quietem in pomo, quam in ſeipſo? Solutio. Illa quies quæ eſt maior, eſt in fine.

De Quæſtionibus fructus arboris exemplificalis ſenſualis.

HOmo iuſtus quare habet aduerſitates in hoc mundo & homo malus proſperitates? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vtrum homines peccatores tantas habent tentationes ſicut homines iuſti? Solut. ibidem. Homines hypocritæ quomodo habent conſcientiam, & quomodo faciunt pœnitentiam? Solutio ibidem. Perfectio religionis quæ eſt? Solutio ibidem

De Quæſtionibus fructuum arboris exemplificalis imaginalis.

IMaginatio habet maiorem concordantiam cum memoria, quam cum intellectu? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Iudex quomodo eſt partialis? Solutio ibidem. Quidam habitus morales quomodo ſunt maiores quam alij? Solutio ibidem. Imaginatum eſt ita magnus fructus imaginationis: ſicut recolitum aut memoratum? Solutio. Imaginatum eſt maior fructus imaginationis per formam, & recolitum ſiue memoratum per finem.

De Quæſtionibus fructuum arboris exemplificalis humanalis.

HOmo eſt maior fructus per animam, quam per corpus? Solutio. Secundum materiam plurium creaturarum eſt homo maior fructus per corpus, quam per animam, & ſecundum formam & finem per animam. Et vade ad rubricam antedictam. Quare puer prius ſe inclinat ad naturas corporis, quam animæ ſecundum curſum naturalem? Solutio. Secundum materiam ſecundariæ intentiones ſunt primo, & ſecundum formam & finem ſunt conſequentia primarum. In electione quare ſanctitas eſt plus eligibilis quam honor? Solutio. Vade ad rubr. virtutis. Anima & corpus quomodo habent maiorem concordantiam? Solutio. In proportione entium inæqualium finis illorum eſt in maiori concordantia.

De Quæſtionibus fructus arboris exemplificalis moralis.

FRuctus arboris moralis de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Primariæ intentiones & ſecundariæ quomodo cognoſcuntur? Solutio ibidem. Patientia quomodo cognoſcitur? Solutio ibidem. Dominus

nus discretus quomodo suum discipulum tentat? Solutio ibidem.

De Quæstionibus fructuum arboris exemplificalis Imperialis.

VTrum Princeps tantum debeat diligere sanitatem sui corporis, sicut vtilitatem sui populi? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Princeps quid debet credere de consilio? Solutio ibidem. Plures homines quomodo danr consilium contra eorum fœlicitatem? Solutio ibidem. Princeps superbus quomodo venit ad infortunium? Solutio ibidem.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis Apostolicalis.

IN Prælato quæ sunt primariæ intentiones & secundariæ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. In arbore apostolicali quis est fructus superior? Solutio ibidem. Fructus apostolicalis quomodo est saporosus & lucens? Solutio ibidem. Fructus apostolicalis quomodo est virtuosus, magnus & redolens? Solutio ibidem.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis Cælestialis.

NAtura Solis habet ita magnam potestatem in corpore hominis, sicut natura ignis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Astronomus potest dare ita verum iudicium de homine infirmo, sicut medicus? Solutio ibidem. Quare Astronomi sunt pauperes? Solutio ibidem. Homo quomodo est filius Solis? Solutio ibidem.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis Angelicalis.

VTrum agere sit fructus aut existere? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Mundus quomodo posset esse in bono statu? Solutio ibidem. Fructus beati Michaëlis est amare, aut amatum? Solutio. Amabilitas Patris & Filij est fructus beati Michaëlis per amatiuitatem, & Spiritus sanctus est fructus beati Michaëlis per amare. Beatus Michaël habet se prius ad amatum quam ad amare? Solutio. Cum in Deo amatus & amare æquales sint in æternitate, fine, magnitudine & bonitate, est eorum æqualitas causa beato Michaëli, quod æqualiter se habeat ad amare & ad amatum.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis æuiternalis.

GLoria Paradisi & pœna Inferni quomodo debent considerari? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pœna Inferni est prius considerabilis, quam gloria Paradisi: Solut. Consideratio amoris est antecedens considerationis timoris. Quare quidam virtuosi sunt tristes, & quidam hilares? Solutio ibidem. Quis sanctior videtur, aut tristis aut hilaris? Solutio. Ex forma & materia vnum idem iudicium fieri non debet. Et vade ad rubricam virtutis.

De Quæstionibus fructus arboris exemplificalis maternalis.

DOmina nostra quomodo rogari debet & laudari? Solutio. Vade ad rub. antedictā. Supposito quod peccatum originale non esset, foret Deus

incarnatus? Solutio ibidem. Articuli fidei Catholicæ poſſunt probari? Solutio ibidem. Propter intelligere articulos fidei perdet homo meritum fidei? Solutio ibidem.

De Quæſtionibus fructus arboris exemplificalis Ieſu Chriſti.

QVare anima de hoc mundo ſaturari non poteſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ex auaritia quid ſequitur? Solutio ibidem. In contemplando Deum quis habet maius meritum, aut intellectus aut voluntas? Solutio ibidem. Memoria habet maiorem paſſionem per intellectum, quam per voluntatem? Solut. ibidem.

De Quæſtionibus fructus arboris exemplificalis diuinalis.

CReaturæ quomodo Deum ſignificant? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Fructus Philoſophiæ quis eſt? Solutio ibidem. Sciētia quomodo eſt tractabilis? Solutio ibidem. Vita ſuprema & magis ſaporoſa quæ eſt? Solutio ibidem. Et gloria detur Deo. Amen.

De Quæſtionibus centum formarum, quæ ſunt in fine arboris elementalis.

De vnitate.

I.

VNitas quid eſt? Solutio. Vnitas eſt illa forma quæ eſt ratio indiuiduationis. Et vade ad rubricam antedictam. Abſque communi vnitate poſſunt eſſe plures vnitates? Solutio ibidem. Complementum vnitatis de quo eſt? Solutio. Sicut complementum amoris eſt de amante, amabili & amare, ita complementum vnitatis eſt de vniente, vnibili & vnire. Quare eſt vnus mundus, & non plures? Solutio. Quia eſt vnus Deus, & non plures, eſt ſua vnitas ratio eſſendi vnum mundum & non plures.

De Quæſtionibus pluralitatis.

I I.

PLuralitas quid eſt? Solutio. Pluralitas eſt illa forma quæ eſt cauſa pluribus rebus. Quæ ſunt prima principia pluralitatis? Solutio. Summa pluralitas ita eſt cauſa creatæ pluralitatis, ſicut ſumma vnitas eſt cauſa creatæ vnitatis. Prima pluralitas creata de quo eſt? Solutio. Nulla pluralitas eſt ita prope bonitatem, ſicut illa quæ eſt ex eſſentialibus bonificante, bonificabili & bonificare. Vna pluralitas quomodo eſt cauſa pluribus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæſtionibus ſimplicitatis.

I I I.

SImplicitas quid eſt? Solutio. Simplicitas eſt illa forma quæ eſt ratio pluribus ſimplicibus antequam non eſt aliqua natura, quæ ſit ex ipſa, nec ex ſuis ſimplicibus. Et vade ad rubric. antedictam. Simplicia ſimplicitatis quæ ſunt? Solutio. Simplicia ſimplicitatis ſunt illa, ex quibus propriè ipſa eſt ratio, videlicet ſimplificans, ſimplificabile & ſimplificare, quæ ſunt ſua eſſentialia concreta, & in quibus ipſa eſt ſuſtentata, & quietem habet & perfectionem. Simplicitas vbi eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

ctam. Prima ſimplicia ſunt corruptibilia? Solutio. Si prima ſimplicia eſſent corruptibilia, ſimplicitas & compoſitio eſſent vnum idem numero, & corruptio eſſet ex primis formis, & non ſecundis.

De Quæſtionibus compoſitionis.
IV.

Compoſitio quid eſt? Solutio. Compoſitio eſt cõiunctio pluriũ ſimplicium quibuſdam in aliis exiſtentibus, de quibus ſequitur tertius numerus, omnibus communis. Et vade ad rubricam antedictam. Species compoſitionis quot ſunt? Solutio. Duæ ſunt: prima eſt illa, quæ eſt ex partibus ſimplicibus, ſecunda eſt illa, quæ eſt ex partibus compoſitis, & ex hac ſunt ſubſtantiæ elementatæ.. Vtrum ſine communi compoſitione plures compoſitiones poſſunt eſſe? Solutio. Vade ad rub. virtutis. Secunda ſpecies compoſitionis non eſſet ex prima? Solutio. Si ſecunda ſpecies non eſſet ex prima, poſſibile foret eſſe totum ſine partibus, & partem ſine communitate.

De Quæſtionibus formæ.
V.

Forma quid eſt? Solutio. Forma eſt illud ens, cui actio eſt magis propria qualitas, quam alij. Formæ particulares poſſũt eſſe ſine forma vniuerſali? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Formæ particulares de quo ſunt? Solutio. Ita ſunt formæ particulares ex forma vniuerſali, ſicut ſunt ex bonitate bonificans, bonificabilis & bonificare. Forma vniuerſalis eſt ex aliis formis? Solutio. Oportet quod omnis comunitas ſit ex cauſis ſimplicibus. Et vade ad rub. virtutis.

De Quæſtionibus materiæ.
VI.

Materia quid eſt? Solutio. Materia eſt illud ens cui paſſio eſt magis propria qualitas, quam alicui alij enti. Et vade ad rubricam antedictam. Generalis materia vbi eſt? Solutio ibidem. Materias particulares quis ducit de potentia in actum? Solut. ibid. Materia ſpiritualis quomodo eſt in potentia in generali? Solutio. Bonificabilitas realis bonitatis eſt in potentia materialiter in bonitate, & formaliter eſt in habitu bonificantis, & ideo bonificare ſapit eſſentiam & naturam omnium trium.

De Quæſtionibus generis.
VII.

Genus quid eſt? Solutio. Genus eſt illa communitas, ſupra quam non eſt alia communitas, & eſt ſupra omnes ſpirituales communitates. Genus eſt ens reale aut intentionale? Solutio. Eſt ens reale, quia ſi non eſſet ens reale, arbor elementalis eſſe nõ poſſet. Et eſt intentionale, quoniam ſi non eſſet intẽtionale, intellectus ſpecies multiplicare non poſſet ad inquirendum rerum veritatem. Et vade ad rubricam antedictam. Genus reale de quo eſt, & vbi eſt? Solutio. Iſtud quæratur ab arbore elementali. Genus intentionale de quo eſt? Solutio. Iſtud quæratur ab intellectu, qui ipſum facit ex ſimilitudinibus indiuiduorum, & ipſum multiplicat ſupra ſpecies eorum.

De Quæstionibus speciei.
VIII.

SPecies quid ? Solutio. Species realis & naturalis est illud subiectum, in quo genus vtitur differentia, communicando seipsum pluribus partibus communibus differentibus, quæ sunt de sua essentia. Species intentionalis quid est ? Solutio. Species intentionalis est illa similitudo, quam intellectus accipit ex realibus speciebus. Species vbi sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Si species non esset ens reale, quod inconueniens sequeretur ? Solutio ibidem.

De Quæstionibus intensitatis.
IX.

INtensitas quid est ? Solutio. Intensitas est illa figura quæ fortius partem simplicem significat, quam aliqua alia figura. Intensitas generalis & specialis vbi est ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Intellectus quomodo considerat intensitatem ? Solutio. Intellectus intensitatem considerat denudando speciem, quam accipit de similitudine communi, considerando simplicem vnitatem. Intensitas est sensibilis ? Solutio. Intensitas se communicat sensui & communi subiecto, de quo sensus ipsam trahit ex simplici figura.

De Quæstionibus extensitatis.
X.

EXtensitas quid est ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Extensitas de quo est ? Solutio ibidem. Extensitas spiritualis de qua est? Solutio. Extensio bonitatis realis angelicalis est ex suis realibus concretis, per quæ ipsa est extensa, & est ex similitudinibus, quas dat magnitudini, durationi & cæteris partibus substantialibus substantiæ angeli. Volnntas quomodo se extendit in intellectu ? Solutio. Extendit se voluntas in intellectu, diligẽdo in ipso plures res differentes, & quanto magis ipsas diligit, tanto plus in ipsis extendit suum actum.

De Quæstionibus abstractionis.
XI.

ABstractio quid est ? Solutio. Abstractio est illa forma prima & communis suis concretis, quæ de sua sunt essentia, in qua intellectus non considerat aliam communitatem. Et vade ad rubricam antedictam. Abstractiones secundariæ quæ sunt? Solutio ibidem. Abstractio est, vt causę primariæ sint. Species abstractionis quot sunt ? Solutio. Duæ sunt, vna est realis, alia intentionalis, quæ siquidem intentionalis est similitudo realis. Et vade ad rubricam, vt supra.

De Quæstionibus concreti.
XII.

COncretum quid est ? Solutio: Concretum est illud obiectum cui abstractio est ratio, quod in illo sit sustentata, & quod sibi sit ratio operationis secundum suam naturam. Concreta prima quæ sunt ? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Prima concreta vbi sunt ? Solutio ibidem. In primis concretis est motus ? Solutio. Sicut secundaria concreta sunt in potentia in primis antequam sint, est motus in potentia in primis concretis, & exit in actum nascentibus & exeuntibus secundis concretis ex primis. Et in

in hoc paſſu cognoſcitur quomodo vnum tempus eſt in potentia in alio tempore.

De Quæſtionibus generationis.

XIII.

GEneratio quid eſt? Solutio. Generatio eſt productio, quæ exit & naſcitur in nouitate quæ eſt ex antiquis entitatibus. Generatio quomodo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Generatio generalis vbi eſt? Solutio ibidem. Species generationis quot ſunt? Solu. Sunt tres. Prima eſt ſuprema, q̃ eſt de forma tãtummodo & ſine corruptione Deo producẽte de ſe ipſo Deum per viam generationis, vt dictum eſt. Secunda ſpecies eſt de forma & materia, & quæ non poteſt eſſe ſine corruptione, de qua ſunt ſubſtantiæ naturales elementatę. Tertia ſpecies generationis eſt ex ſimilitudinibus multiplicatis per ſenſitiuam, imaginatiuam, & rationatiuam.

De Quæſtionibus corruptionis.

XIIII.

COrruptio quid eſt? Solutio. Corruptio eſt priuatio partium antiquarũ, vt ſint formæ & materiæ nouæ. Corruptionis quot ſunt ſpecies? Solut. Species corruptionis ſunt tres. Prima eſt realis & naturalis, ſicut ſubſtantia elementata, quæ peruenit in priuationem per corruptionem ſuarum partium. Secunda ſpecies eſt ex ſimilitudinibus intentionalibus, imaginalibus & ſenſualibus corruptis, cum veniant in priuationem. Tertia ſpecies eſt de peccato, per quod homo corrumpitur & deuiatur à fine, ad quem creatus eſt. Primum principium corruptionis quod eſt? Solutio. Sicut concordantia eſt primum principium generationis, eſt contrarietas principium primum corruptionis. Et vade ad rubricam antedictam. Corruptio & priuatio ſunt vnum idem principium in cõſummatione ſubſtantiarum? Solutio. Omnis contrarietas eſt contra contrariam concordantiam, & priuatio eſt omne principium ſecundum finem generationis & corruptionis quę ſunt per concordantiam & contrarietatem.

De Quæſtionibus priuationis.

XV.

PRiuatio quid eſt? Solutio. Eſt realis diſſimilitudo generationis & entitatis in qua ſit concordantia, & eſt realis ſimilitudo contrarietatis & corruptionis. Vtrum priuatio generalis ſit ens reale? Solutio. Vade ad rub. antedictam. Subiectum priuationis quid eſt? Solutio. Corruptio eſt ita ſubiectum priuationis, ſicut generatio eſt ſubiectum eſſendi. Primum principium priuationis quod eſt? Solutio. Primum principium priuationis ſecundum finem eſt generatio, & ſecundum materiam contrarietas.

De Quæſtionibus pleni.

XVI.

PLenum quid eſt? Solutio. Plenum eſt illa forma, quæ ponit impoſſibilem eſſe realem vacuitatem. Plenũ eſt ens reale vel intentionale? Solutio. Si plenum non eſſet ens reale, vacuum poſſet eſſe ens reale, quod ſi vacuum poſſet eſſe ens reale, poſſent eſſe & non eſſe vnum idem numero. Plenum eſt ens generale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Plenum eſt ens ſenſibile? Solutio. Nulla

forma communis eſt ſenſibilis, & de hoc experientiam habemus, inquantum quilibet ſenſus ſuum proprium habet inſtrumentum & obiectum.

De Quæſtionibus vacui.
XVII.

VAcuum quid eſt? Solutio. Vacuum eſt illud ſubiectum, in quo non attingũtur fines rerum, per quod partes ſubſtantiarum quietem non habent. Species vacui quot ſunt? Solutio. Species vacui ſunt duæ, quas inuenies in rubrica antedicta. Secunda ſpecies eſt illa, quam negamus in rubrica de pleno, quam intellectus multiplicat, quia virtutem habet in intelligendo vnum contrarium cum alio. Et in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia. Si Deus priuaret quicquid eſt de Saturno vſque ad ſphærã terræ, poſſet eſſe vacuum? Solutio. Impoſſibile eſt vacuum eſſe ens reale, vt nihil non ſit creatura, nec habeat aliquam entitatem. Si Deus ptiuaret totum quod comprehenditur ſub quinta eſſentia, eſſet vacuum? Solutio. Si per priuationem Firmamenti, & totius quod in ſe continet, ſequeretur vacuum, oporteret quod vacuum eſſet locus prius quam creatio eſſet, quod eſt impoſſibile, & ſi eſſet poſſibile, oporteret quod vacuum eſſet æternum, & quod eſſet materia pleni, quæ eſſet alia impoſſibilitas, & ſic de vna impoſſibilitate ad aliam vſque ad impoſſibilitates infinitas.

De Quæſtionibus groſſitudinis.
XVIII.

GRoſſitudo quid eſt? Solutio. Groſſitudo eſt illa forma, ratione cuius materia eſt magis plena, & magis ponderoſa quam per aliquam aliam formam. Quare materia eſt magis ſpiſſa quam forma, cum ita ſit, quod forma ſit plenior quam materia? Solu. Cauſa propter quam materia eſt magis ſpiſſa quam forma, eſt ratione groſſitudinis, quæ melius conuenit cũ materia quam cũ forma, ratione reſtrictionis aquæ, & cauſa propter quam forma eſt magis plena quã materia, eſt ratione communicationis & infuſionis ignis & gracilitatis formæ. Et vade ad rub. antedictam. Quare homo melancholicus eſt magis ponderoſus quam flegmaticus, & homo melancholicus plus currit quam flegmaticus? Solutio. Inquantum groſſitudo eſt illa forma reſtrictionis, eſt cauſa homini flegmatico, quod ſit piger & groſſus: quoniam flegmaticus eſt de complexione frigida & humida, eſt per complexionem frigidam ponderoſus, & per humidam leuis: & quia melancholicus eſt gracilis, plus currit quam flegmaticus. Groſſitudo eſt principium generale? Solutio. Vade ad rubricam virtutis.

De Quæſtionibus gracilitatis.
XIX.

GRacilitas quid eſt? Solutio. Gracilitas eſt illa forma, ratione cuius plus eſt facta aggregatio partium minorum, quam maiorum. Cum gracilitas ſit cauſa aggregationis minorum partium, & groſſitudo partium maiorum, quare ſubſtantiæ graciles ſunt magis plenæ quã ſubſtantiæ groſſæ? Solutio. Maior aggregatio fieri poteſt de partibus minoribus, quam de maioribus: quia minores partes tantum de loco non occupant, ſicut maiores. Quare ſubſtantiæ graciles ſunt longiores, quam ſubſtantiæ groſſæ? Solutio.

lutio. Sicut grossitudo est forma, quæ est causa amplitudinis, & profunditatis & ponderositatis, ita gracilitas est causa longitudinis, profunditatis & leuitatis. Gracilitas est principium generale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus leuitatis. XX.

LEuitas quid est? Solutio. Leuitas est illa forma quæ materias superius ascendere facit. Leuitas est principium generale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum forma ignis sit magis plena quam materia, quare materia non est leuior quam forma? Solutio. Illa pars in qua plus est de virtute, se habet citius ad suum centrum, quam illa in qua est minus. Cum ignis materialiter & formaliter sit leuis, quare inferius descendit, cum descensus ita habeat esse per ponderositatem, sicut ascensus per leuitatem? Solutio. Finis planetarum & animalium insertus attrahit virtutem corporum cælestium. Et vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus ponderositatis. XXI.

POnderositas quid est? Solutio. Ponderositas est principium generale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Cum aqua pluuialis sit grauis, quare superius ascendit? Solutio ibidem. Ponderositas de quo est? Solutio. Ponderositas est de seipsa inquantum est principium generale, & est ex pluribus appetitibus naturalibus inquantum est in ipsis extensa, vt cum ipsa ad centrum descendant quod desiderant.

De Quæstionibus totalitatis. XXII.

TOtalitas quid est? Solut. Totalitas est multiplicatio plurium quæ sunt suæ partes. Totalitas est principium generale? Solutio. Vade ad rub. antedictam. Totalitas potest esse sine parte? Solut. In creaturis se habent relatiuè totalitas & partes inquantum inter ipsas est maioritas & minoritas, verumtamen quęlibet pars est tota ipsamet. Et in hoc passu cognoscitur quomodo Deus est totus ipsemet sine parte, & habet in seipso relationem personalem per æqualitatem sine maioritate & minoritate. Bonitas creata est per seipsam tota, aut per aliam? Solutio. Ita est bonitas tota per totalitatem, sicut est magna per magnitudinem.

De Quæstionibus partis. XXIII.

PArs quid est? Solutio. Pars est illa forma quæ cum sua pari forma totum multiplicat, & est subiecta differentiæ. Pars est principium generale? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pars potest esse per seipsam? Solutio. Pars formaliter potest esse per seipsam: sed quia finaliter totum est suum centrum, secundum finem non potest esse per seipsam, imo oportet ipsam sustentari in suo toto communi coniuncto ex partibus pluribus. Pars quæ fit de toto, potest esse principium generale? Solut. Vade ad rubricam virtutis.

De

De Quæſtionibus interioritatis.

XXIV.

INterioritas quid eſt? Solutio. Interioritas eſt illa forma, per quam quædam partes ſubſtantiæ poſſunt eſſe in aliis. Interioritas eſt forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Interioritas de quo eſt? Solut. Interioritas inquantũ eſt ſimplex principiũ, eſt de ſeipſa, & inquantũ eſt extenſa in pluribus partibus, eſt ex ipſis. Interioritas quare eſt? Solutio. Interioritas eſt formaliter de ſeipſam, & finaliter eſt, vt quædam partes poſſint per ipſam eſſe in aliis: ſicut bonitas, quæ per interioritatem poteſt eſſe in magnitudine, & magnitudo in bonitate.

De Quæſtionibus Exterioritatis.

XXV.

EXterioritas quid eſt? Solutio. Exterioritas eſt illa forma, ratione cuius continens poteſt eſſe extra contentum, & differentia poteſt eſſe ratio diuiſioni partium, quæ ſupra ſubſtantiam ſunt ſuperficies, in qua eſt ſuſtentata. Exterioritas eſt forma generalis? Solutio. Vade ad rubric. antedictam. Exterioritas de quo eſt? Solutio. Exterioritas inquantum eſt ſimplex principium, eſt de ſeipſa, & inquantum eſt materia pluribus exterioritatibus, eſt communitas illarum. Exterioritas quare eſt? Solutio. Exterioritas eſt, inquantum forma eſt per ſeipſam, & inquantum finis eſt, vt diſcretæ quantitates ſubſtantiarum poſſint eſſe exiſtentes quædam extra alias: ſicut ampulla, quæ eſt extra vinum, & Martinus extra cameram, & leo extra ſpeciem hominis.

De Quæſtionibus ſtationis.

XXVI.

STatio quid eſt? Solutio. Statio eſt illa forma, ratione cuius ſubſtantiæ & accidentia ſunt hoc, quod ſunt, & habét appetitum eſſendi in vno loco, & non in alio. Et vade ad rubricam antedictam. Quare ſtatio eſt plus per formam quam per finem? Solutio. In ſubſtantiis naturalibus eſt motus propter finem, & eſt quies vt ſit ſubſtantia. Quare dormitio maiorem habet concordantiam cum ſtatione quam cum motu? Solutio. Statio eſt de quiete & de inſtanti, & motus eſt de labore & de ſucceſſione. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod quædam ſubſtantiæ non ſunt ad faciendum, ſed formaliter ſunt factæ, & aliæ ſunt ad faciendum finaliter. Statio quare eſt? Solutio. Statio eſt, vt partes ex quibus ſubſtantia eſt compoſita, ſint in ſuo proprio numero, & quod ſubſtantia ſit ex ipſis, & quod partes ſint partes illius ſubſtantiæ.

De Quæſtionibus motus.

XXVII.

MOtus quid eſt? Solutio. Motus eſt illa forma, per quam poteſt eſſe ſucceſſio partium temporis, mutationis loci, & alterationis ſubſtantiæ & ſuarum partium. Motus eſt forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Statio poteſt eſſe ſine motu in ſubſtantiis naturalibus? Solutio. Nulla ſtatio poteſt eſſe ſine fine, nec aliquis finis poteſt eſſe ſine motu.

Motus

Motus potest esse sine statione? Solutio. Si non esset statio partium, motus non haberet subiectum, in quo posset esse.

De Quæstionibus duritiei.

XXVIII.

DVrities quid est? Solutio. Durities est illa forma, quæ est magis contraria mollitiei, quam aliqua alia forma. Durities est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Durities quare est? Solutio. Durities est, vt partes substantiæ possint esse sine suis contrariis intra substantiam, in qua intrare non possunt. Et duries est ratione siccitatis terræ & restrictionis aquæ. Quare ossa duriora sunt, quam caro? Solutio. Cum ossibus statio conuenit formaliter, & cum carne motus finaliter.

De Quæstionibus mollitiei.

XXIX.

MOlities quid est? Solutio. Mollities est illa forma, quæ aperit portas duritiei, vt quædam partes in in aliis intrare possint, & quod influētia & refluentia habeant loca, per quæ transire possint. Mollities est forma generalis? Solutio. Vade ad rub. antedictam. Argentum fusum quare est molle? Solutio. Sicut argentum quod non est fusum, propter frigiditatem aquæ est durum, ita est molle per calorem ignis cum est fusum. Et in hoc passu cognoscitur, quod calor contra frigiditatem cum mollitie habet concordantiam. Aqua frigida quare hominem restringit? Solutio. Sicut calor ignis concordantiam habet cum duritie in tegula quam desiccat, quia concordantiam habet cum terra per siccitatem, ita habet aqua concordantiam cum aëre in stomacho hominis restringendo humiditatem illius cum frigiditate quę cū humiditate aëris habet cōcordantiam. Et in hoc passu est multum de medicina & de mutatione Alkimistæ.

De Quæstionibus longitudinis.

XXX.

LOngitudo quid est? Solutio. Longitudo est illa forma, ratione cuius plura puncta lineam constituunt. Longitudo est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Longitudo quare est? Solutio. Longitudo est formaliter, quia plura puncta aut partes magis participant per contractum de alto in infimum, & finaliter est, vt sit linea quæ participet cum altitudinibus & infimitatibus. Longitudo de quo est? Solutio. Longitudo de de seipsa, inquantum est simplex forma, & est pars corporis, vt per ipsam possit esse.

De Quæstionibus amplitudinis.

XXXI.

AMplitudo quæ est? Solutio Amplitudo est illa forma ratione cuius plures partes possunt esse collaterales. Amplitudo est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare amplitudo est magis causa superficiei, quam longitudo? Solutio. Sicut longitudo est causa spinę per lineam & per calorem & siccitatem, sic amplitudo est causa superficiei per collaterationem humiditatis & frigiditatis. In bonitate quid est

causa amplitudinis? Solutio Bonificare est causa amplitudinis ita per collaterationem, sicut bonificans per lõgitudinem, & bonificabile per profunditatem.

De Quæstionibus profunditatis.

XXXII.

PRofunditas quid est? Solutio. Profunditas est medium amplitudinis & longitudinis, per quod est centrum in medio substantiæ. Profunditas est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Profunditas Saturni transit vsque ad Venus? Solutio. Si profunditas Saturni transiret vsque ad Venus? Solut. Si profunditas Saturni transiret vsque ad Venus, transiret profunditas Lunæ vsque ad Martem, & non esset Sol centrum commune in virtute profunditatis Saturni & Lunæ. Rotunditas est ita de pluribus circulis collateralibus & contiguis de alto in infimum, sicut linea ex pluribus punctis. Et in hoc passu cognoscitur, quod circulus est ex superficie supra longitudinem, amplitudinem & profunditatem.

De Quæstionibus potentiæ.

XXXIII.

POtentia quid est? Solutio. Potentia est illa forma, quæ se habet ad obiectum, vt actũ suum habere possit, & per quam formæ sunt possibiles. Potentia quot species habet? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Aptitudo & dispositio quomodo sunt differentes in potentia? Solutio. Aptitudo est in potentia per habitum, & dispositio per materiam. Quæ duarum specierum potentia est prima? Solutio. Inquantum forma est nobilior, quam materia, est prima in virtute, & inquantum nulla substantia naturalis potest esse sine forma & materia, sunt aptitudo & dispositio æqualiter in vno & eodem tempore.

De Quæstionibus obiecti.

XXXIIII.

OBiectum quid est? Solutio. Obiectum est ille terminus ad quẽ se habet potentia per suam aptitudinem & dispositionem obiecti. Species obiecti quot sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Potentia vadit ad obiectum, aut obiectum vadit ad potentiam? Solutio. Quia finis prius mouet formam, quam materiam, est prius motus per possificatiuitatem in actibus, quam per possibilitatem, & ideo sunt ante secundum naturam, nõ tamen secundum tempus; sunt prius actus per potentiam, quam per obiectum. Forma ad quam duarum specierum obiecti se habet primo? Solut. Magister qui cameram facit, secundum finem prius se habet ad habitare quam ad cameram, & secundum formam est prius camera quam habitatio.

De Quæstionibus actus.

XXXV.

ACtus quid est? Solutio. Actus est hoc, per quod principia naturalia fines naturales attingunt, & est opus & centrum existens in medio naturalium formarum & materiarum. Species actus quot sunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Actus est in facto esse aut in fieri? Solutio. Species

cies actus quæ est per formam, est facta, & illa quæ est per finem, est in fieri. Forma & materia in qua duarum specierum actus maiorem habent concordantiam? Solutio. In substantiis naturalibus forma quæ est producta de potentia in actu, est magis propè materiam quam forma, quæ est in producendo, & non est producta.

De Quæstionibus prioritatis.

XXXVI.

PRioritas quid est? Solutio. Prioritas est illud ens, ratione cuius vnum ens est ante aliud. Et vade ad rubricam antedictam. Prioritas quare est? Solutio. Prioritas est, vt quædam naturæ possint esse antequam aliæ, & quod possit esse successio principij vsque ad finem. Prioritas habet maiorem concordantiam cum formis quæ sunt in potentia, quam cum formis quæ sunt in actu? Solutio. Quamuis effectus ante fit in potentia quam in actu, oportet quod prius sit in causa quam in effectu: idcirco possibilitates dispositæ sunt secundum habitus, & formæ sunt magis nobiles quam materiæ. Prioritas est forma generalis? Solurio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus secundioritatis.

XXXVII.

SEcundioritas quid est? Solutio. Secundioritas est ille terminus, in quo incipit vltimitas, in qua incipiunt secundæ intentiones & consequentiæ. Secundioritas quomodo est retro prioritatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Secundioritas de quo est? Solutio. Secundioritas est ex consequentiis & ex nouitatibus naturalibus. Secundioritas potest esse prioritas? Solutio. In successione posterioritatis quæ est consequentia sui antecedentis est prioritas de suo consequenti per quod est tertioritas.

De Quæstionibus tertioritatis.

XXXVIII.

TErtioritas quid est? Solutio. Tertioritas est ille terminus in quo nascitur tertius numerus & finit numerus secundus, & in quo finis naturalis sustentatur. Tertioritas naturalis de quo est? Solutio. Omnis finis naturalis est de suo principio & medio. Tertioritas quomodo est retro secundioritatem? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Tertioritas quare est? Solutio. Tertioritas est, vt sit complementum & influentia & refluentia de fine, principio & medio.

De Quæstionibus augmentationis.

XXXIX.

AVgmentatio quid est? Solutio. Augmentatio est actus maioritatis & successionis, & per quam vnũ potest esse ex pluribus. Augmentatio est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Augmentatio de quo est? Solutio. Augmentatio formaliter est de seipsa, & composita est ex pluribus. Augmentatio quare est? Solutio. Augmentatio est formaliter per seipsam, & finaliter est vt sit successio & motus de principio vsque ad finem in substantiis naturalibus.

De Quæstionibus consumptionis.

X L.

Consumptio quid est? Solutio. Consumptio est ille terminus in quo perditur antiqua augmentatio, & in quo noua incipit augmentatio. Consumptio est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Consumptio de quo est? Solutio. Consumptio formaliter est de seipsa, & finaliter est de corruptionibus partium. Consumptio & corruptio sunt vnum idem numero? Solutio. Inquantum consumptio est actus minoritatis, & corruptio dicit priuationem minoritatis, sunt formæ differentes corruptio & consumptio.

De Quæstionibus dispositionis.

X L I.

Dispositio quid est? Solutio. Dispositio est illud quod præparat subiecta actuum formarum per possibilitates. Dispositio est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Dispositio de quo est? Solutio. Dispositio est ex possibilitatibus præparatis ad essendum passiuè sub possitiuitatibus. Dispositio quare est? Solutio. Dispositio est vt possitiuitates habeant præparatas possibilitates, in quibus possint esse actiuæ sine impedimento.

De Quæstionibus proprietatis.

X L I I.

Proprietas quid est? Solutio. Proprietas est illa forma, ratione cuius cæteræ formæ habent esse speciale, proprium & appropriatum. Proprietatis quot species habet? Solutio. Calor est propria qualitas ignis, & est proprietas appropriata aëri. Et vade ad rubricam antedictam. Proprietas quare est? Solutio. Proprietas est, vt quælibet forma possit esse in suo proprio numero, & quod suam similitudinem appropriare possit alij formæ. Frigiditas est propria qualitas aquæ, & calor ignis: idcirco quæritur, si istæ duæ proprietates contrariæ ex generali proprietate descendant? Solutio. *Si*cut anima rationalis incepit in corpore cũ ea coniuncto esse noua per creationẽ, ita proprietates naturales contrariæ inceperunt esse nouæ in primis substantiis per creationem, vt vnum contrarium non sit principium sui contrarij. Et in hoc passu est multum de Philisophia.

De Quæstionibus proportionis.

X L I I I.

Proportio quid est? Solutio. Proportio est illa forma ratione cuius corpus est ordinatum ex partibus maioribus & minoribus. Proportio est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Proportio quare est? Solutio. Proportio est, vt ex partibus maioribus & minoribus sit iustitia & ordo. *Si* proportio non esset, quid sequeretur? Solutio. *Si* proportio non esset, omnes partes substantiarum iustitiæ priuarentur, & quædam partes forent nimis magnæ, & aliæ nimis paruæ, & non esset aliqua pulchra similitudo, quies sensibus nec imaginationi.

De

De Quæstionibus conditionis.

XLIIII.

Conditio quid est? Solutio. Conditio est illa forma, quę ligat plures formas obligatas determinatis promissionibus concessis per quamlibet secundum discretionem aut appetitus naturales. Conditio quomodo est situata & statuta? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Conditio quare est? Solutio. Conditio est, vt vnũ iuuet aliud per propriam vtilitatem & communem. Et in hoc passu cognoscitur primum obiectum Rhetoricæ iuris. Per secundas intentiones quomodo potest haberi cognitio de primis, & per primas de vltimis? Solut. Vade ad rub. virtutis. Et in hoc passu multum est de Philisophia.

De Quæstionibus intentionis.

XLV.

Intentio quid est? Solutio. Intentio est nuncius finis, qui principio suam similitudinem transmittit, vt ipsum desideret secundum discretionem aut appetitum naturalem. Species intentionis quot sunt? Solutio. Intentio duas habet species, prima est per finem, secunda est per formam, & materiam, & operationem. Et vade ad rubricam antedictam. Intentio quare est? Solutio. Intentio est vt quædam creaturæ cum aliis participent in propria vtilitate & communi, & quod omnes sint ad seruitium Dei. Si intentio non esset, quid sequeretur? Priuata intentione finis creaturarum esset in priuatione. Et in hoc passu cognoscitur, quod mutatio intentionum contra ordinem est subiectum peccati.

De Quæstionibus ordinationis.

XLVI.

Ordinatio quid est? Solutio. Ordinatio est illa forma, quæ ordinat plures formas ad vnum finem vel ad plures. Ordinatio est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ordinatio de quo est? Solutio. Ordinatio est de seipsa simpliciter, & est composita ex primis & secundis intentionibus. Si ordinatio non esset, quid sequeretur? Solutio Sicut malum sequitur ex priuatione boni, sic sequitur deordinatio ex priuatione ordinationis. Et in hoc passu cognoscitur, quod malus religiosus plus est deordinatus, quam alius homo, & idem est de mala persona communi.

De Quæstionibus operis.

XLVII.

Opus quid est? Solutio. Opus est actus rationum vt per ipsum principia & fines substantiarum coniungantur, & quod rationes non sint ociosæ, & quod ex ipsis sequatur hoc quare sunt. Opus de quo est? Solutio. Opus est de actione & passione formaliter existente illo opere instrumẽto finis & medio inter principium & finem. Opus quare est? Solutio. Si opus non esset omnia entia essent ociosa, & omnis finis superfluus esset & in priuatione, & sequeretur cõtradictitio realis priuationis & operationis. Et in hoc passu cognoscitur quod ociositas est antecedens magnæ culpæ.

Opus incipit intra substantiam aut extra? Solutio. Forma naturalis ante incipit in suo proprio subiecto, quam in subiecto sibi appropriato; sed de formis artificialibus est contrarium.

De Quæstionibus influentiæ.

XLVIII.

INfluentia quid est? Solutio. Influētia est donum aut coactio per communicationem rei aut rerum, vnde sequitur plenum in quo partes laborem habent aut quietem. Influentia est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Influentia est causa corruptionis? Solutio. Istud quæratur ab aqua, cuius virtutem ignis corrumpit, quia sibi suum influit calorem. Species influentiæ naturalis quot sunt? Solutio. In substantiis naturalibus & corporalibus duæ sunt species influentiæ, vna est illa, quæ conuenit cum qualitate & cum suo proprio subiecto, sic calor ignis influxus in aqua calida cū suo proprio subiecto, qui est ignis, qui suum proprium calorem mouet in aqua contra frigiditatem & contra subiectum illius. Secunda species est influentia, quæ venit ex similitudinibus, vna similitudine influente alij suam similitudinem, quamuis in illa suam essentiam non ponit nec suum proprium subiectum, sicut Sol, qui suam virtutem influit in igne, & sigillum suas similitudines in litteris ceræ: & imaginatio, quæ accipit similitudinem influxam à calore & sapore.

De Quæstionibus refluentiæ.

XLIX.

REfluentia quid est? Solutio. Refluentia est reditio influētiæ per cōcordātiam aut cōtrarietatē. Et vade ad rubricam antedictam. In substantiis naturalibus quare est refluentia? Solutio. Ex influentia & refluentia sequuntur actus potentiarum naturalium. Potentia refluit obiecto suam virtutem, aut obiectum potentiæ? Solutio. Aër refluit igni siccitatem suam, quia est contra humiditatem, & ignis refluit illam siccitatem aëri cum suo calore vt mortificet humiditatem. Materia quid refluit formæ? Solutio. Forma producit de materia possibilia in posita, & materia refluit actionē, quæ venit per dispositionem in passionem positam.

De Quæstionibus productionis.

L.

PRoductio quid est in substantiis naturalibus? Solutio. Productio est illa forma quæ est ratio ad producendum in actu formas quæ sunt in potentia, vt entia possibilia sint posita. Producere de quo est? Solut. Producere formaliter actus productionis, est materialiter de forma & materia per actionem & passionem. Et vade ad rubricam antedictam. Vna forma cum quo producit aliam formam? Solutio. In productionibus naturalibus ignis cum suo calore in aëre producit siccitatem. Et in productionibus artificialibus mechanicus producit formas cum instrumentis sui officij. Productiones

ductiones quæ ſunt ſupra curſum naturalem quomodo fiunt? Solutio. Idea æterni in potentia poſita producta eſt in ſubiecto creato per creationẽ ſupra curſum naturalem, quæ quidem idea in actu eſt producta per agens naturale & per diuinas rationes ſupra curſum naturalem. Et in hoc cognoſcitur quod idea retinet naturam proctionis ſupra curſum naturalem & de curſu naturali, & ideo inquãtum retinet naturam ſupra curſum naturalem, eſt idea, & inquantum retinet naturam curſus naturalis, eſt creatura.

De Quæſtionibus originis.

L I.

ORigo quid eſt in ſubſtantiis naturalibus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Origo de quo eſt? Solutio. Origo eſt formaliter de ſeipſa, & ſuus actus eſt oriri, qui oritur de forma & materia, de quibus oriuntur actus formarum primarum de quibus forma communis & materia conſtitutæ ſunt. Origo in quo oritur? Solutio. Origo naſcitur in ſpecie & in propria ſubſtantia indiuiduata. Origo quare eſt? Solutio. Origo eſt vt ſint nouæ ſubſtantiæ in quibus ſpecies ſint ſuſtentatæ, & actus primarum formarum.

De Quæſtionibus exitus.

L I I.

EXitus naturalis quid eſt? Solutio. Exitus eſt illud, per quod vna forma exit de alia, & per quod actus exit de potentia & obiecto. Et vade ad rubricam antedictam. Exitus de quo exit, & in quo exit? Solutio. Exit calor de igne, & humiditas de aëre, & frigiditas de aqua, & ſiccitas exit de terra, & exeunt qualitates in compoſito conſtituto de ſuis propriis ſubiectis, quæ in ipſo exeunt cum formis nouis, & de veteribus exeunt per generationem & corruptionem. Exitus eſt forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Cum exire influxum ſit de rebus, quomodo poteſt eſſe forma generalis? Solutio. Exire inquantum eſt actus exit de rebus, & inquantum exitus eſt forma in abſtracto, eſt forma generalis, de qua exire eſt actus ſuus formaliter, & inquantum exire exit de aliis formis, eſt materialiter actus earum. Et in hoc paſſu multum eſt de philoſophia.

De Quæſtionibus ſeparabilitatis.

L I I I.

SEparabilitas quid eſt? Solutio. Separabilitas eſt illa forma, ratione cuius plura poſſunt eſſe ex vno. Et vade ad rubricam antedictam. Separabilitas de quo eſt? Solutio. Separabilitas eſt ex partibus motis in nouo numero reali. Separabilitas quare eſt? Solutio. Separabilitas eſt duobus modis, vno modo ratione formæ: ſicut faber qui ſeparat vnum ferrum per plures clauos, alio modo eſt ratione finis, ſicut faber qui clauum ſeparat ex maſſa ferri, vt ſit clauus, & quod habeat denarios. Separabilitas cum qua primarum formarum maiorem habet concordantiam? Solutio. Si inſeparabilitas nihil eſſet, differentia & ſeparabilitas eſſent idem numero.

De

De Quæstionibus inseparabilitatis.

LIV.

INseparabilitas quid est ? Solutio. Inseparabilitas est illa forma ratione cuius entia differentia ab inuicem non separantur. Et vade ad rubricam antedictam. Inseparabilitas quare est? Solutio. Inseparabilitas est, vt qualitates naturales de suis propriis subiectis non diuidantur, siue separentur existentes appropriatæ aliis subiectis extraneis, sicut calor ignis, qui est appropriatus aëri. Si inseparabilitas non esset, quid sequeretur ? Solutio. Priuata inseparabilitate in subiectis naturalibus, omnis qualitas appropriata suum proprium subiectum dimitteret, & cursus naturalis esset destructus, nec vllum elementatum esset de elementis. Inseparabilitas de quo est? Solutio. Inseparabilitas est ex partibus coniunctis & mixtis quibusdam in aliis sub tali conditione, quod vna non possit esse sine alia: sicut bonitas quæ non potest esse sine potestate, nec materia sine forma.

De Quæstionibus possibilitatis.

L V.

POssibilitas quid est ? Solutio. Possibilitas est illa forma ratione cuius materia est disposita, quod ex ipsa possint esse essentia posita. Et vade ad rubricam antedictam. Possibilitas de quo est ? Solutio. Possibilitas est ex potestate passiua subiecta actioni potestatis actiuæ. Possibilitas quomodo est forma generalis : Solutio. Vade ad rubricam virtutis. Possibilitas quare est ? Solutio. Possibilitas est per seipsam essentialiter : sicut Martinus qui per suam essentiam est homo, & possibilitas est ratione finis : quoniam sine ipsa nullus actus esse posset.

De Quæstionibus impossibilitatis.

L V I.

IMpossibilitas quid est ? Solutio. Impossibilitas est illa forma, contra quam suum contrarium nullam habet potestatem. Et vade ad rubricam antedictam. Impossibilitas est de potestate ? Solutio. Si impossibilitas esset de potestate, possibile & impossibile posset esse idẽ numero. Si impossibilitas nõ est de potestate, de quo est? Solutio. Ita est impossibilitas ex priuatione potestatis : sicut vitium est ex priuatione virtutis. Impossibilitas est creatura ? Solutio. Impossibilitas est creatura in qua creata potestas terminata est & comprehensa, sine qua impossibilitate omnis potestas creata esset infinita.

De Quæstionibus similitudinis.

L V I I.

SImilitudo quid est ? Solutio. Similitudo est forma generalis, ratione cuius in suo genere dantur similitudines. Et vade ad rubricam antedictam. Similitudo de quo est ? Solutio. Similitudo est ex passiuis impressionibus & actiuis differentibus per essentiam, & in eadem spem conseruatis. Similitudo quare est ? Solutio: Si similitudo non esset nullum ens posset participare cum alio, nec de seipso aliquid significare. Similitudo est ens reale aut intentionale ? Solutio est ens reale per naturam, & intentionale per artificium.

De

De Quæstionibus dissimilitudinis.

LVIII.

Dissimilitudo quid est? Solutio. Dissimilitudo est impressio actiuarum qualitatum,& passiuarum differentium per essentiam & species. Et vade ad rubricam antedictam. Dissimilitudo quare est? Solutio. Si dissimilitudo non esset, pluralitas nihil esset. Vna bonitas quomodo est dissimilitudo alterius? Solutio. Differentia & contrarietas finium multiplicant dissimilitudines de vna & eadem specie. Et vade ad rubricam virtutis. Malitia quomodo est dissimilitudo bonitatis? Solutio. Existente bonitate ratione bono quod producat bonum, & existente malitia ratione bono quod producat malum,est dissimilitudo bonitatis, & etiam dissimilitudo inter malitiam & bonitatem.

De Quæstionibus naturæ.

LIX.

Natura quid est? Solutio. Natura est illa forma ratione cuius primæ formæ sunt rationes productionibus secundum earum proprietates, & per quam naturam formæ vltimæ respondent primis secundum earum proprietates. Et vade ad rubri. antedictam. Est vna natura aut sunt plures? Solutio. Est vna natura generalis,ex qua plures naturę deriuantur. Natura generalis de quo est? Solutio. Natura generalis est ex constitutione plurium naturarum simplicium, sub quibus sunt essentiæ primarum formarum. Et in hoc passu cognoscitur, quod ita est generalis natura centrum naturarum superiorũ: sicut sol,qui est communis virtus in medio Mercurij, Saturni & Lunæ. Ignis & aqua habent vnam & eandem naturam? Solutio. Ignis & aqua habent vnam & eandem naturam in bonitate,& habent diuersas naturas per differentes & contrarias qualitates.

De Quæstionibus corporalitatis.

LX.

Corporalitas quid est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Corporalitas de quo est? Solutio Corporalitas est ex partibus simplicibus, quæ sunt ex proprietate & natura circulari, triangulari, & quadrangulari. Corporalitas quare est? Solutio. Corporalitas est per se formaliter, & est finaliter vt sit corpus. Corporalitas & corpus sunt vnum idem in numero? Solutio. Corporalitas ita est essentia corporis, sicut terrestreitas terræ, & humanitas hominis.

De Quæstionibus transmutationis.

LXI.

Transmutatio quid est? Solutio. Transmutatio est instrumentum, cum quo forma naturalis trahit vnam materiam de vna forma, & ponit ipsam in alia. Et vade ad rubricam antedictam. Transmutatio quare est? Solutio. Transmutatio est: vt actus formarum possit esse. In transmutatione quam materia facit de vna forma in aliam, habet materia in seipsa aliquam transmutationem? Solutio. Nulla materia naturalis est in illa passione & sine cum noua forma in qua erat cum forma antiqua. Transmuta-

tio fit de vna eadem forma, quæ dimittit vnam materiā & accipit aliam? Solutio. Si vna eadem forma eſſet tranſmutata de vna materia in aliam materiam, eſſet illa forma pura paſſio, & in hoc paſſu cognoſcitur, quod vna eadem forma in ſua ſpecie remanens, vnam materiam accipit & aliam dimittit, & in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia.

De Quæſtionibus lucis.

LXII.

Lux quid eſt? Solutio. Lux eſt inſtrumentum differentiæ, quæ cum luce ſuum actum ſignificat ſenſibus particularibus. Lux de quo eſt? Solutio. Lux eſt formaliter de ſeipſa, inquantum eſt color corporum cœleſtium & ignis, & finaliter eſt inſtrumentum differentiæ. Lux quare eſt? Solutio. Lux ita eſt per colorem, ſicut homo eſt homo per humanitatem, & albus per albedinem. Et vade ad rubricam antedictam. In Inferno eſt lux? Solutio. In Inferno eſt lux, vt differentia inſtrumentum habeat cum quo oſtendere poſſit oculis turpes figuras, qui in hac vita per peccatum videre deſiderabant pulchras figuras, & illa lux eſt cauſa tenebrarum oculis qui non habebunt appetitum videndi turpes figuras.

De Quæſtionibus vmbræ.

LXIII.

Vmbra quid eſt? Solutio. Vmbra eſt color confuſus de aqua & terra in abſentia lucis. Et vade ad rubricam antedictam. Vmbra de quo eſt? Solutio. Vmbra eſt de priuatione lucis & de groſſis vaporibus, qui per aërem non ſunt depurati, qui in ipſis ſuum colorem oſtendere non poteſt. Si vmbra non eſſet quid ſequeretur? Solutio. Si vmbra non eſſet abſentia lucis nihil eſſet. Supra Lunam eſt vmbra? Solutio. Si ſupra Lunam eſſet vmbra, Sol non daret ſuam ſimilitudinem Veneri, nec Venus Mercurio, nec Mercurius Lunæ, nec ignis influentiam Solis reciperet.

De Quæſtionibus lineæ.

LXIV.

Linea quid eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Linea eſt forma generalis? Solutio. Si linea non eſſet forma generalis, primæ formæ non haberent concreta, in quibus eſſent ſuſtentatæ. Linea de quo eſt? Solutio. Linea eſt de ſeipſa in ſua prioritate, & eſt de partibus punctualibus, quæ ſunt ſupra ſe, ex quibus compoſita eſt, & eſt materia partium quæ ſunt in inferioribus, quæ ſunt de ſua ſpecie. Linea eſt in corpore ſphærico? Solutio. In omni corpore in quo ſit longum, amplum, & profundum, oportet eſſe lineam.

De Quæſtionibus punctualitatis.

LXV.

Punctualitas quid eſt? Solutio. Punctualitas eſt illa forma, ratione cuius punctus eſt indiuiſibilis. Punctualitas de quo eſt? Solutio. Punctualitas eſt ex punctis ſimplicibus indiuiſibilibus. Cum linea ſit ex punctis, & puncta ſint indiuiſibilia, quomodo eſt linea diuiſibilis? Solutio. Omnis linea quæ eſt ex punctis eſt compo

compoſita, & omne compoſitum eſt diuiſibile. Cum punctus ſit indiuiſibilis quomodo poteſt eſſe vnus punctus in alio? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæſtionibus ſuperficiei.

LXVI.

SVperficies quid eſt? Solutio. Superficies eſt illa forma, cum qua corpus indutum eſt naturaliter colore. Superficies de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Superficies quare eſt? Solutio. Superficies eſt, vt corpus terminari poſſit, & quod ſit viſibile & palpabile. In punctu indiuiſibili eſt ſuperficies? Solut. Sicut quilibet punctus indiuiſibilis eſt pars corporis diuiſibilis, ita ſuperficies indidiuiſibilis in punctu indiuiſibili ſuſtentata eſt pars ſuperficiei diuiſibilis.

De Quæſtionibus figuræ.

LXVII.

FIgura quid eſt? Soluto. Figura eſt ſimilitudo formæ extenſa in colore, quæ in ſuperficie extenditur. Figura de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Figura claui eſt creatura? Solutio. Si figura claui creatura non eſſet, viſibilitas & imaginabilitas claui creaturæ non eſſent. Figura claui antequam clauus ſit vbi eſt? Solutio. Figuræ particulares ſunt in potentia in vniuerſali figura, antequam ſint ſua propria ſubiecta.

De Quæſtionibus rectitudinis.

LXVIII.

REctitudo quid eſt? Solutio. Rectitudo eſt illa forma, ratione cuius lineæ ſunt rectæ. Rectitudo de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quare ſunt ſex rectitudines, & non plures neque pauciores? Solutio. Sine ſex rectitudinibus in nullo corpore eſſet centrum nec ſuperficies, & idem ſi eſſent plures quã ſex rectitudines. Firmamentum habet ſex rectitudines? Solutio. Quia firmamentum eſt corpus ſupremum, vltra quod non eſt corpus naturale, non habet ſupra ſe rectitudines, & quia intra continet corpus generale confuſum & ſphæricum quod eſt de Saturno vſque ad centrum terræ, ſunt in illo corpore ſex rectitudines.

De Quæſtionibus maſculinitatis.

LXIX.

MAſculinitas quid eſt? Solutio. Maſculinitas eſt illa eſſentia per quam ſunt plures maſculi. Maſculinitas de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Maſculinitas quare eſt? Solutio. Si maſculinitas non eſſet in ſubſtantiis naturalibus, generatio non eſſet. Maſculinitas Arietis eſt ſibi propria qualitas, aut appropriata? Solutio. Sicut calor eſt Arieti qualitas appropriata, quia eſt inſtrumentum calefaciendi, ita maſculinitas eſt Arieti appropriata, quia eſt inſtrumentum mouendi virtutem maſculinitatis in maſculis.

De Quæſtionibus fœmineitatis.

LXX.

FOemineitas quid eſt: Solutio. Fœmineitas eſt illa forma quæ eſt cau-

ſa paſſiuarum impreſſionum. Fœmineitas de quo eſt? Solutio. Vade ad rubric. antedictam. Litteræ quas ſigillum imprimit in cera ſunt fœmininæ aut maſculinæ? Solutio Ita ſe habet ſigillum ad ceram cum maſculinitate Arietis, Gemini, Leonis, & aliorum corporum cæleſtium maſculinorum, & formarum actiuarum elementorum, ſicut potentia ſe habet ad obiectum, & gallus ad gallinam. Gallus poſtquam eſt maſculus quare generat gallinam? Solutio. Sicut Aries gallum iuuat ad generandum gallum per maſculinitatem, ita Taurus gallum iuuat ad generandum gallinam per fœmineitatem.

De Quæſtionibus membroſitatis.

LXXI.

Membroſitas quid eſt? Solutio. Membroſitas eſt illa forma quæ eſt eſſentia membrorum naturalium. Membroſitas de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Membroſitas quare eſt? Solutio. Membroſitas eſt vt formæ naturales habeant membra cum quibus naturaliter agere poſſint. In ſubſtantia angelorum ſunt membra? Solutio. Dixit Raymundus, quod quæreret illud in arbore angelicali.

De Quæſtionibus inſtrumētalitatis.

LXXII.

INſtrumentalitas quid eſt? Solutio. Inſtrumentalitas eſt illa forma quæ ſuperior eſt quam membroſitas, ſicut verbum quod eſt magis propriè manifeſtatum locutum, quam lingua, & flos eſt magis propè fructum, quam ramus, & motus qui eſt magis propè clauum, quam martellus qui ipſum mouet. Et vade ad rubricam antedictam. Inter inſtrumentum & membrum eſt differentia? Solutio. Inſtrumentum & membrum ſunt ita prope in ſpecie, ſicut figura & ſuperficies in corpore. Membrum poteſt eſſe inſtrumentum? Solutio. In pomerio ramus eſt inſtrumentum branchæ & floris, & flos eſt inſtrumentum rami & pomi. Martellus cum quo faber clauum facit, eſt membrum aut inſtrumentum? Solutio. Martellus eſt membrum fabrile, & eſt inſtrumentū fabri, ſicut lingua, quæ eſt membrum loquelæ, & eſt inſtrumentum loquentis.

De Quæſtionibus nutrimenti.

LXXIII.

NVtrimentum naturale quid eſt? Solutio. Nutrimentum naturale eſt illa forma per quam viuit humidum radicale. Nutrimentum naturale de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Nutrimentum morale quid eſt? Solutio. Nutrimentum morale eſt antiqua conſuetudo. Nutrimentum morale de quo eſt? Solutio. Nutrimentum morale eſt ex actibus potentiarum arboris moralis.

De Quæſtionibus impreſſionis.

LXXIV.

IMpreſſio quid eſt? Solutio. Impreſſio eſt figura cauſæ & effectus. Impreſſio de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Differentia impreſſionis naturalis & artificialis quomodo

quomodo est? Solutio ibidem. Flos quomodo imprimit suum odorem in aëre? Solutio. Sicut materia panis quem homo comedit est impressio per transmutationem in materiam vegetatiuæ & sensitiuæ, ita odor floris per transmutationem impressus est in aëre.

De Quæstionibus insertionis.

LXXV.

INsertio quid est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Insertio quare est? Solutio ibidem. Quare insertio piri fieri potest in pomerio, & non in ficulnea? Solutio. Secundum quod species plantarum sunt propinquæ & concordantes in natura possunt esse insertæ quædã in aliis. Ignis potest esse in aqua insertus? Solut. Si ignis posset esse in aqua insertus in illa insertione possent ignis & aqua maiorem habere concordantiam, quam contrarietatem. Et in hoc passu cognoscitur quare insertio piri fieri non potest in ficulnea.

De Quæstionibus perseitatis.

LXXVI.

PErseitas quid est? Solutio. Vade ad rub. antedictã. Perseitas quare est? Solut. Perseitas est per formam & per materiam in rebus naturalibus, & ideo est per formam tantummodo, & perseitas est vt fines rerum in ipsa sint sustentatæ. Perseitas de quo est: Solut. Perseitas est de forma & materia, & est de fine illarum. Ignis est per seipsum simpliciter hoc quod est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus indiuiduitatis.

LXXVII.

INdiuitas quid est? Solutio. Indiuiduitas est forma generalis quæ est ratio & causa indiuiduis specialibus. Indiuiduitas quare est? Solut. Indiuiduitas est vt ex vno plura esse possent. Indiuiduitas de quo est? Solu. Ita est indiuiduitas Martini & sui filij, pomerij, equi, gruis ex indiuiduitate generali, sicut est color Martini & sui filij, pomerij, equi, & gruis ex colore generali. Et vade ad rubricam antedictam. Quare vnitas & pluralitas sunt æqualiter causæ indiuiduitatis? Solutio. Pluralitas Patris & Filij & vnitas quam habent in spirãdo sanctum Spiritum sunt rationes per quas in creaturis pluralitas & vnitas sunt æqualiter causæ indiuiduitatis. Et in hoc passu multum est de Theologia & Philosophia.

De Quæstionibus attractionis.

LXXVIII.

ATtractio quid est? Solutio. Attractio est id per quod vnum humidum radicale ad se attrahit de alio humido radicali humidum nutrimentale. Attractiõ quomodo est? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Adamas cum quo attrahit ad se ferrum? Solutio. Sicut potentia visiua ad se attrahit visibilitatem coloris, ita magna terrestrietas adamantis ad se attrahit terrestrietatem ferri. Cum quo semen ad se attrahit multiplicationem suæ speciei? Solut. Vade ad rub. virtutis.

De Quæſtionibus neceſſitatis.

LXXIX.

NEceſſitas quid eſt? Solutio. Neceſſitas eſt illa forma, ratione cuius ex impoſſibili ſequitur ſuum contrarium poſſibile: ſicut ſi eſt impoſſibile quod totum ſit minus, quàm ſua pars, oportet quod totum ſit maius quam ſua pars. Species neceſſitatis quot ſunt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Ex duabus ſpeciebus neceſſitatis quæ eſt magis neceſſaria? Solutio. Illa ſubſtantia quæ eſt in inſtanti ſecundum curſum naturalem eſt magis neceſſaria, quam illa, quæ eſt per ſucceſſionem, & idem de ſubſtantia, quæ eſt ſupra curſum naturalem, vt Deus ſit finis omnium entium. Si neceſſitas non eſſet, quid ſequeretur? Solutio. Si neceſſitas nihil eſſet, omne quod eſt, eſſet per contingentiã, & Deus nihil eſſet, & omne quod eſt impoſſibile, eſſet poſſibile, & è conuerſo. Et in hoc paſſu eſt ſignificatum Deum eſſe de neceſſitate, & ipſũm eſſe vnum in Trinitate perſonarum.

De Quæſtionibus contingentiæ.

LXXX.

COntingentia quid eſt? Solutio. Contingentia eſt illud per quod quidam fines alios deuiant ex eorum contrariis. Et vade ad rubricam antedictam. Contingentia de quo eſt? Solutio. Contingentia eſt ex finibus contrariis, quorum quidam aliis ſuas neceſſitates impediunt. Contingentia quare eſt? Solutio. Contingentia eſt, quia principium non poteſt habere medium propriũm nec naturale, per quod poſſit tranſire ad ſuum finẽ neceſſarium. Si contingentia nihil eſſet, quid ſequeretur? Solutio. Si contingentia nihil eſſet, nullus homo libertatem haberet, & aſinus ſẽper clamaret de neceſſitate, nec capra timorem haberet de lupo, & gelu ſemper amigdala combureret.

De Quæſtionibus perfectionis.

LXXXI.

PErfectio quid eſt? Solutio. Perfectio eſt illud inſtans in quo ſucceſſio habet quietem. Perfectio de quo eſt? Solutio. Sicut poſſibile eſt de hoc, quod non participat cum impoſſibili, ita perfectio eſt de hoc quod non participat cum defectu. Perfectio cum quo eſt? Solutio. Perfectio eſt cum actibus formarum naturalium & cum illarum ſimilitudinibus moralibus. Perfectio quare eſt? Solutio. Perfectio eſt vt ſit quies in exiſtere & agere. Et vade ad rubri. antedictam.

De Quæſtionibus imperfectionis.

LXXXII.

IMperfectio quid eſt? Solutio. Imperfectio eſt ex perfectionis priuatione, & ita eſt ſuum contrarium, ſicut malũ contrariũ eſt boni, & calor frigiditatis, & nigredo albedinis. Imperfectio eſt creatura? Solut. Imperfectio eſt creatura in operibus naturalibus. Et vade ad rub. antedict. & non eſt creatura in operibus moralibus. Et vade ad arbor. moralem vitioſam. Imperfectio eſt forma generalis? Solutio. Si imperfectio nõ eſſet forma generalis, ſucceſſio perfectionis nihil eſſet. Per-

fectio

fectio & imperfectio habent aliquam concordantiam? Solutio. In operibus naturalibus sunt imperfectiones inſtrumenta perfectionum, ſicut cauſæ ſecundariæ primarum.

De Quæſtionibus vitæ.

LXXXIII.

Vita quid eſt? Solutio. Vita eſt illa forma ratione cuius ſubſtātiæ viuunt,& ſunt viuificatæ. Vita naturalis de quo eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Vita ſpiritualis de quo eſt? Solutio. Vade ad arbor. humanalem & angelicalem. Mors quid eſt? Solutio. Mors eſt ita priuatio vitæ, ſicut vita eſt illud quod cum morte non participat.

De Quæſtionibus coloris.

LXXXIIII.

Color quid eſt? Solutio. Color eſt illa forma, ratione cuius ſubſtantia corporalis eſt colorata. Color eſt viſibilis? Solutio. Color inquantum eſt forma in abſtracto non eſt viſibilis, ſed ita eſt inſtrumentum ſubſtantiæ viſibili, quæ eſt viſa cum ſpeciali colore, ſicut ſapor generalis eſt inſtrumentum ſubſtantiæ guſtabili cum ſpeciali ſapore. Color de quo eſt? Solutio. Color eſt de ſeipſo inquantum ſua ſpecies,& eſt de pluribus coloratis quæ non ſunt de ſua ſpecie,& quæ per ipſum colorem ſunt viſibilia. Color quare eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam.

De Quæſtionibus ſoni.

LXXXV.

Sonus quid eſt? Solutio. Sonus eſt illa forma,ratione cuius aures ſunt inſtrumenta ad audiendum. Et in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia. Sonus de quo eſt? Solut.Sonus eſt de ſeipſo ſimpliciter, & ſonus qui auditur aut qui diſpoſitus eſt ad audiendum, eſt pars ſoni generalis, quæ quidem pars eſt inſtrumentum ſpeciale auditus. Audire eſt de ſono? Solut. Inquātum potentia ſenſitiua extracta eſt de elementatiua per creationem, eſt audire de ſono,ſed inquantum potentia elementatiua & ſenſitiua ſunt ſpecies differentes, audire non eſt de ſono materialiter, ſed eſt inſtrumentū quod audiatur. Sonus quare eſt? Solutio. Iſtud quæratur à tonitruo in rubrica antedicta.

De Quæſtionibus Odoris.

LXXXVI.

Odor quid eſt? Solutio. Odor eſt obiectum odorandi, vt odoratus ſentiatur. Et vade ad rubricam antedictam. Odor eſt de eſſentia ſenſus odoratus? Solutio. Ita ſunt differentes per eſſentiam odor & odoratiuitas, ſicut vegetatio & ſenſitiuitas. Odor de quo eſt? Solutio. Odor roſę eſt de ſuis vaporibus,& odoratiuus eſt de ſenſu,qui vapores roſæ in ſuam odorabilitatem conuertit. Si ſenſus non eſſet, roſa eſſet odorabilis? Solutio. Duæ ſunt odorabilitates, vna eſt illa, quæ eſt intra ſenſum, & quæ de ſua eſt eſſentia: alia eſt illa, quæ eſt extra ſenſum, quæ eſt odorabilitas gene-

generalis, ratione cuius eſt ſpecialis odorabilitas in roſa, in lilio, in ſulphure, & in aliis ſubſtantiis odorabilibus. Et iſte generalis odor extractus eſt de arbore elementali per creationem: ſicut Deus qui de die naturali cum ſole diem traxit artificialem.

De Quæſtionibus ſaporis.

LXXXVII.

Sapor quid eſt? Solutio. Sapor eſt illa forma, ratione cuius animalia delectantur in comedere & bibere. Sapor de quo eſt? Solutio Sapor eſt de arbore elementali. Et vade ad rubricam antedictam. Cum ſapor ſit de arbore elementali, ignis habet ſaporem in calefaciendo aquam? Solutio. Sapor generalis ita eſt ex elementis, ſicut color: & ſicut color exit in elementatum de potentia in actu, ita ſapor exit in ſenſitiua de vegetatiua de potentia in actum. Et quia aqua in olla calefacta non eſt in ſubſtantia vegetata nec ſenſata ignis: licet ſapor de ipſo ſit materialiter inſtrumentum, non habet cum quo ſaporem ſentire poſſit, qui in ipſo inquantum ſpecies ſemper eſt in potentia. Amaritudo eſt de ſapore? Solutio. In carne putrida quæ dat amaritudinem ſenſituæ hominis, qui ipſam guſtat, inuenit vermis ſaporem delectabilem.

De Quæſtionibus ſenſus.

LXXXVIII.

Sentire quid eſt? Solutio. Vade ad arborem ſenſualem. Sentire de quo eſt? Solutio. Secundum formam generalem ita eſt ſentire potentia arboris elementalis materialiter, quod exit & naſcitur in arbore ſenſuali: ſicut vita inſtrumentalis oleæ inſertę in oleaſtro de vegetatiua oleaſtri. Et vade ad rubricam antedictam. Tactus qui eſt per ſentire, quare eſt? Solutio. Tactus eſt per ſuam propriam ſpeciem formaliter, & eſt finaliter, vt animalia placitum habeant in tangendo, vt ſuas ſpecies poſſint conſeruare. Et vade ad rubricam antedictam. Cum carbo ignis tangit manum, quare manus ſentit dolorem? Solutio. Ita diſconuenit tactus ſubſtantiæ elementali non vegetatæ & ſubſtantiæ ſenſatæ, quæ eſt ſine vegetatione: ſicut conuenit tactus elementato ſenſato cum vegetatione.

De Quæſtionibus conceptionis.

LXXXIX.

Conceptio quid eſt? Solutio. Conceptio eſt illa forma generalis, ratione cuius formæ paſſiuę concipiunt nouas formas actiuas. Conceptio de quo eſt? Solutio. Vade ad rubri. antedictam. Conceptio quare eſt? Solutio. Conceptio eſt vt ſit manifeſtatio actuum formarum ſenſibus particularibus, & imaginationi & potentiis animæ rationalis. Conceptio quam affatus manifeſtat, de quo eſt? Solutio. Ita eſt conceptio quam affatus manifeſtat ex inſtinctibus & appetitibus naturalibus exitis de ſenſitiua in imaginatiua: ſicut ſunt appetitus & inſtinctus naturales de elementatiua exiti & nati in vegetatiua plantarum, & in ſenſitiua animalium. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quare fœmina quæ puerum concipit, imprimit in illo aliquam ſimilitudinem obiecti, quod imaginatur. Et idem eſt de maſculo.

De Quæſtionibus dormitionis.

X C.

DOrmitio quid eſt? Solutio. Dormitio eſt illa forma, ratione cuius formæ quę laborauerunt, appetitum habent quieſcendi. Dormire de quo eſt? Solutio. Dormire eſt ex preparatione, quæ preparat & diſponit materiam vt ſint actus formarum naturalium. Et vade ad rubricam antedictam. Quare nullus homo viuere poſſet ſine dormire? Solutio. Si equus qui currit nō quieſceret poſtmodum, alia vice currere non poſſet. Quare homines qui ſunt inebriati, maiorem habent appetitum dormiendi quam alij? Solutio. Quia vinum multum eſt vaporatiuum, ſubito aſcendere facit vapores ventris ad cerebrum qui claudunt imaginatiuæ ſpecies, quas de ſenſu accipit, quæ ſimilitudines non habet cum quibus ſatisfaciat potentiis animæ rationalis.

De Quæſtionibus vigilationis.

X C I.

VIgilare quid eſt? Solutio. Vigilare eſt ſucceſſio ſpecierum fantaſticarum motarū de ſenſu per imaginatiuam vſque ad potentias animæ rationatiuæ. Vigilare de quo eſt? Solutio. Vade ad rubric. antedictam. Quare quidam homines vigilant plus quam alij? Solutio. Nullus homo tantum dormit, ſicut flegmaticus; nec nullus homo tantum vigilat, ſicut ille qui multum amat. Homo qui ſomniat, participat plus cum vigilare quam cum dormire? Solutio. In hominibus qui ſomniant, vigilat plus imaginatiua, quam alia potentia.

De Quæſtionibus ſomnij.

X C I I.

SOmniare quid eſt? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Somniare vnde venit, & ſuæ ſpecies quot ſunt? Solutio ibidem. Quare homo plus ſomniat, quam animalia irrationalia? Solutio ibidem. Quare homo melancholicus naturaliter plus ſomniat, quam alius homo? Solutio. Nulla memoria tantum ſpecies retinet, ſicut illa quæ eſt de complexione terræ, & hoc eſt, quia habet plus durabile fundamentum.

De Quæſtionibus gaudij.

X C I I I.

GAudium quid eſt? Solutio. Gaudium eſt illa forma quæ finem deſideratum repræſentat. Gaudium naturaliter vbi incipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Pomerium habet gaudium, & ignis qui aquam calefacit? Solutio ibidem. Puer habet ante gaudium per ſentire quam per amare? Solutio. In pueris prius accipit imaginatio delectationem per ſenſum, quam voluntas vel intellectus per imaginationem, & hoc eſt, quia infans in principio non vtitur moralitatibus antiquis.

De Quæſtionibus triſtitiæ.

X C I V.

TRiſtitia quid eſt? Solutio. Triſtitia eſt illa figura, quæ perditionem finis deſiderati repræſentat. Triſtitia vbi incipit naturaliter? Solutio.

QQqq

Vade ad rubricam antedictam. Triſtitia moralis de quo eſt? Solutio. Triſtitia moralis eſt ex diffinitione antedicta. Quare homo melancholicus naturaliter eſt magis triſtis quam alius homo? Solutio. Nullum elementum eſt ita remotum à Saturno, ſicut terra: nec aliquis planeta eſt ita propè Saturnum ſicut Iupiter. Et vade ad rubricam antedictam.

De Quæſtionibus ſanitatis.

XCV.

SAnitas quid eſt? Solutio. Sanitas eſt proportio partium coniunctarum in ſubſtantia elementata cum maiori concordantia quam contrarietate. Sanitas vbi incipit naturaliter? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Quæ differentia eſt inter ſanitatem naturalem, & ſanitatem moralem? Solutio. Sanitas naturalis eſt per formam, & moralis per finem, ratione cuius ſanitatis naturalis ſunt medici. Quare homines ſaniores ſunt in hyeme quam in æſtate? Solutio. In illo tempore in quo fructus colliguntur, fructus ſunt magis nociui quam in alio tempore, & hoc apparet in gallina, quæ magis tenera eſt & magis ſapida, ſi mortua ſit per duodecim horas quam per vnam.

De Quæſtionibus infirmitatis.

XCVI.

INfirmitas quid eſt? Solutio. Infirmitas eſt illa forma, quæ requirit contrariam diffinitionem ſanitatis. Infirmitas quare eſt? Solutio. Infirmitas eſt, quia ſanitas non eſt. Corpus hominis poteſt eſſe inter ſanitatem & infirmitatem? Solutio. Si corpus animatum poſſet eſſe inter ſanitatem & infirmitatem, non eſſet in illo medio ſubiectum naturalibus contrarietatibus & eſſet incorruptibile. Et vade ad rubricam antedictam. Infirmitas moralis de quo eſt? Solutio. Iſta quæſtio fiat gulæ, enſi, malo medico & pulchræ fœminæ.

De Quæſtionibus induſtriæ.

CXVII.

INduſtria quid eſt? Solutio. Induſtria eſt illa forma generalis, ratione cuius plantæ & animalia habent modum viuendi. Et vade ad rubricam antedictam. Modus vbi incipit naturaliter? Solutio ibidem. Modus moralis quid eſt? Solutio. Modus moralis eſt figura modi aut induſtriæ naturalis. Vinea quæ diſcretionem non habet, nec oculos, quomodo aſcendit per arborem, & quare tenet folia recta in rectitudine branchæ, & cum ipſam tangit, quare ipſa replicat? Solutio. Ex induſtria generali deſcendunt induſtriæ ſpeciales.

De Quæſtionibus ſubſtantiæ.

XCVIII.

SVbſtantia quid eſt? Solutio. Subſtantia eſt illud ens, quod propriè per ſe ſtat, ſine quo nullum accidens poteſt eſſe? Subſtantia naturalis vbi incipit, & de quo incipit? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Subſtantia quomodo eſt ſub accidentibus? Solutio. Bonitas ſubſtantialis quæ dat ſuam ſimilitudinem magnitudini ſubſtantiali eſt per accidens ſub ſimilitudine quam dat. Subſtantia quare eſt? Solutio.

Solutio. Substantia est per seipsam formaliter & finaliter, vt formæ substantiales & accidentales habeant subiectum, in quo possint esse, & de quo possint agere.

De Quæstionibus essentiæ.

XCIX.

Essentia quid est? Solutio. Essentia est illa forma, ratione cuius esse sustentatum est in concreto substantiali aut accidentali, quod siquidem esse cum illo concreto conuertitur per existere & agere, & actus essentiæ remanet cum illo sustentatus, & cum essentia habens vnam & eandem naturam, & in hoc passu est multum de Philosophia. Essentia quomodo est supra substantiam? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Partes propriæ & principales essentiæ quæ sunt? Solutio. Anima rationalis & corpus cum ipsa coniunctū propriæ sunt partes humanitatis, & simplex bonificās, bonificabile, & bonificare sunt partes bonitatis. Essentia de quo est? Solutio. Vna essentia est generalis & communis, quæ est ex pluribus essentiis, sicut humanitas quæ est de bonitate magnitudinis & cæteris formis humanalibus: sunt aliæ essentiæ speciales, quæ sunt sub illa essentia generali, & sunt de illa, sicut essentia animæ rationalis & essentia corporis humani.

De Quæstionibus entis.

C.

Ens quid est? Solutio. Ens est genus quod est supra omne quod est de natura substantiali & accidentali. Ens quomodo est forma generalis? Solutio. Vade ad rubricam antedictam. Qui considerat ens, considerat ante accidens, quam substantiam. Solutio. Figuræ accidentales sunt fenestræ entis substantialis. Ens quomodo est inuestigabile & tractabile? Solutio. Vade ad rubricam vt supra.

De Quæstionibus applicationis & practica centum formarum, quæ sunt in fine arboris sensualis.

In hoc passu dabimus doctrinam ad faciendum quæstiones de arbore sensuali per centum formas, & ad soluendum illas quæstiones. Et secundum modum quem tenebimus de centum formis in arbore sensuali, teneri potest in aliis arboribus. Potentia sensitiua per quam naturam est vna, & est de pluribus rebus? Solutio. Vade ad rubricam antedictam paragrap. primo. Quæritur vtrum Petrus Filius Martini posset esse ille, qui est, & quod Martinus nunquam fuisset, & quod Petrus fuisset Filius Guillielmi? Sol. Secundū naturam vnitatis numeralis Petrus non posset esse ille qui est, si Martinus non esset Petro existente Filio Guillielmi, quia si esse posset, tota pluralitas elementationis, vegetationis & sensualitatis posset ita conuenire cum vno sicut cum alio. Sensus communis est simplex aut compositus? Solutio. Simplex est secundum naturā vnitatis arboris sensualis, compositus est secundum quod arbor sensualis est ex pluribus causis, videlicet de elementatiua, vegetatiua & sensitiua. Et vade ad rubricam virtutis ad secundum paragraph. Visus est simplex potentia aut composita. Solutio Oportet quod omne particulare sit ex illa natura, ex qua est suū vniuersale, quod si non esset, non esset pars illius.

Senſus communis eſt ex forma & materia, aut ex vna tantummodo? Solutio. Sine forma & materia arbor ſenſualis eſſe non poſſet, quoniam non haberet de quo eſſet. Et vade ad rub. virtutis ad tertium parag. Forma & materia ſenſus communis quæ ſunt? Solutio. Elementatiuitas, vegetatiuitas, ſenſitiuitas per naturam compoſitionis & ſimplicitatis ſunt formæ ſenſus communis, & elementabilitas ſunt materiæ ſenſus communis ſecundum naturam ſimplicitatis & compoſitionis. Senſus cõmunis eſt de generibus & ſpeciebus: Solutio. Vade ad rub. virtutis ad quartũ parag. Videre per quam naturã multiplicat ſpecies? Solutio. De natura totius ſunt naturæ partium. Partes ſenſus communis quæ ſunt intra, & quæ ſunt extra? Solutio. Viſibilitas quæ eſt de eſſentia ſenſus communis eſt pars quæ eſt intra ſenſum, & viſibilitas lapidis, pomi, flammæ & ignis eſt pars quæ eſt extra. Et vade ad rub. virtutis ad quintum paragr. Partes quæ ſunt intra & extra ſenſum communem, quomodo participant? Solutio. Senſus particulares ſunt extremitates ſenſus communis, quæ cum obiectis extra participant, ſicut viſitiuitas cum colore obiecti, quod accipit, & idem eſt de auditiuitate, quæ cum ſono participat, & ſic de aliis ſuo modo. Senſus communis quomodo eſt ex formis abſtractis? Solutio ibidem ad ſextum paragraph. Senſus particulares quomodo ſunt ex concretis, ſicut viſus, qui eſt ex viſitiuo, viſibili & videre? Solutio ibidem. Potentia ſenſitiua quomodo eſt ſubiecta generationi & corruptioni? Solutio ibidem ad ſeptimum paragraphum. Ex corruptione ſenſitiuæ Martini ſequitur aliqua generatio? Solutio. Ex corruptione herbæ quam equus comedit, ſequitur generatio carnis, & ex corruptione carnis, quam canis comedit, ſequitur generatio alterius carnis. Groſſitudo & gracilitas ſunt formæ ſenſus communis? Solutio ibidem ad octauum paragraph. Quare naturaliter quidã homines magis ſunt ſubtiles, quam alij? Solutio. Secundum quod materia ſenſus communis Martini eſt ſub magis ſubtili forma, quam materia Gulielmi, poteſt melius imaginatio Martini attingere ſimilitudines multiplicatas per ſenſus particulares, quam imaginatio Gulielmi. Senſus communis per quam naturam eſt ponderoſus? Solutio ibidem ad nonum paragraph. Quare viſus eſt magis leuis, quam auditus? Solutio. Viſus eſt maxime per complexionem aëris, quam per aliam complexionem, & auditus eſt per complexionem terræ. Complementum ſenſus communis de quo eſt? Solutio ibidẽ ad decimum paragraph. Oculi hominis cæci ſunt vacui? Solutio. Non ſunt vacui actibus potentiæ elementatiuæ & vegetatiuæ, ſed vacui ſunt actibus ſenſitiuæ. In ſenſitiua quare oportet eſſe ſenſum communem? Solutio ibidem ad decimum paragraph. In ſubſtantia ſenſata quomodo ſunt quædam extenſitates in aliis? Solutio ibidem ad duodecimum paragraph. Senſus communis quare eſt & mouet ſenſus particulares? Solutio ibidem ad decimũtertium paragraph. Senſus communis eſt mollis aut durus? Solutio ibidem ad decimumquartum paragraph. Quare potentia viſiua maiorem concordãtiam habet cum mollitie, & auditiua cum duritie? Solutio. Ex obuiatione & percutione ſiccorum corporum

exit magnus ſonus:& mollities & diaphanitas concordantiam habent cum humiditate. In ſenſitiua ſunt menſuræ? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad decimumquintum parag. Quare potentia viſiua attingit obiectum magis remotum, quàm auditiua? Solutio. Quia ignis & aër ſunt de magis ſubtili materia, quam aqua & terra, & eſt eorum virtus magis extenſiua, quàm virtus aquæ & terræ. Potentiæ obiecta & actus ſenſitiuæ quales ſunt? Solutio. Vade ad rubricam virtutis ad decimumſextum paragraphum. In ſenſu quare vna potentia eſt ex pluribus, & vnum obiectum ex pluribus, & vnus actus ex pluribus? Solut. Senſus eſt vnus per ſenſitiuam quæ eſt vna, & eſt ex pluribus, quia arbor ſenſualis eſt ex pluribus. Senſus communis eſt ex proprietate ſecundioritatis & tertioritatis, licet in quartũ numerum non tranſeat? Solutio ibidem ad decimumſeptimum paragr. In ſenſu quæ ſunt formæ quæ ſunt primæ, & quæ ſunt illæ quæ ſunt vltimæ, & quæ ſunt illæ quæ ſunt in medio? Solutio ibidem. Senſus quomodo eſt in creſcere & in diminuere? Solutio ibidem ad decimumoctauum paragr. Cum ſenſus incipit decreſcere, incipit decrementum virtutis ſenſus? Solutio. Durante humido nutrimentali, durat humidum radicale. Et in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia, quoniam ſecundum quod elementatiua & vegetatiua diſpoſitæ, ſunt quod ſint materiæ ſẽſitiuæ: attrahit ſenſitiua ex ipſis ſuam virtutem de potentia in actu, vt viuat: ſicut flamma ignis quę calefacit aquam, quæ calorem qui eſt in aqua in potẽtia, facit eſſe in actu, vt ſentiat. Diſpoſitio, proprietas & proportio quomodo ſunt formæ ſenſus? Solut. Vade ad rub. virtutis ad decimumnonũ par. Senſitiua leonis mortui in quo modo eſt ſuſtentata? Solutio. Aqua quæ exit de mari in vaporibus & in pluuia & cadit in terram, vadit cum fontibus in mare, & numerus ſalſedinis aquæ maris perditur in numero dulcis ſaporis aquæ pluuialis. Et in hoc paſſu cognoſcitur, quod aqua fontis magis naturalem habet ſaporem, quam aqua ciſternæ, & eſt magis ſana. Senſus quomodo eſt conditionatus, & quomodo habet inclinationem ad obiectum? Solutio. Vade vt ſupra ad vigeſimum paragraph. Vnus ſenſus quomodo indiuiduatus eſt ex alio ſenſu? Solutio. Sub tali conditione ſe communicat elementatiua & vegetatiua ſenſitiuæ, quod eorum naturæ ſint obiectatæ differentiis ſpecierum ſentiendi. In ſenſitiua quomodo eſt ordo & operatio? Solut. Vade ad rub. virtutis ad vigeſimumprimum parag. Senſus quomodo eſt ſubiectum influentiæ & refluentiæ ſentiendi? Solutio ibidem ad vigeſimumſecundum paragraph. Arbor elementalis & vegetalis influunt aliquam virtutem in actibus ſenſuum particularium? Solut. Nullum humidum radicale viuit ſine humido nutrimentali. Productio, origo & exitus quomodo ſunt formæ ſenſus? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad vigeſimumtertium paragraph. Quare in guſtu non eſt tantum de multiplicatione ſpecierum, ſicut in viſu? Solutio. Productio quæ eſt per guſtum, eſt magis propria & magis naturalis formis natis & exitis, quam productio quæ eſt per viſum, & de hoc experientiam habemus, inquantum animal viuere poteſt ſine viſu, & ſine guſtu non, & in hoc paſſu cognoſcitur quod hoc ꝙ natura facere poteſt cum paucis ſpeciebus, non habet appetitum quod hoc faciat cum pluribus, & cum

illud quod facere nō potest, cum paucis speciebus appetit, quód illud faciat cum pluribus. Separabilitas & inseparabilitas quomodo sunt formæ sensus? Solutio ibidem ad vigesimum quartum paragraph. Ab oculis Martini qui visum perdidit, est separata potentia sensitiua? Solutio. In nullo instrumento sensuali sensitiua radicaliter se diuidere potest ab arbore elementali & vegetali, sed instrumentaliter per priuatam dispositionem trium formarum, videlicet vegetatiuæ, elementatiuæ & sensitiuæ, à quibus separatus est ordo organi sensati. Et hoc apparet in figura instrumenti artificialis, sicut ioculator qui manifeste non ponit notam, quam habet in suo corde cum viella, quæ temperata non est nec disposita ad sonandum. Possibilitas & impossibilitas quomodo sunt formæ sensus? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad vigesimum quintum parag. In sensu quomodo vna possibilitas est ex pluribus, & quomodo plures possibilitates amissæ sunt per vnam simplicem impossibilitatem? Solutio. Ex possibilitate elementatiuæ, vegetatiuæ & sensitiuæ, est communis possibilitas, ratione cuius potest esse vna arbor sensualis. Et qui aliquod ex nouem accidentibus generalibus traheret à substantia, impossibile esset illam substantiam esse. Substantia sensata quomodo est ex similitudinibus? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad vigesimum sextum paragr. Per quam naturam sunt dissimiles actus sensuum particularium? Solutio. Ita viuit sensus communis ex dissimilitudinibus arboris elementalis & vegetalis, sicut ex similitudinibus illarum. Natura, corporalitas & transmutatio quomodo sunt formæ substantiæ sensatæ? Solutio. Vade ad rubric. virtutis ad vigesimum septimum paragraph. Potentia visiua est de principiis corporalibus? Solutio. Qui de Martino vnum oculum extraheret, esset transmutata in alio oculo natura, & virtus illius cum subiecto corporali, sine quo transmutatio fieri non posset, nec ille oculus posset suam multiplicare. In videndo lux & vmbra quomodo sunt formæ sensus visitiui? Solutio. Vade ad rub. virtutis ad vigesimum octauum paragraph. Quare oculi de nocte non vident, cum ita sit, quod lux sit vna de partibus suis essentialibus? Solutio. Lux quæ est intra in operatione poni non potest si non habet lucem, quæ est extra, quæ sit sibi instrumentum videndi. Sensus quomodo est punctualis, & quomodo est de lineis & de natura superficiei constitutus? Solutio. Vade ad rubri. virtutis ad vigesimumnonum par. Auditui est superficies necessaria? Solutio. Si superficies non esset in tactu, qui fit in aëre, sonus esse non posset. Rectitudo & figura quomodo sunt principia sensus? Solutio ibidem ad trigesimum paragraph. In auditu est necessaria figura? Solutio. Si figura non esset instrumentum auditus, vocem asini & philomenæ acciperet sensus auditus in eadem specie. Sensus est de masculinitate & fœmininitate? Solut. Vade ad rub. virtutis ad trigesimumprimum paragraph. Vox est masculina aut fœminina? Solutio. Vox est de essentia soni & actus illius, & sonus est ex actibus partium fœmininarum & masculinarum. Et vade ad rubricam virtutis ad eundem para. Sensus communis per quam naturam requirit membra & instrumenta ad vtendum sua virtute? Solutio ibidem ad trigesimumsecundum paragraph. Differentia sensus est per differentiam membro

membrorum & instrumentorum, aut propriè per sensum? Solutio. Inquãtum sensitiua est de differentia, habet propriam naturam sentiendi differenter diuersa obiecta per species, & inquantum membra & instrumenta sũt de differentia, est appropriata natura sensitiuæ membrorum & instrumentorum, quod per illam differenter attingat obiecta. Et in hoc passu multum est de Philosophia. Nutrimentum & impressio quomodo sunt formæ sensus? Solutio. Vade ad rubricam virtutis ad trigesimum paragraph. Insertio & perfectas sunt partes sensus? Solutio ibidem ad trigesimumquartũ paragraph. Sensitiua potest esse per seipsam hoc quod est? Solutio. Nulla forma quæ sit in alia inserta, potest esse per seipsam sine influentia illius in qua inserta est. Indiuiduitas & attractio sunt partes sensus? Solutio. Vade ad rubricam virtutis ad trigesimumquintum paragraph. In sensu est attractio de passione ad actionem, & de actione ad passionem? Solutio. Si aër sibi calorem ignis attraheret in illa attractione esset aër forma actiua, & ignis passiua, & ignis calorem suum non daret aëri. Necessitas & contingentia sunt formæ sensus communis? Solutio ibidem ad trigesimumsextum paragraph. Cæcitas est per sensitiuam, aut per elementatiuam & vegetatiuam, & idem quæritur de amaritudine quam gustus sentit in pomo dulci, & sic de aliis formis quæ eueniunt per contingentiam in aliis sensibus? Solutio ibidem ad eundem paragraph. Perfectio & imperfectio sunt partes sensus? Solutio ibidem ad trigesimumseptimum paragraph. Cæcitas in sensu est ita de necessitate imperfectionis sicut visus de perfectione? Solutio. In homine muto est verbum per contingentiam affatus & per necessitatem imperfectionis quæ est causa surditiei, & in hoc passu multum est de Philosophia. Vita & color sunt formę sensus communis? Solutio ibidem ad trigesimumoctauum paragrap. Cum color obiectum sit visus, & visus sit de vita, est color de essentia vitæ sensualis? Solutio. Si color esset de essentia visitiua, pomum quod habet colorem esset sensatum, non est ergo color de essentia sensitiuæ, sed est instrumentum videndi. Sonus, odor & sapor sunt partes sensitiuæ? Solutio. Partes quæ sunt essentiales substantiæ, sunt vnum, partes quæ sunt instrumentales, sunt aliud. Et vade ad rubricam virtutis ad trigesimumnonum paragraph. Tangibilitas & affabilitas sunt passiones essentiales sensus communis? Solutio. In omnibus formis passiuis sensus communis est distinctio: quoniam quædam formæ sunt intra, quæ cum formis actiuis sunt de essentia sensus, & formæ quæ sunt extra sunt instrumenta, quæ non sunt de sua essentia nec de sua specie. In affatu est actus, qui sit de essentia affatus? Solutio. Sicut auditus est per tangere, & ille tactus est in specie auditus, licet non sit de essentia auditus, ita affatus est per tactum, licet ille tactus non sit de specie affatus. Et in hoc passu cognoscitur, quod instrumenta extra non sunt de essentiis potentiarum intra. Et vade ad rubricam virtutis ad quadragesimum paragraphum. Vigilare & dormire sunt partes sensus communis? Solutio. Si dormire esset pars sensus communis omne corpus sensatum in dormiendo sentiret. Et si vigilatio esset pars sensus nullum corpus sensatum dormiret. Vigilare & dormire quomodo sunt instrumenta sensus communis? Solutio ibidem ad quadra,

quadragesimumprimum paragraphu. Gaudium & tristitia sunt de essentia sensus communis ? Solutio. Existente pipere ex elementis per essentiam. & de eorum qualitatibus est semper in calefacere, humefacere, & frigefacere, & in desiccare. Et quia substantia non est in eodem tempore in gaudio & in tristitia, gaudium & tristitia non sunt de essentia sensus, sed sunt instrumenta illius. Et hæc instrumenta sunt moraliter habituata & deriuata ex illis quæ sunt intra, quæ sunt de essentia sensus, inquantum placitum naturale. Et in hoc passu multum est de Philosophia, cum quo attingi possunt plura secreta naturalia. Horribilitas quam habent homines in videndo turpes figuras, per quam habent tristitiam est de essentia sensus ? Solutio. Illa horribilitas quæ est in practica, est moralis & instrumentalis, & est priuatio actus placiti naturalis qui est de essentia sensus. Et vade ad rubricam virtutis ad quadragesimumsecundum paragraph. Sanitas & infirmitas sunt de essentia sensus? Solutio ibidem ad quadragesimumtertium paragraph. Cum leo sit infirmus vbi est sua sanitas ? Solutio. In aqua calida sua frigiditas est in potentia. Industria leonis est de essentia suæ sensitiuæ? Solutio. ibidem ad quadragesimumquartum paragraph. Industria leonis est naturalis aut moralis ? Solutio. Industria leonis, & ita de aliis animalibus, naturalis est per elementatiuam & vegetatiuam, & est moralis per sensitiuam, quæ quidem moralitas est figura naturalis extra quæ est similitudo per accidens industriæ substantialis, quæ est intra: idcirco cum leo natus est, statim habet industriam lactandi : quoniam forma naturalis quæ est intra, mouet formam moralem accidentalem quæ est extra. Et in hoc passu multum est de Philosophia. Substantia, essentia & ens quomodo sunt differentes in sensitiua ? Solutio ibidem ad quadragesimumquintum paragraph. In quæstionibus peregrinis quomodo potest haberi solutio per centum formas ? Solutio. Secundum modum quem tenuimus in applicatione formarum in sensitiua, & secundum modum quẽ tenuimus in aliis quæstionibus huius arboris scientiæ potest haberi modus inueniendi veras conclusiones quæstionum peregrinarum. Et vade ad rubricam antedictam.

De Quæstionibus habitus huius Scientiæ.

Secundum decem regulas tabulæ generalis proponimus decem facere quæstiones, vt compleamus numerum quatuor mille quæstionum, & quod cũ illis cõseruetur habitus huius arboris scientiæ. Vtrum hæc arbor scientiæ sit generalis: Solut. Hæc arbor scientiæ generalis est, quia est de generalibus principiis, secundum quod in suis radicibus apparet, & est generalis, quia est de sexdecem arboribus, quæ generales sunt ad omnem habitum scientiæ. Hæc arbor quid est ? Solutio. Est inuentio & complementum generalium Theoricarũ & practicarum quæ constituunt generalem habitum sciendi. Hæc arbor de quo est ? Solutio. Materialiter est de sexdecem arboribus, quas in se continet, & quæ sunt suæ partes secũdum quod in ipsa apparet, & est de generali habitu sciendi secundum finem. Hæc arbor quare est ? Solutio. Hæc arbor est formaliter, quia est de sexdecem arboribus quæ sunt suæ partes, & est finaliter, vt Raymundus

dus qui non habet aliquem cui poſſet perfecte ſuam generalem artem oſtendere, ſignificare valeat per hanc arbo. ſcientiæ generalem intellectum qui haberi poteſt per ſuam artem ad omnes ſcientias,quoniam per hanc arbo. poteſt ille generalis intellectus cognoſci. Et homo qui habet intellectum fundatum, humilem & legalem, poterit hanc arbo. per ſeipsũ ſtudere & addiſcere. Hæc arbor quãtum eſt magna? Solutio. Vade ad folia ſuarum arbo. ad loca de quantitate, & cum illis quantitatibus poteris cognoſcere quantum hæc arbor eſt magna, & idem facere poteris de ſuis aliis prædicamentis & de ſuis ſubſtantiis. Subiectum huius arboris ſcientiæ quod eſt? Solutio. Subiectum huius arboris eſt illud, per quod humanus intellectus acquirit vniuerſalem habitum ſciendi. Hæc arbor in quo tempore fuit inuenta? Solutio. Hæc arbor inuenta eſt anno incarnationis Domini Dei Noſtri. M. C C X C V. à die ſancti Michaëlis vſque ad diem Kalendarum aprilis. Hæc arbor vbi eſt cõpilata? Solutio. Hæc arbor cõpilata eſt in ciuitate Romæ, & in altari beati Petri poſita, & Domino noſtro Ieſu Chriſto,& Dominæ noſtræ,angelis & ſanctis quorum corpora Romæ quieſcunt commendata. Practica diſcurſus & applicatio huius arboris quomodo haberi poteſt in quæſtionibus peregrinis? Solutio. Vade ad decimumſextum arborem quæſtionalem, & teneas modum in ſoluendo quæſtiones peregrinas, quem tenuimus in ſoluendo quæſtiones huius arboris: applicando quæſtiones peregrinas ad ad illas arbores quæ ſunt generales terminis earum. Habitus huius ſcientiæ cum quo conſeruari poteſt? Solutio. Imaginando frequenter & recolendo arbores ſpeciales huius arboris generalis conſeruari poteſt generalis habitus ſcientiæ,quam homo habere poteſt per ipſum. Et gloria detur Deo. Amen.

De fine huius arboris.

Finiuit & compleuit Raymundus hanc arbo. cum iuuamine & gratia Dei quem laudauit & benedixit, quia ſibi gratiam fecit in principio, in medio,& in fine huius arboris,& quia ipſum de labore magno liberauit. Et à Deo miſericordiam petiit, ſi in aliquo negligens fuerit in tractatu huius arboris:& ſi in aliquo errauit in ipſa, ex certa ſcientia non errauit,ſed ignoranter. Et ſupplicat ſancto Patri Domino Papæ & ſuis fratribus quod hũc librum gratanter accipiant, & ipſum corrigant,ſi in ſe aliquem errorem cõtineat, & quod ipſum approbent & multiplicent: quoniam magnum bonum ex hoc ſequi poſſet, ſecundum quod in ſuo proceſſu apparet. Antequam Raymundus à Monacho commeatum accepiſſet, diu conſiderauit, Monachus petiit à Raymũdo de quo conſiderabat, Raymundus reſpondit, & dixit,quod ipſe conſiderabat,quod hæc arbor ſcientiæ primo eſſet alicui ſanctæ perſonæ præſentata,quæ haberet valde altum intellectum, & quod ipſe præſentaret ipſam Domino Papæ & Dominis Cardinalibus. Raymunde (dixit Monachus) & quis erit illa perſona? Reſpondit Raymundus, & dixit, quod ipſe ſpem habebat, quod aliquis ſanctus homo ipſam adhuc præſentaret ad honorem Dei. Cum ſit laus & gloria. Amen.

TABVLA ARBORVM IN HOC volumine contentarum.

Finis tabulæ arborum.

OPus præclarum & valde mirabile Arbor scientiæ vocatum, à multum Reuerendo magistro Raymundo Lullio editum, in quo omnium scientiarum traditur notitia, finem optatum accepit in inclyta vrbe Lugdun. opera Gilberti de Villiers. Impensis verò Magistri Guilhelmi Huyon, & Constantini Fradin ibidem commorantes. Anno salutis Millesimo quingentesimo decimoquinto quarto Nonas Maij.

INTRO

INTRODVCTORIVM magnæ artis Generalis Reuerendiſſimi Doctoris illuminati Magiſtri Raymundi Lullij, ad omnes ſcientias vtiliſſimum.

INTRODVCTORIVM MAGISTRI RAYMVNDI LVLLII

INCIPIT INTRODVCTORIVM magnæ artis generalis Reueren. Doctoris illuminati Magistri RAYMVNDI LVLLII ad omnes scientias.

Q*VONIAM omnis scientia est ex vniuersalibus : vt per vniuersalia sciamus ad particularia descendere, & de ipsis reddere rationem, propter hoc sequuntur vniuersalia infra scripta* : vt intellectus per ipsa ad intelligendum in materiis pluribus valeat exaltari : *principia artis generalis sunt nouem, & regulæ etiam sunt nouem, velut in tabula sequenti apparet.*

Principia transcendentia.

B Bonitas.
C Magnitudo.
D Æternitas.
E Potestas.
F Sapientia.
G Voluntas.
H Virtus.
I Veritas.
K Gloria.
Infinitas.

Quæstiones.

Vtrum.
Quid.
De quo.
Quare.
Quantum.
Quale.
Quando.
Vbi.
Quomodo.
Cum quo.

Subiecta.

B Deus.
C Angelus.
D Cœlum.
E Homo.
F Imaginatiua.
G Sensitiua.
H Vegetatiua.
I Elementatiua.
K Instrumentatiua.

Principia instrumentalia.

Differentia.

Concor

Concordantia.
Contrarietas.
Principium.
Medium.
Finis.
Maioritas.
Æqualitas.
Minoritas.

Regulæ.

Possibilitas.
Quidditas.
Materialitas.
Formalitas.
Quantitas.
Qualitas.
Temporalitas.
Localitas.
Modalitas & instrumentalitas.
Societas.

Virtutes.

Iustitia.
Prudentia.
Fortitudo.
Temperantia.
Fides.
Spes.
Charitas.
Patientia.
Pietas.

Vitia.

Auaritia.
Gula.
Luxuria.
Superbia.
Accidia.
Inuidia.
Ira.
Mendacium.
Inconstantia.

Opposita Principiorum transcendentium.

Malitia.
Prauitas.
Priuatio boni.
Impotentia.
Ignorantia.
Odibilitas.
Vitium.
Falsitas.
Pœna.

Opposita virtutum.

Iniustitia.
Imprudentia.
Debilitas.
Distemperantia.
Infidelitas.
Desperatio.
Odium proximi.
Impatientia.
Impietas.

Opposita vitiorum.

Liberalitas.
Sobrietas.
Continentia.
Obedientia.
Feruor agendi bonum.
Amor proximi.
Suauitas.
Verum testimonium.
Quies.

Opposita principiorum instrumentalium.

Confusio.
Discordantia.
Concordantium mala.
Ocium.
Vacuum.
Inquies.
Minoritas mali.
Inæqualitas.
Maioritas mali seu culpæ.

Opposita oppositorum vitiorum.

Prodigalitas.

Insobrietas.	Odium proximi.
Incontinentia.	Rixatio.
Inobedientia,	Contradictio mentis.
Male agens corde.	Inquies anxietatis.

B Bonitas est ens ratione cuius bonum agit bonum: & sic bonum est esse, & malum non esse.

C Magnitudo est ens ratione cuius bonitas siue duratio sunt ambientis extremitatis essendi magister.

D Æternitas siue duratio est ens ratione cuius bonitas, magnitudo, &c. durant.

E Potestas est ens ratione cuius bonitas, magnitudo, &c. possunt existere & agere.

F Sapientia est ens ratione cuius sapiens intelligit.

G Voluntas est ens ratione cuius bonitas, magnitudo, &c. sunt volubilia.

H Virtus est origo vnionis, bonitatis, magnitudinis, in vno bono, magno, &c.

I Veritas est illud quod est verum de bonitate, magnitudine, &c.

K Gloria est ipsa delectatio in qua bonitas, magnitudo, &c. quiescunt.

Differentia est proprietas ratione cuius bonitas, potestas, &c. sunt rationes claræ & inconfusæ.

Concordantia est id ratione cuius bonitas, voluntas, &c. in vno & in pluribus concordant, & quorundam mutua conuenientia in eodem puncto propter eundem finem.

Contrarietas est quorundam mutua resistentia propter diuersos fines.

Principium est id quod se habet ad omnia ratione alicuius proprietatis, prioritatis.

Medium est ipsum subiectum per quod finis influit principio, & principium refluit fini sapiens naturam vtriusque.

Finis est id in quo principium quiescit.

Maioritas est imago immensitatis, bonitatis, magnitudinis.

Æqualitas est ipsum subiectum in quo finis concordantiæ, bonitatis, potestatis, &c. quiescit.

Minoritas est ens circa nihil.

Species Quæstionum.

B Vtrum. { Dubitatio. / Affirmatio. / Negatio. }

C Quid. { Est in se. / Habet in se. / Est in alio. / Habet in alio. }

D De quo. { Primitiuè. / Materialiter. / Possessiuè. }

E Quare. { Formaliter. / Finaliter. }

F Quantum. { Continuè. / Discretè. }

G Quale. { Propriè. / Appropriatè. }

H Quando. & quandiu, ex quo tempore, vsquequo. { significat litteras. { E / D / K }

I Vbi. significat litteras. E D K

k Quomodo. Situm esse.
1 Est pars.
2 Pars est in parte.
3 Partes sunt in toto & è conuerso.
Et Totum transmittit extra se suam similitudinem & suarum partium.

Cum quo; Habere.
1 Est pars.
2 Pars est in parte.
3 Partes sunt in toto & è conuerso.
Totum transmittit extra se suam similitudinem & suarum partium.

Species principiorum instantialium.

Differentia. Concordantia. Contrarietas. Inter
- Sensuale & sensibile.
- Sensuale & intellectuale.
- Intellectuale & intellectuale.

Principium.
- Causæ.
- Quantitas
- Tempus.

Medium.
- Coniunctionis.
- Mensurationis.
- Extremitatum.

Finis.
- Perfectionis.
- Terminationis.
- Priuationis.

Maioritas. Æqualitas. Minoritas. Inter
- Substantiam & substantiam.
- Substantiam & accidens.
- Accidens & accidens.

Sensuale dicitur illud ens quod sentit, vel potest sentiri per sensus, scilicet videndo, audiendo: item sicut lapis & arbor, & qualibet res.

Intellectuale est illud ens quod est spirituale natura, sicut Deus, Angelus, anima rationalis, &c.

Causa est principium per cuius operationem sequitur causatum, quod est eius effectus.

Effectus dicitur illud causatum quod deductum est in esse per operationem causæ.

Causa efficiens est illud agens quod efficit seu producit effectum: sicut Deus qui mundum creauit, &c.

Causa materialis est illa ex qua res est secundariè: sicut corpus in homine, ferrum in cultello.

Causa

Causa formalis est illa per quam res principaliter existit, & per illam in suo esse conseruatur, sicut anima rationalis in homine: & vegetatiua in arbore, &c.

Causa finalis est illa propter quam res principaliter fit seu effecta est, sicut Deus qui est causa finalis cuiuslibet creatura, & habitare domus, &c.

Substantia est id quod existit per se & in se: sicut Deus, Angelus, homo, &c.

Accidens est id quod non existit per se, nec in se: sicut albedo, sanitas, virtus, vitium, scientia, & sunt nouem genera accidentium, scilicet quantitatis, & qualitatis, &c.

Quantitas est accidens per quod entia sunt quantificata, finita & terminata, &c.

Qualitas est accidens per quod entia sunt qualia seu determinata, sicut qualitas grammaticalis.

Relatio est illud accidens per quod vnum ens respicit aliud de necessitate: vt relatio magistri ad discipulum, Patris ad Filium.

Actio est operatio agentis super passum, vt Dominus super vasallum, martellus super clauum.

Passio est operatio patientis sub agenti, vt calefacti sub calefaciente.

Habitus est accidens de quo subiectum induitur, vt albedo in albo, scientia in sciente.

Situs est debita & ordinata positio partium in toto, & è conuerso, vt tectum in parietibus, & tignum in domo.

Tempus est accidens in quo entia omnia principiantur, vt tempus mundi.

Locus est accidens per quod entia collocantur & continentur quædam in aliis, vt locus quem habet qualibet substantia corporea.

Medium coniunctionis est illud quod diuersa coniungit ad vnum, sicut clauus duos postes.

Medium mensurationis est illud per quod æqualia mensurantur, vt per punctum circuli aliæ partes circuli, &c.

Medium extremitatum est illud quod existit inter extrema: vt paries inter tectum & fundamentum.

Finis perfectionis dicitur ille, in quo res perficitur, siue illud propter quod res facta est finaliter: sicut Deus qui est perfectio hominis, & homo suarum partium.

Finis terminationis dicitur terminus rei: vt terminus regni, campi, &c.

Finis priuationis dicitur non esse in quo res desinit, siue non esse in quo suum esse desinit naturaliter, moraliter, viriliter, artificialiter, vt mors, peccatum, disruptio, &c.

De Nouem subiectis generalibus.

NOuem subiecta generalia antedicta debent tractari cum quatuor conditionibus, scilicet cum diffinitione, differentia, concordantia & maioritate. Cum diffinitione videlicet, vt quodlibet subiectum habeat suam propriam diffinitionē cum qua cognoscatur & differat à quocunque alio. Cum differentia videlicet, quod differentia quæ est inter vnum subiectum & aliud, conseruetur. Cum maioritate, videlicet secundum quod vnum subiectum est altius & nobilius, quælibet aliud tribuantur sibi altiora & nobiliora principia, & diffinitiones regulæ & species earum sequendo & conseru[illegible] diffinitionem differentiæ in concordantiam & maioritatem, prædictum est.

In entibus irrationabilibus sensualibus

libus loco sapientię ponitur instinctus, loco voluntatis appetitus,& pro gloria delectatio, loco memoriæ recolitus.

De primo subiecto quod est Deus

DEus est illud ens in quo bonitas, magnitudo,æternitas,&c. suæ dignitates sunt vnum idem numero, & Deus est illud ens quod habet in se omne complementum, & nullo indiget extra se. Deus est bonitas, magnitudo,æternitas,&c. suæ dignitates absque contrarietarte, maioritate & minoritate.

De Deo potest homo tractare per decem quæstiones generales,quærendo seu inuestigãdo,vtrum Deus, quid Deus, de quo Deus, &c. sequendo quatuor conditiones prædictas, affirmando inDeo omnem perfectionem, & negando seu remouendo omnem defectum.

De Angelis.

ANgelus est substãtia intellectualis creata,Deo similior natura & simplicitate quam alia creatura: in angelo est essentialis & naturalis bonitas,magnitudo,duratio,&c. excepta contrarietate. Et potest tractari per decem quæstiones, quærendo vtrum Angelus. Quid Angelus,&c. sequendo quatuor conditiones iam dictas.

De Cælo.

COelum est illud corpus,quod habet magis extensam magnitudinem quam aliud corpus.

Cœlum habet essentialem bonitatem, magnitudinem, instinctum, appetitum, delectamentum,&c. absque contrarietate. Et potest tractari per decem quęstiones,quęrendo vtrum cœlum,&c. sequendo quatuor conditiones antedictas.

De Homine.

HOmo est substantia sensualis & intellectualis,vel est animal homificans, vel cui propriè competit homificare. Homo habet naturalem, essentialem bonitatem & magnitudinem,&c. dupliciter,scilicet sensualem & intellectualem, quia est compositus ex anima rationali & corpore. Et est anima rationalis forma intellectualis informans ipsum corpus hominis,dans sibi humanum esse & conseruans illud in humana specie. Et habet essentialiter tres potentias, scilicet memoriam,intellectum & volũtatem,cum quibus agit quicquid agit. Et hominis corpus constitutum est ex elementatiua, vegetatiua, sensitiua, imaginatiua, motum ad suas operationes per formam prædictam. Et potest tractari per decem quæstiones, inuestigando de homine per vtrum, quid,de quo,&c. sequendo conditiones iam dictas.

De Imaginatiua.

IMaginatiua est potentia, siue pars animalis, per quam ipsum animal imaginatur illa quæ fuerunt sibi corporalibus sensibus pręsentata:& habet essentialem & naturalem bonitatem, magnitudinem, instinctum, appetitũ, delectationem, &c. absque essentiali contrarietate. Et habet tres potentias sibi coëssentiales, scilicet instinctiuam, appetitiuam, recolitiuam. Et potest cognosci quęrendo de ipsa per vtrum, quid, de quo, &c. sequendo

De Sensitiua.

SEnsitiua est potentia cum qua animal sentit sensibilia, scilicet visibilia, audibilia, &c. Et habet essentialem & naturalem bonitatem, magnitudinem, &c. Et potest cognosci quærendo de ipsa per vtrum, quid, de quo, &c. Et habet sex sensus particulares, scilicet visum, auditum, gustum, tactũ, odoratum & affatum, in quibus ipsa diuersificatur: & similiter sua principia essentialia & sua particularia debent cum quatuor conditionibus tractari.

De Vegetatiua.

VEgetatiua est potentia per quam fit naturaliter trãsmutatio de vna substantia in aliam, sicut de pluuia in plantam, & de cibo in carnem, &c. Et habet essentialem & naturalem bonitatem, magnitudinem, instinctum, appetitum, delectationẽ, &c. sine essentiali contrarietate habet etiam quatuor potentias cum quibus naturaliter operatur, scilicet appetitiuam per quam appetit attrahere ad subiectum, per retentiuam retinet, per digestiuam digerit retentiuum, per expulsiuam expellit hoc quod subiecto non competit. Et potest tractari de ipsa cum decem quæstionibus, scilicet vtrum, quid, &c. sequendo quatuor conditiones prædictas.

De Elementatiua.

ELementatiua est ens naturale, seu potentia in elementatis, per quam elementa intrant compositionem, & existunt vt agant in ipsis elementatis quæ de ipsis componuntur. Elementa sunt quatuor, scilicet ignis, aër, aqua, terra. Ignis est calidus & siccus, leuis & lucidus. Aër humidus, calidus, leuis, dyaphanus. Aqua ponderosa, frigida, humida, alba. Terra sicca & frigida, põderosa, & nigra. Elementatiua habet bonitatem, magnitudinem, &c. cum contrarietate ratione elementorum quæ sunt contraria per suas qualitates proprias & appropriatas. Potest inuestigari per decem quæstiones generales, scilicet vtrum, quid, de quo, & sic de quolibet elementatiuo quorum quodlibet habet suam proptiam essentialem ac naturalem bonitatem, magnitudinem, &c. Et potest tractari cum decem quæstionibus generalibus sequendo quatuor contradictiones prædictas.

De Instrumentatiua.

INstrumentatiua est potentia, siue habitus per quam fiunt opera non naturalia, sicut artificialia & huiusmodi: & continet tres species, scilicet moralitates, artes liberales, & sciẽtias alias, & artes mechanicas. In instrumentatiua est bonitas, magnitudo, &c. suo modo in generali, & quælibet suarum specierum habet bonitatem, magnitudinem, &c. differentem ab alia secundum quod sunt differentes inter se. De instrumentatiua generaliter & specialiter tractat Artista generalis cum decem quæstionibus, & hoc idẽ de speciebus, quia in ipsa & sub ipsa continentur, & etiam de quolibet cõtento sub quolibet regulando semper quatuor conditiones generales supradictas, quæ sunt diffinitio, differentia, concordantia & maioritas.

De

De Virtutibus.

IVstitia est virtus per quam iustus reddit vnicuique quod suum est, scilicet Deo, sibiipsi, & proximo suo.

Prudentia est virtus per quam prudenter agit eligendo, euitando, & prę uidendo. Eligendo scilicet bonum, & citius magis bonum, & euitando malum & citius magis malum, prouidendo scilicet circa possibilia & impossibilia, vtilia & in vtilia, &c.

Fortitudo est virtus cum qua homo fortis fortificat suam animam cõtra vitia, vt virtutes valeat adipisci.

Temperantia est virtus per quam temperatus suam animam & actus temperat inter duas extremitates contrarias in quantitate secundum maius, par, paruum.

Fides est virtus cum qua homo credit id esse verum quod non sentit neque intelligit, & cum qua ascendere potest ad intelligendum supra suas vires naturales cum respectu totius hominis.

Spes est virtus per quam sperans sperat à Deo auxilium, veniam, ac pręmium vel gloriam.

Charitas est virtus cum qua voluntas ascendit ad diligendum Deum & proximum suum supra posse suum naturale. Vel sic. Charitas est virtus per quam charitatiuus diligit Deum super omnia, seipsum, proximum æqualiter in Deo & propter Deum.

Patientia est virtus cum qua homo suffert passionem in pace & absque ira cordis.

Patientia est habitus cum quo patiens vincit, & non vincitur.

Pietas est virtus cum qua voluntas mouet se ad habendum dolorem de languoribus proximi sui.

Pietas est habitus cum quo prius dolet de dolore proximi sui.

Deffinitiones Vitiorum.

AVaritia est vitium deuians bona à fine propter quem creata sunt.

Auaritia est vitium cum quo bona à suo fine deuiantur, qui est seruire homini iuste, prudenter, &c.

Gula est vitium quod sæpius priuat abstinentiam & temperantiam, quam aliquod vitium aliud, ideo est peccatũ per quod homines plus moriuntur, quam per aliud peccatum.

Gula est vitium per quod gulosus de se priuat abstinentiam & temperantiam per maius comedere & bibere, & immoderatum appetitum ipsorum.

Luxuria est vitium per quod homo vtitur suis potentiis indebitè contra congruitatem continentiæ.

Luxuria est vitium cum quo luxuriosus deuiat carnalem copulam ab ordine & finali intentione propter quas sunt.

Superbia est vitium cum quo homines appetunt honores qui eis non conueniunt.

Accidia est habitus cum quo accidiosus pigritiam habet in faciendo bonum, & euitando malum, & habet placitum de malo aliorum, & tristitiã de eorum prosperitate.

Inuidia est vitium per quod inuidus iniuste desiderat bona alterius, & habet placitum de malo aliorum, & tristitiam de eorum prosperitate.

Ira est vitium per quod voluntas sine deliberatione odit bonum, & diligit malum.

Ira est vitium cum quo iratus ligat suam libertatem & deliberationem contra refrænatam voluntatẽ regulatam sub patientia, & propter hoc dest-

derat malum,& odit bonum.

Mendacium est vitium, cum quo mendax falsè & vitiosè quod habet in mente, profert ore.

Inconstantia est vitium, cum quo inconstans multifariè variabilis est.

Sequuntur centum formæ.

Entitas.
Essentia.
Vnitas.
Pluralitas.
Abstractum.
Concretum.
Natura.
Genus.
Species.
Dispositio.
Proportio.
Intentio.
Instans.
Intensitas.
Extensitas.
Continuitas.
Contiguitas.
Hyle siue chaos.
Indiuiduitas.
Simplicitas.
Compositio.
Forma.
Materia.
Corpus.
Rectitudines.
Punctus.
Linea.
Sphæra.
Ratio.
Vacuum.
Vniuersale.
Particulare.
Proprietas.
Translatio.
Alteratio.
Generatio.
Angulus.
Figura.
Triangulus.
Quadrangulus.
Circulus.
Superficies.
Instinctus.
Appetitus.
Motus.
Corruptio.
Priuatio.
Infinitas.
Comprehensio.
Capacitas.
Existentia.
Potentia.
Obiectum.
Actus.
Immobilitas.
Successio.
Attractio.
Receptio.
Significatio.
Nouitas.
Monstruitas.
Color.
Vmbra.
Necessitas.
Contingens.
Fortuna.
Occasio.
Diffinitio.
Quæstio.
Obstinatio.
Opinio.
Suppositio.
Demonstratio.
Punctus transcendens.
Idea.
Prædestinatio.
Prædicatio.
Libertas.
Creatio.
Misericordia.
Crimina.

Scientia.

Scientia.
Ars mechanica.
Ars liberalis.
Ars moralis.
Ars generalis.
Theologia.
Philosophia.
Astrologia.
Geometria.
Musica.
Rhetorica.
Logica.
Grammatica.
Medicina.
Moralitas.
Ius.
Militia.
Politica.

Diffinitiones centum formarum.

ENtitas est illud, per quod ens est ens, & producit siue agit ens ita: sicut bonitas est id per quod bonum est bonum,& agit bonum.

Essentia est illud,per quod est esse: sicut per humanitatem est homo & per entitatem est ens.

Vnitas est ens, per quod vnum est vnum,& agit seu producit vnum.

Pluralitas est rerum aggregatio aliquo modo diuersarum.

Abstractum est essentia rerum:sicut albedo albi.

Concretum est ens,in quo sustentatur abstractum quod est sua essentia.

Natura est principium, per quod entia naturalia producuntur naturaliter:est duplex,natura scilicet naturans, vt Deus,& natura naturata, vt creatura:ideo de natura tractandum est differenter secundum quod diuersificatur per diuersa subiecta.

Genus est ens, quod prædicatur de pluribus differentibus specie: sicut lapis qui prædicatur de marmore, rubisso, saphito, & animal de homine boue, leone,&c.

Species est,quæ prædicatur de pluribus differentibus numero: sicut homo de Petro, &c.

Dispositio est priuatio alicuius rei, ratione cuius ipsa res disponitur ad aliquem finem:sicut disponere materiam naturalem, vel artificialem ad formam.

Proportio est ordo graduum ad vnam rem,sicut elementa.

Intentio est actus, per quem entia se habent ad operandum ratione alicuius finis naturalis, artificialis vel rationalis: & est duplex, scilicet prima & secunda:prima respicit finem.

Instans est principium & terminus temporalis.

Intensitas est propinquius simplici quam composito:vt ignis simplex.

Extensitas per contrarium:vt ignis intrans elementa.

Contiguitas est actus coniunctionis rerum in extremitatibus, sicut ossa & caro in corpore.

Continuitas est mixtio partium, quarum quædam sunt in aliis, sicut elementa in elementato.

Chaos siue hyle est corpus primum existens, principium omnium rerum generabilium & corruptibilium.Et est corpus ex vniuersali forma & prima materia constitutum.

Indiuiduum est ens, quod prædicatur de vno tantum: sicut Petrus de seipso, & distat plus à genere quam species.

Simplicitas est ens, per quod entia sunt simplicia: ideo quod non sunt constituta de pluribus essentiis, vt Deus qui est ens simplex & supremum in simplicitate, eo quod est vna

ſola eſſentia quæ eſt ipſamet ſua bonitas, magnitudo, &c. Pura ſimplicitas in creaturis aliquid dicitur ſimplex in quo eſt vnum per ſuum numerum, vel per reſpectum alterius, ſicut Angelus, anima, ignis, ſimplex.

Compoſitio eſt aggregatio plurium eſſentiarum in aliquo eſſe compoſito ex multis, ſicut homo qui eſt compoſitus ex corpore & anima rationali: & ſicut elementarum de quatuor elementis, & ſubſtantia creata de materia & forma.

Forma eſt principium eſſentiale, per quam maximè conſiſtit actio.

Materia eſt principium eſſentiale, cui propriè competit paſſio, & ratione ipſius ſubſtantia compoſita eſt paſſiua.

Corpus eſt ſubſtantia habens longitudinem, amplitudinem & profunditatem: ſicut lapis, arbor, &c.

Sex ſunt rectitudines corporum, ſcilicet ſurſum, deorſum, ante, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum.

Punctus eſt minima pars corporis.

Linea eſt quædam longitudo extracta compoſita ex pluribus punctis continuis, cuius extremitates ſunt duo puncta.

Sphæra eſt locus proprius quem appetit quodlibet elementum, vt ignis ſurſum, terra deorſum. Cœleſtis ſphæra dicitur circulus in quo ſunt ſituata ſigna & planetæ.

Ratio eſt lumen intellectus ad cognoſcendum rerum realitates.

Vacuum eſt illud obiectum in quo non conſideratur aliqua entitas. Plenum è conuerſo.

Vniuerſale eſt illud ens quod in ſe continet multa particularia. Particulare è contra.

Proprietas eſt ens cum quo agens ſpecificè agit: ſicut animal, planta.

Tranſlatio eſt actus naturaliter in tranſlato denudata forma antiqua, & induta forma noua.

Alteratio eſt mutatio de vna qualitate in aliam remanente ſubſtantia eadem: ſicut vinum in acetum, ſanitas in ægritudinem, virtus in vitium.

Generatio eſt naturalis operatio, per quam hoc quod eſt in potentia naturaliter exiſtit in actu, cauſando nouam formam.

Angelus eſt pars figuræ in quo termini linearum participant acutè vel rectè.

Figura eſt accidens conſtitutum ex ſitu linearum, & habitu ſuperficiei ſeu colorum.

Figuræ generales ſunt tres: ſcilicet triangularis, quadrangularis, & circularis.

Triangularis eſt figura quæ habet tres angulos acutos, tribus lineis contentos.

Quadrangularis eſt figura quatuor habens angulos rectos ſiue obliquos, quatuor lineis contentos.

Circulus eſt figura, vnica linea circulari contenta.

Superficies eſt ſuperior corporis extremitas, in qua apparet ipſius color.

Inſtinctus eſt principium per quod entia naturalia regulantur ad ſuas operationes naturales ſecundum ſpeciem ſuam & naturam: ſicut ignis, & animal, & eſt ſimilitudo intellectus.

Appetitus eſt principium per quod entia naturalia appetunt hoc quod eis competit, videlicet ſuam naturam, vt ignis aſcendere, homo bibere, comedere, & eſt ſimilitudo voluntis.

Motus eſt principium per quod entia motiua mouent mobilia ad aliquē ignem, & eſt duplex, ſcilicet naturalis & artificialis ſeu violentus motus. Naturales ſunt ſex: ſcilicet generatio, corruptio,

ruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & loci mutatio.

Corruptio est opus naturale, per quod id quod est in actu est in priuatione corrumpẽdo formam antiquam scilicet illam per quam corruptum erat in suo actuali esse.

Priuatio est medium inter generationem & corruptionem, per quod trãsit esse cum non esse: hæc tria principia generalia sunt in tribus quibus sustẽtatur cursus naturæ in generabilibus & corruptibilibus, scilicet in elementis vegetabilibus & animabilibus.

Infinitas est ens absque termino & mensura. Et est triplex scilicet magnitudine, duratione & numero. Infinitas magnitudinis est immensitas. Infinitas durationis est æternitas. Infinitas numeri est quo ad numerantem, quæ non attingit terminum numeri, licet ipsa res numerata habeat finitum numerum.

Comprehensio est similitudo finitatis & apprehensio: sicut gustando qui cum gustat apprehendit mare salsum.

Capacitas est forma, per quam capax potest comprehendere & attingere entia comprehensibilia per ipsum. Existentia est essentia entis quod existit. Agentia est esse agendi, sed agere est actus existentis, sicut calefacere calidum: benefacere bonum.

Potentia est id quod cum suo actu se habet ad obiectum: sicut visus cum videre, auditus cum audire, & sunt in homine decem potentiæ naturales: scilicet auditus, visus, gustus, tactus, odoratus, affatus, imaginatio, memoria, intellectus & voluntas, quibus cõsequẽter correspondetur decem modis obiectorum. Alio modo sumitur potentia pro ente quod nondum est, sed potest esse, vt scientia in intellectu, fructus in arbore.

Obiectum est illud ens, quod est apprehensum per potentiam: sicut sapor per gustum.

Actus est opus potentiæ, cum quo obiectum assumitur à potentia: vt videre visus: similiter actus est duplex, primo quando ens est in esse secundo pro agere ipsius.

Immobilitas est proprietas entis immobilis quæ nullum habet appetitum ad se mouendum: sicut Deus qui est ens immobile, cum sit ens eternum & infinitum in se habens suam perfectionem æternaliter & infinitè.

Successio est commutatio de vno in aliud per motum.

Attractio est actus potentiæ, qui attrahere appetit aliquid secundum suã naturam & proprietatem attrahentis & attracti: vt magnes ferrum, teriaca venenum.

Receptio attractionem sequitur relatiuè.

Significatio est reuelatio secretorum, cum signo demonstratorum.

Nouitas est ens per quod subiectũ habituatur nouis habitibus, vel noua quantitate.

Monstruitas est deuiatio motus naturæ à principio ad finem, per superabundantiam aut magnam indigentiam, vt sex digiti, vel quatuor tantum, & inde dicitur monstrum.

Color est habitus per figurã contuitus & sunt quatuor colores generales, scilicet luciditas, dyaphanitas, albedo, nigredo.

Vmbra est habitus priuatus lucis vel luminis, & est habitus aëris per oppositum terræ denigratus.

Necessitas est illud ens, quod aliter esse non potest. Necessarium est quod nullo modo euitari potest.

Contingens est veniens absque necessitate, & est duplex, scilicet simplex

& ne

& necessarium. Contingens simplex est quod nullomodo necessitas est, sicut esse fabrum. Contingens necessarium est alicuius duorum contradictoriorũ futura necessitas, vt Petrum saluari vel damnari.

Fortuna est accidens inuentum sine intentione fortunati.

Occasio est ens, quod intentionẽ habet ad ea quæ accidere possunt, vt homo ponens lignum in ignem, vt comburatur, est occasio combustionis: medicus sanitatis.

Diffinitio est certa & expressa rei & suarum proprietatum manifestatio.

Quæstio est ignota petitio, per quã potentiæ animæ extant vt in suis actibus requiescant, & fit decem modis in quæstionali, scilicet per vtrum, quid, de quo, quare, quantum, quale, quando, vbi, quomodo, cum quo.

Obstinatio est nimia actio memoriæ & voluntatis circa obiectum, per quam intellectus stat firmatus per falsi affirmationem contra veram negationem: sicut de vitio & amore.

Opinio est suppositio seu credulitas alicuius rei cum dubitatione.

Suppositio est quædam confusio constituta de possibilitate affirmationis, & suæ contrariæ negationis, vt veritas inuestigando possit inueniri.

Demõstratio est manifestatio ignoti per notum aut minus noti per magis notum. Et fit tripliciter, scilicet per quid siue per causam, per quia siue per effectum, & per æquiparentia primo: sicut Sol est igitur dies est; secundo dies est, igitur Sol est: tertio sicut diuina bonitas est infinita & æterna, igitur diuina potestas homo est, quia Dei bonitas & hominis sunt æquales. Vel demonstratio est necessaria seu consequens apprehensio alicuius particularis positionis vel priuationis proueniens ex necessaria vel conuenienti positione seu ex impossibili priuatione diffinitionum & proprietatum vniuersalium principiorum & distinctionum, & regularum artis generalis.

Prædicatio est ars, cum qua prædicator informat populum ad habendos bonos mores, & euitandos malos.

Punctus transcẽdens est instrumentum humani intellectus cum quo attingit suum obiectum iuxta naturas potentiarum inferiorum, & attingit supremũ obiectum supra suam naturam.

Vel punctus transcendens est altitudo seu difficultas realitatis obiecti, implicans in potentia contradictionẽ, eo quod ipsa potentia de natura sui eum penitus attingere non potest.

Idea in Deo est ens siue obiectum æternaliter per diuinam sapientiam de rebus producentis in tempore, & hæc Idea in Deo est ipsemet Deus. Idea in tempore est similitudo æternæ Ideæ & talis Idea siue similitudo in creatura est creata.

Prædestinatio in diuina sapientia est actus, qui intelligit homines æternaliter electos eum iustitia ad salutionem, & hæc prædestinatio in Deo est Idea quæ est Deus. Prædestinatio est actus diuinæ sapientiæ, qui intelligit reprobandos cum iustitia ad damnationem, & est in Deo Idea Deus.

Libertas est proprietas intellectualis data rationali creaturę, vt liberè bonum diligat, & malum vitet. Liberum arbitrium est id in anima rationali, per quod liberè se mouet ad bonum vel malum diligendo, vel odiendo, accipiendo vel dimittendo. Et est duplex, scilicet specularum quãdo deliberatum faciet vel non, practicum quando electio facta est.

Creatio

Creatio in æternitate est Idea, & quia æternaliter per diuinam sapientiam est scita, & per diuinam voluntatem est amata, quæ creatio in æternitate est Idea quæ est Deus.

Creatio in tempore est productio entis de nihilo, & hæc est creatura.

Misericordia est parcens culpas & peccata: & misericordia in æternitate est Idea quæ est Deus, sed in prædestinato vel misericordiato est creatura.

Gratia est electio personæ super sua merita, dando bona illis qui non meruerunt.

Scientia est vera & necessaria cognitio de rebus habita per verum intelligere.

Scientia generalis est quidam vtilis habitus stans applicabilis, ratione cuius omnia scibilia cæterarum scientiarum sunt ad sciendum in potentia ipsius: intellectus humanus Imaginatur, qui tripliciter facit scientiam in vna, scilicet in hoc mundo: primo per naturã sensus & imaginationis, secũdo per suam naturam supra suam imaginationem.

Tertio supra suam naturam in natura & perfectione supremi, & sic ratio humani intellectus est triplex secundum triplicem modum intelligẽdi supradictum.

Ars est ordinatio & statutum cognoscendi finem de quo vult hoc habere notitiam, & habet duas species, scilicet artem mechanicam & liberalem.

Ars mechanica est modus lucratiuus manualis ad præbendum subiectum vitæ corporalis.

Ars liberalis est quidam modus sciendi per quem intellectus attingit ad eloquendum quantitates rerum, & sunt septem, scilicet Grammatica, Logica, Rhetorica, Musica, Geometria, Arithmetica, Astrologia.

Ars moralis est modus ordinandi potentias, apprehendendi per multitudinem suarum actionum & notificationem.

Ars generalis est vniuersale statum omnibus scientiis per sua primitiua & generalia principia in quibus vnitates illarum potestate relucent. Item ars generalis est quoddam Dei donum vt sit humano intellectui generale instrumentum necessario ad cognoscendum veritates entium in quibus quiescat, vt ab opinionibus & erroribus per verum intelligere sit remotus.

Theologia est scientia humanum intellectum & voluntatem præparans ad cognoscendum & diligendum Dominum Deum nostrum.

Philosophia est scientia per quam intellectus illuminatur ad cognoscendum primam causam per cuius effectum opera secreta Philosophorum naturalia vel moralia cognoscimus.

Astrologia est scientia ad cognoscendum virtutes & motus quos cœlum habet in inferioribus corporibus elementalis secundum naturam corporum superiorum, scilicet signorum & planetarum.

Geometria est ars per quam habetur doctrina ad mensurandum lineas, angulos, & figuras & rerum corporalium, longitudines & amplitudines, profunditates.

Arithmetica est ars inuenta ad numerandum multas vnitates.

Musica est ars ad ordinandum plures voces concordantes in vno cantu.

Rhetorica est ars ordinandi verba pulchre & ornate.

Logica est ars docens discernere verum à falso.

Grammatica est ars docens loqui-

pronunciare, & scribere congrue & recte.

Medicina est scientia sanitatem docens conseruare, aut lapsa reducere secundum possibilitatem naturæ in corpore sensato.

Moralitas est habitus extra naturam per quam quis dispositus est agendum bonum vel malum per virtutes aut vitia.

Ius est tribuere vnicuique quod suum est.

Militia est habitus cum quo miles iuuat Principem suum vt possit substinere iustitiam.

Pollitica est ars cum qua Burgenses procurant vt litatem publicam ciuitatis,

Prædicatio est ars cum qua prædicator informat populum ad habendos bonos mores & euitandum malos.

Sequuntur propria principia cuiuslibet scientiæ secundum proprium subiectum.

Et primò de Theologia.

DEus est *subiectum* in Theologia, & dicitur subiectũ eo quod omnia qua tractat ipsa Theologia dirigũtur ad dandum notitiam de Deo. *Finis Theologiæ* est Deum cognoscere & amare, honorare, laudare & sibi serre, & cum ipsa Theologia vti virtutibus contra vitia ad perpetuam beatitudinem consequendam. Principia Theologiæ sunt essentia diuina, vita, dignitates, actus, forma, relatio, ordinatio, actio, articuli, præcepta, expositio, prima intensio, secunda intentio.

De Philosophia.

DElectatio sciendi est subiectum in Philosophia. finis cognoscere causam primam & secreta: effectus principiorum sunt prima causa, motus, intelligentia, orbis, forma vniuersalis materia prima, natura, elementa, simplicia, appetitus, potẽtia, habitus, actus, mixtio, digestio, compositio, alteratio.

De diuisione Philosophiæ.

PHilosophia diuiditur in tres partes, quia est naturalis, alia moralis, alia sermocinalis: naturalis est scientia habita de rebus naturalibus cuius tres sunt partes, scilicet Methaphisica, Phisica, & Mathematica.

Methaphisica est scientia de rebus spiritualibus trascendentibus, cuius tres sunt considerationes, scilicet diuina, Angelica, & rationalis anima.

Phisica est scientia de rebus naturalibus inferioribus in elementis & elementatis.

Mathematica est scientia de rebus naturalibus consideratis in quantitate cuius quatuor sunt partes, scilicet Geometria, Astrologia, Musica, Arithmetica. Geometria considerat de quantitate immobili in corpore. Astrologia de quantitate mobilium in corpore cœlesti.

Arithmetica de numero absolutè. Musica de numero relato ad sonum.

Moralis Philosophia est scientia de rebus moralibus cuius tres sunt partes monostica, Iconomica, & politica.

Monostica est scientia de regimine vnius in se: Iconomica de regimine vnius ad plures; politica de regimine plurium ad plures.

Sermocinalis Philosophia est scien-

tia

tia conſiderans de ſermone, cuius tres ſunt partes, ſcilicet Grammatica, Logica, & Rhetorica. Grammatica de ſermone congruo, Logica de ſermone vero, Rhetorica de ſermone ornato.

De Iure.

IVſtitia eſt ſubiectum in iure, finis *vt inter gentes ſit pax & concordia, & vt cum munditia & honeſtate Deo ſeruiatur.* Principia ſunt Deum diligere, honeſtè viuere, vnicuique quod ſuum eſt reddere. Deum diligere eſt principium ad vtendum virtutibus & vitia euadendum: vnicuique quod ſuum eſt reddere eſt principium ad ſatisfaciendum ipſi Deo de ſe, ſibi de ſe, proximo ſuo de ſe.

Vel principia iuris ſunt hæc, forma, materia, ius generale, commune, ſpeciale, naturale, poſitiuum, canonicum, ciuile, conſuetudinale, Theoricum, practicum, militare, comparatiuum, antiquum, nouum.

De Medicina.

SAnitas eſt ſubiectum in medicina: finis vt corpus ſenſatum poſſit habere ſuas operationes, quæ ſibi conueniunt: principia ſunt tria, ſcilicet *res naturales, non naturales, contra naturã.* Res naturales ſunt ſeptem, ſcilicet *alimenta, complexiones, humores, membra, virtus, operationes*, ſpecies & quatuor annexa prædictis ſunt, ætas, color, figura, diſtantia inter maſculum & fœmineum. Non naturales ſunt decem, ſcilicet cibus, aër, potus, ſõnus, vigilia, exercitium, actio, repletio, inanitio, accidentia animæ: Res contra naturam ſunt tres, ſcilicet morbus, cauſa, accidens.

De Geometria.

QVantitas continua immobilis eſt ſubiectum in Geometria, finis cognoſcere lõgitudines, amplitudines, & profunditates rerum corporalium: principia ſunt decem, ſcilicet punctus, linea, angulus, figura, quantitas, centrum, capacitas, longitudo, amplitudo, profunditas.

De Aſtronomia.

QVantitas continua mobilis, ſeu influentia cœleſtis eſt ſubiectum in Aſtronomia: finis cognoſcere virtutes & motus quos cœlum habet in inferioribus effectiuè: principia ſunt ſigna planetæ. Signa ſunt duodecim, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Planetæ ſunt ſeptem: ſcilicet Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

De Arithmetica.

NVmerus abſolutè eſt ſubiectum in Arithmetica: finis numerando multas vnitates ſummare, & ipſas facilius numero retinere. Principia ſunt paritas, imparitas: numeri sũt tres, ſcilicet articulus, digitus, compoſitus. Species numeri ſunt decem numeratio, additio, ſubtractio, mediatio, duplicatio, multiplicatio, diuiſio: progreſſio radicum extractio, quadrata, & radicum abſtractio cubita.

De Muſica.

VOcum concordantia ſeu melodia eſt ſubiectum in muſica, finis

concordando diuerſas voces, producere delectationem in cantu. Principia ſunt decem, ſcilicet *altitudo*, *infinitas*, *mediocritas*, *longitudo*, *breuitas*, *groſſitudo*, *gracilitas*, *ſubtilitas*, *proportio*, *accentus vocalium & conſonantium*.

De Grammatica.

Congruitas & rectitudo loquendi eſt ſubiectum in Grammatica: finis eſt congrue & recte loqui, pronunciare & ſcribere. Principia ſunt littera, ſyllaba, oratio, dictio vel octo partes orationis, aut concordantia ſuſtantiui & adiectiui, ſuppoſiti, appoſiti relatiui & antecedentis & modi ſignificandi.

De Logica.

Argumenta ſeu argumẽtatiua ratio ſignificatio eſt ſubiectum in Logica: finis etenim arguendo eſt verũ & falſum poſſint inueniri, & vnum ab altero diſcerni. Principia ſunt, terminus, propoſitio.

De Rhetorica.

Ordo & pulchritudo verborũ eſt ſubiectum in Rhetorica: finis per verba ordinata ac pulchra eſt *mouere* voluntatem audientis ad aliquem finem deſideratũ. Principia ſunt, forma materia, finis: partes ſunt quinque, ſcilicet inuentio, diſpoſitio, loquutio, memoria, & pronunciatio.

Cum generalis ſcientia habeat principia & quæſtiones ac regulas generales ad omnes artes & ſcientias, & ad quodlibet particulare contentum in ipſis, & vnitatem artis ſiue ſcientiæ reuelentur in arte generali, ſequendo proceſſum ipſius: ſicut particulare in ſuo vniuerſali inquirendo bonitatem, magnitudinem, &c. & inquirendo de ipſo per vtrum, quid, de quo, &c. & ideo ipſo ars generalis eſt ſpeculum humano intellectui in quo relucent & apparent omnium ſcibilium veritates. Finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ vero opus.

F I N I S.